BARTHOLOMAEI FISEN E SOCIETATE IESU FLORES ECCLESIAE...

Barthélemy Fisen, Florentius : de Montmorency

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

9
13 D
2

FAUSTO - STASI
Legatore di libri

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

60

Digitized by Google

+

Rev.do Patri in X.o P.
Florentio de Montmorency
Societatis Iesu per Germaniam
Assistenti

Autor

Digitized by Google

BARTHOLOMÆI FISEN
E SOCIETATE IESV.

FLORES ECCLESIÆ LEODIENSIS

SIVE

VITÆ VEL ELOGIA SANCTORVM

& aliorum qui illuſtriori virtute hanc diœceſim exornarunt.

Coll. Rom. Soc. Iesu
Bibliot. Secret.

IHS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INSVLIS,
E typographeo NICOLAI DE RACHE.
CIƆ IƆC XLVII.

Ex dono P. Florentij Montmorentij Vic. Gen. Soc. Iesu

ILLVSTRISSIMO FORTISSIMOQVE MILITIÆ DVCI
GVILIELMO BARONI
de Lamboy, Cortesheim, & Arnau, toparchæ in Deſſener, VVintershouen, Neuſchlos, &c.
SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATI
a conſilijs bellicis, Imperij Stratego, ſiue Mareſcallo, Equitum alæ præfecto, Tribuno, &c.

QVO tu conſilio, mihi quiſpiam inquiet, fortiſſimo Stratego, & in armis ab adoleſcentia enutrito librum inſcribis, quem cœnobitæ potius in aſceterijs ſuis, quam in caſtris belli duces aut milites voluent? At illum ego, quicumque ita ſentit, meamque mentem eapropter coarguendam exiſtimat, arbitror equidem toto cęlo aberrare. Nam & germanam militaris fortitudinis dignitatem, & generoſi animi Tui, ILLVSTRISSIME BARO, egregiam indolem minime perſpectam habet.

Primum enim non tam fortitudinem ipſam, quam inane fortitudinis ſimulacrum oſtentat, quod ferociam melius, & in gentibus pleriſque incultis inhumanitatem poſſumus appellare. Gerendi belli peritiam ſi quis conuerterit ad homines pro libidine jugulandos, aut indigna ſeruitute opprimendos, illam eſſe virtutem, numquam ethices magiſtri fatebuntur, quam tantis encomijs ornarunt. Sed eam omnes gentes prædicant, quę Dei cultum & religionem, quæ juſtitiam, quæ regem & rempublicam, quæ patriam legitimis armis propugnat: illuſtri quippe pulcherrimarum virtutum comitatu ornatur, eaque potiſſimum de cauſa triumphis a Deo omnis honeſti juſtiſſimo remuneratore cumulatur. Etiam igitur in caſtris, etiam in acie virtuti locus eſt, eoque magis, quo ple-

Digitized by Google

rumque medio certaminis ardore vehementior impetus a justo aut recto humanam mentem abripit. Quare is non satis Christiane sapit, qui salutares præceptiones, sanctaque exempla militaribus exercitationibus arcenda contendit.

Tuam vero mentem, MAGNE DVX, parum is habet exploratã, qui de virtutibus Tecum agi non patitur, simulq; nobilissimam inuictæ Tuæ fortitudini gloriam detrahit. Quam ignorationẽ vt illi depellã, patere, DVX FORTISSIME, Tuam breui tabella velut imaginem a me pingi. Tametsi enim non nisi rudio rem illã pro meo captu dare possim; tamen quando Leodiensis diœcesis Flores in publicum proferendos mihi sumpsi, eosq; Tibi offerre constitui; in ipso limine jure dicar offendere, si pulcherrimum illum militaris Tuæ gloriæ Florem in eodem solo educatum tacitus prætercam. Et quãquam fortasse superuacaneum videri possit, ea commemorare, quę celebrantur tota Europa, & in omnium oculis atque ore versantur; at ego si quam mea scripta ætatem ferent, ad posteros transmittere contendam.

Audi ergo posteritas LAMBOIVM in agro Leodiensi natum præclaram a majoribus longa successionis serie nobilitatem accepisse; maternum vero genus duxisse a patricia MEANORVM gente; qui ante quinque ferme sæcula (sic certa monumenta adstruunt publica fide consignata) patriæ nobilitati accensebantur, & jam annis ducentis eoque amplius Leodij, seu principum, seu reipublicę judicio amplissimos quosque magistratus magna gloria gesserunt. Sed LAMBOII quamquam adolescentis animo minora hæc erant: imo alienum esse decus credebat, quod auorum erat; sua virtute proprium facere voluit, atque adeo augere. Humanioribus litteris Leodij dabat operam, quando generosam mentem tentare Mars, atque ad bellicas artes inuitare cœpit. Illustres ostentabat palmas, quas Germania cruenti belli jam tum infelix area, producebat. Sed illum ætatis retinebat teneritudo: nihilque grauius Martium animum affligebat, quam rerum Cæsaris Ferdinandi II. auspicijs fortiter æque ac feliciter gestarum gloriosa fama. Verebatur scilicet ne compositis bellis prius laureę omnes exarescerẽt, quam illi per ætatem decerpere liceret.

Vix dum maturuerat, quando deserta Musarum amœnitate, ardenti animo ad castra Martis transijt. In Germaniam profectus, sub Cæsareis aquilis inter hastatos prima stipendia meruit. Eam hic magnanimitatem, prudentiam, felicitatem, fidem

Digitized by Google

dem, orthodoxæ religionis incensum studium certissimis argumentis probauit, vt per omnes militarium honorum gradus, præfectus alæ equitum euaserit. Neque hic stare debuit destinata Diuino consilio ad majora virtus. Supremam excubiarum præfecturam jussus administrare, suis auspicijs res gerere cœpit felicitate non minori, quam animi magnitudine. Vrbem arcemque Coburgensem quamquam munitissimam aggressus; deditione hostibus extorsit. Hanouiam deinde validum Caluinianæ perfidiæ munimentum Cęsari catholicisque restituendam suscepit, arctaque plurium mensium obsidione eo redegit, vt jugum subituram omnes prędicarent; nisi hostibus ex Hassia prius aduolantibus, quam LAMBOIO par tantis viribus supplementum posset aduenire, multitudini cedere compulsa virtus fuisset, illustriores honores mox consecutura. Dolam Burgundię caput, florentissimis copijs premebant Galli, & spe jam deuorarant, quando serenissimus Lotharingiæ dux cum suis, cum Cæsareanis LAMBOIVS properarunt ea celeritate, animorumque alacritate, vt hostes quamquam numero militum roboreque superiores, territi soluta obsidione nocturnam fugam turpiter arripuerint.

Superioribus palmis additum modo inclytum decus seruatę vrbis Regi suo fidissimę, illustrissimam in Sueuia BEMELGIORVM & HOENBVRGIORVM gentem impulit, vt data in conjugem lectissima virgine SIBYLLA, LAMBOIVM affinitate sibi jungeret. Cujus auspicatissimi cōnubij felicitatem simul ac splendorē vt opportunius alias celebrem, dabit Deus.

At Cæsar LAMBOII fortunam, aut potius inuictam fortitudinem expertus, illum cum copijs ad Rhenum misit. Depulsis hic hostium præsidijs, Siburgum, Mulhemium, aliaque loca cum occupasset, omnem eam regionem in Cæsaris fide fortiter continuit; donec Palatino sacrę Cæsareæ majestatis jurato hoste, paterni belli reliquias suscitante, aduersus illum in Geldriam mouere jussus est. Vbi inimicorum conatus cum insigni gloria retudisset, in Brisgoiam imperio Cæsaris reuocatus est aduersus Bernardum Saxonem Weimariæ ducem, qui Brisacum munitissimam ad Rhenum vrbem Gallicis viribus fortiter premebat. Eo tanta celeritate prouolauit, vt in castrorum munitiones viriliter insilientem prius aduersarij senserint, quam aduentantem audissent. Nihil ergo cunctandum ratus, turbatis instat, rescisso vallo in ipsa castra penetrat, ca-

 stella

ſtella duo occupat cum tormentorum parte: quibus in hoſtem conuerſis, in pontem impetum facit; eoque in poteſtatem redacto, alteri majori imminet, in quo totius rei cardo verſabatur. Cum vires tanto facinori pares non eſſent, ſocios in auxilium aduocat, ne victoriam, quę in manibus jam erat, elabi paterentur. Sed cum etiam hi ſe hoſte inferiores judicarent, fortunata cœpta ipſe deſerere coactus eſt. Inuictam hominis virtutem, quamquam fortuna deſtitutam, promareſcalli dignitate Cęſar ornauit.

Clareſcentem in dies LAMBOII famam audierat Catholicus Hiſpaniarum Rex, atque adeo ſenſerat liberatam Dolam; in Belgium illum mitti poſtulauit aduerſus Gallum. Obſeſſo Atrebato ferendæ erant ſuppetiæ: conſilium ducibus fuit, vt in hoſtilia caſtra LAMBOIVS impreſſione facta Gallos in ſe conuerteret, quo interea per aduerſam caſtrorum partem alij ſubſidium in vrbem immitterent. Aggreſſus perquam ſtrenue, cum validis & ſæpe repetitis incurſionibus ſtationes hoſtium diu fatigaſſet, Gallicum tandem equitatum pæne vniuerſum ad vſque Saillianam munitionem (quæ ipſius erant ſtatiua) pertraxit, ferociuſque incurrentem adeo fortiter excepit, vt capto vno Galliæ mareſcallo, magnam longe plurimorum etiam e prima nobilitate ſtragem ediderit, & ceteros fuderit, fugauerit.

Sed cum alijs caſtris nihil tum perfici potuiſſet, irruptionem rurſum ad obſeſſos tentare placuit: rurſumque LAMBOIVS in ſe hoſtem ſuſcepit ab alijs auertendum. Incredibili ergo ardore in Gaſſionij fortiſſimi Ducis caſtra inuectus, adeo ſtrenue rem geſſit, vt hoſtile vallum perruperit, fixiſque in eo Cęſareis aquilis, ibidem ſe diutiſſime victor tenuerit. Sed irrito alia parte conſilio, cum nihil tum præterea tentandum videretur, incumberet autem totius Gallici exercitus robur, ſuos educere coactus eſt.

Par fortitudo, melior etiam fortuna, proximum annum nobilitauit. Vix ſigna mouere cœperat, quando comitantibus paucis equitum turmis in Germaniam abeundum fuit, vt aliquot legiones adduceret, quæ in recuperanda arce Crucinacenſi detinebantur. Hic C. Cæſaris fortunam ſuperauit, qui vt vinceret, venire debuit & videre. Nondum LAMBOIVM viderat, ſed venire dumtaxat illum audierat arcis præfectus, quando ſolo LAMBOIANI nominis terrore fractus, deditionem

Digitized by Google

nem fecit. Opportunum id accidit LAMBOIO, qui maturare iter jubebatur, & copias jungere comiti Suessionio fœderatisque alijs e Gallia Principibus; quibus apud Sedanum cum magnis viribus objectus erat veteranus militię dux Chastillionius. Vix aduenerat LAMBOIVS, vix hostem viderat; minime cunctandum credidit, & alijs quamqnam ęgre, prælium persuasit. Concurritur: Gallusque plurimis cœsis, aut captis, tormentisque omnibus, ac impedimentis exutus, insigni victoria in fugam impellitur. Doncherium subinde ducitur; quatriduoque oppugnatum, deditione capitur.

Ariam in Artesia a Gallis arcte obsessam hinc auocatur LAMBOIVS, ceu foret certum omnibus periculis pręsidium. Quo dum solita sua celeritate copias rapit, binas Montibus accepit litteras; alteras a Cæsare, quibus rei tormentarię summus præfectus jubebatur: alteris significabat princeps cardinalis de salute vrbis obsessæ desperari. Infregisset animum cuius alteri, qnod LAMBOIO sane accendit. Eo ducere pergit intrepide, & hostem inuenit in suis munitionibus circum vrbem licet deditam adhuc sedentem. Qui inducto in vrbem milite & annona, nocturnis tenebris adeo trepide fugit, vt tormenta secum auehere non ausus, Ariæ reliquerit. In desertas stationes vna cum Beckio regiarum copiarum ductore fortissimo succedit LAMBOIVS, nouamque simul instituunt obsidionem ea prudentia, animique magnitudine, ac constantia, vt hoste maximis viribus nequidquam omnia tentante, Catholico regi Ariam recuperarint.

Nobili inclytus victoria abibat in hiberna, quando Gallos, Hassos, & Weimarienses junctis viribus accipit appropinquare Rheno: properandumque esse, vt agro Coloniensi & Iuliacensi arceantur. Magnis itineribus in eos tendebat: sed ecce prohibetur ad Rhenum accedere, aut in hostem quidquam prius aggredi, quam aduenissent, quæ ferebantur suppetiæ. Hostis interim impune Rhenum transgressus, Ordingam cingit, & nulla vi prohibitus capit: eademque nocte viribus omnibus in LAMBOIVM mouet. Ignarus omnium hic agebat in suis castris: & cum non procul Ordinga legionem equitum esse jussisset, a quibus hostilia consilia edoceretur, ab illis ante nihil accepit, quam sub nonam matutinam in ipsa castra hostes impetum fecerunt. Intrepide nihilominus armatur, ordines instruit, pugnat acerime multis horis: multitudine virtutem superante,

tor-

Digitized by Google

tormẽtis omnibus exuitur. Ea tamen instaurato prælio recuperat; rursumque inclinante in aduersarios victoria perdit. Nullas imperatoris, nullas militis partes omisit. Consilio manuque promptus, equo ter suffosso, fortissime dimicans in hostium potestatem venit.

Nullis pepercit sumtibus, ne eius operam Cæsar, aut Catholicus rex diutius desideraret. Libertati redditus, bimestri spatio octo ferme hominum millia conscripsit, & Hispanicis copijs conjunxit: quibuscum validissimum Gallorum exercitum Dunckercæ inhiantem, & instar rapidissimi torrentis Flandriam vniuersam inundaturum, non aliter ac firmissimus agger stitit, & fortiter repressit.

Hæc ferme sunt, quæ ecclesiæ catholicæ, S. R. imperio, Catholicoque Hispanorum regi, Cæsaris auspicijs fortissimus ille heros perpetrauit, quibusq; majora deinceps perpetrare gestit: eoque consilio, jam reuocante Cęsare in Germaniam redit, vt sua fortitudine pridem orbi nota, afflictas imperij res restituat, compescat hęreses, ecclesiam tueatur, triumphisque ornet.

Tu in æuum memori mente, sera posteritas, repone; & fatere sine egregia virtute tam præclara facinora edi non potuisse, cum vnius sit exercituum Domini victorias dare.

Ad te orationem refero, ILLVSTRISSIME BARO: Tuisq; trophæis hos familiarium Tibi virtutum Flores appendo: Tui quippe juris plerique sunt, quando Tuum est WINTERSHOVIVM: illud inquam VVINTERSHOVIVM, quod celeberrima fuit olim religionis palęstra, virtutis omnis domicilium, sanctorum sepulcrum, tanto superbis regum Mausoleis excellentius, quanto cælestia terrenis anteferenda. Hic enim inuictus Christi martyr LAMBERTVS sanctitudinis illius tirocinium posuit, quà vniuersæ hujus diœcesis tutelam, & patrocinium promeritus est, & veluti fortissimus imperator gloriosam tot cælitum, quos jam lectori dabimus, phalangem ducit.

Hic LANDOALDVS, AMANTIVS, ADRIANVS, IVLIANVS, & virgines ADELTRVDIS ac VINCIANA insigni morum sanctimonia vixerunt, ibidemque sepulti fuerunt; donec sub annum nongentesimum octogesimũ quartum ad S. Bauonis Gandavum auecti sunt, hodieque nobilissimam illam vrbẽ ornant ac protegunt. Huc B. LANDRADA quamquam in Belisiensi parthenone (cujus autor & parens est) eximia sanctitate vitam egisset, Diuino tamen imperio, angelicisque mani-

manibus deportata est. Quam igitur quondam VVINTERSHOVII toparchę majores Tui gloriam adepti sunt, quando circiter annum humanæ salutis nongentesimum sexagesimum sextum sacra illa pignora metu Normannorum pridem in terram abdita ac inhonora, in auras ad venerationem non sine prodigijs extulerunt: eamdem Tu haudquaquam indignus successor æmularis; sacrorumque cultum non tantum victricibus armis protegis, sed præterea tot cælitum res pręclare gestas, vel hactenus tenebris obrutas, vel certe numquam in vnum collectas, in lucem educi jubes. Nimirum partam tot victorijs gloriam certius aliter stabilire non poteras. Fiet quippe (ita precor ac voueo) vt deuincti Tua hac religione tot beati tutelares, Tibi nouos & celebriores triumphos obtineant: & quanto majores omnes factorum claritudine superasti, tanto nobilioribus palmis Tuas omnes posteri Tui etiam antecellant.

ILLVSTRISSIMÆ T. D.

Humillimus cliens
BARTHOLOMÆVS FISEN.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Bona malis permista:

AMOENVS & spatiosus est hortus ecclesia Dei, in tot descriptus velut areolas, quot toto orbe Christiano diœceses; virtutibusque non aliter ac pulcherrimis floribus vernans, gratum immortalibus juxta ac mortalibus sui præbet spectaculum. Verum quemadmodum primi parentis lapsu vitiata fœdam contraxit labem terra, qua fructus non nisi spinis & tribulis permistos producit; ita natura hominum eodem corrupta vitio, quamquam in pinguibus ecclesiæ campis, turpes tamen vitiorum lappas profert, quæ purißimam alias euangelici seminis fecunditatem dedecorent. Quanta varietate suauißimos virtutum omnium flores e nobili illo horto sæculis omnibus pullulantes ostentat collecta sapienter eminentißimi cardinalis Baronij historia? At subinde lectorem nonne miseret tot turpitudinum, quas vel humanæ naturæ corruptela, vel improbus zizaniorum sator inimicus homo superseminauit?

Matre sua Romana ecclesia minime felicior fuit filia Leodiensis. Cujus historiarum primam partem cum nuper publico dedissem, tanta, tam varia, tam multa nobilißimorum florum apparuit pulchritudo, vt non immerito fortaßis dubitare quis posse videretur, an cujuspiam alius diœceseos major dignitas inueniri poßit. Ea tamen subinde nequioris sementis germina prodierunt, vt ea quamquam pluribus bonis immixta legere nonnulli refugiant, & vel sola eorum recordatione mentes pollui nolint.

segregata magis arrident.

Nihilominus quando etiam illi non propterea patiuntur in tenebris delitescere virtutem, quia lucem vitia non merentur; ego sane meam desiderari nolim ab illis operam, quos praclaris tot exẽplis spes est ad imitationem posse assurgere. Iucundius quippe negari non potest esse, virtutumque merito magis consentaneum, & Christianæ reipublicæ non minus vtile, ex amœnißimo illo ecclesiæ Leodiensis puluillo pulcherrimos quosque seligere flores, & in publicum mittere. Ita quippe & in ijs, quas meretur, tenebris retinebitur omnis turpitudo, neque castiores oculos offendet, & speciosißimam Dei sponsam nulla macula fœdabit. Gratißimus autem tot florum decor, quasi postliminio luci redditus, & e præteritis tot ætatibus in vnum collectus, mutua pulchritudine non parum accrescet, viuidioresque ad amorem & imitationem flammas in spectantium animis accendet, & sanctæ Dei ecclesiæ formam mirabili cultu exornabit: quæ nimirum illa in terris specie apparebit, qua in cælo eam gloriari nobis certum est, nulla scandalorum admista labe.

Quæ collecta,

Hoc mihi propositum est. Dabo lectori vitas, non eorum dumtaxat, quibus cælitum honores ecclesia decreuit; sed illorum præterea, quos egregia virtus celebriores fecit. Exempla hi nonnumquam dabunt nihilo alijs inferiora. Eos insuper non raro in publicum producam, de quibus pauca mihi sunt cõmemoranda. Cur enim ea, quæ reuera famam merentur & lectori prodesse queunt, sola hac de causa velimus ignorare, quod ignorentur cetera? Imo eorum, quos publicis honoribus catholici colunt, sola etiã nomina juvat proferre, etiamsi res ab illis gestæ cognitionem nostram fugerint. Nam vel solum sanctitatis nomen publico decreto additum magnæ illis gloriæ est: & operæ pretium esse existimaui, scire posteros, quos e sua gente rectam vitæ Christianæ viam tenuisse certum est, vel quos apud Deum ejusdem suæ gentis patronos habeant.

qua cautione,

Minime vero ignarus veteris ecclesiæ constitutionis nuper ab Vrbano VIII. renouatæ, qua jubemur ijs solis sanctorum aut beatorum nomen adscribere, quos vel ecclesia, vel antiquitas supra memoriam repetita illis honoribus ornauerit; omnino parere constitui. Et quamquam nonnulli hujus ætatis scriptores, nullo (quod ego quidem sciam) pontificum aut veterum testimonio, plerosq; ex ijs, quorum vitas scribo, vel beatos vel etiã sanctos indigitent, ijs tamen me abstineo; sed ea cautione, vt si cui concessum honorem fortasse non adscribo, hoc potius tribui velim meo studio obsequendi sedi apostolicæ, quam nescio cui maleuolentiæ, a qua longissime semper abfui; quandoquidem haud alio quam laudandi consilio strictum a me stylum fuisse, quilibet æquus rerum æstimator non ægre judicabit. Contra si quid forsitan meis

Digitized by Google

meis ſcriptis irrepſerit, quod pontificiæ ſanctioni haud ita conſentaneum eſſe videatur, hoc præter meam mentem eſſe profiteor; atque ita temperari volo, vt nullum vmquam ex eo momentum ſumatur ad probandam vel populo Chriſtiano, vel ipſi ſedi apoſtolicæ cujuſquam ſanctitatem.

quo ordine,

In menſes deſcribere hos flores placuit, exemplo S. Ioannis, qui in Apocalypſi fertilem illam cæleſtis Ieroſolymæ prædicat arborem, ſuos fructus per ſingulos menſes producentem. Virtuti quippe ver æternum eſt: aut ſi qua inclementiore perflctur aura, robur & pulchritudinem ab illa ducit. Cum pleriſque tamen certum diem tribuere non potuerim, qui ſuum & ipſi locum merebantur, poſt Decembrem eorum claſſem conſtitui, & appellaui Paralipomena.

qua cura,

Eos vero quam potui plurimos collegi: nec vllum, qui quidem ad propoſitum mihi finem pertinere videretur, volens præterij. Si quis fugerit quærentis diligentiam, de me (ita profiteor) de publico bene merebitur, quicumque illum mihi propoſuerit poſtea ſuo loco, ſi fors tulerit, reponendum. At ille calumniam non impingat, qui ſua blattis & tineis relinquere maluit, quam ſcriptori credere. Illorum enim, quos nanciſci potueram, catalogum jam pridem edidi, ſparſique per vniuerſam diœceſim; ac lectorem rogaui, vt ſi eccleſiæ ſuæ, vel monaſterij, aut patriæ gloriam, publicamque vtilitatem cordi haberet, eum non pigeret ſuggerere, quemcumque a me omiſſum comperiſſet. Si quis ergo præteritus eſt, illius noxa ſit, qui rogatus ſuorum honori ſtudere neglexerit.

de quibus.

Hanc item ſpongiam addo. Eccleſiæ Leodienſi gloriam ex alieno quærere me non ſum arbitratus, quando ex illis eccleſijs vel cœnobijs ſanctitatem aliquam produco, quæ nihil hodie cum Leodienſi diœceſi commune habent. Habebant nimirum, quando virtutem illam protulerunt, & huic eccleſiæ attribuebantur. Cujus ego quidem deſcribendam ſumſi gloriam, non quæ tantum hodie eſt, ſed quam aliquando fuiſſe certum eſſet. Ampliſſimos autē habuit fines, & altero tanto majores, quam hodie ſint, ad annum vſque ſuperioris ſæculi quinquageſimum nonum; quando nouis epiſcopatibus per Belgicam conſtitutis, detracta eſt Leodienſi tota diœceſis Namurcenſis, Ruremundana, Siluæducenſis, maximaque item pars Mechlinienſis, ac Antuerpienſis. Turpiter vero alucinabitur, qui ſibi perſuaſerit dici hic a me Leodienſem ditionem illa Belgicorum epiſcopatuum conſtitutione fuiſſe imminutam: de epiſcopatu quippe ſiue diœceſi mihi ſermo eſt, hoc eſt de ſacræ ſeu eccleſiaſticæ præfecturæ finibus; minime vero de politico imperio ſiue principatu. Quicumque igitur in ampliori illa diœceſi quondam virtute claruerunt, eos ad meum propoſitum pertinere exiſtimaui, qui ſcilicet alterius diœceſeos fuiſſe, dici minime poſſunt. Annis vero diuiſionem illam ſequentibus ita me contineo intra hodiernos hujus eccleſiæ limites, vt ſingulos ſuis epiſcopatibus relinquam.

Nomenclator.

Porro cum non infrequenter fuerint immutata lapſu temporum nomina prouinciarum, populorum, ciuitatum, ea fere putaui retinenda, quæ tum vſurpabantur, cum in viuis agerent illi, quorum vitam ſcribimus. Ne vero quandoque lectorem hærere contingeret, nomenclatorem *ſubjicio, ad quem lucis gratia recurrere poſſit, & in eo inuenire non antiqua dumtaxat, ſed etiam recentiora monaſteriorum, locorumue aliorum nomina, quæ ignota lectori fortaſſis alias eſſent.*

Indices.

Addo varios indices, quorum ductu facilius inueniet, quod quæſierit. Primus ordinem ſequetur, quo hic ſingulorum vitæ collocantur, in menſes *nimirum deſcriptus. Alter erit ipſius* alphabeti. *Tertius dici* chronologicus *poteſt, quia ſingulos ſuis temporibus reddit. Alius* topologicus *lectori indicat loca quibus nati ſunt ſinguli, cum sciri potuit, quibus vixerint, quibus ſepulti ſint: ideoque vnus idem pluribus ſæpe locis redditur. Vltimum adjungo, quem dicere poſſumus* moralem: *in eo quippe morum exempla lector inueniet.*

Autoris ſcopus.

Mihi denique ſcopus eſt Dei Opt. Max. gloria, a quo omnis ſanctitas: tum virtutis commendatio, honorque optimo jure promeritus: ac denique mortalium vtilitas; quam tibi, lector, ſincere voueo.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

FLores hi *ecclesiæ Leodiensis* magna diligentia collecti, & pulchro ordine dispositi a R. P. BARTHOLOMÆO FISEN Societatis IESV presbytero, gratum cælis, terrisque odorem spirant. Quapropter ad illos quilibet tuto accedet, & per illos Christi bonus odor fiet.

PETRVS SALMON
Parochus S. Saluatoris Oppidi Insulensis,
Sacrę Theologię baccalaureus formatus
& librorum censor.

Die octaua Iunij
1647.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Prouincialis, potestate mihi ad hoc facta a Reuerendo admodum P. Generali ejusdem Societatis, facultatem concedo, vt liber qui inscribitur *Flores ecclesiæ Leodiensis, siue vitæ vel elogia Sanctorum & aliorum, qui illustriori virtute hanc diœcesim exornarunt*, a P. BARTHOLOMÆO FISEN, ex eadem Societate conscriptus, ac trium ejusdem Societatis Patrum judicio approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem has dedi mea manu inscriptas & officij sigillo munitas. Insulis 16. Aprilis 1647.

HVBERTVS WILTHEIM.

Digitized by Google

FLORES ECCLESIÆ LEODIENSIS.

HOs virtutis flores, & præclara olim nostræ diœceseos germina velut in auras denuo reducturus, a quo potius exordiar, quam ab illo, quem totius nostræ felicitatis exordium prædicamus? Aut in ordinem cur ego redigam illum, quem omnis ordinis coryphæum Deus ipse constituit? Totum igitur ille ducat agmen, quem nobis Dei prouidentia parentem dedit,

S. MATERNVS

S. Petri discipulus, Treuirorum tertius, primus Tungrorum episcopus, apostolus vniuersę gentis, & Vbiorum, ac Alsatiæ. *Harigerus, Ægidius Aureæ vallis, & alij in Leodiensi historia notati.*

CAPVT I.

Treuiros mittitur a S. Petro Maternus, & in via moritur.

QVA gente fuerit oriundus, qui nos in Christo Maternus genuit, nec omnino liquet, nec ad rem nostram multum attinet. Qua nos luce perfudit, eam ipsum de cælo per apostolorum principem accepisse non dubitamus: eaque nostra est summa felicitas.

Rei Christianæ constituerat arcem Romę B. Petrus; & quaqua versum ex ea dimittebat selectos sacri belli duces, qui repressa inferorum tyrannide, sincerum veri Numinis cultum propagarent. Tergeminos heroas Eucharium, Valerium, & Maternum ad Treuiros & omnem Germaniam inferiorem misit sub annum à Virginis partu quinquagesimum secundum. Vt ætate, sic & dignitate socijs inferior fuit Maternus. Hypodiaconum fuisse ferunt, diaconum vero Valerium, & Eucharium episcopum. Si viginti duorum annorum erat, quando religiosam hanc expeditionem suscepit, centenario nequaquam minor suum diem obijt. *Missus Treuiros*

Iter magnis animis ingressi, cum ab omnibus gentibus, per quas viam inibant, atroces pietati Diuinæ injurias irrogari passim conspicarentur, (ijs quippe agitabatur insanijs vniuersa gens mortalium) Dei sui causam tueri viribus omnibus satagebant. Detractos inferis Diuinos honores vero Numini restituere summum erat studium, & ex itinere fati- *vtiliter in itinere laborans,*

fatigatis gratissima illa quies. Hoc veluti militiæ suæ tirocinium ponebant, suas prius vires periclitaturi, quam in designatam a supremo imperatore aciem descenderent. Cõfecerant iam iter non modicum, nec vacuum insignibus victorijs; quando felici conatuum successu lætiores tristis casus obturbauit. Maternum magnæ spei adolescentem, & incenso Diuini honoris amplificandi studio inflammatum, Elegiæ (oppidulum erat in Vangionibus) corripuit febris ardens, & viuis eripuit. Mortuum socij terræ mandarunt.

moritur.

CAPVT II.

Vita restitutus, multos ad Christum adducit.

STitit hæc mors sanctarum mentium impetum. Et Eucharius, Valeriusque siue socij morte consternati, seu alia de causa nescio qua, Romam ad Petrum redierunt. Consolatus est pius parens ceu carissimos filios: atque ad prius propositum redire iussos, erexit cælestis auxilij fiducia: scipionemque illis tradidit, quem vbi demortui corpori superposuissent, sperarent illius oraculo fidem futuram, qui cum quatriduanum Lazarum ad vitam reuocauerit, dixit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet; & majora horum faciet.*

Iussu S. Petri

Ioann. 14. 12.

Hac promissione recreati Eucharius, Valeriusque, totam rursum viam emensi, Elegiam redeunt: & certi de promissionis fide, quadragesimo a Materni obitu die, corpus effodi iubent; Petrique imposito baculo, ad vitam atque adeo ad susceptam sacrosancti euangelij propagationem, IESV CHRISTI nomine reuocant. Prodigium ecce omnibus ætatibus & terris inauditum. Quod solidos quadraginta dies iacuerat exanime corpus, vita plenum, sanum, vegetumque surgit. Ne facti adeo mirabilis effueret olim memoria, ædem sacram eodem loci posuerunt postea Christiani, & Resurrectionis nomen indiderunt.

redit ad vitam 40. die.

Hæc Harigerus Abbas Lobiensis: qui ante sexcentos annos cum eximia vixerit animi integritate, & scripserit magna diligentia maturoque iudicio, fidem meretur: & adstruunt graui sane testimonio Petrus Cluniacensis, Honorius Augustodunensis, Thiofridus Epternacensis, Otto Frisingensis, & alij cum nostratibus omnibus plures. Neque Beatus Rhenanus, quamquam mentis parum sinceræ, dubitare ausus est. Apud Hellum vicum tribus milliaribus Selestadio distantem, adhuc conditorium ostendi ait, in quo jacuerit aliquamdiu mortuus: quadraginta dies dicere reformidauit. Quasi Deo scilicet difficilius sit post id temporis, quam post horam, vitæ mortuum redonare. Hanc porro narrationem firmat Christophorus Browerus è Societate IESV, more in synodis Prouinciæ Treuirensis ante nongentos annos vsurpato: quo præter autoritatem scripto testatã, ecclesiastica decreta baculo S. Petri, ceu sacrosancto confirmare soliti sunt episcopi, addito baculi elogio: Cum quo B. Maternus à mortuis suscitatus exstitisset.

Aliud porro quæri posset; cuius sciendi desiderium incessit aliquando Gerardum Claræ vallis abbatem, dum Cisterciensem Himmerodæ disciplinam inspectum iuisset: quibus scilicet locis versata fuerit anima Materni omnibus illis diebus, quibus iacuit in sepulcro corpus. Hic ergo sciendi cupiditate cryptam ille subierat, in qua cum Euchario, Valerioque sepultus iacuit Maternus; & ad Deum preces fundebat; ipsi se stiterunt tres illi sancti præsules: & Eucharius: Noui, ait, quid aueas scire: hoc ipse tibi Maternus edisseret. Tum Maternus: Recepta fuit, inquit, anima mea, quamdiu abfuit corpore, in aliquem quietis locum, non tamen supremę illius felicitatis, qua fruuntur cęlites; ad corpus enim & vitam sibi redeundum esse non nesciebat. Magna tamen perfruebatur voluptate ex aspectu iucundissimo rerum omnium, quæ tota mundi vniuersitate continentur. Ita quæstioni illi Maternum respondisse, narrat Cæsarius.

Vbi fuerit eius anima.

L. 8. c. 78.

Ceterum ad vitam vt redijt Maternus, socios gaudium ingens, Vangiones quotquot aderant, vel audierunt deinde, (prodigium porro tantumquis non audierit?) stupor incessit primum, tum Dei illius admiratio, imo & veneratio, qui rem tam mirandam perpetrasset. Oblatam diuinitus occasionem non segnes dimisere sacri illi triumviri. Permotis non leuiter hominum animis, graui oratione institerunt, vt veri Numinis potentiam intelligentes, id sibi denique colendum sumerent, rejecta Deorum suorum inanitate. Vnus maxime præ alijs impellebat Maternus, vel solo nimirum adspectu.

Plurimos ad Christum adducit.

Ad

Ad spectaculum hominis tanto prodigio vitæ redditi mirabiles fiebant concursus; cumque gestiebant audire disserentem. Et Materni oratione mox fiebant ipsi prodigium non minus; quando qui non quadraginta dies, sed annos plurimos in infelicissima idololatriæ & peccatorum morte iacuerant, vitæ Christianæ sacro baptismate renascebantur. Ea fuerunt euangelij inter Vangiones prima germina. Et in hanc ætatem Alsatij Maternum prædicant suæ gentis apostolum.

CAPVT III.

Treuiris post sociorum mortem creatus episcopus Coloniensem ecclesiam condit.

IN prouinciam supremi imperatoris arbitrio designatam proficiscendum erat: Treuiros abijt cum socijs Maternus. Felicibus hic auspicijs, & beata fecunditate pullulare cœpit Christiana res; sanctamque illam ecclesiam condidit Eucharius, & rexit annos viginti tres. Morienti successit Valerius: Valerio Maternus sub annum a nato Christo nonagesimum. Solus e socijs iam superstes, quanquam magno natu, corporis tamen integer viribus, at multo magis animi, onus in humeros impositum fortiter suscepit. Neque vero tam facilem nactus est prouinciam, quam demonstrare videtur Golcherus in vita S. Valerij, quando per Galliam, Germaniamque Paganos a Christianis numero non minus, quam religione superatos fuisse affirmat. Plurimas enim, & non admodum dissitas gentes necdum adierant primi episcopi: atque adeo nec illuc euangelij lux penetrauerat. In ijs vero quas incoluerant sedibus, non nisi clam, & in arcano sacra peregerant, non omni periculo liberi. *Treuiris creatus episcopus*

Inuenit ergo Maternus, etiam inter Treuiros, quos Christo aggregaret: sed & lauream inuenit. In id quippe cum incumberet strenue; & fidem non argumentis modo, sed & miraculis faceret; fructum edidit, labore non indignum. Inuiderunt inferi: paratamque prædam faucibus eripi non ferentes bellum concitarunt in fortissimum Christi militem. Cæsus publice fuit, multaque tulit indigna. Sed vincere, imo triumphare hoc erat in Christi causa. Animos addidit non mediocres nouum id victoriæ genus. *multa pro Christo facit & patitur.*

Vna ciuitate, vel gente quamquam amplissima teneri se nequaquam passus, in vicinas gentes exspatiari constituit, summamque felicitatem adipiscendam illis proponere. Primus labor positus est in Vbijs, quorum nobilissima ciuitas erat Agrippina, Colonia hodie frequentius appellata. Inaudita hic quantumuis prædicaret Maternus, fidem tamen inuenit apud non paucos. Cumque vberiore in dies sacra sementis germine pullularet; beatiorque deinceps messis speraretur, ecclesiam condidit in posteros nobilissimam. Cui excolendę bina struxit templa; Christo seruatori sacrum alterum, alterum apostolorum principi magistro suo. Hoc postea S. Victoris appellatum est: S. Cæciliæ illud: in quo post aliquot ætates repertum est B. Paulini sacrum corpus; qui S. Materni disciplina quondam imbutus, quam inuicta animi fortitudine Christianam fidem prædicabat, fuso sanguine vitaque gloriose propugnauit. *Coloniæ fundat ecclesiam.*

CAPVT IV.

Tungros veniens ecclesiam hanc condit.

RE Christiana feliciter in Vbijs condita, transijt ad Tungros Maternus; quorum ciuitas a Iulio Cęsare pridem excisa, sed iam ab Augusto restituta, & Octauiana ab illo dicta, (quemadmodum nonnullis placet) eminebat amplitudine, potentiaque inter ceteros inferioris Germaniæ populos. Materni aduentu beatius acciderat nihil a gente condita. Quam cum crudelissima tyrannide pressissent adhuc inferi, in honestissimam, simul & felicissimam filiorum Dei libertatem euangelicis armis asserere constituit inuictus imperator: & hoc merito gentis conditor, ac parens salutabitur. Quo anno Tungris salutare sidus illuxerit, non liquet. Vero simile videtur Tungros venisse sanctum præsulem exeunte propemodum primo sęculo.

Ingressus Tungrorum vrbem, eius Ecclesiæ fundamenta feliciter posuit, quæ *Fundat Tungris ecclesiam,*

Leodium deinde translata, in nostram ætatem magna gloria perseuerat: & quam accepit a S. Petri discipulo, fidem seruat inconcussam. Quæ prima porro fuerint ecclesiæ huius exordia, vel non prodidit antiquitas, vel rapuerunt bellorum injuriæ. Hoc tamen constanter traditum est; conditam fuisse Tungris a S. Materno ędem, quam Virgini Matri dicatam volunt, omnium cis Alpes primam. Eam præcipua quadam a beato antistite religione cultam fuisse non possumus ambigere, quando & illam ædem, in qua episcopij cathedram collocauit, illi dicatam esse voluit: & eidem tota fere diœcesi consecrauit, quotquot varijs locis erexit templa. Sub illius nimirum fide tutelaque, permansuram sperauit, quam condebat, incolumem ecclesiam; nec vmquam ab illis discessuram sacris, quę a S. Petro accepta illi traderet. Tum voluit eo facto meminisse posteros omnes, qua totius animi contentione Dei parentem venerari par sit; in cuius fidem, pręsidiumque, iam inde a prima nascentis Christianitatis origine transcripti sunt.

& Dei matri dicat.

CAPVT V.

Strenue totam diœcesim excolit.

EA Religionis Christianæ velut arce Tungris constituta, in omnem circum regionem, ac reliquam gentem, iisdem obsitam ignorantiæ tenebris excurrere, & sacrosanctam euangelij lucem quaqua versum diffundere placuit.

Dicat templa Traiecti, H bitabatur iam tum insigni frequentia vicinus Mosæ trajectus, fortasse post erectam isthic a Druso munitionem; ac tandem retento a trajectu nomine, Trajectum vrbs nobilissima euasit. Hic seu propter exercitus Romanos sæpe commeantes, seu quod illac Agrippina Tungros iter haberet Maternus, posita strenue opera, cum plurimos ad Christum adduxisset, templum vnum Seruatori, principique apostolorum, magnæ Dei matri alterum posuit.

Hoij, Posuit & Hoij ad confluentes Mosæ & Hoioli aliam B. Virgini ædem. Quo se ductu Materni recepit Treuir quidam adolescens nomine Ioannes, senatorij ordinis: eiusque præceptionibus integerrimam deinceps vitam proxime ędem sacram egit.

Namurci, Namurcum deinde Christiana signa intulit generosus imperator, vt illato bello cacodęmonem isthic sua mendacia miseris mortalibus, ceu oracula venditantem profligaret. Eius quippe simulacrum nomine Nam venerationi fuisse, ab antiquo fama est. Quod adueniente Materno cum obmutuisset, & nulla deinceps redderet oracula; amplexi Christiana sacra incolæ Nammutum appellitarunt: ex quo vrbi Namuco primum, deinde Namurco parua litterarum mutatione manserit nomen. Ita vulgo ferunt: nulla eius est a veteribus fides. Dei porro parenti ædem sub abrupta item rupę posuisse Maternum, ac dicasse nemo ambigit.

Dionanti, Et Dionanto impietatem exterminauit, quo sincerum veri Numinis cultum stabiliret. Vrbi nomen a Diana fuisse commemorant: hodieque antrum ostentatur vrbe media, quod illi sacrum fuisse quondam, vulgus affirmat, & redditis oraculis celebratum. Sacrum hic bellum exorsus, commilitonem habuit Maternus Memmium, Catalaunorum apostolum: quem Diuinus mentis impetus extra diœcesis suæ fines Dionantum abduxerat. Communi consilio cum inferis bellum inferrent, ædes sacras condiderunt singuli, & consecrarunt; Virgini parenti Maternus, Memmius protomartyri Stephano: hanc B. Memmij hodie populus appellat.

Lessiæ, Proxime Dionantum, vbi in Mosam influit Lessia, templum aliud magnæ Dei Matri construxit Maternus; (vbi jam Præmonstratensium cœnobium) & eius imaginem in illo collocauit miraculis postea celebrem, quam suis ipse manibus effinxisse fertur.

Cennaci, Walcuriæ, Eidem optimæ Matri templa construxit Cennaci, & Walcuriæ: eiusque statuis item ornauit: quas perpetrata sæpius in nostram ætatem prodigia illustrarunt. Infixam scilicet intimis animi medullis dulcissimam Matrem circumferebat: & nisi eius auspicijs, vtilitatem suis laboribus nullam, nullam eorum fructibus perennitatem sperabat.

Hasteriæ, Andaini. Excoluit omnem eam regionem fecundo Christianæ veritatis semine. Et cum fructus exsurgeret tantis conatibus haudquaquam impar; præter sacras ædes ante commemoratas, Hasteriensem alij, alij Andainensem adiungunt; sed hanc apostolorum principi Petro consecratam. De nonnullis alijs plerique affirmant: quibus cum fides non omnino certa sit, ea præterire placuit.

E qui-

Digitized by Google

E quibus omnibus indubitatum certe relinquitur, ingentes fuisse Materni labores, & fructum illis nihilo minorem: vt huiusce gentis vniuersæ apostolus merito habeatur. Magnum, & supra humanum illi fuisse pectus oportuit, qui tres celeberrimas ciuitates, vastissimosque earum fines animo complexus, sic ternos episcopatus rexit, ab antecessoribus vnum, alios a se conditos, vt labores, vigilantiam, caritatem nusquam sit passus desiderari. Probat hoc Ægidius prodigio sane admirabili. Nam vno eodemque Paschatis die Treuiris, Agrippinæque, ac Tungris, sacris operatum esse asseuerat. Verum hominem in prodendis primæ antiquitatis mirabilibus rebus iusto leuiorem fuisse, plerique suspicantur.

CAPVT VI.

Sancte moritur.

TVngrorum ecclesiam insigni quadam vitę sanctimonia cum annis ferme tricenis administrasset sapientissime Maternus: Treuiros vero rexisset tot annos, quot dies in sepulcro iacuerat exanimis; recte factorum gloria plenus, palmam exspectabat. Noctis aliquando silentio ad loca sacra supplicatum progressus, sub orationem prolixiorem leui somno succubuit. Tum socios Eucharium & Valerium videre sibi visus est, illo conspicuos habitu, quo Diuinam rem peragere pontificio ritu consueuerant. Coronas singuli capite gestabant rosis, lilijs, miraque gemmarum varietate contextas. Eiusdem artis ac decoris tertiam manibus præferebant, ostentabātque Materno, ad idem secum inuitantes laborum præmium; quo fruiturum tertio post die pollicebantur.

ANNO 130.

Diuinitus mortem prænoscit,

& sancte obit.

Materno somnum excussit nuntij lætitia: simulq; sensit ipse vim lethalis languoris. Quare aduocato nocturnæ supplicationis comite, eius adminiculo domum ægre se recepit: ac familiaribus omnibus nuntium sibi longe optatissimum exposuit. Sed altero die coactos in conuentum, qui adesse poterant, discipulos omnes extremum monuit, in suscepto Christianæ vitæ instituto constantiam tenerent; & relicta mortalium rerum inanitate, cælestium desiderio magis in dies accenderentur. Audientium omnium auiditate magna sermonem in noctis medium protraxerat, (nocturnos scilicet conuentus agebant primi Christiani quo minore periculo) reliquum psalmis, sacrisque hymnis cum familiaribus exegit. Sub auroram tertiæ diei audita vox est e cælo Maternum aduocans. Ille mox sumto S. Eucharistiæ viatico, postquam discipulis omnibus bene precatus, vale extremum fecisset, animam rite Deo commendatam sanctissime exhalauit XVIII. Kal. Octobris.

CAPVT VII.

Mortuus Treuiris addicitur insigni prodigio.

AGrippinæ mortuum volunt nonnulli, & insigne prodigium subiungunt. Accepto beatæ mortis nuntio, Agrippinam Treuiri, Tungrique properarunt: & singuli cum Vbijs contendentes, sacras carissimi parentis sui exuuias sibi vindicabant. Cumque alteris nemo cederet; in medium se conuentum dedit veneranda specie quidam senex: angelus postea creditus est. Qui ad concordiam hortatus, controuersiam omnem huic euentui suasit permitti. S. pontificis corpus imponeretur cymbæ; quæ a litore repulsa, si aduerso Rheno ferretur, Treuiris cederet victoria; Tungris si secundo: at si substituisset immota, sacrum depositum Agrippina sibi retineret. Quibus dictis e conspectu abijt. Placuit omnibus posita lex, quamquam non perinde omnibus æqua videretur. Sed e cælo missam, nemo dubitabat; eoque nec audebat detrectare. Statim ac permissa est amni cymba; nemine mortalium impellente, in aduersos fluctus niti cœpit. Vno omnium iudicio causa Treuiris addicta est. Qui Dei munere læti, S. episcopi corpus in vrbem suam illatum, deposuerunt ad SS. Eucharium, & Valerium.

Quieuit deinde, vbi hodie S. Mathiæ basilica cum insigni monasterio, extra huius iam oppidi mœnia cernitur, eminente ad hanc diem supra solum marmoreo tumulo, in septemtrionali sui nominis sacello. Ex quo denique insequenti æuo, Poppone archiepiscopo in maiorem ædem S. Petri translatum est. Insignem sacratissimi illius depositi portionem Leodium anno octingentesimo quadragesimo secundo detulit Otgherus

Sacri corporis bona pars Leodij est.

deca-

Digitized by Google

decanus, summo Pontifice potestatem faciente. In hunc diem magna veneratione seruat, ac veneratur S. Lamberti Collegium.

Ita magnus ille Tungrensis ecclesiæ conditor ac parens, vniuersæque gentis apostolus Maternus vitam clausit: aut potius in filijs per tot sæcula propagauit: *Nam in Christo per euangelium ille nos genuit.* Discussis ille turpissimarum superstitionū tenebris, Christianæ legis suauissimā nobis lucem accendit. Ille quam accepit a principe apostolorum, ceu e limpidissimo haustam fonte, Diuinę sapientiæ puritatem huic ecclesiæ tradidit. Eadem illa longo tot æ atum lapsu perseuerat intaminata. Eamdem nos, apostolici illius herois seri nepotes tenemus, veneramur: tenebimusque in æuum, ac venerabimur cælo fauente. Atque ita vt Christo per Maternum viuimus, sic Materni viuet in nobis immortalis gloria, nulla vmquam re claudenda, nisi æternitate.

1. Cor. 4. 15.

SERIES EPISCOPORVM

QVI S. MATERNO SVCCESSERVNT.

OMnium, quos hic produco, Florum satorem primum fuisse MATERNVM, totamque singulorum gloriam illi propriam esse iam demonstraui. Sed quanto ceterum vulgus ordine graduque antecellunt episcopi, tanto maius ab illis decus in communem omnium parentem referri par est. Ea de causa continuatam ab ipso principio ad nostra hæc tempora pręsulum successionem vno obtutu spectandam proferre operę pretium duxi. Eodem deinde consilio vbi conditi alicuius monasterij mentio succurret, eorum pariter seriem subjiciam, qui illud rexerunt.

1. Quam ergo condidit MATERNVS nostratem ecclesiam hoc ordine rexerunt.

S. AVSPICIVS
S. CELSVS
S. FELIX
S. MANSVETVS
S. CLEMENS
S. MOSES
S. MARTINVS
S. ANASTASIVS
S. ANDREAS
S. RVSTICVS
S. AVTOR
S. MAVRITIVS
S. FORTVNATVS
S. BASSIANVS
S. MARCVS.

Hos qui S. Materno proxime successerunt, cum nostri reuera fuerint, quid causæ habuerint maiores nostri, cur reliquis non annumerauerint, alibi dico. Eos autem deinde secuti sunt.

2. S. NAVITVS
3. S. MARCELLVS
4. S. METROPOLVS
5. S. SEVERINVS
6. S. FLORENTIVS
7. S. MARTINVS
8. S. MAXIMINVS
9. S. VALENTIVS obijt anno 303.
10. S. SERVATIVS obijt anno 384.
11. S. AGRICOLAVS
12. S. VRSICINVS
13. S. DESIGNATVS
14. S. RENATVS
15. S. SVPPLICIVS
16. S. QVIRILLVS
17. S. EVCHERIVS
18. S. FALCO
19. S. EVCHARIVS obijt ante annum 538.
20. S. DOMITIANVS obijt anno 558.
21. S. MONVLFVS obijt anno 597.
22. S. GONDVLFVS obijt 604.
23. S. PERPETVVS obijt 617.
24. S. EBREGISVS 631.
25. S. IOANNES AGNVS 637.
26. S. AMANDVS cessit anno 650. ac deinde obijt 662.
27. S. REMACLVS cessit 653. objit 675.
28. S. THEODARDVS obijt 656.
29. S. LAMBERTVS obijt 696.
30. S. HVBERTVS 727.
31. S. FLOREBERTVS 746.

Eorum omnium nomina hic tantummodo notaui, quod suis locis fuse meminerim, quæ de illis fuerunt memoranda.

32. FVLCARIVS corpus S. Floreberti sepulcro eduxit ad venerationem & obijt 761.

33. AGILFRIDVS a pontifice creatus abbas S. Bauonis Gandaui, eodem ex hac diœcesi S. Faraildis corpus intulit, rem Leodiensem regum munificentia sapienter auxit: obijtque sub annum 784.

34. GER-

34. GERBALDVS diœcesim suam à Leone III. pontifice vidit ornari dicatione basilicæ Aquensis, Tungrensis, & Visitensis; constitutisque septem archidiaconis: a rege autem Carolo Magno, prætorium vexillum toti prouinciæ dari, Hoij constitui comitis dignitatem & canonicorum collegium condi, sacrumque S. Domitiani corpus e sepulcro in auras tolli religionis gratia: ipse vero obijt 809.
35. WALCANDVS à nobis alias memoratus obijt 832.
36. PIRARDVS obijt anno 841.
37. HIRCARIVS obijt 855.
38. FRANCO illustri & regio genere, Lobijque monachus doctissimus, de quo dicimus suo tempore, mortuus est anno 903.
39. STEPHANVS à nobis suo loco celebratus obijt 920.
40. RICHARIVS item alibi dictus, obijt 945.
41. HVGO ante abbas S. Maximini Treuiris; Leodij S. Stephani parœciam dicauit. Ottoni I. regi percarus vixit, obijtque 947.
42. FARABERTVS abbas Prumiensis, Eicam Leodiensi ecclesiæ ab Ottone impetore obtinuit, parœcias S. Andreę, S. Catharinæ, ac S. Georgij condidit: ac obijt 953.
43. RATHERIVS de quo alias dicimus, pulsus est episcopatu anno 956. & post variam fortunam Lobij mortuus est 974.
44 BALDRICVS illustri genere rexit ecclesiam annis tribus: mortuus est 959.
45. ERACLIVS obijt 970.
46. NOTGERVS obijt 1007.
47. BALDRICVS II. obijt 1018.
48. B. WOLBODO obijt 1021.
49. DVRANDVS obijt 1025.
50. REGINARDVS obijt 1037.
(45–50:) de singulis alio loco dicimus.
51. NITHARDVS e custode S. Lamberti episcopus, educit terra SS. Monulfum & Gondulfum, ecclesiæque suæ Hasbaniam addit, obit 1042.
52. WAZO obijt 1048.
53. THEODVINVS obijt 1075.
54. HENRICVS I. obijt 1091.
(52–54:) eorum vbi tempus est meminimus.
55. OBERTVS politicam rem non infeliciter administrauit, etiamque auxit emto Bulliono, Couino, & Claromontio. S. Petri templum non tantum dicauit, sed etiam opibus auxit. Binas curias S. Huberti & S. Fidis condidit, mortuus est 1119.
56. S. FREDERICVS obijt anno 1121.
57. ALBERO obijt 1128.
(56–57:) de vtroque alibi narramus.
58. ALEXANDER rem ecclesiæ primum fortiter egit victis magna pugna Louaniensi & Durassio, obijt 1135.
59. ALBERO II. comitis Namurcensis frater vsum rationalis sibi successoribusque a pontifice obtinuit: occupatumque a comite Barrensi Bullionum, manifesto S Lamberti beneficio recuperauit, mortuus est 1145.
60. HENRICVS LEIANVS ante præpositus Leodiensis, etiam ope S. Lamberti comitem Namurcensem Andanæ nobili victoria superauit. Eodem episcopo multis Leodij miraculis claruit S. Bernardus, & Henrico episcopo Alnam donante monasterium sui ordinis ibidem constituit, atque etiam Villarij. Mediolano præfectus Henricus inuenta SS. regum corpora ecclesiæ suæ obtinuit Leodium auehenda: sed cum prius obijsset anno 1164. ea Coloniensibus cesserunt.
61. ALEXANDER DE HORREO Treuir S. Lamberti præpositus, cum Frederico Cæsare etiam in Italiam profectus, peste interijt 1167.
62. RADVLFVS Zaringię ducis frater Ierosolymam abijt, & in reditu mortuus est 1191.
63. S. ALBERTVS LOVANIENSIS multis alibi celebratus martyrio coronatur 1192.
64. ALBERTVS CVICKIVS post aliquod interregnũ creatus episcopus 1194. moritur 1200.
65. HVGO PETRAPONTIVS obijt 1229.
66. IOANNES APIANVS obit 1238.
(65–66:) vtrique suus alibi locus.
67. GVILIELMVS SABAVDVS frater comitis Flandriæ, Valentinusque præsul designatus, Leodiensis à pontifice creatus, Roma veniens moritur 1239.
68. ROBERTVS Lingonensis (eius alio loco memini) moritur 1246.
69. HENRICVS GVELDER anno 1274. episcopatum reliquit.

70. IOAN-

70. IOANNES ENGHIANVS sapienter rexit ecclesiam suam: pro qua tuenda Bellofortium bellum gessit, & mortuus est 1281.

71. IOANNES FLANDER satis quiete regit. In Bullionensi tamen silua dum venatur captus est, & sex mensibus detentus, nec autorem vnquam indicare voluit: tandemque contabuit anno 1292.

72. HVGO CABILONENSIS. Enatum hoc episcopo bellum inter Warousios & Awansios multis annis tenuit. Hugonem pontifex ad archiepiscopatum Bisuntinum transtulit anno 1300

73. ADOLFVS WALDEGANVS (de quo alibi) obijt 1302.

74. THEOBALDVS comitis Barrensis frater non infeliciter Leodij remp. gessit: Romæ mortuus est 1312.

75. ADOLFVS MARCANVS post cruentum interregnum & flammas Martinianas episcopatum adeptus, turbatissimis temporibus præfuit: tandemque mortuus est 1344.

76. ENGELBERTVS MARCANVS non multo pacatius rexit, transijt ad archiepiscopatum Coloniensem 1364.

77. IOANNES ARCKELIVS Vltrajectensis espiscopus ecclesiæ suę Lossensem comitatum subijcit. Euincit vt condito Vigintiduum virum tribunali non subijciatur episcopus. Gesto magna laude principatu, mortuus est 1378.

78. ARNOLDVS HORNANVS Episcopus Vltrajectensis pacem magno studio feliciterque tum inter suos, tum inter finitimos coluit: & mortuus est 1389.

79 IOANNES BAVARVS episcopatū abdicauit anno 1418.& post sex annos mortuus est.

80. IOANNES VALENRODANVS obijt 1419.cuius alias cum laude meminimus.

81. IOANNES HEINSBERGIVS rem politicam non infeliciter administrauit, tandemque cum successorem sibi cooptasset anno 1456. obijt Distemij 1460.

82. LVDOVICVS BORBONIVS. Hoc episcopo Leodium à Carolo duce Burgundię vastatum est, obijt episcopus 1482.

83. IOANNES HORNANVS episcopatum inuenit, grauissimis finitimorum bellis implicitum, ægreque admodum sedauit, ac in pace obijt 1505.

84. ERARDVS MARCANVS à nobis suo tempore celebratus obijt 1535.

85. CORNELIVS BERGANVS pacem religionemque catholicam antecessoris exemplo cum strenue coluisset, episcopatum abdicauit 1544.

86. GEORGIVS AVSTRIACVS episcopus Valentinus in Hispania, implicitus bello, quod gerebat aduersus Francos Carolus V. Cæsar, Bullionum, Dionantum, Couinum amisit. Mariæburgum, Carolomontium, Philippipolis in solo Leodiensi condita sunt. obijt 1557.

87. ROBERTVS BERGANVS Leodiensem diœcesim media sui parte vidit accidi erectis in Belgio nouis episcopatibus. Irrepentem hæresim strenue propulsauit. obijt 1564.

88. GERARDVS GROESBECANVS (suum alibi cum laude locum habet) obijt 1580.

89. ERNESTVS BAVARVS remp. ab hæresi finitimorumque bellis sedulo seruauit; interceptumque Hoium, sapienter æque ac fortiter recuperauit, mortuus est 1612.

90. Patruo successit serenissimus princeps FERDINANDVS BAVARVS. Prouinciam nactus est inter grauissima ab hęresi & finitimorum armis pericula grauiter fluctuantem. Ei bonus Deus sinceram pacem aliquando concedat.

S. LAM-

Digitized by Google

S. LAMBERTVS

episcopus XXIX. & martyr, apostolus Taxandriç, castitatis inuictus propugnator, totius gentis patronus. *Godeschalcus, Stephanus, Nicolaus, Renerus, Sigebertus in* S. LAMBERTO, *Anselmus, Ægidius, & alij in historia Leodiensi.*

NEque te in turbam compellere audemus, inuicte martyr Lamberte: neq; fas est ciuitatis, atque adeo vniuersę diœceseos benignissimum præsidem, frequenter de nobis optime meritum, non singulari honore prosequi. Extra ordinem ergo te producimus, quem præ ceteris vnum publicæ rei patronum veneramur.

CAPVT I.

Nascitur Lambertus, & a virgine lactatus, oculos ei aperit.

LAmbertus Taxandriæ apostolus, fortissimus Christi martyr, totiusq; gentis eo nomine patronus, quod sanguinem suum Dei causa fortiter profusum visus est substernere ciuitati Leodiensi postea condendæ, natus est anno Christi supra sexcentesimum tricesimo sexto. Parentes habuit e prima gentis nobilitate. Pater vir illustris, & regum *lateralis* fuit, ait Ægidius: Traiectique, teste Nicolao, hereditariam a maioribus sibi relictam comitatus dignitatem cum laude tuebatur. Aper ipse dicebatur, mater Herisplendis, femina viro non inferior. Filium suum sacris aquis initiandum tradidisse feruntur B. Remaclo, nondum quidem tum episcopo, sed eximia vitæ sanctimonia præstanti. At eius fides parum certa; quando nec visus his in terris, nec forsitan auditus Remaclus, in Solemniacensi monasterio adhuc agebat. Eius parentes.

Vix aut certe nondum in auras hasce vitales prodierat sanctus infans Lambertus, quando futuram eius claritudinem videtur Deus significare voluisse. Nobilis inter Francos virgo, Lina nomine, prodierat olim in hanc lucem sine lucis vsura. Ea sub hoc tempus accepit ab angelo, filium Traiecti mox Apro nasciturum ex Herisplende coniuge: cui si papillas virgineas porrigeret sugendas, humoreque defluente suos oculos inungeret, futurum vt oculorum, & luminis vsu donaretur. Paruit angelo Lina. Traiectum venit: Apri domum ingreditur; rogatque infantem recenter natum papillis suis admoueri. Ridiculum omnino, si solius naturæ quis leges spectasset. Sed cum Deum sequi se dictitaret autorem, neque vllum à nobili virgine periculum timeretur infanti, annuitur. Infantem accipit in vlnas; mammillas præbet. Sugit infans, & a virgine lac exsugit. Vt profluentem ipsa sensit humorem, intinctos eo digitos oculis admouet: & en alterum prodigium; desubito luce fruitur. Diuinæ pietatis ac potentiæ magnitudinem prædicare satis non poterant, quicumque aderant, sed in primis Lina; quæ secundum Deum res adeo admirandas beato infanti tribuens, felicem se arbitrata est, si nutricis erga tantum alumnum munere fungeretur. Simul ergo cum lacte virgineo castitatis imbibit amorem, qui olim pro castitate cruorem funderet: oculosque cæcæ virgini aperuit, vt sole hoc spectabili frueretur, qui deinde plurimis animorum oculos aperturus erat, quibus euangelicæ veritatis lucem admitterent. Cæcæ virgini oculos aperit.

Prodigium aliud subiungit Ægidius. Dies ieiunio sanctus erat, quando Herisplendis solemni more ad sacra vrbis loca, templaque supplicationem instituit: atque vt fere fit, Christianaque commendat modestia, Linam filij sui nutricem, & secretorum omnium familiariter participem, de religioso suo instituto clam certiorem facit: monetque vt interea sedulam alumno suo præstet curam: sibi vero in reditum conuenientem ieiunio panem apparet subcinericium. Heræ iussionem auribus accepit Lina, sed animo mox dimisit. Insuper & Herisplendis opinione sua maturius domum iter reuertit. Ita Deus

Digitized by Google

& ab ea lactatur: infans loquitur.

omnia præparabat, vt quanti Lambertum faceret, illustri significaret miraculo. Aliud ab heræ præcepto, mẽte Lina, manibusque tractabat: ecce Lambertus e cunis clara voce distinctaque: Mea parens, ô pianutrix, iam aderit: tu vide paratum habeas subcinericium panem. Attonita nutrix, quamquam sciret cum infante solo se solam esse, circumspicit tamen attente, a quo edi potuerit vox illa & cum alium neminem deprehenderet, oculos in Lambertum infantem refert; atque iterato miraculo, alumnum suum ad se cõuersum videt, eademque audit ex ipso verba. Diuinam potentiam in infante tam stupenda patrantem attonita demirabatur Lina, domum regreditur Herisplendis, filijq; complet vaticinium. Exclamare non merito licuisset? *Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo.* Ioannes sane vix natus impeditam patris linguam, suam Lambertus resoluit: infantes ambo vaticinati sunt: viri ambo insigni fortitudine ac cõstantia, peccantes principes arguere ausi sunt: ambo pro tuenda cõiugij castitate sanguinẽ & vitam profuderunt.

Luc. 1. 66.

CAPVT II.

Sub S. Landoaldi disciplina VVintershouij miraculis claret.

Instituendus in pueritia

ILlustrem prodigijs infantiam secuta est pueritia velut efficta ad omnem virtutis honestatem, sacrorumque cultum. Quod vt pater animaduertit, non, vt alij plerique, impotenti animo raptus aliorsum, filium cælestibus abstractum, rerum terrenarum laqueis impedire tentauit: sed agnita Diuinæ bonitatis in se filiumque beneuolentia, & secum gaudebat ipse plurimum, & sanctissimam Dei voluntatem exequi, propagareque honorem, studiosissime satagebat. Sapienter factum: nec omnibus parentibus vsurpatum. Non enim gentis claritudini perit, quidquid Deo consecratur. Vberius nullum gentilitiæ gloriæ incrementum, quam à Diuinæ studio. Quantam filio suo felicitatem, splendorem generi suo, præsidium patriæ, ecclesiæ gloriam ademisset Aper, si ad humana filium a cęlestibus reuocasset! Felicior nullus est, quam prouidẽtię Numinis ducatus.

commendatur S. Landoaldo,

Landoaldum ecclesiæ Romanæ archipresbyterum egregia virtute sapientiaque præditum adduxerat Amandus Roma suæ diœcesi excolendæ: imo totam illius curam in eum reiecerat, cum Neruijs ipse, Menapijsque adiuuandis magis delectaretur. Tantum igitur ac talem virum publice priuatimque probatum Aper adolescentiæ filij sui Christiane instituendæ præfecit. Wintershouium amabat Landoaldus: vbi nimirum subcisiuæ quieti subinde se permitteret, qua vires animi ad episcopatus commendati munia fortius obeunda reficerentur. Hic ergo templum ære suo struxit Aper cum ædibus amplioribus, quo laxius habitaret sanctus sacerdos, cui numerosa iam ante familia erat; & spes erat augendam, pluribus ad salutares eius præceptiones anhelantibus.

elicit e terra fontem,

Inter ædificandum, agro illo palustri aqua non nisi turbida operis ad potum suppetebat, vnde & nausea & morbi creabantur. Miseratus hominum labores Lambertus, ad opem Diuinam, vbi humana deessent subsidia, cum S. Landoaldo recurrit. Preces ad Deum communi studio fundunt; inuocatoque in auxilium sanctissimæ Trinitatis nomine, baculo signum sacrosanctæ crucis terræ imprimunt: & ecce fonte limpido dulcissimæ, & salubres aquæ promanant; quæ in hodiernum diem autoritatem & gratiam, qua apud Deum sancti viri pollent, posteris testantur.

Hæc igitur Lamberto fuit ad omnem sanctitatem schola. Nescias, Lambertusne tali institutore, an tali discipulo Landoaldus esset felicior. Ille pro indita diuinitus liberali indole, virtutumque studio, sibi gratulabatur de aperta veluti latissima ianua ad vniuersas virtutes. Gaudebat Landoaldus animo illo tam hilari & parato suas omnes excipi præceptiones. Lambertum summa omnia adiuuabant: Numinis in primis prouidentia, qua certissimis indicijs ad magna parabatur; vigil & sancta parentum sollicitudo curaque; Landoaldi præceptoris cum egregia virtute coniuncta insignis doctrina. Quibus in ipso Lamberto non cedebant ingenium facile & acutum, acre iudicium, animi indoles litterarum & recti cupientissima. Quamobrem tantos in Diuinarum, humanarumque rerum cognitione, & complexu virtutum breui progressus fecit, vt facile cuiuis constaret, mirabiles olim suauissimosque fructus editurum.

ignem illęsa toga gestat.

Specimen mox edidit haud obscurum. Media hieme domi forte nihil ignis erat: quãdo ad Lambertum Landoaldus: Puer, inquit, nobis e vicina domo ardentes prunas affer. Obtemperandi auidus, procurrit puer, etsi nullum vas ad manum esset. Egressus ergo

Digitized by Google

ergo circumſpicit, ſi quis vſquam ignis luceret: paludes enim & ſiluæ,quibus occupatur ea regio, raris, & diſiunctis ruſticorum hominum tuguriolis habitabantur. Eminus itaque luculentum ignem conſpicatus (nobilis adoleſcentis modeſtiam, Chriſtianamque humilitatem admirare) prouolat, & prunas rogat. Ridere primum qui circumſedebant. & quærere, veſtene eſſet deportaturus. Ille vero ſerio veſtis ſinum colligit, prunaſque petit infundi. Adoleſcentis ſimplicitatem irridentes ruſtici, infundunt tamen. Infuſas ille dextra feneſtra, ne deffluerent, conſtringit, & propere defert ad Landoaldum. Qui excuſſo igne, cum veſtes nihil omnino læſas deprehendiſſet, adoleſcentis ſanctitatem admiratus, gratias Deo egit,qui illum, vt probabili colligebat argumento, inter tot vitia, quorum fœdo ardore,hominum animi turpiter paſſim inuruntur,non minus quam inter flammas veſtem, illæſum ſeruaret, integrumque. Si egregium aliud nihil; nobilem profecto Landoaldus Tungrenſi eccleſię, dum illam regeret,plantam educauit.

CAPVT III.

In S. Remacli, tum S. Theodardi diſciplinam tranſit bono ſucceſſu.

VT Tungrenſem cathedram inſcendit Remaclus, vir ipſis regibus eximia ſanctitudine percarus, in eius diſciplinam filium Aper tranſcripſit. Domum fortaſſis ætate iam adoleſcentem reuocauerat, ratus id ſub Landoaldo tirocinium poſuiſſe,quod ſatis eſſet ad vitam Chriſtiane deinceps, & ex virtute agendam. Sed cum ad honeſti ſummum contenderet ſanctus adoleſcens, Remaclum ei ceu peritiſſimum ducem præeſſe voluerit parens. Fortaſſis etiam eum filio voluerit eſſe præceptorem,qui paſtor erat, & epiſcopus. Ea de cauſa quamdiu pro Amando rexit eccleſiam Landoaldus, ei filium pater inſtituendum tradidit.Tradidit & Remaclo, vbi datus eſt Amando ſucceſſor. Atque poſtquam impetrata miſſione, ſeceſſit ipſe Stabuletum, ſubrogatuſque eſt Theodardus; Lambertum item hic accepit ſanctioribus inſtitutis imbuendum. *Subditur diſciplinæ S. Remacli,*

Stabuletum pro Remaclo rexerat Theodardus inſigni raræ virtutis opinione, ſpemque nihilo minorem pro adminiſtrando epiſcopatu ſuſcitarat: in eius familiam ardenti ſuo, parentiſque deſiderio Lambertus cooptari petijt, quo tanti antiſtitis inſiſtens veſtigijs ſecurius ad celſum virtutis faſtigium eniteretur. Tot ſapientiſſimorum hominum ſecutus inſtitutionem, in ſacratiora ſanctitatis adyta penetrare ſe poſſe credidit. Nec eum ſpes, & exſpectatio fefellit. Tantos quippe ſancti præſulis, vel præceptionibus,vel exemplis breui tempore fructus edidit, vt omnium oculos in ſe conuerteret, animos in ſui raperet admirationem. Placet Nicolaum audire. Tanta erat, inquit, in epiſcopi veneratione,& obſequentia modeſtia,in librorum ſacrorum lectione aſſiduitas,in oratione calor mentis, in ieiunijs alacritas, hilaritas in eleemoſynis,largitas in hoſpitalitate, vt in oppido frequenti, & magnorum principum aſſiduis congreſſibus,quibus eum intereſſe Tungrenſis eccleſiæ negotia ſæpius cogebant, vitæ ſuæ integritate meruerit, vt eum & boni amarent ſummis laudibus prædicare, & mali formidarent de ſecunda illius fama detrahere. Quod quidem eo fit illuſtrius, quod exiguo trium annorum ſpatio, quo Tungrenſem eccleſiam Theodardus rexit, inſignem adeo ſuæ ſanctitatis opinionem concitarit egregius adoleſcens, vt rex ipſe Sigebertus, nobilitaſque tota ſuſpiceret,ac reuereretur. Imo Theodardus ſapientiſſimus antiſtes, proprioque doctus experimento, quibus virtutibus paratum eſſe neceſſe ſit eum,qui epiſcopale munus adminiſtrat;Lambertum annos vicenos vix natum eo loco habebat, vt ſi quidem per eccleſiæ ſancita, canoneſque licuiſſet, ipſum dignitatis ſuæ, muneriſque ſcripſiſſet heredem, quem iam tum oneri tanto parem compererat. Nobile teſtimonium de illa ætate! Nimirum non tam temporis ſpatio, quam animi magnitudine virtus comparatur. *tum S. Theodardi,* *eximio fructu.*

CAPVT IV.

Creatur epiſcopus.

EAm Lamberti virtutem Deo viſum eſt in claram lucem proferre. Pro eccleſia ſua fortiter pugnans occubuerat Theodardus, magno omnium mœrore, tanto ſe deſtitui paſtore deplorantium. Solatio nihil futurum magis omnes iudicarunt,quam ſi eccle- *ANNO 656. Electus in epiſcopum,*

 ſia

Digitized by Google

ſua ſtrenuo vigilique antiſtite ſpoliata, recrearetur viro forti, maximeque idoneo, qui demortui vices capeſſeret. Neque diu dubitatum eſt. Primum omnium occurrit, quod ſummæ apud omnes eſſet autoritatis, illuſtre illud, quod iam protulimus, ſancti martyris de Lamberto teſtimonium. Verum nihil æque, ac ipſa iuuenis virtus omnibus notiſſima commendabat. Spectaculo fuerat, atque etiam miraculo ciuitati Traiectenſi, quamdiu eam incoluerat. Dubij conſilium, diſciplinam rudes, miſericordiam egeni, opem afflicti, perditi ſalutem, denique omnes in vno malis ſuis inuenerant leuamen. Eccleſiaſticus in primis ordo, totaque nobilitas, atque adeo populus vniuerſus, priuatim, publiceque concordibus omnium ſuffragijs in vnum conſpirabat Lambertum, vnum illum flagitabat.

Verum quæ temporum illorum fuit conſuetudo, regia maieſtas erat interponenda. Ordinum oratores eam Lamberti fidem, integritatem, vigilantiam, conſtantiam, ſanctimoniamque prædicarunt apud Hildericum Auſtraſiæ, eiuſque parentem Clodouæum Franciæ regem, qui rerum Auſtraſianarum ſummam penes ſe retinebat, vt ceteris poſthabitis, vnus Lambertus deſignaretur. Traiecti ergo æternæ mentis Numine, atque conſilio, ſummaq; vniuerſorũ conſenſione, Lambertus Tũgrorum epiſcopus renũtiatur.

Quod ceteros ad mutuam gratulationem, acclamationemque lætiſſimam inuitabat, id vero vnius Lamberti mentem grauiter affecit. Heu! quam diuerſa mens hodie multorum! Honorem ſcilicet, non onus; opes, non animarum ſalutem ſpectantes, ambitione tanta, contentioneque ſacerdotijs, & ſacris magiſtratibus inhiant, quanta ſanctiſſimi iuxta ac ſapientiſſimi quondam viri reiecerunt. Sanius hic Lambertus: indignum ſe profiteri, ineptumque; amicos circumire, obuios prenſare, rogare, obſecrareque ſingulos, tantum onus in fortiorem alium, paratioremque declinarent. At melius numquam aliter digniſſimum ſe probaſſet omnibus.

ſed reluctans

Nihil igitur omni ſua prenſatione ſanctus noſter candidatus euicit: pari vbique conſtantia reclamabatur: & ni excuſationibus ſuperſederet, ſanctam vim minabantur. Tandem ne in pertinaciam abiret modeſtia, ſuccubuit; prouincialiumque epiſcoporum probatus iudicio, quod feliciter verteret, inauguratur fine anni quinquegeſimi ſexti, vel ſequentis principio. Annum agebat viceſimum primum, vt nonnullis placet. Nec alienius a vero videatur, quod ætatem prouectiorem ſacri canones velint. Nam & magnus ille Remigius Rhemorum epiſcopus anno ætatis viceſimo ſecundo initiatus eſt. Et poſtea vel regibus poſtulantibus, vel alia graui de cauſa, canonum rigorem ſcimus fuiſſe ſubinde temperatum. Scite enim ſapiens: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

conſentire cogitur

Sap. 4.8.

CAPVT V.

S. martyris Theodardi corpus e Nemetibus relatum, Legiam infert.

AVſpicatiſſima inter epiſcopatus initia, non poterat non recurrere ſuauiſſima præceptoris, ſimul & deceſſoris memoria; quando iam eius præceptiones animo reconditas vſus quotidianus expromebat. Accedebat fortiſſimi martyris propius nota virtus, & quodammodo familiaris. Ac denique ſi verum eſt amorem amore accendi; ſingularem expertus in ſe præceptoris amantiſſimi beneuolentiam, in eum præcipuo quodam amore ferebatur. Sed neque ex eccleſiæ dignitate videbatur eſſe, vt in externo procul a ſuis iaceret, qui pro publica re vitam poſuerat. Illum ergo patriæ ſuſcepit reddendum. Dat ſe in viam: magnis itineribus ad Nemetes contendit. Atque ad ſancti martyris ſepulcrum vt venit, appenſa videt votiua donaria; frequentiſſimum miratur multitudinis vndequaque concurſum; prodigia ſupra vim naturæ, curationeſque admirabiles, in honorem glorioſi martyris, ope Numinis patratas audit, forſan & oculis intuetur. Suam his mentem acriore ſuccendi ſenſit deſiderio, nobile id depoſitum ad ſuos deferendi. Verum eius conſilium, itineriſque cauſam vt accepere coloni, apud quos cæſus ſanctus antiſtes, & ſepultus miraculis celebrabatur, tumultuari; ſuum eſſe martyrem, incolumitatis ſuæ præſidem appellare, clamitare numquam paſſuros ſibi tam nobile pignus eripi; atque etiam ad arma diſcurrere, vim paraturi, ſi quid vltra tentaret Lambertus. Impedierunt illa pium amantis diſcipuli ardorem, at minime reſtinxerunt: imo vero accenderunt magis, vt fere fit.

Magiſtri corpus reuehere optat,

impeditur primum:

Vt

Digitized by Google

Vt Traiectum rediji, eo maior omnes pastoris reuisendi cupido incessit, quo nuntius gratior frequentissimis illum significabat clarescere prodigijs. Quare optimatum, totiusque ecclesiæ Tungrensis, ac regia fortassis, vt verisimile est, instructus autoritate, totum iter Lambertus remetitur. Ad sepulcrum vbi venit, consignatas fide publica tabulas proponit, rationes addit, preceque; parentem se & episcopum petere; illis esse satis terram sanguine sacratam. Annuentibus iam denique primoribus, plebem sedauit largitionibus Christiana caritate factis in senes inualidos, pupillos, viduas, egentes, & alios, quos eius caritati commendabant aduersa. Atque ita nullo iam reclamante, vniuersis nihilominus tantam iacturam deplorantibus, nobile illud gloriosissimi martyris depositum, maxima sua sociorumque exultatione & reuerentia sublatum, ad gregem cupientissimum reuexit, ac Legiæ collocauit. Legiæ vero? Cur non potius Traiecti quę tum episcoporum fuit habitatio, vrbsque prænobilis? Diuini ego consilij fuisse crediderim, iacere iam tum fundamenta tantæ moli quondam superstruendæ: vt nimirum Lambertus dum vallis illius amœnitatem non modo, aut quietem amat, sed & religionem sancto hac deposito auctam studiosius veneratur; frequentiore illo suo secessu locum quodammodo consecraret: & quasi futuri boni præsagus, præsidium quoddam firmissimum, instigante Numine, certamini quondam obeundo constitueret.

obtinet tandem,

& Leodium vehit.

CAPVT VI.

S. Vedasti translationi interest.

AD pompam non absimilem hoc eodem anno Lambertum inuitauit Autbertus Cameracensium episcopus: sanctum enim Vedastum ex æde apud Atrebates principe Nobiliacum inferre constituerat. Lætus hoc accepit Lambertus, tum vt promeritos S. Vedasto honores redderet, tum quod in illorum episcoporum esset congressum venturus, qui longo iam vsu, & rectum virtutis callem tenuissent ipsi, & sapienter ad vberrima Christianæ fidei pascua commissos sibi greges deduxissent. Ita enim vsquequaque fama spargebatur de Audomaro Morinorum episcopo, & Cameracensium Autberto. Quorum hic quidem sextum supra tricesimum in episcopatu annum agebat: Audomarus post labores viginti sex annorum in crediti gregis cura susceptos, oculis orbus erat.

In translatione S. Vedasti,

Adfuit Lambertus ad dictum diem: quo Autbertus ex communi præsulum consilio, magnaque concurrentium mortalium veneratione S. Vedastum basilica B. Virginis extulit. Sed omnis hominum apparatus non æque nobilitauit hunc triumphum, ac ipse S. Vedastus prodigiorum multitudine. Verum Lamberto inter hæc, ceterisque præsulibus id erat miraculo, simul & dolori, vnum præteriri sine munere, & beneficio, a sancto episcopo, episcopum sanctum Audomarum. Votis ergo pariter precibusque conspirant omnes, & mox exaudiuntur, eo maiore omnium lætitia, quo illustrius erat in tanto viro miraculum.

visum recuperat S. Audomarus.

Inter ceterorum plausus & gratulationes vnus in lacrymas & suspiria solutus est Audomarus. Nimirum æterno Numini totum se permiserat vir sapientissimus, cuius certa prouidentia se sentiebat incurrisse cæcitatem, atque in tenebris viuere; vt id incommodi æquo animo toleraret in gratiam eius ac honorem, qui cum *lucem inhabitaret inaccessibilem*, nostri causa in densas nostræ mortalitatis se tenebras demisit. Malum vero iam depulsum eorum consilio deplorabat, qui scire non poterant, quid vel ad res nostras maxime conducat, vel faciendum sibi proposuerit summus imperator; a cuius nutu latum vnguem discedere magni semper sit periculi. Tot ergo lacrymis, tantoque animi ardore, alteram a Deo petijt cæcitatem, vt voti compos factus, secundo miraculo Numinis in se prouidentiam omnibus exhibuerit celebrandam.

1. Tim. 6. 16.

& ex voto suo rursus orbatur.

Post illum S. Vedasti triumphum, redijt ab hoc sanctorum Antistitum cœtu Lambertus, plenus exemplorum, quæ suis vsurpauerat oculis, & in intimum demiserat animum, prompturus ad imitationem deinde, quando fors tulisset.

CAPVT VII.

Felici episcopatus administratione omnes, etiam reges sibi conciliat.

Egregius pastor, QVam lentus fuerat in suscipiendo episcopatu, tam vehemens cœpit esse Lambertus in semel suscepto strenue administrando. Primum omnium igitur patrem vniuersorum, verumque pastorem induit, creditum gregem amore debito, sollicitudineque complexus. Quod animo, quod lingua, quod manu, quod se toto denique poterat, nusquam desiderari patiebatur. Facundia mirabili seu priuatim ageret, seu verba haberet in publico (quod infrequens haudquaquam fuit) pro gradu singulos ad omnem honesti dignitatem suauiter, fortiterque adducebat.

Et quia nihil est ad permouendos animos exemplis potentius, spretis ipse terrenarum omnium rerum lenocinijs, quæ vel corpus mulcerent, vel animum, vni Deo optimo maximo, nemini præterea, adhærebat: hic vnus amor, vna cura, vnæ deliciæ, cum hoc vno agere, versari, sermocinari. Atque in primis præcipua quadam religione ac reuerentia, nobilissimam illam cælestemque nouæ legis victimam in singulos dies æterno Patri offerebat. Quibus omnibus cum animum, quatenus homini quidem fas est, indueret apostolicum; ex immensa sua bonitate vim Deus addidit ac potestatem prodigia, miraculaque perpetrandi. Quod verbulo tantum indicasse satis visum est illis, qui primi de Lamberto scripserunt; rati, opinor, ipsam Lamberti sanctitudinem maximum esse miraculum.

regibus carus euadit. Ijs porro virtutibus, animique vigilantia & fortitudine, quibus Spartam suam adornare studebat, in Hilderici regiam, intimumque adeo animum penetrauit. Germana quippe virtute potentius nihil mortalium animos expugnat. Ipse Clodouæus Hilderici parens quamquam longo polleret vsu rerum, non modo pro se a Lamberto preces expetebat, sed eius præterea consilio plurimum vtebatur. Imo recte nihil regno toto constitutum existimabat, quod non vel statuisset Lambertus, vel approbasset. Allapsa nimirum cælo sanctitati sapientia non ea minor est, quam longus peperit actarum rerum vsus: religionique venerationem non raro Deus consiliorum felicitate conciliat; sæpius etiam compensat. Clodouæus id ætatis homo, & regni dudum administrati peritia clarus, Lambertum iuuenem non dubitabat appellare patrem suum, & apostolicum virum. Et ne vox temere, leuiterque prolata credi posset; insertam voluit rescripto regio, quo petenti Lamberto ratam, & certam esse voluit ecclesiæ Traiectensis immunitatem & fortunas. Id suo tempore seruari solitum in tabulario Leodiensi testatur Nicolaus.

Aurea ætas. Eo loco & honore Lambertum apud reges fuisse eo mirabilius est, quod insigni doctrina, prudentiaque, & sanctitate temporibus ijsdem in omnium oculis essent episcopi, Andoënus Rothomagensis, Austregisilus Bituricensis, Eligius Nouiomensis, Autbertus Cameracensis, Audomarus Morinensis, Leodegarius Augustodunensis, & Faro Meldensis: abbates Remaclus, Trudo, Vrsmarus, Landelinus, Bertinus, Filibertus, Wandregisilus, alij complures. Quibus omnibus quamquam regum iudicio non postponeretur Lambertus, & eum admirarentur singuli; sua tamen ipse sententia singulos sibi præferebat, & suspiciebat vt patres; vt exempla sanctitatis accuratissima studiosius intuebatur. Ea demum est sinceræ humilitatis, omnisque adeo virtutis indoles.

CAPVT VIII.

Ab Ebroino pellitur episcopatu.

NVlla est in humanis rebus fides. Et ipsa virtus ruet, si tantum a mortalium opibus sibi præsidium ac statumen accersat. At quæ suis, hoc est Dei viribus nititur, suo stat immota semper gradu, quamquam infractus collabatur orbis. Hominum illam nonnumquam fauores, at Dei gratia numquam deseret.

ANNO 660. Clodouæo rege vita defuncto, pergebat Hildericus filius in Lamberto venerari virtutem: & forsitan vt ea melius frueretur, diu Traiectum incoluit. Vsus est regia gratia Lambertus pro sua integritate. Obtinuit vt Landoaldo, sanctæque eius familiæ Winters-

Digitized by Google

tershouij agenti rex annonam præberet, quamdiu vixit. Perspectam enim habebat insignem illius cœtus sanctitatem; cui debere se lætus fatebatur melioris vitæ rudimenta. Verum quo regi carior, hoc ruinæ propior visus est, nisi suum in Deo gradum fixisset.

Lotharius Hilderici frater in Francia regnabat, sed pudenda ignauia. Solis contentus delicijs, quę regias opes comitantur, summam rerum administrandarum reiecerat in prę-fectum prætorio, quem maiorem domus appellarunt. Eum ipsum sibi passus a suis designari, quem illi arbitrio suo legissent, Ebroinum, virum omni flagitiorum turpitudine coopertum, inhumanaque efferatum cupiditate. Qui tanta auctus potestate, cum in omnes nullo nobilitatis discrimine crudeliter & auare sæuiret, spoliaretque quos libuisset, antiqua maiorum hereditate, atrox in se totius gentis odium accendit. Mortuo Lothario cum Theodoricum minimum natu fratrem substituere pararet, ab illo defecerunt vniuersi Franci, veriti ne confirmata tyrannide, ceruicibus grauius iugum imponeret; regnumque Hilderico pridem Austrasiæ regi detulerunt. Consternatus hac defectione Ebroinus, & flagitiorum conscientia, metuens extrema quęque; summis vix tandem precibus obtinuit, vt priuatam, atque adeo cœnobiticam agere vitam permitteretur. Ebroinum ergo Luxouium, Theodoricum ablato diademate Parisios ad S. Dionysij, vtrumque in monachum detonsum, relegauit Hildericus. Sed breui post vita expulsus est.

Ebroini tyrannide

ANNO 664.

ANNO 667.

Fratribus successurus cum e monasterio reuocatus esset ad sceptrum Theodoricus: Ebroinus, qui præter habitum, monastici nihil induerat, sibi æque ac Theodorico regi permissum esse credidit sua se Luxouiensi cella proripere, ac armis tentare remp. Sceleri fauit fortuna: principatum, quo depulsus fuerat, iterum adeptus, maior domus creatus est. Tum demum homo impotens regias opes, quibus tuanda publica res, sceleraque comprimenda fuerant, ad suam libidinem, impietatemque flagitijs pascendam conuertit. Præteritis alijs, sumo, quod ad nos attinet.

ANNO 668.

Lambertus, qui cum apud Hildericum esset in gratia, nullam vmquam cum homine perditissimo pacem esse sibi posse censuerat, dominationis eius sensit impotentiam. Sancti quippe præsulis integritatem tyrannus non magis ferre potuit, quam solis splendorem noctuarum oculi. Atque quemadmodum flagitia principum suos semper ex adulatione habent admiratores, plerumque etiam illos, quorum maxime Christiana deberent argui libertate: Coloniensis episcopus Aldeuinus, qui sancti præsulis virtutibus e vicino fuerat ad tuendam omnem religionis dignitatem prouocandus, infami victus inuidia, & arcanorum Ebroini particeps, quosdam e populo Trajectensi venales, & prostitutæ sceleribus mentis homines, execrandis largitionibus in Lambertum armauit. Iniquas & summa confictas impudentia illorum accusationes lætus audijt tyrannus: innocentemque episcopum mox damnauit. Iubetur ergo pedum cedere pastor bonus homini ad teterrimi tyranni ingenium facto. Perculit ea iudicij peruersitas Lambertum; non sui causa, quem inuitum constabat ad infulam raptum pontificiam, sed ob Diuini iuris violationem, iniuriamque ecclesiasticæ libertatis, & propter gregis sui pericula. Summa tamen æquitate animi abibat Trajecto mansuetus Dauid; quando germana Semei proles impudenti maledicentia sannas, & probra in præsulem sanctissimum iacere non exhorruit. Sed pectus eius infractum lorica firmiore obtexerat constantia, quam vt immissis a maledicentia perfoderetur verborum iaculis, vel gradu moueretur. Suorum se sustinebat consiliorum, recteque factorum conscientia.

pellitur episcopatu.

Populi sanior & maior pars non ignara quanto Trajectensis ecclesia destitueretur ornamento simul & præsidio, pastorem suum tristissima comploratione prosequebatur. Quid ageret pastor bonus? In summi, optimique pastoris Dei sinum se, ouesque suas proijciendas ratus, longum deducentium agmen sistit, & sublatis in altum manibus, oculisque, bene precatus, illos ad sua dimisit; iusta sane dignos commiseratione, quos impius domi mercenarius exspectaret Faramundus, e clero Coloniensi immissus in Lamberti cathedram: qui non alio consilio venerat, (inquit Stephanus) quam vt perderet, mactaretque.

magno Dominici gregis damno.

Contra minime deflenda sors Lamberti fuit. Sibi redditus tum dēmum visus est, quem omnium ordinum suffragia, & quædam vis, regisque imperium reluctantem ad splendidos honores, grauesque curas abstraxerat e suauissima quiete. Iam abdicatis honoribus positaque omni sollicitudine, ad se redire se sensit; quo in otio certe negotioso & sancto mens purior cælestia contemplaretur. Ita facile fuit viro sapienti in bonis

Digitized by Google

bonis reponere omnem aduersariorum acerbitatem. Quę eo processerat, vt nulla habita generis, dignitatisque ratione, binos tantummodo ex vniuersa familia concessum illi sit habere exilij socios. Eorum alter Theodoënus ille fuit, qui Godeschalco deinde familiaris, ipsum ea docuit, quæ de Lamberto transmisit ad posteros.

CAPVT IX.

Stabuletum se recipit, vbi illustria suæ virtutis edit specimina.

QVo se reciperet, non lõga deliberatione Lambertus disputauit. In proximo ab omni secreta hominum tumultu Stabulensis solitudo optatam diu mentis promittebat trãquillitatem. Huc se a Deo vocari credidit. Inuitauit non parum suauissima recordatio B. Remacli, qui sancto huic loco præsidebat; a quo meminerat adolescentiam suam integerrimis imbutam institutionibus. Nulla potest oratione satis explicari, quãta vtrimque exultatione prima salus dicta sit & accepta. De mutuo conspectu ac cohabitatione, de celeberrima sanctimoniæ fama pares vtrimque factæ gratulationes.

Stabuleti recipitur magna caritate,

Non ignorabant Stabulenses monachi, Lambertum inuersa iudiciorum forma, episcopatu pulsum fuisse: ipsumque non tantum innocentem; sed etsi nocens fuisset, sisti regio tribunali non debuisse. Manere itaque penes ipsum non dignitatem modo, verum omnem episcopi autoritatem. Quamobrem debita reuerentia suum antistitem venerabantur. At non erat hoc ad animum Lamberti: qui supplicibus vix tandem obtinuit precibus, vt in ordinem redactus, communi cum ceteris lege, domesticaque disciplina teneretur.

Cœpit ergo vir sanctus præclarum illud omnis sanctitatis domicilium sua ipse exornare innocentia; & nobilibus virtutum exemplis, cum aliud non posset, ascetas illos alias generosos, & in arena sua exercitatissimos, ad fortitudinem Christo dignam prouocare. Singulare vnum, & quod nobis plurium instar sit, modestiæ, patientiæ fortitudinis, & obsequentiæ subijciam exemplum: vt habeant ab illo veterani, quod imitentur; quod venerentur tirones.

& illustre virtutis exemplum edit.

Feruebat, vt solet initijs, in Stabulensi lyceo primæuus athletarum ardor, quem igne Diuino Remaclus succendere studebat. Sancta æmulatione contendebant vniuersi ad meliora. Non in postremis hærendum esse sibi statuit Lambertus. Statis ceterorum exercitationibus minime contentus, nocturnæ quietis horas nonnullas suffurabatur, quas dormientibus ceteris daret quietiori contemplationi. Somnum ergo de more excusserat aliquando; relictoque strato, calceos in manus sumserat, ne dum ad templum precationis gratia pergit, aliquo strepitu sodalium quieti incommodaret: lapsus forte manu calceus sonitum, paruum quidem illum, sed eo loco, temporeque insolitum, excitauit. Vide ex eo, quanta fuerit monasticæ disciplinæ integritas; quanta seueritas ad eam retinendam. Signo quodam dato mandauit abbas, vt quicumque strepitus autor esset, ad crucem abiret extemplo. Erat crux sub diuo posita corrigendis huiusmodi erratis. Et cum hiems esset asperrima, illis præsertim Arduennæ regionibus, quæ totius Austrasiæ maxima hiberni cæli inclementia rigere solent, perrexit Lambertus promptissimo animo ad crucem, & nudus pedes, soloque tectus cilicio procubuit in orationem; sed mentis ardore tanto, vt cum cælo densa nix deplueret totumque hominem breui obruisset, a sancto illo nihilominus animi calore membra feruere viderentur. Dixisses candidam innocentiæ vestem in sanctum antistitem e cælo demitti. Non breuis isthic fuit mora.

Stato tempore stratis monachi consurgunt, conueniunt ad templum, preces antelucanas concinunt. Quibus denique fine imposito cum depellendi frigoris gratia starent ad ignem, & nusquam compareret episcopus: tum demum intellexerunt illum esse Lambertum, qui ad crucem strepitum nocturnum iussus esset expiare. Cohorruerunt vniuersi ad illam antistitis modestiam, abiectionemque.

Curriculo reuocatur. Atque inter primos Remaclus ad pedes prouolutus, lacrymis facti pænitentiam testatus, veniam deprecabatur. Sed nullum excusationibus locum esse contendebat Lambertus, vbi nullum fuisset erratum. Omne iam pridem in se dicebat imperium permisisse abbati; cui apud se statuisset in omnibus obtemperare. Rigentia frigore membra balneis recreauere monachi, magna caritate id officij reddentes tam nobili exemplo; quo ipsi, posteritasque omnis, velut acerrimo quodam stimulo, fortiter

Digitized by Google

ter agerentur ad incitatam omnis honesti prosecutionem. Cuius quidem memoria ne breui laberetur, constituit olim ecclesia Leodiensis, hodieque retinet, vt media area quę relicta est inter porticus, quas claustra appellant, e marmore crux collocaretur. Neque desunt, qui S. Hubertum respexisse huc opinentur, quando vrbi Leodio pro insigni dedit Peronem aureum aurea infixa cruce.

CAPVT X.

Cæso Ebroino reuocatur Lambertus.

BEnigniore tandem oculo Deus Austrasios respicere cœpit post infanda plurima Ebroini flagitia. Cæso tyranno, rerum Austrasianarum summa redijt ad Pipinum, principem tum integrum, & sanctorum maiorum sobolem. Suus ergo religioni honor redijt. Et Faramondus, qui suas spes omnes in armis, iniustitia, tyrannide Ebroini, atque adeo totius reipublicæ perturbatione sitas habuerat, trepide Trajectum reliquit, nec vmquam deinceps venit in conspectum. ANNO 676.

Leuata hoc malo Tungrensis ecclesia, respirare cœpit, & ad pastorem suum adspirare; cuius vnius præsentia, sapientia, consilio, precibus, exemplis reparandas sperabat ruinas, quas fecerat infanda mercenarij impudentia. In id ordines omnes incubuerunt non minore studio, contentioneque, quam ante annos vicenos episcopum sibi designari flagitassent. Longa enim & vehementi tempestate jactati, tranquillitatem aut portum auidius efflagitant, quam qui secundis semper vsi sunt ventis. Non multis apud Pipinum precibus opus fuit. Stabuletũ mittit primos e clero, quorum dignitate legationi pondus adderetur, si forte reniteretur Lambertus. Et vero sancta quietæ contẽplationis illectus suauitate, actuosę vitę strepitus vsque adeo refugiebat, vt e monasticę solitudinis & trãquillitatis veluti portu, in pelagus tempestatibus feruens se referre sibi videretur. Verum Remacli cessit autoritati, a cuius nutu se pendere profitebatur. Ex vberrimis ergo pascuis, in quibus fuerat deliciatus, ad pascendi gregis labores reuertitur. Incredibili omnium exultatione receptus est. Structis ordinibus, supplicantium ritu, processit obuiam clerus vniuersus, psalmosque ac hymnos concinens in episcopium reduxit, comitante, & plausum dante innumera populi multitudine. Iusta pompa de impietate triumphabat pietas. Eum vitia fructum referunt serius, ocyus: quam virtuti labem tentarint inspergere, detecta mox eorum turpitudine, vertitur in gloriam. Reuocatus ægre desérit monasticam quietem,

Exspectationi de se concitatæ, pijque gregis desiderijs non defuit sanctus antistes. In religiosa illa quiete vires collegisse visus est, quibus labores in tuendo, pascendoque grege toleraret. Nihil enim arduum, graue, aut molestum censebat, aut relinquebat intentatum, sicubi spes vel vnius ouiculæ iuuandæ affulgeret bono pastori. Noua ergo redijt ecclesiæ facies: sedataque sacrilegæ tyrannidis tempestate, dissipatæ mox vitiorum nebulæ, locum fecerunt placidissimæ virtutum omnium serenitati. Tanti refert quis ad clauum sedeat gubernator. ad labores infractus redit.

Neq; sui curam inter hęc publica deponebat Lambertus. Conceptam in eremo Stabulensi Diuini amoris flãmam excitabat in dies, & nouis succendebat facibus. Vacuum ab occupationibus necessarijs tempus, rerum cęlestium meditationi dabat. Tum sui ipsius cognitione sibi vilescebat adeo, vt infra ceteros abijceret sese: exiguo, parabilique contentus corporis cultu. Modesto nihilominus, nec penitus abjecto habitu vtebatur, ne quid ad famam fecisse videretur. Sed asperrimum sub veste cilicium induebat, Dei vnius oculis contentus.

CAPVT XI.

Eximios fructus producit: adducitque Taxandros ad fidem.

QVod imperator in exercitu, hoc in ecclesia præsul. Non facile miles ignauus est, sub forti & sapiente imperatore: & multa sanctitudine floret ecclesia, si sanctus fuerit episcopus. Vere aurea dici potuit hæc Lamberti ætas, quæ virtutum feracissima, longe plurimos cælo fructus genuit. Quam gloriam etsi prioribus episcopis detractam nolim; bonam sane illius partem non possum non Lamberto tribuere. Quemadmodum Diœcesim feliciter excolit.

enim

Digitized by Google

enim ſine luce ſol, ignis ſine calore; ita neque virtus vnquam ſine fecundo germine relinquetur. Vt taceam, quos in excolenda generatim diœceſi fructus protulerit: magna eſt eius gloria ab inſtitutione nobiliſſimæ virginis Landradæ, quæ ſanctis illius præceptionibus imbuta, non ad excelſum modo ſe ipſa honeſti apicem prouexit, ſed poſito Beliſiæ parthenone, in ſequentes ętates ſanctitatem prouexit. Et Oda illuſtriſſima matrona, quondam vxor ducis Aquitaniæ, Lambertum ducentem ſecuta, eum attigit ſanctitatis gradum, vt & Hubertum nepotem ſuum, magnum illud eccleſiæ noſtrę decus eodem allexerit,& Amanij condiderit inſigne canonicorum collegium. Ipſum vero Hubertum ſic excoluit Lambertus,vt in eccleſia regenda ſucceſſorem habuerit. Sed in priuatos ea fluxit ab illo vtilitas.

Taxandros feros tum homines, Vniuerſa Taxandrorum gens ſuam illi ſalutem debet.Regionem inhabitabant vix tertio ab vrbe Traiectenſi lapide, Septentriones verſus, vaſtis & ferme continuis paludibus obſitam; & ob id ne finitimis quidem aliquo commercij iure tunc ſatis notam. Gentis mores barbaros ipſa etiam ſolitudo, ſed magis ſuperſtitio efferauerat. Quare cum hactenus obſtinatis animis, multis Chriſtianæ veritatis præconibus aures obſtruxiſſent, hærebant in impietatis auitę cœno: cæcitatem nequicquam deplorantibus tot ſanctis epiſcopis, religioſiſque principibus, qui hiſce regionibus adhuc imperitarant: Nec enim fas vnquam fuit, vim cuiquam fieri ad amplectendam religionem Chriſtianam.

Rem igitur non laboris & periculi minus plenam, quam gloriæ aggreſſus generoſus antiſtes, eo rationum pondere, facultateque dicendi, qua pollebat inſigni, vitę ſanctimonia, ſuauitateque morum, factus eſt omnia genti in malum obſtinatę, vt vicerit tandem barbarorum idololatrarum peruicaciam. *non ſine Dei ope,* Nonnullis ſalutari aqua tinctis, idola deijcere, deſtruere fana cœpit. Hic demum vltimos exeruere conatus inferi, quando regnum ſuum funditus euerti viderunt. Verum potenti ſua manu retudit Deus. Cum enim tantæ ſuæ cladis impatientes idolorum ſacrificuli, plebeculam ſuarum ſuperſtitionum tenaciorem concitaſſent ad vim ſancto præſuli faciendam; conuolauere veſano furore. Sed in Lamberti conſpectum vt venerunt, eum Diuina quapiam luce circumfuſum animaduerterunt: & is terror animos inceſſit, vt abjectis mox armis ſupplices facti totos illi ſe permitterent. *adducit ad Chriſtum.* Omni piorum conatuum obice in hunc modum ſublato, gentem ſponte iam in ſacra noſtra concedentem, maiore ſtudio,nec infeliciore ſucceſſu, erudijt; & ab impuro dæmonum cultu,ad caſtiſſimam, & ſalutarem Chriſti religionem traduxit. Quare Taxandriæ apoſtolus a poſteris glorioſo vocabulo nuncupatur.

ANNO 690. Dum omnem inter hæc Taxandriæ agrum ſtudioſe luſtrat, inferendo, excolendoque virtutes,ac ſolerter inuigilando, ne ſuperſeminatis zizanijs inimicus homo beata noualia rurſum perderet; ſecundam accepit e vicino famam rerum inter Friſios a Willibrordo præclare geſtarum, *S. Willibrordo familiariter vtitur,* qui Deorum cultu feliciter iſthic exterminato, Chriſtum Deum magna animorum commotione prædicabat. Lamberti viciſſim triumphos inaudierat Willibrordus pro Tartareis legionibus in Taxādria debellatis. Quare ex mutuæ virtutis admiratione, ad colloquium conuenire ſummopere deſiderarunt. Et ſi ſeniorum narrationibus creditur, (ita de ſuo tempore teſtatur Nicolaus) locus eſt in pago, quem Teſtebrantum dicunt, haud longe a Moſa, aliquanta arborum amœnitate inumbratus, ad quem B. Lambertus, adſcito in opus euangelij viro Dei Willibrordo, ſolitus erat ſæpius deſcendere, & confluentibus ad ſe recenter baptizatorum turbis, myſteria Chriſtianæ religionis exponere. In eodem loco ædes in honorem B. Lamberti dedicata, tantæ vſque hodie venerationis eſt apud incolas regionis illius, vt ſingulis annis illuc ad impetranda martyris beneficia concurrentes, etiam ipſas arbores, quæ atrium opacabant, ferro attrectare ſacrilegium cenſerent. Ita Nicolaus.

CAPVT XII.

Pipinum ab adulterio reuocare nititur: & ideo multa patitur a Dodone: vlciſcuntur tamen nepotes.

ACceptam a Lamberto cladem vlciſci velle viſi ſunt inferi: & ſane repoſuerunt admodum pudendam: ſed quæ ſancto præſuli triumphum pareret longe nobiliſſimum. *Pipini intemperantiam.* Miſſus eſt ſub infame libidinis iugum Pipinus; ille ſanctorum principum ſoboles, & præcipua quadam in ſacra omnia religione celeberrimus: ille in totius Franciæ conſpectu

Digitized by Google

conspectu constitutus, quam in administranda rep. pollebat viribus & autoritate, tam omni honestati sua turpitudine fœdam nubem opponebat. Postquam enim annos complures insigni iustitia rerum summam tenuisset, turpissimam sub annum nonagesimum quartum gloriæ suæ notam inussit: & quem nulla vicerant hostium arma, vicit mollis libido. Puellæ cuiusdam Alpaidis specie captus, in eius nefarios amplexus exarsit. Et quo libidinis suæ turpitudinem honesto matrimonij nomine dissimularet, domo sua pepulit Plectrudem nobilissimam matronam, lectissimamque coniugem, & duorum magnæ spei iuuenum parentem.

Omnem Austrasiam perculit insignis illa Plectrudis, imo sacrorum Christianorum injuria. Dissimulauere nihilominus episcopi plerique: & veriti principis indignationem, turpissimum flagitium, quod pro sua dignitate debuerant impugnare, pudenda assentatione probare visi sunt; facti tamquam canes muti, non valentes latrare. At Lambertum, quem pro tuenda domo sua veluti murum ferreum Diuina prouidentia constituerat, non regia principis autoritas flexit, non terruit potentia, non ab officio spes vlla reuocauit. Ad Pipinum adijt intrepide, flagitijque fœditatem damnare aggressus, obnixe rogauit, vt ne gloriam nomini suo partam tot præclare, fortiterque factis, inhonesta labe pollueret: & ne exemplo tam noxio ipse in totius Franciæ oculis positus, periculosam libertatem multitudini laxaret. Et si quidem inter mortales arbitrio suo fingeret leges, refingeretque, nec vllius potentiam in terris vereretur: at vero meminisset vnum in cælis regnare Deum *terribilem, qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ*: cuius iudicio potentes potenter tormenta patientur. Ea libertate, ardoreque animi dicebantur hæc ab integerrimo, fortissimoque præsule, vt Pipinum, qui iam dudum eius virtutem reuerebatur, non leuiter perculerint: oculisque iam velut apertis intueretur, ac damnaret suam ipse impudicitiam.

fortiter arguit:

Ps. 75. 13.

At vide, quam tenaciter mortalium animos illiget, & alliciat ad indigna fœdum illud voluptatum gluten. Hanc sancti antistitis orationem, nominis ab infamia tuendi rationem omnem, ac denique æterni iudicis timorem, procul animo principis alias sapientissimi, blanditijs suis repulit impudica muliercula; primoque congressu ad notas sordes retraxit. Pipini salutem non ideo censuit deploratam episcopus; nec omnem de illa posuit cogitationem. Mentem contra erexit eo generosiorem, quo magis niueum castitatis nitorem imis animi medullis simul cum primo lacte imbiberat.

Suas item ex aduerso dæmon omnes copias contraxit. Potissimum robur in Alpaide collocauit. Quæ Pipinum quidem quibus nouerat artibus arctissime sibi deuincire perrexit: at episcopum precibus, aut vi deterrendum ab incœpto Dodoni fratri commendauit. Erat Dodo e prima nobilitate, sed homo sceleratus, & qui augendæ gentis suæ gratia nihil flagitij non probaret. Primum tamen blanditijs illiciendum censuit episcopum. Pronius id videbatur, & extra omnem aleam. Sed in gradu firmius stabat Lambertus, quam vt blanditijs moueretur, ecclesiæque dignitatem proderet. Imo nec minis permotus est. Ab ipsis malis crescebat robur inuicto pugili. Quamobrem cum vitæ prodigus videretur, aliam inire viam placuit. Nec enim atrocius facinus tentandum erat, nisi in vltima rerum desperatione.

nec frangitur precibus,

minis,

Episcopi familiam, ecclesiæque villas, ac prædia, Dodonis propinqui & clientes inuadunt, ducibus Gallo & Rioldo eius nepotibus; indignumque in modum infestant: quo præsulis constantia suorum fuga, comploratione que fracta manus daret. Mouit episcopum commiseratio; non vicit, non ab apostolica fortitudine deduxit. Postquam a sacrilegijs Dodonianos graui commonitione frustra deterruisset; Diuinæ iustitiæ causam omnem reliquit, paratus omnia sua hostium arbitrio, libidinique permittere, qui sanguinem in ea causa, vitamque profundere non dubitabat.

aut injurijs.

In consilia prorsus diuersa duos Lamberti nepotes abripuit iuuenilis impetus. Petrus & Andoletus erant, eximiæ indolis, speique magnæ adolescentes: qui quam laudabant in episcopo patruo suo mansuetudinem euangelicam, tam dedecori sibi vertendum rebantur, alienumque a militari maiorum gloria censebant, illatas tanta peruicacia contumelias armis non propulsare. Clam igitur arma corripiunt, suas armant familias, aliosque ecclesiæ clientes: & nullis cum antistite communicatis consilijs, in aduersarios tendunt, quos in ecclesiæ bona rursum impetum facere videbant. Acriter concurritur: sed Numine causam suam non deferente, euentus æquitatem secutus est. Victis Dodonianis, occubuere Gallus, & Rioldus. Grauiter affecit Dodonem ea clades, quod caros

Nepotum armis defenditur.

Digitized by Google

in paucis haberet nepotes suos, quos scelera magis, quam sanguis, coniunxerant. Exarsit igitur in vindictam: cuius occasionem proximis post diebus oblatam arripuit quam auidissime.

CAPVT XIII.

Illudentem sibi Alpaidem Pipini scortum grauiter arguit.

IIsdem forte diebus Legiæ Lambertus, Pipinus Iupiliæ agebant: hic ad delicias, (erat quippe illa ætate Iupilia, fuitque deinde Heristallum principibus, regibusque deliciæ) ad sanctam quietem ille secesserat, vt inter humanarum rerum procellas, quibus ecclesiam suam inuolui gemebat, mens purior e Diuinorum commentatione solatium opemque quæreret.

Lambertum ergo de magnis regni negotijs in consilium Legia Pipinus aduocauit: ipsius enim prudentię iuxta ac sanctitati tribuebat plurimum. Post graues, diuturnosque de rep: sermones, ad mensam inuitat. Atque vt religiosam a puero habuerat institutionem, oblatam a pincerna pateram admittere noluit, nisi de manu præsulis felicia precantis; ratus id secundo Numine fortunatum ac salubre futurum, quod ab episcopo cum fausta eius precatione suscepisset. Principis religionem imitata reliqua procerum turba, suas item singuli pateras certatim obtulere. Alpais, quę sciret episcopum nihil sibi cum illa propter adulterij flagitium, commune esse velle, ipsi statuit illudere. Dissimulanter suam inter ceteros ipsa pateram offert, vt quando illi quamquam ignarus, bene precatus fuisset episcopus, in gratiam ab illo se receptam, probatasque nuptias iactitaret. Fraudem sensit oculatus in omnem partem antistes; & ad Pipinum conuersus: Vide, princeps, ait, mulieris audaciam, quę hoc in consessu, tuę saluti, honorique meo insidiari non erubescit: impudenter nimirum affirmatura suam a me probatam impudicitiam, quo te in æternum præcipitem trahat exitium. Ego vero ne in causa tuę salutis dissimulasse fortassis arguar, secedo, mihi cum illa nec conuescendum arbitratus.

Illudente sibi Alpaide, palam Pipinum reprehendit,

Abibat: immutata est totius conuiuij facies. Verebantur plerique ne quid immanius Pipinus, sui haud satis potens, in episcopi caput decerneret. Ille nihilominus se tenuit: missisque proceribus, Lambertum ad colloquium reuocauit. Blanda hic illum aggressus oratione, promissis ingentibus onerat, vt posita adulterij exprobratione, suas cum Alpaide nuptias velit appellare legitimas; aut sane silentio conniuere. Contra Lambertus dicendi facultate, qua pollebat, suauissima dehortatur a flagitio. Rationibus ab vtroque proponendis, simul & refellendis temporis multum abierat; nec alteri cedebat alter. Malebant ambo mortem oppetere, quam vel hic sui muneris dignitatem prodere, vel suos ille vesanos amores relinquere.

nec mortis metu cedit.

Erupit tandem in furorem libido hactenus compressa. Pipinus Christiani principis oblitus, impotentem tyrannum induit: voceque concitatiore mandat episcopo, ni dignitatem velit aut vitam in certum discrimen mittere, Alpaidi coniugi suæ factam iniuriam expiet, qua par est in principem suum veneratione: neue palatio pedem prius efferat, quam ipsam salutasset, precatus fausta omnia. Erexit hic animum apostolico robore inuictus antistes: Non est, inquit, mihi timenda, quam pro Christiana coniugalis castitatis dignitate tuenda, mortem minaris. At tu princeps vide, quam merito formidare debeas æternum, quo tua te libido rapit, interitum, ni mature pedem referas. Dixerat; & intrepido vultu animoque, pedem effert, ac Legiam reuertitur, velut ad instructissimum armamentarium, in quo, ad proximam pugnam sanctæ contemplationis indueret arma, & iuxta S. Theodardi sepulcrum, eius fortitudinem sibi proponeret ad imitationem.

CAPVT XIV.

Pro coniugij castitate fortiter pugnat, & morte vincit.

NOuis sceleribus viam struunt scelera. Parricidium audet Alpais machinari. Quid enim impotentius hoc sexu, seu amores eius, seu ambitionem attigeris? Vt inflamma-

Digitized by Google

flammatum ira Pipinum, & in episcopum dira omnia meditantem sensit, ne longiore mora forte resideret impetus, rata tundendum esse candens ferrum, mittit ad fratrem Dodonem: tempus esse, dum ferueret ira princeps, tam splendidum ad familiæ dignitatem coniugium stabiliendi: episcopum, vnicum eius aduersarium impune, imo ex principis imperio tolli posse. Quibus sane oleum flammæ inijciebatur. Nam Dodo cæde nepotum exacerbatus, a sacrilegij perpetratione Pipini metu magis, quam religione retinebatur. Quare hoc recreatus nuntio, se comparat ad facinus eadem nocte audendum. Misso ad eius necem milite,

Militem e palatio soror submiserat: ipse, quos potest, omnes e vicino clientes aduocat, familiamque armat vniuersam. Quæ tanto facinori moliendo breuis nox fuisset, impietatis ardori longior visa est. Legiam dum properant, eminus ecce prospiciunt ingenti luce de cælo lapsa splendere præsulis habitationem. Lucidissima crux erat, quæ ab infando parricidio perditissimos quosque reuocare debuerat: at e cælo viam ad flagitium signari, impijs vocibus interpretabantur. Scripsere tamen alij, conspicuam illis dumtaxat fuisse lucem illam, qui impiæ machinationis ignari, sola spe mercedis Dodonem in incertum sequebantur; obscura nube media ceterorum oculis lucem eripiente. Martyrij gloria profecto splendida illa cruce notari visa est, quasi depellendis huius vitæ tenebris per crucem aurea luce immortalitatis numquam occasura.

Præsensisse creditus est Lambertus; quandoquidem suauissima cum superis communicatione noctem illam pæne totam supra morem fefellit. Solebat enim, ait Nicolaus, modici somni quiete recreatus, post primam noctis vigiliam ad orationem cum silentio solitarius exsurgere, atque incenso caritatis ardore pro commisso sibi grege, pro toto orbe Christiano, ac potissimum pro ijs, qui reip. gubernaculo dexteram admouent, preces ad Deum fundere. Sanctis hisce mentis exercitationibus ad mediam noctem peruenerat: familiam suam a somno excitatam, ad nocturnas Dei laudes inuitat. Quas cum magno pietatis sensu concinuissent, ad somnum sane reliqui redierunt: at episcopus, quamquam ætate affecta, vegetus tamen animo, non precationis contentione, non labore vigiliarum frangebatur. In Diuinorum commentatione reliquum noctis agere constituit. Sub ipsum tamen crepusculum, quo vires collabascentis corporis breui somno repararet ad diurnos labores, in lectulum se abijcit. sancte noctem agit,

Interim familiarium vnus nomine Baldoueus, quum ab infenso principe malum aliquod grande timeretur, circa præsulis domum excubabat. Et ecce cælo iam albescente, aduentantes conspicatur dubia in luce armatorum cuneos: trepidusque domum refugit, ac periculum sodalibus nuntiat. Consilij, omnisque auxilij inopes, stratis vix se proripuerant, adest Dodo cum sceleris socijs; horrendoque clamore sublato, cortis adiacentis claustra primum reuellit; parique furore ipsas ædes aggreditur. Hostilium armorum fragore expergefactus præsul, sui necdum satis compos, ensem corripit, iure, quod omnibus natura concessit, vim a se repulsurus. Verum a subita trepidatione sibi redditus; vt primum animum subijt, gloriosiorem futuram in ea causæ honestate mortem, ferrum a se longius rejecit. Tum audito Petrum & Andoletum nepotes suos domo prosilijsse, hostemque arcere fortiter, eos ad se accersit, & summa orationis vehementia hortatur, vt quando esset occumbendum, (quid enim aliud sperare possent inermes, pauculi, aduersus illam armatorum multitudinem?) moriendo certe vincerent. Nobilius esse bellandi genus, pro Dei causa simul cum armis vitam ponere: æternumque adeo consequi triumphum. Paradoxum id primum iuuenibus visum; quibus ætatis ardor, nobilitas gentis, nuperaque victoria proponebat arma. Cessere tandem patrui exemplo, vitam inuicta fortitudine Christo reponentis. Prodeunt ergo reseratis foribus binæ victimæ, sponte sua æterno Numini consecratæ: statimque impio sicariorum ferro immolantur. nepotes ad mortem cohortatus,

Dodoni fuit ea quasi velitatio. Qui gemina hac cæde nequaquam contentus, quo mundo testaretur, arma se alia de causa sumsisse, quam vt nepotes suos vlcisceretur, furore amens cum suis in ædes penetrat: obuium inermem clerum, episcopi familiam trucidat; paucis exceptis, quos in diuersum abstulit trepida fuga. Execrandam scelerati lictoris sitim necdum sedarat tantum fusi sanguinis, quod vnus ille deesset, qui omnium maxime quærebatur episcopus. In ædem SS. martyrum Cosmæ & Damiani se receperat, vbi & situs erat B. Theodardus: quorum memoria generosius se daret in Christianam hanc arenam intrepidus Dei athleta. Hic ante aram prostratus, expansis in crucis modum brachijs, Christo Deo vitam insigni mentis ardore consecrabat: quando ecce sacrilegus miles, forte dum porta perfringitur, in ædis tectum euasit: ibique fenestram nactus, ipse fortiter occumbit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nactus, sanctissimum præsulem Lambertum, ea quam diximus, positione corporis in terram abiectum conspicatus, conto transuerberat. Felicem animam æterna martyrij laurea donatam, cælis agonotheta Christus recepit.

CAPVT XV.

Dodonem cum conjuratis punit Deus: at sacrum corpus Trajectum auectum prodigijs ornat.

Puniuntur a Deo percussores.

PErpetrato tam atroci facinore, non aliter quam parta præclara victoria exultans, abit cum conjuratis Dodo. Sed pænam diu non distulit vltrix Dei manus. Nefarius sancti martyris percussor eodem ipso die, cum Publicum montem a parricidio conscenderet cum fratre, ageretque de præda diuidenda, mox orta rixa, manu sua ipse fratrem interemit, eiusque vicissim dextera misere perijt. Ceteros nihilo felicior interitus perdidit, dum primus a commisso scelere annus voluitur. Vel enim mutuis concidere vulneribus; vel satanæ traditi, horrendum Diuinæ iustitiæ omnibus exhibuere monumentum. Et ne dubium esset, cuius sceleris ea pæna esset; nec vlla vi poterant ad pronuntiandum Lamberti nomen compelli, nec illud audiebant sine incredibili tormento: tandemque inter acerbissimos cruciatus impuras animas exhalarunt. Dodo sacrilegi agminis ductor impius, post horrendos intestinorum dolores, ipsa infami putredine vitiata, simulque teterrimam animam euomuit. Cadauer, cum odorem nemo ferre posset, in Mosam attractum, maiorum suorum, atque adeo humana caruit sepultura. Addit Nicolaus *posteritati suæ tanti facinoris ingem pænam, & indeficiens vsque hodie dereliquisse opprobrium.* Nec quid ista velint satis capio. Constat tamen homines crudeles & inhumanos, a vulgo appellari Dodones Aurotanos.

Trajectum auehitur sacrum corpus,

Vbi tam tristis ab impietate detonuit procella; recedente cum suis Dodone, collegerunt animum, qui diffugerant, gloriosi martyris familiares. Ædem sacram ingressi sanguine perfusum, & exanime episcopi sui corpus vt viderunt, in luctuosam complorationem tam tristi spectaculo soluti sunt. Sed metus non omnino pulsus, lacrymis spatij non satis dedit. In tutum auehere placuit sacrum Lamberti corpus. Vili obuolutum pallio, orto iam die, qui erat XV. ante Kal. Octobres, ad Mosam efferunt, nauiculæque impositum, secundo amne Trajectum auehunt.

Quid Petri, & Andoleti, ceterorumque, qui ceciderunt, corporibus factum fuerit, nemo prodidit. In æde SS. Cosmæ & Damiani condita fuisse mihi persuadeo, quandoquidem nulla deinceps eorum fiat ab illis mentio, qui Legiam aduectum denuo S. Lamberti corpus scripserunt. At iam inde ab olim SS. Petri & Andoleti corpora Leodij constat asseruari, colique. Quo magis miror ceteros, quorum par in morte causa fuit, obscuros in tenebris, & silentio delitescere. Sed apud Deum remuneratorem iustissimum nullæ tenebræ, qui nullum vmquam recte factum relinquet inglorium.

a Deo prodigijs ornatur.

Vehebatur secundo Mosa triste funus: præcucurrit fama, & in adiacentes agros sparsa, miram ad vtrumque littus exciuit multitudinem, sceleris atrocitatem detestantium, suamque deplorantium orbitatem. Vel nauim conspexisse solatio erat. Trajectensibus nuntiatum ferunt ab angelo; qui supra Dei parentis ædem omnibus conspicuus, digito ad Mosam intento, gloriosas inuicti martyris exuuias commonstrarit. Eius hodie superesse monumentum, angeli signum in eiusdem templi culmine, manu ad fluuium protenta. Naui ad vrbem appulsa, vrbs tota suis sedibus moueri visa est, incredibili multitudine ad flumen concurrente, & acre sui pastoris desiderium lacrymis, scelerisque execrationibus testante.

Verum susurrus ecce nescio quis spargitur, metuendam Pipini indignationem, si e vicino acciperet tantis eum coli honoribus, quem e medio tolli iussisset. Animorum ardorem restinxit hic metus. Seposita, quæ apparabatur, funeris pompa, in ignobilem, & suburbanam S. Petri ædem affertur; Aprique parentis sui sepulcro conditur. Sed qui deerat a mortalibus honor, ab immortali Deo cumulatissime redditus est. Odor enim suauissimus, & qui facile supra naturam esse crederetur, e sacro corpore spirabat in circumfusum aërem. Significabat procul dubio, sanctum martyrem, dum viueret, Christi bonum odorem, etiam vita functum suaueolenti virtutum euangelicarum exemplo

Digitized by Google

plo quam plurimos ad sanctiora consilia pellecturum. Verum vt scarabæum rosæ suauitas enecat; quandoquidem angelica quadam castitate nituerat Lambertus, fortissimeque pro illa tuenda mortem oppetierat, factum est, vt cum ad osculandos demortui pedes plurima turba conflueret, si quod se scortum inter ceteros ingereret, occulta quadam vi, procul dubio Diuina, non aliter quam turbine aliquo repelleretur. Pluribus alijs miraculis claruisse fertur. Sed hoc eo mirabilius, quod sæpius repetitum est. Gratissimus angelicarum mentium concentus non semel S. Martyris celebrasse funus, auditus est ex eadem æde principis apostolorum: ipsiusque adeo Lamberti vox percipi visa est ab ijs, qui viuentem sæpius audierant: sed hoc eminus. Porro si clarius audiendi, inspiciendiue cupidior aliquis accessisset, hoc magis euanescentem sentiebat vocem, quo propius adiret. Ea fuit S. Lamberti beata mors, postquam Tungrensem ecclesiam administrasset annos quadraginta, vnum vero & sexaginta vixisset.

Sacrum eius corpus ab omni vitio putredinis intaminatum post annos tredecim Legiam ab Huberto reductum fuisse, conditaque vrbe Leodiensi (vt vaticinatum esse diu antea S. Monulfum in eius vita dicemus) collocatam ibidem Tungrensis ecclesiæ cathedram; & ipsum in totius gentis præsidem ac patronum fuisse cooptatum, hoc loco narrari poterat: verum ne rursum alias eadem repeterentur; quære lector e proxima S. Huberti vita.

S. HVBERTVS

episcopus XXX. qui Leodium cathedram transtulit, Arduennæ apostolus, thaumaturgus. *Scriptores duo anonymi, alter sancto synchronus, proxime sequentis æui alter. Hic primum editus a* R. P. *Joanne Roberti e Societate Iesu.*

TErtius extra ordinem prodit, & sacrum hunc triumuiratum claudit, qui antiquissimæ iuxta sanctissimæque ecclesiæ sedem Leodij collocauit; eoque nomine cum duobus præcedentibus ordines ducit.

CAPVT I.

Prodigio inuitatur a Christo Hubertus ad meliora: ducitur a Lamberto episcopo.

PRæclarum patriæ lumen Hubertum accepimus ab Aquitania; post plures alios eadem atque etiam alia gente oriundos: de quibus suo tempore sermo erit. Nimirum vt hortum princeps, quem amat & studiose colit, eximijs & e longinquo petitis complet ornatque stirpibus: ita Deus e varijs regionibus Italia, Gallia, Germania, Britannia, omnibusque Belgij prouincijs, sanctos homines ceu nobiles plantas multis ætatibus in hanc diœcesim adduxit: & pariter sæpius eduxit in longinquas terras & regna, velut amœni huius paradisi opes exteris ostentaturus. Hubertum submisit Numinis prouidentia per causam vsurpatæ ab Ebroino tyrannidis. A quo periculum cum esset illustrioribus quibusque capitibus, in tutum se constituit recipere Hubertus; vt qui ab Aquitaniæ principibus genus duceret. Secedentem in Austrasiam comitata est, vel vt alijs placet, excepit venientem materna caritate Oda eius amita, Boggis Aquitanorum ducis nuper vxor; nunc orba viro in his regionibus agebat, ampla hereditate, quam hic possidebat, contenta.

Apud eam vitata Ebroini tyrannide viuebat Hubertus: sed multo tristius trahebat, neque cogitabat excutere dæmonis iugum. Sunt qui gentilitatis ipsum affirment in auia deflexisse. *Frustra sæpe inuitatus ad meliora.*

deflexisse. Non equidem assentiar. Quis enim credat iuuenem religiosissima ortum gente, in regum Christianissimorum palatijs eductum, a sacris Christianis alio diuersum abijsse? Animum potius inducam, vt in illorum transeam opinionem, qui Hubertum arbitrantur iuuenili licentia delusum, abnuisse coërceri intra angustas (vti iuuenibus loqui solens est) seuerioris disciplinæ regiones: sed contra ætatis suæ appetitionibus habenas laxasse. Odam male habebat inhonesta illa nepotis seruitus: voluissetque in euangelicam libertatem assertum sacris Lamberti Tungrorum episcopi institutionibus, quas equidem ipsa sibi senserat admodum salutares: & iuuenem ad hoc non raro cohortabatur. Illum contra ad adolescentiæ studia prorsus diuersa iuuenilis abripiebat impetus. Destinabat tamen bonus Deus ad pręcipuam aliquam Christianę vitę honestatem: nec inuitare cessabat Oda illius amantissima.

tandem a Christo victus,

Euicit tandem quantumuis reluctantem, qui mortalium mentes habet in manu, temporumque momenta moderatur Deus. Celeberrimo aliquo die festo, ceteris sacra frequentantibus, in siluas animum oblectaturus venatum Hubertus abijt magno ardore, vt solet maxime nobilitatis iuuentus. Verum ecce dum prædam auide persequitur, Deo felicissime præda factus est. Quem consectatus fuerat ceruum, in vestigio hærere desubito primum miratur: tum seruatoris de cruce pendentis inter cornua conspicatus imaginem, increpantis etiam vocem audit, minasque intentantis, nisi ad meliora mature adijceret animum. Hubertum perculit spectaculum insolens, & acris illa commonitio: amitæque ad meliora toties hortanti manus tandem dedit.

transit in S. Lamberti disciplinam.

Ad Lambertum adire cœpit, cuius egregiam virtutem commendari toties audierat; & eius consuetudine, sanisque consilijs ad sequendum sensim adduci. Coniuge paulo post viuis erepta, e qua filium nomine Florebertum susceperat, veluti rupto iam omni vinculo liberior, sancti præsulis se disciplinæ subjecit, sanctioribus institutionibus imbuendum. Posito feliciter apud illum tirocinio, transijt ad Stabulenses: Andainum secessisse malunt alij; ibique suscepta anachoresi, priorem vitam expiasse, vbi nimia sæpe licentia contaminarat. Fortassis Andaini prius pręteritas eluerit culpas, exercita aduersus semetipsum insigni seueritate: ac denique abierit Stabuletum, in illa nobilissima virtutum omnium arena pro purioris sanctitatis brauio decertaturus.

CAPVT II.

Dei iussione consecratur episcopus a Sergio P. Ornatum omnem pontificium & clauim auream accipit e cælo.

Profectus Romam,

IN alterum feliciter mutatus virum Hubertus, per insignem omnium humanarum rerum contemptum, ad virtutis altissima forti gradu nitebatur. Currentem incitabat Lambertus: autorque fuit, Romam vt pergeret ad apostolorum limina veneranda. Præstantiori fere sanctitati fuit ea religio priscis temporibus solemnis. At Diuinæ sapientiæ consilio factum arbitror, vt iter illud susceperit Hubertus; Romæque eam apostolicæ Maiestatis venerationem imbiberet animo, quam imprimeret ecclesiæ a se postea regendæ. Sub Idus Septembres Romam attigit.

consecratur episcopus Tungrensis,

Eadem porro ipsa hora, qua Legiæ nobili morte vincebat inuictus Christi athleta Lambertus, Romæ Sergius pontifex maximus, post preces nocturnas cum breui quieti se reddidisset, adstantem sibi videre visus est per somnum, audireque angelum de gloriosa Lamberti victoria nuntiantem; Deique nomine præcipientem, vt Tungrensis ecclesiæ pedum, quod attulisset, Huberto traderet, hoc mane ad apostolorum limina supplicatum venturo. Excusserat somnum Sergius, dubitabatque de visi veritate. Sed omnem abstersit dubitationem positum reuera in conspectu pedum. Dei iussa facturus pontifex, cum in templi vestibulo Hubertum deprehendisset, episcopumque vellet consecrare: ac totis viribus ille pro sua modestia reniteretur, cumulantur ecce prodigia.

diuinitusque sacra stola donatur,

Nam Legia, vbi cæsus fuerat S. antistes, eius omnia pontificiæ dignitatis insignia mox angeli detulerunt & Hubertum induerunt. Stola deerat. Eam candenti serico, auroque contextam ad Hubertum transmisit per angelum Dei parens, Tungrensis ecclesiæ præses ab antiquo benignissima. Hęc illa est stola, per quam tot prodigia perseuerant in nostram

Digitized by Google

ſtram ætatem. Hubertum diutius reluctari non auſum conſecrauit epiſcopum Sergius. Cõſecratus ille dum rem ſacram facit; ecce apoſtolorum princeps clauem auream illi in manus tradit, pontificiæ poteſtatis ſymbolum; ſimulque vim curandi lunaticos ac rabioſos confert.

Hæc Romæ peragebantur. Verum interea dum Tungros rediret Hubertus, ne illic Lamberto ſucceſſor deſignaretur ab horum omnium ignaris; ſub ipſum Lamberti funus, quod in baſilica Virginis Matris Trajecti celebrabatur, e cælo miſſa vox palam nuntiauit, Romæ ſucceſſorem Lamberti creatum Hubertum, ipſius æternæ prouidentiæ nutu ac voluntate. Quo audito factum eſt Trajecti, vt de comitijs omnis cogitatio ſeponeretur: eximiaque Huberti exſpectatione tenerentur omnium animi. quod e cælo Trajecti nuntiatur.

CAPVT III.

S. Lamberti corpus Legiam reducit: conditaque vrbe Leodienſi cathedram Tungrenſem ibidem ſtatuit.

IMpetrato quamprimum potuit, a pontifice commeatu, Trajectum vt venit, ſuſceptus eſt mira omnium gratulatione. Ita ſcilicet illum decebat recipi, quem certo Numinis imperio deſignatum nemo dubitaret. Sed & inſigni ſtudio contendit ipſe, tantæ exſpectationi ſe nequaquam imparem exhibere; proximaque virtutum imitatione cariſſimum ſuum præceptorem Lambertum exprimere, & quo ad fas erat, gregi ſuo reſtituere. Cuius ſane deſiderium hoc magis in dies accendebatur, quo pluribus clareſcebat miraculis non Trajecti, vbi corpus ſuum inſtar depoſiti crediδiſſe videbatur; ſed Legiæ potius, quam moriens ſuo ſanguine conſecrarat. Ipſum ſacrarium, in quo martyrij lauream adeptus erat, plurima luce diuinitus ſæpe collucebat: eiuſque admiratio concurrentis populi prouocabat religionem. Ex quo ceu fonte vberius prodigia profluebant. Exiſtimabant ergo nonnulli ſacrum illius corpus eo reducendum eſſe, vbi pluribus ipſe nobilitabatur miraculis. Et vero ſuperis ita placere, nuntiarunt ſępe celeſtes genij compluribus hominibus ſanctitate eximijs. Idem e cælo frequenter accepit ipſe Hubertus: & in illam ſententiam facilis venit, pro ſua cariſſimi præceptoris veneratione. Sed Tungrenſem epiſcopi cathedram cum eodem vna transferre cogitaret, altioris ſubſellij decreto res ſancienda fuit. Rogatus Ioannes VII. pontifex Romanus, ad prouincialium epiſcoporum conuentum remiſit. Cenſuerunt hi e re Chriſtiana futurum. Trajectum reuerſus

Anno igitur poſt ſeptingenteſimum nono rem aggreditur Hubertus, inuitatis e vicino præſulibus Annone Colonienſi, Roberto Rhemenſi, Vindiciano Cameracenſi, Garulfo Tornacenſi, Berkembodo Morinenſi, Dominico Ambianenſi, Willibrordo Vltrajectenſi, Agreberto Virdunenſi, alijs. Frequenti igitur clero, populoque Trajectenſi, ſtructis ſupplicantium ordinibus, procedit ad S. Petri vna cum venerabili illo tot antiſtitum choro. Poſtquam e genibus preces ad Deum præmiſiſſet: quod bene verteret publicę rei Chriſtianæ; glorioſi martyris Lamberti ſepulcrum iubet aperiri. Vix patuerat: odor ecce gratiſſimus exhalat, totoque ſparſus templo, mirabilem animis omnium affundit ſuauitatem. Vbi retectum eſt velis ſublatis ſacrum corpus, noua perculit vniuerſos admiratione. Integrum erat, & ab omni putredinis vitio intactum. Ea caſtimoniæ fuit integritas, quam quoad vixit, coluerat intaminatam, & pro eius nitore coniugali tuendo mortem oppetierat. Vili pallio inuolutæ fuerant tam nobiles inuicti illius animi exuuię. Sepoſuit illud ad venerationem Hubertus, & anulo obſignauit. Quamque parauerat pretioſiorem, & tanto dignam triumpho veſtem injecit. S. Lamberti corpus Leodium reducit incorruptum.

Efferebatur ſacrum corpus eximia omnium ordinum religione: ſymbolam contulere genij cæleſtes; quorum quidem ſuauiſſimum concentum a ſe auditum, nonnulli fide digni teſtes ſancte affirmarunt. Ordinato ſupplicantium agmine, Legiam itur. Niuellam (pagi nomen eſt) peruentum erat: cæcus aliquis, cum ex contactu ſacri ferculi lucem oculis ſuis ſperaret, eoque fini tenderet in aduerſum, videndi vim prius accepit, quam attingeret. Liberum item ac rectum alius Hermaliæ membrorum vſum, qui contractus antehac fuerat, e ſolo conditorij conſpectu, ſibi concedi ſenſit. Vtroque loco poſtea Hubertus ædem condidit, miraculi monumentum.

Digitized by Google

Legiam denique peruenit sacra pompa, sacrumque beati martyris corpus in templum intulit, vt gloriosum eo loco triumphum ageret, quo fortissime dimicauerat. Ea fuit veluti firmissima quædam substructio, quæ superponendam quamcumque molem altissimam sustineret inconcussam. Consilium hoc erat Huberto: qui tam solido fundamento imposuit antiquitate sublimem, ornatissimam sanctitate Tungrensis ecclesiæ cathedram: quę annos ex eo iam plus nongentos, inter miras temporum vicissitudines, tanti patroni pręsidio stetit immota: stabitque in æuum, dante Numine, quamdiu eumdem fida clientela, religiosaque veneratione demereri perget.

Episcopatũ ibidem statuit,

Ea sunt ergo prima Leodiensis episcopatus, atque adeo ciuitatis exordia. Nam qui nihil ad venerandi sibi præceptoris gloriam propagandam relinquebat intentatum, ecclesiastica non contentus dignitate, politicam adijcere voluit. Vrbem ergo condidit, quæ pagus ante fuerat, quamquam fortasse non ignobilis; præsertim ex quo conditus ibi fuerat Theodardus; sed maxime postquam suo sanguine Lambertus consecrarat. Vrbe condita, leges, magistratus, rerum venalium pondera mensurasque constituit Hubertus: at gentilitium insigne voluit esse rectam columnam auream (vulgus *peronem* appellat) quinis pentagonis gradibus insistentem; quam sustinerent quini leones: episty hijque vice conum pineum gestaret infixa cruce. Quæ cuncta sanguineo scuto fertur appinxisse, cum illa per ambitum inscriptione: SANCTA LEGIA ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA. Quibus sane monitam voluisse vrbem suam, vt purpuræ huius aspectu meminisset in perpetuum sacri sanguinis a S. Lamberto fusi Dei causa. Cui velut fundamento innixa, leoninos sumeret animos; ac rectam sustineret, tueretur que religionem orthodoxam, & Romanæ sedis dignitatem.

vrbemque condit.

CAPVT IV.

S. Lamberti collegium condit, item S. Petri. S. Madelbertæ corpus adducit. Exornat feretrum S. Lamberti, & S. Theodardi.

CVm Legiam, ceu arenam, in qua fortissime Lambertus certauerat, mira prodigiorum frequentia Deus celebraret; eoque ingentem populi multitudinem exciret religio: SS Cosmę & Damiani ædiculam nimis angustam, auxerant incolæ laxato spatio recipiendæ multitudini. At turbis in dies magis confluentibus, cum neque glorioso martyri, neque tam nobili cathedræ par esse templum videretur; alteram ornatiorem, & vere basilicam exstruxit Hubertus, dicauitque in memoriam Dei parentis & S. Lamberti. Quamquam enim vulgi ore, S. Lamberti hodie passim appelletur; cuius fide, præsidioque gloriatur ecclesia, ciuitas, atque adeo gens vniuersa Leodiensis: omnem nihilominus diœcesim iam inde a prima conditione constat a S. Materno Virgini Matri dicatam fuisse, illiusque patrocinio commendatam. Mansit igitur ecclesia, ciuitasque Leodiensis, autore Huberto, in magnæ Dei parentis tutela. Sed adscitus est insuper Lambertus, qui per matrem optimam ab æterno Filio præsidium, opemque suis clientibus imploraret. Templo additum est triginta canonicorum collegium; qui iam inde a principio de rebus omnibus prouincię totius sacris æque ac profanis summa cum autoritate constituunt, ac decernunt: & episcopi senatus appellari possunt.

Templum S. Lamberto construit,

cum canonicorum collegio:

Proximum in extremo Publici montis iugo condidit Hubertus S. Petri monasterium, quindenisque monachis addixit; quibus deinde canonici successere. Hic clauem auream, quam S. Petri munus fuisse diximus, seruandam dedisse fertur: existimantque temporum injuria perijsse; cum quæ hodie ostenditur, nimis vilis sit vel materia vel artificio: alterique priori substituta videtur, ne illius omnis efflueret memoria.

item monasterium S. Petri:

Non contentus vrbem suam his vel pręsidijs, vel ornamentis stabilisse Hubertus, externum etiam a finitimis gentibus auxilium accersiuit. Malbodio (Hannoniæ oppidum est) S. Madelbertæ virginis sacrum corpus, non aliter quam nouum aliquod, & præcipui cuiusdam roboris subsidium in vrbem aduexit. Quod enim securius, quam a cælitibus munimentum? Hos vero non sibi dumtaxat, verum & vniuerso populo proposuit omni cultus genere demerendos. Vrbe Leodiensi S. martyri Lamberto consecrata, ipsum jure quodam patrocinij, ac tutelæ videbatur adstrinxisse: quo validior etiam nexus esset, sanctis eius exuuijs ferculum adornauit auro gemmisque nobile. Eodem officij, religionisque

S. Madelbertæ corpus adducit.

Digitized by Google

nisque genere sibi suisque conciliauit B. Theodardum: cuius sacros cineres terra eductos, populo colendos exhibuerat. Ijs nimirum opibus, munitionibusque, quam condiderat vrbem, facere studuit æternam.

CAPVT V.

Taxandriam, Brachbantum, Arduennam idololatria purgat. Ab hæresi etiam toti diœcesi cauet.

NOn vnius vrbis episcopum se sciebat: cordi fuit tota diœcesis. Quam latissime patentem cum nulla adhuc episcoporum vigilantia caritasque ab omnibus superstitionum vepribus emundare potuisset, hanc tandem tulit Hubertus gloriam. Vt enim germanum se antecessoris sui Lamberti discipulum exhiberet; & cuius virtutem omni studio exornare satagebat, eam imitando consectaretur, impietati bellum indixit acerrimum. Spem etenim ex eo concipiebat, futurum vt vel parta martyrij laurea, venerando suo præceptori propius iungeretur, vel sponsam suam Leodiensem ecclesiam absque vlla superstitionum ruga vel macula decoram Christo offerret. Idololatria purgat Taxandriam,

Euersis per Taxandriam inanium Numinum delubris, sacrosanctæ crucis vexillum euentu felici Lambertus sustulerat. Supererant tamen aliquæ impietatis reliquiæ; manifestamque iam suam turpitudinem non nisi latebris tuebantur, quas morte prohibitus excutere non potuerat sanctus præsul. Aggressus id bellum Hubertus, breui hostem teterrimum nobilissima, plenaque victoria profligauit. Sed cum ab eiusdem idololatriæ senticetis vicinum omne Brachbantum nequaquam videret immune, eam & hic impendit culturam, vt sincera mox puritate Dominicus ager pullularit. Brachbantum,

Tum arma victricia, erectus in magnam spem, conuertit in Arduennæ saltus, idololatria magis, quam soli horrore damnatos. Quamquam enim Christiana sementis iam dudum haud vno loco sparsa, vbere prouentu lætam segetem produxisset, vt plurimum tamen vastus ille ager turpi superstitionum situ horrebat. Excoluit feliciter sanctus antistes: vitiosisque stirpibus penitus reuulsis, sparsum semen fecunda segete beauit: nec vllum deinceps idololatriæ germen auditũ est tota Arduenna pullulasse. Arduẽnæ igitur apostoli illustre nomen, singulari quodã iure apud posteros Hubertus inuenit. Arduennam,

Periculum haud multo leuius crearunt exortæ his temporibus in ecclesia tempestates. Illas excitabant potissimum oriente toto iconoclastæ, qui detractum sacris imaginibus cultum omnem eo periculosius volebant, quo potentiorem sequerentur ducem Leonem Isauricum Orientis imperatorem. Retundendam sibi generose proposuit illam impietatem Gregorius II. pontifex Romanus: conuocatoque Romam concilio damnauit anno sexcentesimo vicesimo sexto. Penetrarant in Occidentem, ceu maligna lues impij illi hæreticorum errores: & quando aduersus hæreses tutius nihil est, quam tuta omnia timere; oculatior Argo Hubertus ecclesiam suam omni ope seruare studuit illibatam. Coëgit synodum: eoque cœtu quidquid Gregorius Romano concilio sanxerat, proposuit, & in publicos commentarios retulit. Ita quod antea voce, iam insigni facto suam Legiam monebat optimus pastor, vt ab ecclesiæ Romanæ parentis integerrimę latere, & decretis ne vnguam discederet vel latum vnguem. Toti diœcesi ab hæresi cauet.

CAPVT VI.

Perpetrandis prodigijs celebratur.

HOste gemino gloriose debellato, reliquus erat tertius, contra quem numquã satis pugnatum est, etiam post victoriam, & triumphum. Ea vitia sunt: quæ ceu triste lolium, nullo satu, at sua sponte complent animos ac perdunt, si cultus defuerit. Suam esse hanc arenam censuit sapientissimus antistes. Et quemadmodum cessante colono agrum quemcumque alias pinguissimum siluescere satis intelligebat: nullum ipse vitæ tempus elabi passus est, quo non aliquos suę diœcesis fines lustraret; & suam operam, vbi desiderari comperisset, gnauiter impenderet. Verbi Diuini explicatione potissimum mortales a vitijs reuocabat, inflammabat ad prosecutionem virtutum, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc.16.20.

Digitized by Google

Dominicæ dici violatio punitur.

Dominicæ ſanctitatem opere vetito polluerat mulier quædam: ſtatimque Deum ſenſit vltorem. Obriguerunt enim ſubito, arueruntque manus, adeo ſtupidę factæ, vt vngues palmis ambabus viderentur infixi. Cucurrit ad epiſcopum grauitate mali conſternata mulier, opem implorauit; & in veſtigio, monita deinceps ſanctiorem habere diem Dominicum, impetrauit.

Liberat energumenā Hubertus.

Alias cum pro concione ſanctus præſul magna fiducia beatitudinem æternam ſuis auditoribus polliceretur, ſi quidem dictis eius ſe præbuiſſent audientes; inuiderunt inferi. E quibus impurus aliquis genius, in turba feminam vnam corripuit. Quæ extemplo terribilem in modum agitata, dicenti epiſcopo horrendis clamoribus obſtrepere cœpit, & in ipſum, velut vim factura procurrere. Sanctæ crucis ſignum obiecit inuictus athleta; impreſſaque alapa ſilentium imperauit. Quo quidem imperio, & ſilere cacodęmon, & ſtationem turpiter deſerere coactus eſt.

Pluuiam obtinet,

Ipſa elementa vim perdere viſa ſunt nutu ſancti pontificis. Æſtiuis ardoribus, quos diu nullus temperauerat imber, adeo Moſa ſub autumnum detumuerat, vt ferendis impar eſſet nauibus, & ouis transſvadare poſſet: ita prodidere ſcriptores. Familiam ſuam ad propitiandum Numen Hubertus inuitat. In genua prouolutus ipſe vix preces occœperat: en cęlum antehac ſerenum, ſubito nubibus oppletur, imbres depluunt; & poſt dies aliquot ad extremos riparum ſuarum margines excreſcit Moſa.

ignem ſiſtit.

Ignis contra S. præſule imperante repreſſus eſt. Suas enim ædes incendio fortuito conflagrare conſpicatus, flammis ſe ipſe velut obicem opponit: & poſtquam manu ſignum crucis effinxiſſet, cecinit illud: *Deus in adiutorium meum intende*: & deſubito ſubſidit ignis, non aliter, quam ſi vocem imperantis accepiſſet.

His & aliuſcemodi prodigijs ſupra naturæ vires perpetratis, cum eximiam apud omnes ſanctitudinis opinionem collegiſſet, momenti plurimum habebant eius ad virtutem cohortationes, miroſque tota diœceſi fructus producebant.

CAPVT VII.

E cælo præmonitus, ad mortem ſe comparat: & eam ſancte obit.

QVam multis compararat pius antiſtes ęternam felicitatem, ad eam iam ipſum euocare, Deo placuit. Forte aliquando poſt acrem cum doloribus, & ſenij ærumnis colluctationem, ſolutus in ſomnum, audire viſus eſt vnum e ſuperis genium, in hæc verba: *In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, & exaudiui te.* Qui ſimul elegantes illi & arte mirabili conſtructas oſtentabat ædes, quas inter multas æterni Patris manſiones Huberto deſtinatas aiebat; ſubdebatque: Poſt anni vertentis orbem ſoluam tuarum ærumnarum nexum, *& eripiam te, & magnificabis me.* Quo extremæ metæ propinquiorem ſe accepit generoſus pugil, hoc magis omnibus viribus contendit ad brauium, toto quod ſupererat tempore incumbens ſingulari ſtudio in preces, ieiunia, eleemoſynas. Et cum plurima obiret loca Deo ſacra, in quibus arma a cælitibus impetraret ad vltimam pugnam; animo tamen ardentior erat in frequentando S. Lamberti ſepulcro: vbi ſuauiſſima præceptoris memoria faciebat animos ingentes. Tum multus erat in adeunda S. Petri baſilica, quam in Publico monte poſuerat, & delegerat in ea ſepulcrum. Locum etiam deſignarat, expanſis vlnis ipſe dimenſus triceſimo ante mortem die, ad aram S. Albini.

Pſal. 80. 8. Imminentem mortem edoctus,

ANNO 727.

munia tamen epiſcopi peragit,

Quamquam vero diem ſuum inſtare certum haberet, inuitatus tamen ad ædem aliquam in Brachbanto dicandam, profectus eſt magno ſui muneris implendi deſiderio. Et cum ętate, laboribuſque vires accisæ viderentur impares ritibus de more exequendis, quæſijt ex ipſo cantorum præfectus, probaretne cantus aliquos productiores, in arctum breuitatis ſtudio cõtrahi? At religioſiſſimus antiſtes, cui graue nihil, aut longum eſſe poterat, quod quidem ad Dei gloriam faceret, probauit nihil admitti, quod non eſſet e tantæ rei dignitate. Atque ipſe, cum ad populum ex more verba faciendi tempus aduenit, tantum animo ſuccendit ardorem, vt ab hora tertia dixerit ad vſque ſextam. Anguſtum id erat ſpatium pro deſiderio, quo æſtuabat ſanctioris templi Deo parandi in mentibus auditorum. Eo denique die febrire cœpit.

ac religioſe moritur.

Ad immortalitatem via fuit iſthæc ægrotatio: cuius acerbitatem vt plurimum leniebat pia Dauidicorum pſalmorum commentatione. E quibus qui numero nonageſimus eſt,

Digitized by Google

est, & hoc versu inchoatur: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*: familiaris illi maxime fuit; & ore sæpius, animoque voluebatur. Hunc ipsum veluti parmam impenetrabilem obiecit quadam nocte cacodæmoni, inania terriculamenta intentanti. Et quo constitutis ab ecclesia præsidijs se communiret, aquam ad se lustralem inferri voluit: tum sacro inungi oleo ad vltimum agonem. Omni denique Christiani militis instructus commeatu, cum orto iam die vniuersa familia, atque in primis Florebertus tanto parente proles dignissima, conuenisset, supplex, & obnixe cunctos rogauit, vltimum decertanti suarum precum vt subsidium impertirentur. Dein apostolorum symbolum fidei Christianę sacramentum postquam iterasset, & Dominicam orsus esset præcationem recitare, beatam animam efflauit anno vicesimo septimo.

Furæ vita decessit: quo se receperat in ædes suas, post dicatum illud templum. Locus est non procul Bruxellis: vbi tantæ rei memorię propagandę exstructum est ab olim pro domo sacellum. Inde Leodium (illa mens fuerat sancti pontificis) corpus referri placuit. Eo loco conditum est, quem ipse designauerat. Sed eum apud se viuere testata est multis deinde miraculis Diuina bonitas. Atque in primis sancte affirmarunt nonnulli, auditas a se non semel e S. præsulis tumulo angelorum voces, & suauissimum concentum.

CAPVT VIII.

Educitur sepulcro sacrum corpus, post sedecim annos incorruptum: Andainum postea transfertur.

EXimiam Huberti sanctitatem noluit Deus inter mortales diu inhonoram. Affirmarunt ęditui basilicę S. Petri, alijque vitæ innocentia spectabiles, diuinitus sibi nuntiatum fuisse, eam esse Numinis voluntatem, vt sacrum Huberti corpus obscuri sepulcri tenebris eductum, populo Christiano venerandum exhiberetur. Ne tamen quid temere factum videri posset, post indictum tridui ieiunium, publicasque supplicationes, certiorem e cælo lucem visus est Deus per sortes demisisse. ANNO 743.

Constituto die in oculis cleri, maximæque multitudinis, apertum est, qua par erat veneratione, sepulcrum. Et ecce pro tetro odore, qui solet e cadaueribus exhalare, suauissimus effunditur in adstantes odor: quodque mirum magis sit, illæsum, & incontaminatum ab omni putredine corpus S. episcopi, post annos sedecim, omnium oculis patuit. Stupor omnes primum incessit, tum ingens exultatio, & clamor miraculum prædicantium. Excurrit fama longe, lateque; & videndi, venerandique cupiditate multitudinem innumeram excitat; ipsum in primis principem Carolomannum Iupiliæ tum agentem. *Educitur sepulcro ad venerationem.*

Post Carolum Martellum patrem rerum in Austrasia potiebatur Carolomannus, is ipse, quo breui post monasticen amplectente, vt decima septima Augusti narrabimus, vniuersam Francorum monarchiam obtinuit Pipinus frater, ac denique regnum inuasit. Hic ergo Carolomannus inuitante fama Leodium venit, tantæ rei spectaculo fruiturus. Nec tenuit lacrymas prodigiorum admirabilitate pius princeps. Suis ipse manibus e sepulcro S. præsulis corpus efferre voluit: nouoque conditum ferculo, e crypta inferiore ad maximam aram superioris ædis suis humeris deportauit spectanda exultantis animi religione: sacramque pompam digna principe munificentia cumulauit. Hæc facta esse volunt III. Nonas Nouemb. ideoque eius anniuersarium ab omni deinceps posteritate celebrari potius, quam illum diem, quo mortalitatem posuit; & aiunt fuisse III ante Kal. Maias.

Alio deinde transferri, Deo placitum est: ita probarunt innumera supra naturam prodigia. Labantem Andaini in Arduenna eum familiarem, tum asceticam rem Walcandus Episcopus restituerat. Quo perennaret id bonum, rogarunt episcopum Andainenses, vt quando Leodium sacris pluribus sanctorum reliquijs potiretur, veluti tot inuictissimis propugnatoribus, sed in primis Lamberto martyre, qui miris quotidie mirandis vrbem se in fidem recepisse testaretur, suis Andainensibus Hubertum indulgeret; Eius patrocinio futurum sperabat, vt & monasticæ disciplinæ decor certius constaret, & religio- *Andainum auehitur.*

Digitized by Google

Anno 817. religionis gratia locum frequentaret populus. Retulit hoc ad synodum Aquensem Walcandus. Quæ Ludouico Pio annuente, vna omnium sententia consilium probauit.

ibi miris prodigijs celebratur.

Reuersus igitur Leodium Walcandus cum imperatore & pluribus Aquensis synodi patribus, in eo venerabili cœtu & maxima populi frequentia, S. Huberti conditorium aperuit. Et ecce Deum in sanctis suis mirabilem. Post solidos nonaginta annos incorruptum apparuit sacrum corpus, quasi eo die sepultum fuisset. Post dignam tanto antistite venerationem, auectum Leodio, Andainum peruenit prid. Kal. Oct. insigne illud Diuinæ beneficentiæ pignus; ex quo ceu vberrima scaturigine per tot sæcula perenniter promanant in hominum genus innumera beneficia, ad omne mali genus, maximeque rabiem propellendam. Quæ cum in oculis omnium hodie perpetrentur, ijs enarrandis immorari, ab instituto meo videretur alienius. Alias scripsi cum res postularet. Scripsit ex destinato R. P. Ioannes Roberti e Societate Iesv. Eum quicumque legerit, S. Hubertum vere affirmabit magnum Thaumaturgum.

FLORVM

FLORVM ECCLESIÆ LEODIENSIS IANVARIVS.

Die primo

I. ALBERO

episcopus LVII. *Anselmus, Ægidius Aureæ vallis, & quæ mihi suggessit ex ecclesiæ suæ archio adm. R. D. Nicolaus de Rocourt S. Bartholomæi Leodij decanus.*

HOS virtutis fastos auspicabitur Albero, generis claritudine, sed magis virtute illustris. Fratrem habuit ducem Brabantiæ Godefridum Barbatum, virum opibus, consilio, animi fortitudine magnum. Ipse ad omnem honesti dignitatem colendam factus videri poterat. Modestiam in primis, & Christianam animi demissionem, decus in ea gentis nobilitate rarum præferebat; & cum omnibus bene vellet, mortalium omnium animos suaui fortitudine sibi arctissime jungebat. Amorem enim quid amore certius conciliet? Sed insigne potissimum illi fuit in sacra omnia veneranda, commentandaque Diuina studium. Contempta ergo majorum, atque adeo fratris magnitudine, quo cælestibus intenderet purius, in sacrum ordinem cooptari voluit: *primicerius* in ecclesia Metensi creatus est.

Sed altiorem locum lux tanta promerebatur. Biennium totum pastore viduata luxerat ecclesia Leodiensis: & major licentia, nemine coërcente, vitijs in dies accrescebat. Malis tandem occurrendum esse iudicarunt omnes boni; atque anno post millesimum & centesimum vicesimo tertio in Alberonem inclinarunt vniuersi. Quem etsi nullæ gentis opes, nobilitasque aut amicorum potentia fuisset, omni tamen infula dignissimum singularis innocentia, columbinaque simplicitas commendabat. *Creatus episcopus,*

Vt principatum inijt; sceleribus horror & turpitudo, legibus obtemperantia, recto dignitas, ecclesiæ sanctę pax & a principibus veneratio redijt: non aliter ac præsente leone, animantes ceteræ conquiescunt. Non enim suum semper honorem soli virtuti vitia relinquunt: humanis viribus nonnumquam cogenda sunt. Alberoni a fratre, alijsque principibus cognatis magnæ erant opes; atque ex eo improbis terror salutaris. Nec deesse voluit Cæsar ipse Henricus V. Audijt Gosuinum Falcomontium arcis suæ munitionibus fretum, omnem late viciniam dira tyrannide vexare. Addiderat illi animos interregnum Leodiense. Imperante Cæsare, Falcomontis arx solo æquata est. Quod quidem Alberoni tributum est ab Henrico. Cui & plerisque alijs cum terrorem Falcomontius incussisset, Leodio & omni viciniæ serenum redijt: licuitque Alberoni religionem curare.

Prima eius auspicia condito Floreffiæ monasterio Northbertus illustrauit. Cuius nouelli cœtus sancta consuetudine, vtilitateque apostolicorum laborum captus episcopus, cum vberem ab eo speraret in sua diœcesi frugem, alterum eiusdem disciplinæ Leodij condidit in Cornelij monte; apostolisque duodecim ædem dicauit: atque proximam in regione *collocat Præmonstratenses in Cornelij monte,*

Digitized by Google

DIE I. regione Transmosana S. Nicolai curiam, Norberti sodalibus commendauit, vt pia sua vigilantia viciniam illam excolerent. In vrbem postea recepti, hodie Bellum reditum inhabitant.

Florebat ijsdem temporibus sancta fecunditate ascesis Augustiniana; geminumque Bello-fageti domicilium fixit, alterum excolendis viris, feminis alterum: geminum item Veteris-vineti. Illam vtriusque sexus conuinctionem Occidente toto, magna integritatis laude fuisse vsurpatam prodidit Vitriacus. Et sub ijs legibus virtutem amauit Albero, induxitque in Publicum montem. Posito hic ante annos centum quinquaginta S. Ægidij templo cœnobium adiunxerat Goderanus; at certis legibus nullis, nisi quas mortalium animis Diuina bonitas inscripsisset. Quo constantior in posteritatem proflueret vtilitas; ædes illas canonicis regularibus attribuit episcopus, qui ex Augustini disciplina ad virtutis culmen contenderent.

canonicos regulares in S. Ægidij,

Has velut arces binas, quæ ciuitati præsidio essent, in suburbanis collocarat Albero: vrbi ipsi præterea prospexit. Bina parœciarum templa dicauit, SS. Clementis & Trudonis alterum ad S. Petri, ad S. Dionysij alterum S. Aldegundis. Plerisque insuper templis ampliora vectigalia fertur attribuisse, in primis Collegio S. Bartholomæi. Cui iustius seruiant opes, quam benignissimo eorum largitori? cui vtilius, quam æternitati profundantur? Intelligebat hoc sapiens antistes, & prouide exequebatur. Lucem, roburque de cælo promerebatur ardentissimis illis precibus, quas pro secundo sui principatus statu ad Deum mira diligentia fundebat. Dies consilijs de republica capiendis, precibus noctes insumebat, cum tenebrę solitudoque collectum magis animum retinebant. Solo contentus comite, supplicatum ibat ad singula vrbis templa per noctes singulas, bonus pastor pro grege: & ante fores in terram abiectus, euangelicum imitabatur publicanum.

& alia præclara Leodij patrat.

Forte aliquando pro more ibat ad S. Seruatij nocte intempesta: e via feminam audit in suis ædibus miserabili voce calamitatem suam deplorantem; quod viro orbatam, vnico domus suæ præsidio, spoliaret insuper episcopus culcitra. Erat ea tempestate hoc iuris episcopo, vt instrumenti omnis domestici partem optimam sibi vindicare posset, quoties e viuis abijsset paterfamilias. Ius illud Manum mortuam appellatam volunt, quod si domi nihil esset, ipsius hominis mortui manus abscissa dominis offerretur. Pium præsulis animum permouit ea feminæ comploratio. Inhumanam, & parum Christianæ caritati consentaneam, maxime in episcopo, censuit eiusce modi dominationem. Quare cleri, populique capitibus ad se postero mane conuocatis, omne ius illud in perpetuum abdicauit: præmium scilicet a Deo recepturus multo opulentius.

Tollit jus Manus mortuæ.

Diem pręterea S. Magdalenę festum agi tota diœcesi sanxisse fertur; quod eius diuæ nomen ea tempestate celebrarent crebra miracula Castris ad Traiectum vrbem edita in eius æde. Ita cęlites sibi conciliabat sapiens præsul, a quibus reciperetur in æterna tabernacula; vbi repositas inueniret opes, quas Dei nomine profudisset. Neque diu distulit bonus Deus. Vita decessit Albero Kalendis ipsis Ianuarijs anni duodetricesimi, beatam ingressus æternitatem. Sepultus est in Publico monte ante aram principem ędis Ægidianæ, quam munificentia sua locupletarat.

II. VLRICVS

abbas V. Villariensis. *Chronicon Villar.*

VAlcellis in agro Cameracensi Cisterciensem disciplinam amplexus est; & multis annis excoluit insigni diligentia parique virtutis incremento, & eius apud homines existimatione. Quare cum abbatis dignitatem Villarij poneret Odelinus anno Christi millesimo centesimo sexagesimo, aduocatus est, qui munus exciperet Vlricus. Fortiter sustinuit, & magna sanctitatis opinione. Dignitatem abdicauit anno sexagesimo sexto, & ad priuatæ vitæ modestiam ac tranquillitatem Valcellas se recepit, & placidam senectutem ijs virtutibus exercuit, vt ad Henricũ Lotharingię ducem in hunc modum de illo scripserit Ioannes abbas Valcellensis: *Habemus monachum apud nos octogesimum annum & eo amplius agentem, quondam Villarij abbatem, quotidie se pro Christo crucifigentem.* Post aliquot annos virtute quam annis maturior, obdormiuit in Domino.

Die quarto

S. FARAILDIS

virgo. *Manuscripti Gerardimontis & Molanus.*

ORta est Faraildis e primis Austrasiæ principibus, sub annum a Seruatore nato sexcentesimum quadragesimum septimum: Eam e sacro fonte leuauit B. Gertrudis, proxime illi sanguine iuncta: eiusque pueritiam Christianis institutionibus imbuit. Adeo peritam nacta ducem sancta virgo, animi viribus omnibus contendit eam quam proxime sequi: & pro ætatis modo insignem mente concepit honesti amorem. Vestium ergo luxum, corporis delicias, indecoram linguæ libertatem, fallacem humanarum rerum splendorem auersata, in egenos sua cœpit erogare, quo expeditior animus in cælestia tolleretur. *A primis annis virtutem colit,*

Assurgebat felici conatu: retinuere parentes nequicquam reluctantem, & nuptui dedere illustrissimo cuidam iuueni nomine Guidoni. Verum id virgini mentis robur fuit, vt illibatum coluerit in coniugio pudoris florem. Hoc dixisse, est illi appinxisse præstantissimarum quarumque virtutum decus longe illustrissimum. Nam si concatenatę perpetuo nexu sibi virtutes omnes cohęrent; quæ tantam intimis animi medullis pudicitiæ dignitatem receperat; quanto ceterarum virtutum ornatu excelluerit necesse est? Scriptorum hic nos monumenta deficiunt. Vnam tamen huius memoriam seruauere. Qua constantia res omnes terrenas negligebat, pari studio, cum ad cælestes anhelaret, omnes ei deliciæ fuerunt in sancta cum superis sermocinatione. Quam vt assequeretur puriorem, nocturnas fere horas eligere solita est; quando scilicet subsidentibus mortalium turbis, in hominum animos quietiores suauior cælestis aurę sibilus illabitur. Totos igitur annos triginta omnibus noctibus ad vicinum monasterium, precationis gratia clam se conferre consueuerat. Aliud nescio quid suspicatus est maritus: & ab ea sensim alienior, eo processit odij, vt in eam verberibus etiam sæuiret. Rara nimirum est, imo nulla sine cruce virtus: ambas alternis crescere & ornari, certa prouidentia constituit Deus. Innocentiā tamen hic non deseruit. Vulnus in venatione maritus accepit, nec ante annum sanari, aut etiam ad sedatiorem mentem postea redire potuit: neque Deum vulnus infligentem agnouit. Verberationes ergo non prius deseruit, quam vitam. Admirabilis interim inuictæ virgini perstitit mentis æquitas: & inter aspera illa, nouo quasi obfirmata robore e cælo Faraildis, se supra mortalia omnia generosius in Deum erexit. Recepit tandem ad se iustissimus index ferme nonagenariam æternum in cælis triumphaturam. Sacras eius exuuias e Lothariensi regno Gandauum in S. Bauonis monasterium, cum eius abbas a pontifice iussus esset, inuexit Agilfridus Leodiensis episcopus. *virginitatem etiam nupta.* *A sponso diu indigna patitur.*

Die quinto

I. S. GERLACVS

Eremita. *Scriptor vitæ pæne synchronus.*

CAPVT I.

Subita coniugis perculsus morte Gerlacus, vitam meliorem meditatur.

GErlacus in agro Falcomontio nobili genere natus, vt primam adolescentiam attigit, in eos prolapsus est mores, quos fere lubrica ætas, rerum copia, lenocinia abblandientium clientum in teneras nobilium adolescentum mentes inuehere consueuerunt.

Digitized by Google

DIE 5. runt. His iuueniles annos exercuit, aut sane perdidit, ingenti subditorum damno, quos non impotenti dumtaxat fatigabat, expilabatque dominatione; verum (quod magis omnes deplorent) suis in omnem turpitudinem exemplis abstrahebat. Magno tamen erat animo, insigni rerum gerendarum notitia, corporisque præstanti robore. Hæc in nobilibus viris cum mortalium plerique sola ferme admirentur, exigua, vel nulla Christianarum virtutum habita ratione; militum magister creatus, illustrem militiæ sibi gloriam comparauit. Ad aliud bellum Dei bonitas destinabat. Deprauatas volebat animi affectiones debellari.

Sæculo plus æquo addictus,

ANN. 1150. Speciosum aliquando legitimæ pugnæ simulacrum Iuliaci splendido apparatu edendum erat. Adfuit Gerlacus insigni pro dignitate comitatu. In palæstrico podio iam constiterat; iam clypeo læuam armarat; iam hastam inseruerat in remoram; & vltimum tuba signum erat datura: anteuertit Deus. Homini arma illa manibus excutit; alia induit; in aliam illum arenam immittit. E familiaribus quippe aliquis ecce accurrit, & inexspectatam coniugis mortem nuntiat. Signum illud fuit supremi Imperatoris. Diuina lux in animum subito illapsa, commonstrata rerum humanarum inanitate, momentoque cælestium omnium; hominem prorsus inuertit. Et ille secum: Concidit igitur ille oris decor, illa feminæ forma? Vniuersa delicijs, honoribusque spes succisa est? Nihil potuit viri amor, aut gloria? nihil opum magnitudo? nihil potuit generis claritas ad læuam illam, & inexorabilem mortis falcem retundendam? Sed potuerint aliquid illa omnia post mortem apud horrendum illud æquissimi iudicis tribunal? Quid ais, Gerlace? Tibi plus aliquid polliceri ausis? Cuius ergo te fiducia securum præstat? Audebis vel horulam cœptis adeo male sanis insistere? Plura profatus non erat: generoso mentis impetu desilit equo; clypeum, hastam, gladium, cassidem cum reliquo dignitatis equestris ornatu proijcit, & pede calcat. Tum in vilem asellum sublatus, domum repetit; stupentibus omnibus, & nuntij acerbitate perculsum opinantibus.

perculsus subita coniugis morte,

meliora cogitat.

CAPVT II.

Præteritam vitam magna seueritate Jerosolymis annos septem expiat.

In se durus,

MAiora voluebat animo Gerlacus. Ante actam vitam detestabatur, promerita formidabat supplicia, meditabatur meliora omnia. Domum reuersus, rei suæ rationem œconomicam vbi constituisset, iter ingreditur, nouis armis instructus. Cilicium induerat, superjecta, quo magis torqueretur, ferrea lorica; pedesque nudauerat. Hoc habitu, postquam diuersa adijsset loca Christianorum religione, variorumque Cælitum præsidio celebriora, Romam deuenit. Vbi peccata sua confessus, Pontificem supplex rogauit, corporis afflictationem, quamcumque censeret optimam vitijs omnibus expiandis, imperaret. Hominis animo Pontifex obsecutus, Ierosolymam iret imperauit, ibique septennio toto aduersus ægrotos, & pauperes in nosocomio se Christianæ caritatis officijs exerceret. Iuit Gerlacus; & quam ardenter expetierat, tam exequi strenue cœpit, quam esse Dei castigantis sententiam sibi persuadebat. Verum eius votis aduersabantur fratres Hospitalarij, indignum rati, vt eius dignitatis vir abijceretur ad humiliora. Qui tamen omnibus vitæ huius delicijs, honoribusque pessumdatis, in sola cruce Domini nostri IESV CHRISTI gloriari, deliciarique certum apud se, fixumque habebat, euicit summa contentione, subulcum vt agere sineretur. Neque tam studiose ambiuerat, quam sedulo postea, constanterque muneris illius partes omnes impleuit. Non laboribus, non graueolentia absterrebatur. Quæ cum in delicijs haberet, de consuetis præterea corporis afflictationibus nihil remittebat. Et quo in rerum humanarum se lutum & sordes altius deprimebat, eo sublimius efferebat sese in cælestia sacris commentationibus.

it Romam,

tum Ierosolymam:

hic subulcum agit.

CA-

CAPVT III.

In patriam reuerſus, ſeueritatem auget.

SOlidum in hoc vitæ inſtituto ſeptennium egerat de Romani Pontificis nutu, & imperio. Relicta Syria Romam reuenit, nouas in reliquam vitam ab eo leges accepturus, in quo Dei vices venerabatur. Erat is hac tempeſtate Adrianus IV. qui cognito ſancti viri conſilio, varias religioſorum aſcetarum propoſuit diſciplinas, ad quarum normam Gerlacus vitam ſuam componeret. Excuſauit ille varias interpoſitu religionum expreſſas promiſſiones, quibus vino, carnibuſque, quoad viueret, abſtinere, numquam intermittere ieiunia, cilicinum ſagum numquam deponere, numquam equo vehi teneretur. Quibus abſolui cum omnino non cuperet: ijs vero adſtrictum agere inter cœnobitas alijs vtentes legibus, ſacræ aſceſeos magiſtris minime probetur: Adrianum rogauit, aliam viuendi præſcriberet rationem. Annuit ergo ille conſuetum vt teneret: adderetque vnicum illud; paternæ hereditatis ne dominum ageret deinceps, ſed procuratorem: neceſſarijſque dumtaxat ad vitam tolerandam contentus, in egenorum ſolatium cetera, ſacrorumque cultum erogaret. Accepit imperium non aliter ac e cælo Gerlacus: reuerſuſque in patriam, ceu ſacræ militiæ tirocinium adhuc poſuiſſet, aut velites inter dimicaſſet, legitima denique, ſtatariaque pugna congredi conſtituit.

Ann. 1157. Poſt ſeptennium,

In patria cauum arboris inhabitat,

Certamini locum in agro ſuo delegit. Hic erat annoſa, & inſigni craſſitudine quercus: quam cum in tugurioli modum excauari, imamque partem ſilicibus inter radices iuſſiſſet inſterni, ſtoream injecit. Hic illi lectus, hoc cubile, hæc tota fuit habitatio: vt eo liberius inter cęleſtia ſpatiaretur animus, quo in anguſtius ergaſtulum corpus compingeretur. Quem ab initio ſumſerat habitum, cilicium, ferreamque loricam, numquam tota vita depoſuit: non calceo, ſoleauo texit vmquam pedes. Parciſſimo contentus victu, ſolum ex hordeo, cineribuſque panem adhibuit: potus fuit frigida e proximo fonte hauſta, quem S. Gerlaci poſteritas appellauit. Eam victus ſeueritatem conſtanter adeo retinuit, vt nulla vmquam hoſpitij caritate paſſus ſit temperari. Atque adeo lectum ab hoſpite molliter inſtratum rejecit quam longiſſime, ſtramineumque dumtaxat faſcem admiſit, ne hoſpitis ſui caritatem ſpreuiſſe videretur. Nimia tamen ea mollities illi viſa eſt. Qui eius viuendi rationes ſtudioſius explorabant, eadem nocte in nuda humo dormientem notarunt. Ita ſibi vel in minimis indulgere, ſuſpectum fuit omnibus cæleſti aliqua ſapientia præditis. Et heu! ſapere paſſim exiſtimantur, qui dicunt: *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt; & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Aliter ſancti omnes: Gerlacus aliter ſenſit.

mira in ſe auſteritate,

Sap. 2. 6.

Verum quam in ſe fuit ſeuerus, tam officioſus fuit in hoſpites, & egenos: in quibus nimirum illum venerabatur, qui mortales omnes iudicans aliquando pronunciaturus eſt: *Quod feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Hos liberaliter excipiebat, & peramanter, non ad neceſſitatem modo, ſed ad lautitias, quas profecto pateretur caritas Chriſtiana.

humanitate in alios.

Matth. 25. 40.

CAPVT IV.

S. Seruatium Trajecti, Aquis Dei parentem inſigni religione veneratur.

HVmanarum illecebrarum vinculis expeditus quam alte in Diuina ſe Gerlacus extulerit, etſi litteris nemo prodiderit; non difficulter intelliget, quicumque non ignorat, qua lege cedentibus tenebris dies ſuccedit, eadem quantum ſe animus ab omni terrena fece repurgauerit, tantum diuinam ſeſe puritatem in illum immittere. Quod vnum proditur de pia animi eius in S. Seruatium affectione, quanto illum in cæleſtia ardore ſuccenſum fuiſſe teſtatur? Aberat Trajecto Gerlacus non propius quatuor paſſuum millibus: eo tamen ſingulis ſe noctibus conferebat, ad canonicas preces, quas ma-

Digitized by Google

DIE 5.

Ad S. Seruatij quotidie ibat,

tutinas vocant, ad S.Seruatij sub mediam noctem cantari consuetas. Non vlla aëris intemperie deterrebatur, non frigoris asperitate, non altitudine niuium, non imbrium copia, non viæ difficultate: quæ magna parte montosa, asperitate sua facientes iter fatigat: at vbi pluuium est cælum, alto & tenaci luto sic impeditur, vt non parua difficultate validiores equi emergere valeant. Quo fit vt siccatum caloribus æstiuis solum, aut etiam magis acri gelu concretum, impressis antea vestigijs adeo scabrum sit, & salebris frequens, vt viatorum pedes, quamquam firmis munitos soleis contundat, ac conquassationibus oblidat: at Gerlaco nudos pedes ita sauciabat, vt sanguine vbertim defluente, cruenta toto itinere vestigia notarentur.

asperrima via,

Ipsum sanctus ardor incitabat; non quo mens tãtum, sed & corpus incalesceret. Ita sensit, qui se aliquando eiusdẽ itineris socium adiunxerat, nudis & ipse pedibus. Cum enim frigoris vim tantã sustinere se non posse quereretur: Solatio tibi erit, inquit Gerlacus, mea oculo legere vestigia, pedibusq; premere. Paruit ille; & mira recreatus est aëris tẽperie, ac quasi verno tepore. Neque hoc Gerlaco fuit insolens. Affirmarunt multi testes, cum asperrima hieme iter faceret in alta niue, fumũ de pedibus eius exsurgentem se vidisse, non aliter ac si ahenũ aqua plenum igne supposito efferbuisset. An non merito Gerlacũ & animo, & corpore illius cibum fuisse dixeris, quem Dominus IESVS *venit mittere in terrã, & voluit vehementer accendi?* Hoc ardore asperrima queq; ridebat inuictus athleta: imo acriore in illa studio ferebatur, quam in delicias alij. Ea de causa quietis impatiens cõsurgebat intempesta nocte, tãtaque celeritate iter cõficiebat, vt clerum Seruatianum nocte media conuenire solitum nonnumquam anteuerteret. Diuinaque volũtate pijs illius votis obsequente factum est aliquãdo, vt nullius mortalium adminiculo basilicæ fores patescerent.

miro mentis ardore,

Luc. 12. 49.

Cum singulos dies ita S. Seruatio Gerlacus consecraret, omne tamen sabbatum Aquensi Virgini dicabat, instituta ad basilicam Carolinam peregrinatione; quæ nouem passuum millibus dissita, præcipuo quodam Virginis Matris cultu celebratur. Consuetum tenuit sanctus pugil ea constantia, vt fatiscentibus vel senio, vel ærumnarum grauitate viribus, cum itineris laboribus par denique non esset, quod vitæ reliquum fuit, humili asello vehi cœperit. Addo quod imperitis, & ingenij rudioris hominibus solatio sit, quos vel variarum precandi formularum ignoratio, vel intelligentiæ imbecillitas orandi studio deterret. Audiant, in tanto viro, cum se solum crederet, quid aliquando fuerit obseruatum. Præter precationem Dominicam, Angelique salutationem, repetebat identidem Kyrie eleison, Christe eleison. His vicissim ex ardenti pectore depromtis, horas transigebat, gnarus nimirum illius: *Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.*

magna simplicitate.

Ioannis 4. 24.

CAPVT V.

Impugnatur ab inferis, & triumphat.

IN sanctiore hoc gymnasio quo se Gerlacus exercebat generosius, eo magis vt Numinis pietatem in sui amorem illiciebat, sic inferorum in se odium capitale inflammabat; pio illum proposito hi auertere voluissent. Et cum inuictam mentem vllis machinis expugnandi spes non esset, terriculamentis oculos ludere instituerunt. Ingentia vasa in noctis tenebris per viam publicam, qua Trajectum tendebat, aduersus illum magno tumultu alias agitare visi sunt: alias offendiculum in via statuere: nonnumquam etiam immanem montem objicere. Eludebat ille vanas eorum machinationes, dissipabatque proposita Cruce, quam e collo suspensam ante pectus gestare consueuerat.

Gerlacum inter & Hermannum quemdam cognomine Blanchardum arcta coaluerat necessitudo non tam habitationis vicinia, quam consiliorum similitudine. Et hic Christianæ vitæ puritatem colebat, solitarius agens, non procul Gerlaci quercu. Eiusque imitatione (mutua quippe sanctos viros accendunt exempla) cœpit S. Seruatij sepulcrum frequentare. Et quo mutuis flammis incalescerent, inter vtrumque conuenit, socium vt exspectaret, qui prior ad Crucem deuenisset, quæ via Trajectensi defixa erat pari ferme spatio ab vtriusque habitatione. Euenit non raro, vt comitem se Gerlaco hic adjungeret dæmon, Hermannum vultu, linguaque mentitus; sed animo minime. Impium quippe venenum, quo plenus est, vafre sermocinationibus profundebat, & imprudentem Gerlacum inficere moliebatur. Sed grauem mephitim ex impura cloaca spirantem

cum deprehenderet non ægre Gerlacus, fortiterque mentem obstrueret; retectarum insidiarum, & turpis repulsę pudore, cum ad pontem Trajecti Mosæ impositum peruenissent, in amnem se dæmon præcipitem mittebat, inhonesta relinquens turpis fugæ vestigia. Victorem Gerlacum non gloriosiorem dumtaxat faciebant illæ palmæ; sed & aduersus hostis præstigias sapientiorem.

CAPVT VI.

A mortalibus impugnatus, innocens triumphat.

SEd vt odium, sic & arma numquam inferi ponunt. Quamdiu viuimus, vel prosternere nituntur, vel amant fatigare: & quod suis nequeunt ipsi viribus, auxiliari mortalium dextera aggrediuntur. Fraudes etiam magis placent, quam aperta vis: eorumque malunt vti opera, quos religio, pietasque commendauerit, quam quos flagitia reddiderint suspectos. Erant in proximo quidam cœnobitæ: quos ea tempestate si longius a recto non abduxerat inhonestior licentia, integritatē certe asceticam non omnino attigerant. Hos pudebat lucis e vicinia in homine profano emicantis, quando magis eos splendescere æquum videbatur, quos iustitię Soli monastica disciplina propius admouebat. Multis ergo satagunt Gerlaco persuadere, religiosam vt secum viuendi normam amplecteretur, rati vel coërcendam illis finibus eius virtutem, quos suo ipsi posuissent arbitrio, vel suum deinceps futurum, quod honestis studijs sibi decus ipse peperisset. Verum Gerlacus quod animi sui propositum Romano quondam Pontifici probauerat, cum neque cuiquam alteri displicere merito posse iudicaret, animum numquam inducere potuit, vt eorum votis obsequeretur. Sui contemptum illi sunt interpretati: calumnijsque aggrediuntur, quod iusta sperare non poterant accusatione. *Inuidiam passus,*

Speciosum religionis velum a Gerlaco sordibus, & auaritiæ queruntur obtendi. Fraudes rudiori multitudini cōtendunt esse detegendas, ne veneretur religionis gratia, quem ob impudentiam melius exsibilet, & auersetur. Fucum omnem in apertum facile educendum, si quercum exscindi iubeat episcopus, & silicum aceruum dissipari, quem nidulo suo substerni curauerat Gerlacus: deprehendendam isthic auri vim ingentem, cui turpiter incubare solitus sit auarus Euclyo. Iusto leuius credidit episcopus. Quercum cædi iubet: sic innocentiam planius orbi testatam esse voluit æterna Numinis prouidentia. Nam & quercu radicitus exstirpata, & omnibus erutis silicibus, nihil auri; deliciarum nihil, nihil quod non seueram austeritatem, non paupertatem nudam, non eximiam quamdam præferret sanctitatem. *accusatur apud episcopum.* *Patefit innocentia.*

CAPVT VII.

Nouam quasi vitam exorsus, se ipse maior euadit, factus etiam alijs magister.

PVduit episcopum suæ leuitatis: sed & recreauit mirum in modum manifestis probata indicijs hominis integritas; eumque in suam receptum fidem, Brunoni Abbati Rodensi commendauit, vt ipse cum suis auxilio, consilijs, autoritate protegeret. Tum casam episcopus exstruendam curauit. Hanc vir sanctus tam angustam esse voluit & humilem; vt sepeliendo homini conditorium potius, quam victuro habitationem parari dixisses. In ea quippe supinus cum jacebat, summum genibus fastigium poterat attingere. In hoc lætus ergastulum corpus compingebat, vt eo liberior mens per ampla cælorum spatia commentatione digrederetur. Ædiculam sacram episcopus adjecit, de quercus item excisæ materia; in qua diebus omnibus sacra fierent. Ita post cladem illustrior surrexit virtus, & proborum omnium animos perstrinxit admiratione. *De vitæ austeritate nihil remittit:*

Vt ergo vana fuerant hęc inferorum per mortales machinamenta, sic & contēptum inuicto pugili, & risum mouebant, quos per noctis tenebras inanis terroris objiciebant cacodæmones. Modo ceu fures nocturni casæ vim faciebant, modo horribilium monstrorum specie crudelem interitum minitabantur. Sed illa ridet quicumque nihil nisi turpitudinem censet timendam: ridet quisquis in vno Deo vires suas omnes constituit. *dæmones contemnit;*

Illas de seipso, de vniuersis omnis recti hostibus victorias referebat Gerlacus: sed alijs

præterea

Digitized by Google

præterea nobilitabatur tropæis: ciuicamque non raro promeritus est. Integerrimę vitæ fama exciti mortales plurimi concurrebant non ad spectaculum modo, (vana quippe est virtutis sine imitatione admiratio) sed potissimum ad disciplinam, non aliter ac ad sapientissimi philosophi lyceum. Ita vili etiam tuguriolo famam ac decus virtus accersit. Plura proferre non possum; paucis contenti maiores, calamis pepercerunt. Hoc vnum ediderunt. Cum solenne haberet ea maxime insectari vitia, quæ hominum genus ea tempestate deprauabant; inuectus aliquando in iuuentutis corruptelam, & luxum, adolescentem quempiam feminea mollitie calamistratum, eo adduxit orationis vehementia, vt cęsariem suam eius arbitrio tondendam ille permitteret. Totondit Gerlacus: & quamdiu vixit adolescens, (vixit vero ad prouectam ætatem) numquam longior excreuit cæsaries, quam resecuerat Gerlacus. Eximios hoc animorum cultore fructus exstitisse nemo dubitauerit, cui tam studiose Numinis obsequebatur potentia.

iuuat proximum.

CAPVT VIII.

Futuram in cælis eius magnitudinem præuidet B. Hildegardis: & ipse sentire visus est imminentem.

CLarius etiam de eius virtute monumentum editum est. Viuebat hoc eodem tempore celeberrima sanctitatis admirandę fama Hildegardis. De qua dicere multa quid attinet? Nec instituti mei est: & orbi virtutibusque vaticinijsq; ac scriptis suis notissima est. Hæc animo (quod frequens illi fuit) terris erepta, & illata cælo Deum aliquando videre visa est, ceu regem summa Majestate splendidissimo solio residentem, vniuersumque beatarum mentium cœtum incredibili ordinis, ac ornatus varietate circumfusum. Dum singulos gradus, ac choros attentius suauissima animi sui voluptate, sacroque quodam stupore perlustrat, ornatissimam inter confessores videt sedem, admirabili luce, cultuque conspicuam. Hæsit hic attonita Hildegardis, donec oraculo diuino didicit, Gerlaco parari gloriam illam, qui ad S. Seruatium quotidiano egregiæ religionis studio Trajectum adiret. Stimulus id Hildegardi fuit ad arctissimam cum eo necessitudinem contrahendam, quem intelligebat æternæ secum felicitatis consortem in tanta gloria futurum. Sui arrham amoris ad illum misit coronam, qua redimita fuerat, cum ab episcopo sacrum virginitatis velum acciperet.

Cognita eius sanctitate,

amicitiam cum illo optat S. Hildegardis.

Et ipsi Gerlaco certaminum omnium adesse finem, promeritosque adeo tot victorijs triumphos esse iam paratos, Deus indicare velle visus est, eodem anno, qui vitæ fuit vltimus. Quis ille fuerit, scriptum non inuenio. Sexagesimo tertio sæculi duodecimi, non posse esse posteriorem; neque priorem sexagesimo primo alias demonstrauimus. Eo die Dominico, quem Passionis nuncupamus, sacris operatus erat in eius ædicula Rutgerus quidam. Illum secundum rem Diuinam rogauit Gerlacus, aquam e proximo sibi fonte hauriret. Hausit Rutgerus, & ad Gerlacum detulit. Quam cum ille gustasset, & esse vinum deprehendisset: Quid agis, Rutgere? inquit. Totis quatuordecim annis frigida contentus, vino me abstinui: & a sancto proposito me hoc die abducis? Obstupescentem presbyterum, & nihil nisi quod e fonte hausisset, attulisse, sancte affirmantem, secundo rogauit puram afferret aquam. Puram secundo hausit Rutgerus, & cum ad Gerlacum redijsset, vinum attoniti gustarunt. Fidem illi Gerlacus non habuit. Ad fontem ipse pergit: ipse de fonte puram haurit: atque vt ori haustam admouit, aquæ nihil, sed vinum esse merum, obstupuit. Nonne receptui summus imperator cani iubebat? Sudatum satis, satis esse certatum; promeritumque denuntiabat agonisma deinceps exspectandum esse.

Mirum prodigium.

CAPVT IX.

Diuinitus ad vltimum agonem comparatus, sancta morte defungitur.

QVamdiu vixit Gerlacus, in acie tamdiu se relictum existimauit certaminibus: nec vllam ibi pacem sibi esse posse credidit, vbi nihil nisi *militia est vita hominis.*

Iob. 7. 1.

Anti-

Digitized by Google

Antiquum ergo tenebat, quantum afflictæ corporis ferebant vires. Quibus tandem prostratis, ad extrema cum ventum esset, mira Numinis eluxit prouidentia. Cum enim armis Christianis ad vltimum agonem accingi cuperet, euenit, vt neque eorum quispiam, qui in adjuncta ædicula facere consueuerant, neque Rodensis abbas, aut ex eius familia alius adesse posset. Ita humano omni destitutus est auxilio, vt clarior emicaret Dei beneficentia. Amicis, qui conuenerant, tam importunam eius solitudinem deflentibus, ecce vir quidam ignotus, ætate, niueoque habitu venerabilis, præeunte ignoto item quodam iuuene, ad Gerlacum ingreditur: & postquam omnes salutasset, forti animo generosum Dei athletam iubet esse; superatis vitæ huius ærumnis, immortalem breui post in cælo victori lauream pollicetur. Tum sacro ad pugnam inungit oleo, & ad immortalitatem proficiscenti sacrosanctum impertitur viaticum. Post quæ mox e conspectu omnium sublimis abijt. Crediderunt, qui aderant, clientem suum deserere noluisse S. Seruatium; nec id officij, tempore tam opportuno desiderari ab illo, qui tot annis non fortiter magis quam constanter eius se deuouisset obsequio. Eo munitus præsidio Gerlacus, Nonis Ianuarij vitæ metam feliciter attigit, & brauium. In ædicula sua, vti dum viueret constituerat, terræ mandatus est, eodem quo vixerat habitu, cilicio & lorica tectus. Terra diu inglorium obrui Deus non tulit. Aiunt sacrum corpus, nemine mortalium adiuuante, emersisse paulatim in auras, etsi tam alte humus effossa fuisse: sepeliendo corpori, vt funibus necesse esset demitti. Plurimis deinde prodigijs supra omnem naturę legem perpetratis celebratum est, quę breuitatis studio præterijmus, maxime cum in publicum prodierint anno superioris sæculi vltimo.

A S. Seruatio inungitur, & viaticum sumit.

II. ÆGIDIVS WALCVRIANVS

primus cœnobiarcha Oegniacensis. *Ioannes Transmosanus, & Franciscus Moschus apud Raissum.*

DVodecimo sæculo iam labente vitam rara innocentia degebat Ægidius Walcurianus. Cum a primis annis in virtutis studium incumberet, liberalibus primum artibus, tum disciplinis etiam Theologicis institui voluerat. Ijs nimirum aliquem ad altiora gradum præstrui intelligebat, seu pro se niteretur ipse, seu alios fortassis olim erigere studeret. His instructus præsidijs, sacerdos creatus est. Et quo sinceræ magis Diuinarum rerum contemplationi totum se daret, in euangelicę modestiæ latebris, procul ab humana luce, sanctam quietem sectari amauit. Ad Wericum Walcuriæ toparcham se recepit, illi futurus a sacris.

Inuidit turpissimus cacodæmon, & (quod fere consequitur) gloriam addidit: eius enim nomen auaritię næuo tentauit inspergere. Accusatus est igitur Ægidius ingentem auri vim arca clausisse. Illam vbi perfregisset Wericus, inuenit ex quo hominis integritatem & sanctimoniam suspiceret; instrumentum scilicet sacræ rei necessarium, sagumque cilicinum, ac bina flagra, quibus corpus afflictaret. Virtutis igitur admirationem omnibus impressit intentata calumnia. Nec existimauit Ægidius (cui alia omnia in delicijs erant) desiderata se posthac illic quiete fruiturum. Forte sub annum nonagesimum secundum, quarto supra Namurcum milliari ad Sabim Oegniaci monasterium moliebantur Henricus, Ægidius, & Ioannes fratres germani. His non cognatione, quam vitæ sanctioris desiderio propinquior, alter se adiunxit Ægidius, suis omnibus fortunis eodem collatis. Cumque Diuinorum cognitione, & vitæ exemplo eminere videretur, nouellę familiæ prępositus est cum prioris dignitate. S. Augustini disciplina proposita est sectanda. Rexit Ægidius tanta laude, euentuque adeo felici, vt celebrari cœperit Oegniacum, ceu nobilissima religiosæ philosophiæ schola; ex qua prodierunt plurimi, qui diœcesim omnem gloriosa virtutum luce collustrarunt.

Ab inuidis accusatus, magis elucescit. Oegniacum primus regit.

Post annos quadraginta & vnum, nonis Ianuarijs, ad eam, quam adeo multis aperuerat, Ægidius immortalitatem transijt: at successores reliquit, qui sapienter gloriosa cœpta persequerentur. Illorum en catalogum.

ANN. 1233. 1192

PRIORES

Digitized by Google

PRIORES OEGNIACENSES.

1. ÆGIDIO WALCVRIO insignis posteritatis coryphæo (quemadmodum iam commemorauimus) successit sub annum 1233
2. BALDVINVS BARBENSONIVS Ægidij nepos e sorore, ingenij morumque pręstantia clarus, multorum salutem sacra sua eloquentia procurauit. Mortuus est postquam præfuisset annis octo, hebdomadibus septem.
3. SIGERVS corporis & animi ornamentis inclytus omnium suffragijs subrogatus rexit annis duodecim: id quippe tempus nemo deinceps transgrederetur, Roberti Leodiensis episcopi lege cautum fuit.
4. RADVLFVS rexit annis duodecim.
Successit denuo SIGERVS, præfuitque triennio.
5. LAMBERTVS Leodius post quindecim menses mortuus est.
6. ALARDVS nosocomium construxit, præfuitque quindecim annis & mensibus sex, secundo nimirum ad præfecturam reuersus.
7. BAVO e suppriore factus prior rexit sesquiennio; tum ab Henrico episcopo Leodiens. renuntiatus est abbas Noui castri: vbi cum monasticen pro dignitate tueri non potuisset, Oegniacum redijt ad munus supprioris.
8. IOANNES WALCVRIVS rem familiarem studiose curauit, præfuitque annis viginti, mensibus quinque.
9. IOANNES FOSSENSIS rem asceticam & familiarem diligenter auxit, præfuit annis viginti sex duobus mensibus.
10. PETRVS DE GAMENCHINES vulgo FLAMINGVS appellatus, contemplationi & litteris aptior quam œconomiæ, præfuit tantum decem mensibus.
11. NICOLAVS CARLERIVS dum insigni animi fortitudine iustitiam tuetur, ab impijs mortem inuenit. Rexit circiter annum.
12. ARNOLDVS DE WALGNIES cum præfuisset annis quinque, mortuus est.
13. ALARDVS DE CHEVNACO præfuit annis septem.
14. IOANNES MARBASIVS post quinque annos vitæ priuatæ desiderio dignitatem abdicauit.
15. IOANNES AB HEVILLERS ecclesiasticæ libertatis acer propugnator, episcopalem tamen sanctionem de duodecennali pręfectura antiquauit, præfuitque vsque ad mortem hoc est annis ferme viginti septem. Nam qui ante dicuntur præfecturam gessisse diutius quam annis duodecim, sæpius præfuisse censendi sunt.
16. SIMON Fossensis indignissima quæque passus a quondam Brantio, (qui paulo post interijt in prælio) cum vt ab eius vidua compensarentur damna iudicio contenderet, ab illius satellitibus in ipso templo trucidatus, concidit ad gradum altaris, & ibi conditus est. Tribus annis præfuit.
17. IOANNES AB AYMERIES cum præfuisset annis 52. successorem sibi dixit
18. IOANNEM AB AYMERIES suum ex fratre nepotem: qui vbi rexisset annis 22. successorem sibi designari postulauit.
19. IOANNES COLGNIART multa passus bellorum aduersa, munus suum abdicauit cum rexisset annis 21.
20. IOANNES BADECART præfuit vndecim mensibus.
21. NICOLAVS COQVEROEVL Louanius dignitatem quam diu ambierat, adeptus post vnum ferme mensem peste interijt.
22. ÆGIDIVS BVSTIN cum annum ferme rexisset, a latronibus in itinere iugulatus est.
23. IOANNES BVSTIN rem familiarē feliciter restituit, & rexit annis ferme 21.
24. IOANNES VERSELS curata negligenter œconomia, sponte cessit post 9. annos.
25. GASPAR OFHVYS disciplinam restituit, sed ignarus œconomię iussus est cedere post duodecim annos.

26. IOAN-

Digitized by Google

26. IOANNES DVFFEL laudabiliter præfuit annis octodecim.
27. IOANNES WAFFLAERT sapienter rexit annis sedecim.
28. MAXIMILIANVS DV BVISSON optime rexit annis 26. sed victus bellorum injurijs mortuus est.
29. ANTONIVS DE MONTIFAVLT B. Mariæ Oegniacensis tumulum magnifice ornauit, & monasticen potissimum in tironibus strenue promouit.
30. IOANNES FRAMBACHIVS litteris & virtute insignis præfuit annis quatuor.
31. RENERVS STEENSELR B. Mariæ sacrum corpus in publicum ad venerationem eduxit. Pręfuit annis ferme quinque, mortuusque est anno 1613.
32. PETRVS LAPETIVS Trajectensis B. Mariæ caput argentea theca ornauit. Cum prudenter rexisset annis 14. obijt anno 1627.
33. R.D. SIMON DE HINSBERGHE Hoiensis, templi chorum exstruxit, remque monasticam simul & familiarem hodie feliciter promouet.

III. HENRICVS SAMERIVS

e Societate IESV. *Jmago primi sæculi Societatis, Alegambe.*

RONdeusij non procul Marchia in comitatu Montis acuti diœcesique Leodiensi eodem anno natus est, quo Romæ ab apostolica sede probata primum & confirmata Societas IESV: cui deinde vicennis adscriptus est. Religiosis omnibus virtutibus litterisque illo studio successuque mētem exercuit, vt germanam se Societatis sobolem probauerit. In historia omni & præsertim ecclesiastica versatissimus, annorum ac temporum supputationes indefessa diligentia acriquę iudicio expendit, & publico dedit sacram chronologiam iam inde ab orbe condito ad vsque Christum natum. Sed quod potius existimamus; optimis asceticę vitæ præsidijs ita se communijt, vt nihil adeo videretur arduum in procuranda mortalium salute, ad quod ipse insigni alacritate non prouolaret, aut illum moderatores applicare vererentur. Et vero missus est in Angliam ad inclytum illud superioris æui decus Mariam Stuartam serenissimam Scotorum reginam, quo tempore in vinculis habebatur ab Elisabetha Angliæ regina. Multis annis illi fuit a sacris confessionibus; salutaribusque monitionibus solatij plurimum & roboris addidit ad fortiter religioseque sustinendam atque adeo superandam tantam illam aduersantis fortunæ indignitatem. *Adest reginæ Scotorum.*

Cui postquam erepta denique est vita, in continentem ille redijt, & castrensibus functionibus vitam deuouit. Hic mira hominis eluxit pietas, in iuuandis omni ope animis simul & corporibus militum cum morbis, egestate, vitijs non minus quam cum hoste dimicantium. Nullis frangebatur laboribus, nullas miserorum sordes saniemque vulnerum auersabatur, non vilissimum quodque caput opera sua dedignabatur, nullis absterrebatur periculis, nullius etiam perditissimi improbitatem ac peruicaciam putabat esse deserendam: præstantissimum quo singuli cælo emti sunt, pretium æstimabat ac venerabatur. Ita factum, vt militiæ, quemadmodum alias domi, sodalibus magna omnium spe iussus sit præesse, qui optime nouerat subesse. *Ad castrenses functiones transit.*

Viri pectus numquam alias clarius perspectum, quam Steenvvicensi obsidione. Oppidum in Transisalania regi Catholico seruabat Coquellius gubernator, vir militari laude clarissimus. Qui iam certus paratæ sibi obsidionis, ante omnia egit, vt vnus aliquis e Societate sacerdos militibus pręsidio futurus accederet. Datus ex castrensium numero Samerius, & ingenti gratulatione exceptus: quippe cuius insignem operam alijs quoque locis & expeditionibus probatissimam habebāt militum plerique. Hoc potissimum autore omnes vitam catholicæ religioni ac regi deuouere, dira omnia prius passuri, quam sese hostibus hęreticis dedituri. *Steenvvici strenue laborat.*

Obsidionem mense Maio anni sesquimillesimi nonagesimi secundi instituit Mauritius Nassauius Batauicę militię imperator. Sūma vtrimque opum vi & contentione certatum est. Batauis ad reparandam jacturam prompta multitudo, & fessis saucijsque noui recentesque succedebāt. Coquellius paucitate laborabat: spatium vel ad ipsa vulnera obligāda deerat, nedum ad corpora quiete ciboque recreanda. Itaque bono numero cadebant aut

 transfixi

DIE 5. transfixi hastis, aut plumbeis glandibus trajecti; & tamen qui supererant, Samerio ad omnia præsente, suisque hortamentis periculi metum auferente, perstabant in loco, deuotas animas profundere parati; ac subinde oblatas quantumuis honestissimas conditiones superbe, quasi vincerent, respuebant.

Ingens enimuero tunc laborum moles in vnum sacerdotem incubuit, cum sauciorum ac morientium nemo esset, quin illius opem imploraret. Quam vir magnanimus negare nulli sustinens, ibi scilicet maxime versabatur, vbi pugna feruebat: & illæsus tamen inter tot vulneratos, tot interemtos stetit. Hoc quoque in mirandis ponendum, quod multi disrupto cranio, & cerebro fœde fluente, spiritum & vocem retinuere, donec rite confessionem peregissent.

Vt catholici militis amorem & venerationem illa Henrico conciliabant, ita hæreticum eadem irritabant in sacerdotem, sed Anglos maxime Hollandis militantes, qui audito Iesuitam illum esse, qui Scotorum reginæ religiosis obsequijs magnopere seruijsset, familiari hæreticis impudentia declamitare cœperunt eum inito cum regina Scotiæ consilio, mortem Anglorum reginæ Elisabethæ machinatum. Quæ conspirationis fabula tam acerbum in vnius viri caput accendit odium, vt ipse Mauritius comes in Anglorum gratiam, tametsi varijs conditionibus tentaret obsessorum animos, honestaque offerret omnia, negaret tamen vllam sibi cum regijs pacem fore, nisi tradito Iesuita majestatis reo, etsi vel omnes copias suas illius ergo in discrimen adduceret. Id cum obsessi pertinaciter respuerent, affirmarentque nisi pacta Samerij incolumitate libertateque nolle vllam cum hoste pacem, prælium sese denuo redintegraturos, quæsiturosque certam vel in morte, vel in victoria salutem; Mauritius paulisper animo suo moderari visus, spopondit Samerium quoque liberum fore; & eadem vsurum sorte cum milite.

Vita periclitatus

Verum præualuit reginæ Anglorum demerendæ studium. Facta oppidi deditione, conquiritur quam studiosissime Iesuita. Obseptæ continuo ædes ciuium, apud quos diuersari, vel leuis erat suspicio: insessæ oppidi portæ, per quas exeundum, dispositi vigiles locis varijs, in omnem intenti curam, ne præda tam opima falleret indaginem. Quo comperto Samerius, vt erat egregia magnitudine animi, & in bona causa cupidus tolerandi, vltro se vigilibus sistit; a quibus arcte vinculis constrictus, ad concilium militare deducitur. Examinatus in publicum carcerem datur, circumfusa hærenteque lateri numerosa militum custodia. Et quia rumor increbuerat, breui in furcam agendum esse, accurrens verbi minister serio eum de salute animi compellauit, illud identidem inclamans: Disce a me veritatem. At Samerius cum diu graue silentium spreto rabula tenuisset; victus tandem impudenti illa voce, suos canos ostentans (erat sexagenario maior) Si alterutri, inquit, nostrum ab altero discenda veritas est, eam potius tibi, homo ignorantissime, a me seniore ac saniore discendam scias.

ministrum a se reijcit.

Inter hæc iam vulgata patris captiuitate vitęque periculo, ciues quidem miserabantur innocentissimi viri fortunam: regius vero miles negabat pedem efferre, questus belli iura violata. Quo probro excitatus Mauritius, & famę cura tactus, reclamantibus licet Anglis & reginæ suæ tradi hominem flagitantibus, ipse humanior, promissa libertate donauit.

Hoc perfunctum periculo, auctumque gloria Samerium rude donandum censuerunt moderatores, & ad patrium cælum remiserunt: vbi scilicet fractas ærumnis annisque vires exerceret leuioribus laboribus, proximo tamen quam vtilissimis. Marchiæ in Famenna locisque finitimis palæstram sibi delegit: in qua pro suo incenso Diuini honoris studio, at supra suas vires pluribus annis magna omnium approbatione parique bono desudauit. Donec septuagenarius post actos in Societate annos quinquaginta Nonis Ianuarij anno huius sæculi decimo Luxemburgi ad meliorem vitam migrauit.

Patrię opem impendit.

Die

Digitized by Google

Die ſexto
STEPHANVS
abbas VII. S. Iacobi. *Cantipratanus & quæ ex archijs eiuſdem monaſterij collegit R. D. Ægidius Gryte prior & diligens ſcrutator antiquitatum illius cœnobij.*

STephanum S. Iacobi ſeptimum abbatem ignoraremus, niſi Chriſtiana conſtantia, & eccleſiaſticæ libertatis ſtudium paucis ante mortem diebus illum commendaſſent. Annis quatuor eo munere functus anno ſupra milleſimum & centeſimum triceſimo ſeptimo in ſuam familiam recepit nobilem quemdam adoleſcentem majoris præpoſiti Leodienſis conſobrinum, qui contempta humanarum rerum inanitate, ad cæleſte brauium in eo ſtadio decurrere deſiderabat. Indignatus præpoſitus miſit ad abbatem Stephanum, qui dimitti mox adoleſcentem poſtularent. Verum hominem in ſuam fidem, & obſequium Numinis receptum non exiſtimauit abbas ita deſerendum.

Ille ergo valida manu collecta monaſterium irrumpit, iuuenem abripit, ſacroque nudatum habitu, reſtituit ſeculo. Illatam Deo eccleſiaſticiſque legibus injuriam minime ferendam ratus abbas, facinoris indignitatem exponit Epiſcopo. Erat is Albero II. Leodienſem adeptus epiſcopatum anno ſuperiore. Stephani querelis nihil ille motus eſt, ſeu quod ſanctiorem diſciplinam parum curaret; ea quippe neglecta inhoneſtam eccleſiæ Leodienſi labem illum impreſſiſſe proditum eſt: ſiue ex animi mollitie non exiſtimauerit epiſcopatus ſui principio offendendum eſſe præpoſitum, & cum illo fortaſſe nobilitatis bonam partem: ſeu quod tum maxime de recuperando Bulliono cogitaret, quod ante biennium interceperat Barrenſis comes; ideoque minoribus illis ſe non interpellandum eſſe iudicaret. Violatorem eccleſiaſticæ immunitatis,

At Dei cauſam non ita prodendam exiſtimauit Stephanus. Venit ad S. Lamberti IV. Kal. Decẽbres; & medio templo Alberonem ſecundum rem Diuinam aggreſſus abeuntem, lege ſecum agi poſtulauit. Fruſtra. Acerbioribus caſtigatum verbis abbatem dimittit Albero. Verũ Stephanus ante imaginem pendentis e cruce Seruatoris prouolutus in genua, & ad præpoſitum conuerſus: Quãdo, inquit, contra te, præpoſite, iudicem inter mortales non reperio; immortalem Deum appello. Quadrageſimo abhinc die ad iuſtiſſimum eius tribunal diem tibi dico, vt pro cauſæ huius æquitate ſententiam pronunciet. Prouocationem neglexit epiſcopus; excepit riſu præpoſitus, & cum ipſo aliquot alij. vocat in Dei iudicium,

Numquam tuto reditur Deus. Certe quadrageſimo poſt die (erat octauus ante Idus Ianuarias anni milleſimi centeſimi triceſimi octaui) ſub meridiem exceſſit vita Stephanus abbas. At ignarus eadem hora præpoſitus alia omnia cogitabat, & forte lauabat in balneo: ecce audit ex illo monaſterio celebriorem æris campani pulſum. Cauſam quærit; ſtatimque ingreditur, qui mortuum abbatem affirmet. Percu1ſus hoc nuntio præpoſitus: Conclamatum eſt, inquit: quadrageſimus eſt hic dies, quo Dei tribunali ſiſtendus ſum. Hæc dixerat, & ſe proripiebat e balneo: in adſtantium manibus, cum clamoribus & diro eiulatu animam efflauit, vtinam non infelicem. & cum illo moritur.

Die ſeptimo
VEN. LVDOVICVS BLOSIVS
Lætiæ Abbas, & velut alter Parens. *Vita libris eius præfixa.*

CAPVT I.
Educatus in magnam ſpem familiæ Ludouicus Bloſius, monaſticam amplectitur.

LVdouicum Bloſium monaſterij Lætienſis conditorem alterum, & vere patrem, Benedictini Ordinis clariſſimum ſidus, & ſapientiſſimum ſacræ aſceſeos magiſtrum, ja-

ctat alumnum suum, & eo gloriatur prouincia Leodiensis. Natus est Doni-Stephani, pago agri Interammẽsis, non procul Thudinio oppido, anno supra millesimum & quingentesimum sexto, principio Octobris. Patrem habuit Adrianum Blosium, matrem Catharinam Barbansoniam Doni-Stephani heredem ac Dominam, vtrumque gente illustri; sed illustrior nobilitauit proles. Insigni cura ac sollicitudine Ludouicum ab ipsa statim infantia, parentes educarunt: & (quæ fere mortalium primæ sunt cogitationes) quo viam ipsi sternerent ad gentilitiam dignitatem tuendam, atque adeo augendam, obtinuerunt vt in familiam admitteretur Caroli Belgarum Principis, qui Cęsar postea creatus est eo nomine quintus. Nam præter honestissimam institutionem, qua honorarios ephebos imbui sciebant; spes erat, dum adolesceret cum Principe, insignem eius collecturum gratiam. Et vero is erat corporis, animique habitus, qui ad summa quæque prouehere posset. Ita sibi pollicebantur, qui familiarius nouerant adolescentis mores candidos, suauesque, ingenium docile, & ad omnem disciplinam capessendam factum.

Patria. Genus.

Carolo V. ephebus adiungitur.

Verum Ludouico minora erant omnia, quęcumque mortalis impertiri poterat. Ad altiora immortalis vocauit Imperator. Ætatis annum agebat Ludouicus quartum & decimum, quando monastices inijci diuinitus sensit desiderium: neque diu post, ducente Deo, Lętiæ amplexatus est. Is autem tunc illius asceterij fuit status, qui auerteret potius tam felicis indolis adolescentem, quam inuitaret. At Diuinæ bonitatis numine, atque consilio, eximia cœnobio illi salus, nouumque disciplinæ decus parabatur: vti manifestis mox patuit indicijs. Primo tirocinio Ludouicus, eos in religiosa disciplina fecit progressus, vt qui magister esse debuerat, eius se profiteretur esse discipulũ. Rarum profecto decus est illud, in ardua virtutis tum niti, quum non modo rudes & ignauæ commonstrant viam pręceptiones, sed etiam ad corruptelam deorsum impellunt exempla. Triennio feliciter in hac exercitatione posito, placuit & alio armorum genere tironem probari, quo magnis rebus gerendis euaderet aptior. Louanium ad disciplinas missus est: & dum humanioribus imbuitur litteris, Nicolaum Clenardum trium linguarum peritissimum nactus præceptorem, eam assecutus est cognitionem, vt scriptam olim a S. Ioanne Chrysostomo *Comparationem regis & monachi* in Latinum eleganter verterit. Animi specimen fuit, qui non ita se litteris daret, vt pietati vel minimum detrahi pateretur. Præcipua quippe cura fuit, vt ab Academia non doctior abiret quam melior.

Lætiam ingressus,

Louanium mittitur.

CAPVT II.

Contra spem & desiderium creatur Abbas Lætiensis.

ANN. 1527.

RECta iuuentutis institutione illam de se spem Lætiensibus concitarat; vt sibi successorem designari Ægidius Gippus abbas a suis obtinuerit, quamquam ætatis annum dumtaxat ageret Ludouicus primum & vigesimum, susceptæ vero monastices septimum. Cohorruit Blosius hoc nuntio, & ingemuit; quo exultassent plerique alij, rerum nimirum humanarum ementito fulgore perstricti. Acutius cernebat Ludouicus, & scripsit vt sentiebat ad amicum quemdam suum in hæc verba: *Vtinam ministerium istud, ad quod destinor, nihil haberet in se molestiæ, præter onera, labores, angustias, ac miserias! Non solum non refugerem, sed etiam vehementer desiderarem ipsum, cum per hæc cælum inueniri sciam. Ecce autem præter hæc, periculis etiam refertum est, periculis inquam non corporis; sed animæ. Quid quæso profuit fugisse sæculum, dum ad sæculum iterum redire compellor? Iure igitur cum Dauid clamare debeo: Tribulationes cordis mei multiplicatæ. Augent interim dolorem pariter & metum mores monasterij, quos a regula P. N. Benedicti, & breuiter ab omni religione multum alienos esse & audio, & ipse reipsa didici, cum isthic viuerem. Quis autem sum ego, vt illos corrigere possim?* Ita Blosius.

Creatur Abbas inuitus.

Quæ si omnes pari iudicio expenderemus, & nostris longe mentibus excluderemus ambitum, & suos regerent sanctius, quicumque ad gubernandum applicantur. Eo Blosius majore studio in litteras deinceps, simul & virtutes incubuit, quo majorem sensit injectam eiuscemodi præsidiorum necessitatem. Donec Gippo post triennium decedente, ex vmbra in arenam, Louanio Lætias reuocatus, III. Idus Nouemb. sacerdos creatus est; & pridie easdem Idus Deo primitias obtulit: ipsis Idibus solemni ritu Præsulis pedum accepit.

ANN. 1530.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Sodales accendit ad meliora, nonnullis frustra obstrepentibus.

NIhil plus honoris accessisse nouo hoc munere, quam oneris sentiebat Blosius: quo vt defungeretur, quemadmodum diu ante præmeditatus erat, ad integritatem a morum corruptela creditum sibi gregem reuocare instituit. Verum vt perceptam vitæ liberioris dulcedinem deserere, & ad primam virtutis austeritatem niti, fere mortales refugimus, obstiterunt, vbi primum accepere, Lætienses: & cogitationes adeo pias maxime visum est disturbare concitatum bellum inter Carolum Cæsarem, & Franciscum I. Franciæ Regem.

Hinc tamen tanti boni, quantum etiam hodie suspicimus, primordia duxit Numinis prouidentia. Nam in finibus vt nihil ab hoste tutum esse potest, Blosius Lætias deserere coactus, alios alio dimisit, quo quemque commodior hospitij traxit opportunitas, Athum ipse cum tribus alijs concessit. ANN. 1537. Disciplinam restituere aggreditur,

Hic quod toti sodalium cœtui non potuerat, haud ægre paucis consilia sua probauit; atque adeo persuasit, vt institutum viuendi sanctius amplecterentur. Quod cum bene verteret, amplexi sunt & alij nonnulli; quos huc illuc fuga distractos, communis contubernij reuocauerat desiderium. Animos auxit Blosio felix euentus. Et quando reliquos in eamdem sententiam adducere desperaret, sedem Athi figere constituit cum ijs omnibus, quos sibi inuenisset obsequentiores; & Lætijs prioratum relinquere, vbi vitam exigerent ceteri, qui veterem licentiam præferrent. Antiquum hic tenuerunt inferi, pijsque cœptis oblatrarunt. Et Lætienses plerique reduci se in arctum non passuri, ore liberius ea carpebant, quæ pigebat imitari. Et nonnemo sacram ascesim professus, dum ad populum e pulpito diceret, Blosium ausus est, Blosijque filios ineptæ nouitatis, ambitionis, ostentationis, & hypocrisios accusare; coactusque postea virorum cordatorum autoritate, suam publice maledicentiam damnare, non simul odium posuit. Intempesta nocte Blosianæ domus tubos & canales perfringendos curauit. Ea semper fuit dæmonis aduersus pia cœpta rabies, hominibusque vere Christianis animos non modo non infregit, sed nouos addidit, & præclaris cumulauit victorijs. improbantibus non paucis.

CAPVT IV.

Sanctiorem disciplinam insigni arte Lætias inducit, probante pontifice.

PAcatiore jam republica & deferuescente bellorum æstu, qui Lætias redierant Monachi audito Blosij consilio, cum ęgre ferrent cultam a maioribus antiquitatem deseri; Cęsarem rogarunt, Lętias vt redire Blosius iuberetur, ab eius legibus se nequaquam abhorrere professi, si de suscepto rigore quidpiam remitteret. Reuersus Lætias Blosius, sapientum consilio, suam de regula S. Benedicti summo cum rigore obseruanda reliquit sententiam; persuasus futurum id diuturnius, quod moderatius fuisset constitutum. Alieniores conciliat

Inolitam nihilominus vitę liberioris consuetudinem cum satis intelligeret non facile deponendam, suauiter animos illicere constituit, vt ad omnem turpitudinem damnandam, sic ad persequendam honestatem quantum susceptæ monastices ratio, sanctitasque postularet. Librum scripsit quam appositissimo iudicauit ad persuadendum argumento: sed vt domestica nauseantibus fere fastidio sunt, in lucem emisit ignaris Lætiensibus, sub alieno sed specioso Dacryani venerandæ quasi antiquitatis nomine, & ijs publice legendum proposuit. Consilium probauit euentus. Auertit sensim a priore viuendi licentia Lætienses, & ad sanctioris disciplinæ studium, amoremque incitauit pia illa Dacryani lectio, meditatioque assidua. edito Dacryano.

Ac denique anno istius sęculi vndequadragesimo, animis sic comparatis, edidit Blosius, quam multa cōmentatione, & luce diuinitus accepta conceperat, litterisque consignarat nouam viuendi formam; non illam ad summum S. Benedicti rigorem exactā, sed magna prudentia temperatam. Existimabat enim de virorum sapientum sententia vtiliorem esse

& moderationem extremo rigori præfert.

esse austeritate moderationem: illam, quippe vitijs edomandis peridoneam, & apprime necessariam; hanc conducere plurimum veterano cuique ad summum virtutum apicem connitenti: illam, vt priuato alicui prosit non parum; vniuersæ profecto familiæ, aut reipublicę non item esse vtilem. Cum enim æquum sit, & sapientissimi quique asceseos magistri doceant, illi de seueriore viuendi norma remittendum esse, cui pares non fuerint vires; ne, vbi cum inualetudine colluctabitur, nobiliorem dimittere compellatur virtutum exercitationem: in cœnobio certe quę semel vni patuerit ianua, quam reliquis difficulter occludetur, quos ad blandiora naturæ infirmitas inuitat? Ita sentiebat Blosius, & aliorum ab antiquo ordinum ostendebat exemplis.

Probat pontifex.

Quam ergo suaui temperatam caritate, prudentiaque suis Lętiensibus vitæ deinceps agendæ rationem proposuit, amplexati sunt illi magno animorum ardore: & pari profectu cum toto sexennio deinde tenuissent, probauit denique anno sæculi quinto & quadragesimo, autoritateque apostolica ratam habuit Paulus III. Pontifex Maximus. Hoc illud est operum Blosianorum in posteritatem omni gloria dignum, etsi hominis virtutem aliud nihil commendaret. Solidos enim centum annos cum iam steterit, hodieque stet Lætijs Blosianæ disciplinæ integritas; non modo temporis lapsu labefactata non est, sed viuida veluti iuuentute, virilem in ætatem corroboratur.

CAPVT V.

Pluribus prodesse satagit, libris editis.

BLosij opus alterum est non minus illustre, quod ad plures pertineat, & ad vniuersum late Christianum orbem diffundatur. Non suo tantum sed & Lætiensium didicerat experimēto Blosius, quos in mortalium animis concire valeat motus sanctiorum librorum lectio. Eaque de causa nisi grauissimis negotijs aut illustrioris ordinis hospitibus auocaretur, non ijs facile cœtibus aberat, aut communi cum ceteris mensa, vbi Christiani sacratioris philosophiæ magistri prælegebantur; quo tam ipse, quam Lætienses ceteri, quod Numinis beneficio cœperant, eodem bene iuuante perficerent.

Verum vt vastior Blosio fuit animus, quam vt vnius cœnobij cancellis teneretur; cum se in Dacryano suo iam explorasset, in omnium hominum animos effundere calamo constituit, quos Diuinæ pietatis ignes conceperat. Et hoc pie aggressus, confecit feliciter. Nam primum ad instar sedulæ apis collectos ex areolis peritissimorum magistrorum suauissimos flores in varia serta descripsit, quibus & suam in eiusmodi euoluendis orbi testatus est diligentiam; & studioso lectori compendio dedit, quod ferme potissimum amœnioris suauitatis in longioribus commentarijs quærendum fuisset. Tum non sapienter minus, quam diserte multa disputauit, quę ad vitia detestanda mouerent animos, concitarent ad persequendam virtutem, rebusque omnibus abstractos humanis, , & erectos in cælestia, Deo ipsi arctissimo nexu conjungerent. Denique cum ex Diuini amoris incendio pectus illius ardens fornax euasisset, angusto carcere concludi nequijt. Quas eiubrabat ardentes faces, & ignita iacula in IESVM & MARIAM amores suos in chartam effudit; quo eosdem in mortalium animis ignes succenderet.

Nec illam intelligentiæ meæ vim, nec illum sentio voluntatis ardorem, vt certum de tanti viri commentarijs iudicium ferre veleam. Testes sunt quotquot fere de rebus asceticis postea scripserunt: testes quicumque ab illo tempore aliqua sanctitatis laude floruerunt: testis est vniuersus orbis Christianus, quos in omni hominum gradu fructus ediderint Blosij scripta. Vt nullum gloriosius adscribi posse videatur elogium, quam istud: A fructibus eius cognoscetis eum.

CAPVT VI.

Prudentia & consilio excellit.

NOn tam ingenij fœtus & meditationes, quam piæ mentis motiones litteris consignauit. Eam pariter in muneris administratione rationem tenuit, vt omnia eius consilia, decreta, imperia interioris animi referrent imaginem quamdam accuratam. Ab animo quippe numquam discedens, admirabili tranquillitate, secum & cum Deo habi-

Digitized by Google

habitabat; nulloque rerum humanarum tumultu foras euocatus, a se numquam exibat. At sibi semper similis, in medijs negotiorum turbis, suæ solitudini inhærebat. Quo fiebat, vt omni hora molles essent ad illum aditus: numquam frons contracta, numquam austeri oculi, asperior lingua congressu quempiam absterruit. Contra si quæ perturbati animi signa quispiam apud illum ederet, ipse vultu ad serenitatem composito, humane, ac peramanter: Obsecro, aiebat, vt tantisper abeas a me, dum redeas ad te: & cum motus ille deferbuerit, mox ad me redi. Nec enim, nisi sedatior tibi fuerit animus, vel tu petere poteris, aut proponere quidpiam ad animi tui pacem ac tranquillitatem conducens; vel opportunum ego, rebusque tuis salubre consilium dare possum. Nullum quippe nisi præceps, & saluti aduersans consilium ab animo perturbato censebat expectandum, quod sera deinde pœnitentia consequatur. Addebatque magnas res non nisi magna cunctatione, & matura pacati hominis deliberatione perfici; quo lentius, eo felicius. Hac animi moderatione, prudentiaque, velut *tenuissimus ligni vermiculus* nihil non perrumpebat, perficiebatue. Ita morum suauitas, quæ fere præsidum subruit autoritatem, eam ipsam sapienter a Blosio temperata non parum fulciebat. 2. Reg. 3. 8.

CAPVT VII.

Insigni præditus sapientia, oblatas dignitates respuit.

MAius etiam mirum est, quod inuictæ fortitudini conjuncta esset ea mansuetudo. Fortem esse Blosium necesse fuit tum ad perrumpendas, quæ reducendo Lætiensis disciplinæ nitori objiciebantur, difficultates; tum perferendis ærumnis, quas Gallica bella sextum inuexerunt. Sed animo cælestia solum intuenti damna nulla mortalis hostis inferre potest. Identidem Dauidicum illud vsurpabat Blosius: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum.* Omnem in vno illo felicitatem esse collocandam intelligebat: eaque perfusus luce, vera a falsis bona, æterna a caducis, ab externis fortunæ interna animi distinguebat; & sua singulis sic appendebat momenta, vt vera damna censeret ea sola, quæ animorum officerent felicitati. Psal. 90.

Francos Hannoniam hostiliter infestantes, in ipsumque adeo Lætiensem agrum effusos, aggressus Blosij frater Adrianus, feliciter insigni clade ceciderat. Gratulabātur omnes Adriano, & patrię, plausumque dabant. Vnus inter hæc Blosius, ductis ex imo suspirijs: *Non est, inquit, non est Christiani pectoris gaudere, vbi tantum Christiani sanguinis funditur; & leuem, breuemque victoriam, tot animarum æternus forte sequitur interitus.* Vocem ô Christianam! Sed quam raro ita Christiani hodie sentiunt, & loquuntur! Vocē Christianam!

Ab eodem animi sensu, iudicioque fluxit, quod subijcio. Cantharum materia, & arte spectabilem a Carolo Cæsare Blosius acceperat: statimque donauit ecclesiæ Chimacensi, quæ magnam istis temporibus ex hostili vastatione jacturam fecerat. Deo consecrasse nimirum existimauit nobilius, quam accepisse ab Augusto. imo factum!

Vt majus, sic & mirabilius aliud accipe. Blosij virtutem administratione Lętiensi probatam euehere Cæsari placuerat ad opulentiorem Abbatiam S. Martini Tornaci. Extimuit pro sua modestia Blosius, quæ grauior esse solet ex altiore fastigio, ruinam: & Bruxellas, quo alios ambitio frequenter impellit, profectus est nouus candidatus, quo oblatam deprecaretur dignitatē. In quemdam forte hic principem incidit e Cæsareanis non vltimum; qui gratitudinis nomine Blosio non parum se debere confessus, eius obsequijs obtulit omnem, qua valeret apud Cæsarem, gratiam. Tum audito Blosij consilio, certaque voluntate, insolitam hominis demiratus ambitionem, ad Cæsarem mox adijt: & Blosij precibus suas cum adiunxisset, non ægre, quod erat in votis, impetrauit. Illum enim humani fulgoris contemptum existimauit imperator omni suo beneficio celsiorem. Humilitatis amor.

Eadem & Blosius animi magnitudine Cameracensem episcopatum detrectauit. Ita testari solitus est Maximilianus a Bergis, postquam oneri tanto ceruices subdidisset, cum Blosio familiari ioco obijceret, haud satis ęquum esse, vt Blosius suæ solius pacis, & quietis desiderio, tam formidabile onus in debiliores humeros reijceret. Non aliter a Blosio certe sentiet, quicumque pari trutina rerum pretia expendet.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

S. Ignatij commentationibus exercitus, Societatem commendat, vt in Belgicam recipiatur: & religiose obit.

CVi ſapere Deus cœperit, quam ex humanis rebus capiat voluptatem? Deliciæ Bloſio erant librorum ſanctiorum lectio, ſuauiſſimæ cum Deo, cælitibuſque ſermocinationes, vt ijs colliqueſcere totus, aut igneſcere videretur. Orantis faciem multo velut igne ſuccenſam animaduerterunt nonnulli, qui eo familiarius vtebantur. Quem ignem etiam vehementius accendi in ſuo, ſuorumque pectoribus cum admodum deſideraret,(ignis quippe eſt omnis amor, maxime Dei: & quo maior, hoc ardentius proxima quæque corripit) audito multos Louanij ad Societatis IESV orandi, commentandique normam ſalutariter exerceri; ibidem & ipſe nouos ignes concipere, & exemplo ſuos ad ſanctum illum ſeceſſum inuitare voluit. Præeuntem ſecuti ſunt alij, fructu optando.

Quem in plures propagandum, & orthodoxam pręterea fidem contra naſcentes in Belgica hęreſes fortiter defendendam ab illa Societate cum ſperaret, ſuam cum alijs operam contulit, vt in Belgicas prouincias Philippi regis autoritate reciperetur Societas IESV: eoque officio hæc illi ſe non leuiter obſtrictam fatetur.

Annos denique natus nouem & quinquaginta, poſtquam in monaſtica diſciplina vixiſſet annos ferme quadraginta quinque; at ſolidos triginta quinque monaſterium eximia ſanctitudine rexiſſet, ad promeritam laboribus palmam abijt VII. Idus Ianuarias anni ſupra milleſimum & quingenteſimum ſexageſimi ſexti. Viuere tamen pergit, non in cælo dumtaxat beatus, verum & feliciſſimus magiſter in poſteris.

Die octauo

S. GVDVLA

virgo, Bruxellenſium tutelaris. *Surius e veteri manuſcripto, & Molanus.*

CAPVT I.

Sancte a B. Gertrude educata miris virtutibus clareſcit.

SIgeberto Dagoberti regis filio in Gallijs regnante, viuebat eo terrarum tractu, quem hodie Brabantiam appellamus, comes Witgerus, vt potentia & generis claritudine, ſic & virtute celeberrimus. Coniugem nihilo inferiorem duxerat Amelbergam Pipini Landani e ſorore neptem. Par coniugum tam ſua, quam ſobolis ſanctitate beatum. Ablebertum (Emebertum alij vocant) genuerunt epiſcopum poſtea Cameracenſem, Virgines Reinildem & Faraildem, omnes egregia morum integritate præſtantes. Quartã Deus prolem addidit minime prioribus abſimilem: quod ipſum parenti teſtatum volunt. Partui vicina in ſomnis adſtãtem videre ſibi viſa eſt angelum; qui: Macte animo, Amelberga, inquit, nouo te munere cælites ditare conſtituerunt. Quam vtero geſtas, in lucem feliciter dabis filiam; quæ a tenera ætate cæleſtia ſectabitur, illiſque conſtanter adhæreſcens vitam claudet. A ſomno & in pedes lætus hic nuntius bonam matrem excitauit, atque mox abjecit in genua precantem, perficeret vt bonus Deus, quod voluerat nuntiatum.

Sancta gente orta, *diuinitus prænuntiata,*

Natam filiam ſacris initiandam Chriſtianis parentes curarunt, & a cognata Gertrude ſuſcipiendam e ſacro fonte; Gudulamque appellarunt. Niuellis agebat Gertrudis in parthenone, quem ab Iduberga parente ſua conditum aſceticis legibus informabat, magna ſancti-

a S. Gertrude educata.

Digitized by Google

sanctitudinis opinione. Hæc pro suis lustricæ matris partibus Gudulam, vt primum illa depulsis infantiæ tenebris aliquam a ratione lucem admisit, in suam accepit familiam,& religiosioribus cœpit imbuere moribus. Non potuit vberes non germinare fructus sancta sementis tam perita manu in optimam terram sparsa. Pullulauere in tenera virgine virtutum omnium flores colore, odore, varietate suauissimi. Sed recto in altum caudice candidum intaminatæ virginitatis assurgebat præ ceteris lilium; despectisque terrenarum voluptatum lenocinijs, ad vnas toto pectore celestis sponsi delicias attollebatur. Id Gertrudi maxime cordi fuerat. Hoc quippe habent sancti amores, nec vllo alio se produnt certius: suas a quamplurimis & ardenter amari cupiunt delicias:& quam corporum rejecit virginitas fecunditatem, eam in animis amat & quærit, Christoque fecundante consequitur. *virginitatem colit.*

Vt vita decessit Gertrudis, Niuellas de parentum imperio Gudula reliquit: at sanctissimas minime reliquit optimæ magistræ præceptiones & exempla. In domo paterna Deũ inuenit non minus & coluit, quam in sacri gynæcei solitudine: illum habebat in pectore; illum vbique circumferebat: cor suum exclusa omni re condita illi vni præbuerat, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum. Niuellis beatam illam philosophiam magistra Gertrude didicerat: in ea domi se exercebat.

Præcipuum animo robur & vires ad omnium virtutum prosecutionem addebat suauissima cum cælitibus consuetudo frequentesque sermocinationes. Exosa quippe hominum congressus non necessarios, quidquid vacui potuit nancisci temporis, Deo totum consecrabat. Noctes in primis amabat, quod & silentio fauerent & solitudine. His solemne habuit Morzellam ire. Pagus erat duobus milliarijs dissitus, in quo positũ Christo seruatori templum Gudulæ pręcipuis in amoribus fuit, quod ibi frequentius in virginis animum sancti ardoris faces a sponso demittebantur & ardebant. Non tulit Orcus, & absterrere constituit. Euntem virginem per noctis tenebras comitabatur ancilla vna, vitandisque viæ salebrosæ incommodis lucernam præferebat. Lumen extinxit dæmon, vt illam tenebrarum horrore territam religioso cœpto deinceps auocaret. Non cessit tenebrarum principi filia lucis. Vbi se peti sensit, ab oratione quęsiuit auxilium;& in genua procumbens a sponso confestim obtinuit. Nam luce noua Diuinitus accensa, atque adeo dæmone triumphato, pium victrix tenuit institutum. In terris corpore degebat, mente versabatur in cælo. Rara cum mortalibus erat, tota cum sponso, tota in cęlestium rerum commentatione. Cum meliorem noctis portionem Deo tribueret, aurora consurgente tum demum incipere videbatur; & ceu curato corpore recens, quasi nouum orationis exsoluere pensum aggrediebatur. Ac denique post aliquot diei horas in precibus positas domum redibat. Nec tamen abibat a sponso: arctissimo mens illi cohęrebat nexu, corporis sarcinam quocumque pedes abstulissent. *Noctu orãs a dæmone obturbatur frustra.*

CAPVT II.

Prodigijs illius virtutem Deus ac tandem æterno præmio compensat.

NVllas integerrima virgo credebat nisi in sponso suo delicias; difficile nihil, nihil asperum, quod eius causa tolerandum veniret. Quis credat, nisi amoris Diuini vim nouerit? Virgo ætate sexuque tenerior,& principum delicijs innutrita, cum Morzellam, & alia loca Numinis cultu & superorum religione veneranda peteret, nihil verita vias multo luto sordidas, asperas salebris, spinis horrentes, nudabat pedes: atque ita noctibus æque ac diebus rigoreque brumali iter faciebat. Sed modestæ virgini vnum Deum intuenti ac suspiranti, cum horrori summo essent hominum oculi iudiciaque, calceis soleas detrahebat, quo delusis mortalibus, soli Deo placerent, quæ animus arcana voluebat. *Nudis pedibus iter facit.*

Palam ea nihilominus aliquando fieri voluit Deus, ne tenebris laterent obruta tam illustria virtutum euangelicarum exempla. Imprudenti accidit, vt ad orationem in genua corpus demittens pedum plantas collecta nimium veste relinqueret intectas. Quas frigidissima anni tempestate vt vidit nudas ingressus templum sacerdos quidam, attonitus nimirum hæsit, & suis aliquamdiu vix ipse credidit oculis. Ac tandem cum in pedes ab oratione Gudula surrexisset, detractas sibi chirothecas sacerdos pro sua virtutis illius admiratione simul & veneratione, eius vestigijs subjecit. Erubuit vt se deprehensam sensit

Digitized by Google

DIE 8. Gudula: & chirothecas quidem statim sustulit, retinuitque manibus quamdiu apud illam sacerdos hæsit; sed illo abeunte procul a se abjecit. Et illud honore dignum esse testari miraculo Deus voluit. Suspensæ horam ferme solidam aëre vacuo chirothecæ manserunt.

Etsi virtutem non augent, certa nihilominus esse solent eius testimonia, quæ subinde stupenda Deus operatur. Pauca, quibus exornatam Deus suam sponsam voluit, subijcio: alia plurima silentio antiquitas texit.

Puerum grauiter affectum

Morzella redibat aliquando sancta virgo: mulieri occurrit, quæ infelicem in humeros sarcinam sustulerat: filium inquam gestabat nouennem, trahentemque vitam morte tristiorem. Membris enim omnibus veluti conglomeratis sic incuruatus erat, vt cælum non valeret intueri: corporis meatus, quibus vox formatur, adeo crassioribus humoribus erant obstructi, vt nullam edere posset vocem: dissolutis denique manuum neruis, non nisi aliena ope ingestum in os cibum sumebat. Quibus conflictatum malis puerum vbi vidit Gudula, indoluit non aliter ac mater: acceptoque in humeros suos puero, in cęlum tacita tollit oculos, sed illos lacrymis humentes. Lacrymas Deus audiuit omni clamore sonantiores, puerique incolumitatem carissimæ sponsæ indulsit. Nam ille & clara voce matrem inclamare cœpit, & solidioribus neruis manus digitosq; agitare, ac denique stare erecto firmoque corpore. Magna matrem de tam insperata filij sanitate, magna & Gudulam incessit lætitia; sed hanc etiam timor non paruus, ne quam apud homines huius prodigij gratia gloriam consequeretur: eaque de causa quantum potuit mulieri silentium imperauit. Verum illa seu gaudij magnitudine sui impotens, seu ingrati animi verita notam, miraculum nusquam declamitare destitit. Neque vero debebat mortalis femina silentio tegere, quam Gudulæ sanctitatem alijs prætereà prodigijs celebrabat Deus.

persanat:

item leprosam mulierem.

Mulier quædam elephantiasi corpus sic exesa, vt propter saniem membris omnibus cum graueolentia minime toleranda stillantem, hominum congressu iam pridem arceretur, vitaque non diu post pellendam medici certo asseuerarent; recuperandæ per Gudulam sanitatis spem certam in animum sensit immitti. Ad illam igitur, cum in conclaue abdita cælestium rerum meditationi se daret, clam irrepit infelix mulier, & opem oratione demissa flagitat. Ingemuit ad illius aspectum & preces virgo; & ad Deum tollere mentem beneque sperare iubet. Neque diu redierat ipsa ad precationem: precantem exaudiuit Deus, integramque feminæ sanitatem restituit, ac omnem sic abstersit lepram, vt nullum toto corpore mali relinqueret vestigium.

Quę Gudulæ gloriam apud mortales miracula comparabant, eadem ad altiora virtutum acres erant stimuli: & eo cursus erat concitatior, quo metam ex propiore prospectabat. Cui tandem cum se intelligeret imminere, quo generosius ad extremum decurreret, sacrosancta mysteria percipere summa religione voluit. Ac denique vita eximijs virtutibus exculta VI. Id. Ianuarij ęternæ felicitatis attigit brauium. Hami primum sepulta est; tum Morzellę, quam tanto religionis ardore constantiaque frequentarat. Hinc Cyprimontem proxime Leodium aliquando asportatum est, donec Normannica tempestas desæuijsset. Bruxellas denique intulit Carolus Lotharij regis Francorum frater, & dux regni Lothariensis: sanctamque virginem vrbis præsidem constituit.

Moritur.

Die nono

FRANCO

episcopus XXXVIII. *Anselmus, Fulcuinus, Ægidius.*

Nobilis

doctus

COgnatione proximum Arnulfo imperatori fuisse Franconem in comperto habemus: euangelicæ tamen humilitatis desiderio monasticam Lobij professus est; & eximia Diuinarum humanarumque rerum cognitione præditus, multos annos scholæ, quæ isthic erat celeberrima, præfuit: plurimos auditores in omni disciplina habuit absolutissimos. Sęcula illa vere aurea! quibus illustrem adeo generis claritudinem litterarum non pudebat; non pigebat laborum in tradendis disciplinis ferendorum.

episcopus Leod.

Episcopus Leodiensis anno octingentesimo quinquagesimo sexto creatus est. Creditam

tam sibi ecclesiam magna sapientia gubernauit. Episcopatus tamen principio grauiter cecidisse fertur in synodo primum Aquensi; vbi cum ceteris episcopis incontinentiæ Lotharij regis turpiter obsequi non erubuit; tum etiam in Siluanectensi cum reliquis contempta sedis apostolicæ appellatione, episcopum ausus est damnare. Agnito mox delicto, veniam Nicolaum I. pontificem Romanum rogauit: pascendoque proprio gregi deinceps studuit.

Sed aduersis illum Deus exercuit, seu noxis expiandis, seu probandę virtuti. Fatigata est multis annis tota diœcesis importuna Normannorum crudelitate; tandemque anno octogesimo primo Leodium ipsum magna ciuium clade captum, direptum, incensum est. Non propterea causam ecclesiæ suæ Franco deseruit. Post paucos annos cum eadem Normannorum rabies numquam exsatiata repeteret suas populationes, Arnulfo imperatori aduersum illos mouenti suas ipse Leodiensium copias adjunxit. Ad Diliam vbi iam Louanium est cæsis ad internecionem barbaris parta est nobilissima victoria. Verum quod humano sanguine manus episcopus profanasset, tota vita tractandis sacris abstinuit. *Patitur a Normannis*

Arma nihilominus rursum cogitare coactus est. Nam Zuentiboldum Arnulfi Cæsaris filium regemque Lothariensem deserebant omnes pæne subditi, & Carolum Simplicem Francorum regem in regnum correptis armis inducebant: sed illum trepida fuga ad se venientem excepit episcopus, oblatisque omnibus viribus recreauit. Tota deinde nobilitate pręsulis exemplum sequente cum animos Zuentiboldus collegisset, composita cum Gallo pace vniuersum regnum recuperauit. Ea vel fide in suum regem, vel in agnatum pietate, illustrem Franco gloriam comparauit; sed & a Deo præmium egregiarum virtutum, quibus munere suo perfunctus est. Non alium facile inuenio episcopum, qui Leodiensem ecclesiam magis amplificauerit. *Zuentiboldum regno restituit.*

Ab Arnulfo Cæsare Lobium obtinuit, adjunxitque ecclesiæ Leodiensi; ita scilicet rei monasticæ per episcopos melius prospiciendum ratus, quam per profanos principes; qui longo iam tempore celeberrimum illud monasterium regio beneficio possederant, & parasitis ceu infamibus Harpyijs pudendum in modum prostituerant. Non exigua fuit illa ad Leodiensem ecclesiam accessio, cum centum quinquaginta tres pagi, & in his Thudinium, Lobio accenserentur. *Obtinet Lobium.*

Magderam præterea in Mediomatricum finibus Franconi concessit Carolus Crassus imperator. Hæc illa est, quam deinde permutandæ Trudonopoli Leodij donarunt Metensibus, in quorum potestate hęc primitus fuit. *Magderam.*

Tecta insuper primam Francimontani marchionatus partem accepit præsul a Zuentiboldo rege; tum Fossas vrbem in regione interamnensi a sua consanguinea Gisla Niuellensi antistita: ac denique Arceias (vbi hodie Carolopolis ad Mosam condita est) principis nescio cujus effreni cupiditate ab hac ecclesia reuulsas, Caroli Simplicis regis munere recuperauit. Ita quas publicæ rei clades a Normannis inferri senserat ingenti animi sui dolore, tot regum munificentia facile compensari gauisus est. *Tecta.*

Nihilo minorem in se Dei pietatem expertus est. Contractas humana imbecillitate animi labes, excoctas diuturna grauiorum morborum molestia prodidere scriptores. Mortalitatem reliquit V. Idus Ianuarias anni nongentesimi tertij, & in basilica S. Lamberti depositus est postquam annos duodequinquaginta rexisset episcopus & princeps sane magnus, siue genus, siue litteras cum pręstanti virtute conjunctas, siue rempublicam & feliciter difficillimis temporibus administratam, & magnis auctam opibus spectaueris. *Religiose moritur.*

Digitized by Google

Die decimo
B. GREGORIVS X.
ex archidiacono Leod. summus pontifex. *Transmosanus, Hocsemius, Platina, Onuphrius, Massonus, Molanus, Binius.*

CAPVT I.

Theobaldus in ecclesia Leod. canonicus & archidiaconus correpto acriter episcopo, secedere Leodio cogitur.

THeobaldus Placentiæ illustri Vicecomitum genere natus, Leodium quando, quaue de causa venerit, nusquam inuenio proditum: in hac certe ecclesia canonicus fuit, & Arduennæ archidiaconus: feruntque eius religione perpetuum vectigal addictum cereis S. Martyris Lamberti conditorio prælucentibus. Magna vir sapientia fuit, & rerum vsu; sed insigni potissimum integritate vitæ animique fortitudine infracta spectabilis. Huius edidit specimen sub annum millesimũ ducentesimum sexagesimũ.

Leodiensem regebat ecclesiam Henricus Guelder, ad arma vir aptior, quam sacra. Sua turpitudine cum vi conjuncta cum aliquando grauiter irritasset Pratanos ac Iupilios, (nobiles erant ea tempestate Leodij familiæ) qui magna fide hactenus episcopo adhæserant, magno numero postridie venerunt in principum canonicorum conuentum: publiceque tam pudendi facinoris accusarunt episcopum.

Eius sancta fortitudo. Nota erat hominis incontinentia: sed accusatione huiusmodi absterruerat potentia tanti principis. Audentibus Pratanis, quorum magnæ opes erant in republica Leodiensi, assurgere pariter animis ausi sunt cordati quidam homines, atque in primis Theobaldus: qui præsentem principem minime veritus, illo consessu, episcopi spurcitiam graui, intrepidaque oratione ausus est castigare. Sulturaria momentum non sustinuit Henricus: eoque loco episcopus, tanta laborans infamia, virum annis, genere, virtuteque venerabilem, pede impresso percutere non erubuit.

Noua injuria Pratanos accendit, vt stricto ferro Henricum inuaderent: occidissentque, nisi Theobaldus se medium objecisset; & perturbatos animos sedata oratione a sacrilega episcopi cæde reuocasset. Interea per auersam portam discrimini se subduxit Henricus. Theobaldus effrenem eius impudentiam vlla deinceps ratione compescere desperans, iramque adeo fortasse veritus in quodcumque facinus facile prorupturam, relicto Leodio sacram peregrinationem in Syriam suscepit.

CAPVT II.

Creatus pontifex, episcopum Leod. paterna suauitate studet ad meliora reducere.

DIem obierat Clemens IV. pontifex Romanus anno duodeseptuagesimo III. Kal. Decembres; distractoque in varias sententias cardinalium collegio grauibus jactata turbinibus, fluctuabat gubernatore destituta Petri nauicula. Ad concordiam cardinales reducere multi frustra tentarant: quando tandem anno primo & septuagesimo S. Bonauenturæ Minorum ministri generalis suaui eloquentia quasi compulsi, discussis factionibus, decretum scripserunt, quo Bonauenturæ potestas fieret renuntiandi quem vellet pontificem. Sanctissimum virum in omnem ecclesiam oculos circumducentem detinuit Theobaldi virtus, clarissimam sui spargens ex ipsa Palæstina lucem: ipsumque supremum ecclesiæ pontificem Kalendis Septembris designauit, quamquam de cardinalium collegio non fuisset. Illustre fuit illud eximiæ virtutis testimonium, a viro tanto, ad tantam & omnium supremam designari dignitatem.

ANN. 1271. A S. Bonauentura

Accepto

Digitized by Google

Accepto cardinalium decreto reliquit Palęstinam Theobaldus, vbi quamquam tempore modico, insigni tamen prudentia, & sanctitatis opinione rem Christianam promouerat. In Italiam vt rediјt, magna omnium gratulatione exceptus, Viterbium ijt ad cardinales. A quibus Romam deductus, VII. Kal. Apr. Christi vicarius Petri cathedram inscendit, Gregorius appellatus eo nomine X. DIE 10. dictus pontifex. ANN. 1272.

Ad regendam ecclesiam animo conuersus, primas ferme curas in Leodios intendit. Ecclesiam illam amabat, cuius pars, & e capitibus vnum adhuc fuerat; eamque multa sanctitudine nouerat venerandam. Quamquam enim litterarum, multoque magis virtutum expers esset episcopus Henricus, viros tamen litteris juxta virtutibusque claros, etsi non audiret ipse pro vita sua instituenda, in consilium nihilominus aduocabat, & non raro sequebatur, pro ecclesiastica re curanda. Verum vbi caput turpissima vitiorum ægritudine languebat affectum, sua corpori valetudo constare diu non poterat. Henricum serio commonefaciendum censuit Gregorius: dignasque pontifice litteras ad eum dedit, quibus episcopi munus primum grauiter describit, eiusque vim ad crediti gregis vel salutem vel interitum, pro pastoris studio vel negligentia: tum eius illa facta commemorat, quæ lupi verius crudelitatem, quam pastoris fidem & amorem probent. Detectis denique vulneribus saluberrima remedia suggerit, acria nonnulla, Diuini iudicij terrore; pleraque suauia, amore parentis filium ad frugem reuocantis. Lucem & publicum meretur epistola: sed absterruit proposita hic mihi breuitas. episcopum Leod. paterne arguit.

Aliud erat in oculis Gregorio malum, quod medicam pariter manum flagitabat. Exarserat pridem Venetos inter & Genuenses acre bellum, quod vtramque gentem, atque adeo vniuersam prope Italiam calamitatibus fatigabat, imo auocabat a bello sacro, in quod omni studio reliquus Occidens ea tempestate incumbebat. Feliciter cessit consilium. Adnitente vna Ludouico Francorum rege, quinquennales inter vtrumque populum pepigit inducias. studet Italiæ paci.

CAPVT III.

Celebrat concilium Lugdunense II. & in eo salutaria varia decernit.

SEdatiore iam Italia, ad majora vertit animum. Toto orbe Christiano conuentum Lugduni habendum indixit. Hæ mouebant causæ. Michaël Palæologus Orientis imperator pro ecclesia Græca ad Romanam reducenda colloquium postulabat. Bellum sacrum in Palæstina iam senescens, reparandum videbatur. Aduocauit inter alios Bonauenturam, & Thomam Aquinatem, hunc e S. Dominici, illum e S. Francisci familia, suorum ordinum, atque adeo totius ecclesiæ clarissima duo lumina. Proficiscentem Thomam Fossanouæ mors attinuit Nonis Martijs anni septuagesimi quarti. In ipso concilio Bonauenturam in cardinalium collegium adlegit quo grauius esset eius sententijs momentum. ANN. 1273.

Kalendis Maijs anni septuagesimi quarti conuenere non pauciores millenis patres, cum Græcorum & Tartarorum oratoribus. Ac quidem damnato suo errore de processione Spiritus Sancti, ecclesiæ Romanę se Gręci subjecerunt, his potissimum legibus: In sacrorum voluminum hymnodijs, vna cum quatuor patriarchis Romani papæ memoriam celebranto: cuicumque lubuerit, Romam veterem, ceu superius tribunal appellare fas esto: eidem principatus in omnibus defertor. Excepta est hæc vtriusque ecclesiæ concordia, ingenti omnium gratulatione, vtque perpetua iam tandem speraretur; postquam nimirum duodecies tentata, infauste duodecies soluta euanuerat. Sacrum vero bellum vt aleretur pro Palæstina retinenda, ecclesiasticorum omnium vectigalium decimas in proximum septennium imperauit Gregorius. ANN. 1274. Græcos ad ecclesiæ vnitatem adducit.

Vt occurreret præterea malis, quæ omnem ecclesiam vexauerant duos annos, nouemque menses, a morte Clementis IV. ad eius vsque creationem; decretum fecit, quo deinceps cardinales ad ferenda suffragia conuenturi, intra conclauis vnius angustias clauderentur; neque prius emitterentur, quam ecclesiæ pastorem vnum nominassent. Vim ex eo hunc in diem decretum obtinuit.

Cetera sapienter eo concilio constituta, non est instituti mei huc congerere. Petere potest

Digitized by Google

Henrico Gueldro citato

test lector e libro vj. in corpore juris canonici. Prǽterire non possum, quod ad ecclesiæ Leodiensis salutem perfecit. Henricum episcopum ab omnis honesti dignitate deuiantem, vt filium amantissimus pater in orbitam reducere studuerat: sed virtutis omnis, suęque dignitatis nulla fuit Henrico Gueldro cura. Impuræ vitæ nullum ponebat modum: non secus, quam si stimulos ad vitium litteris suis Gregorius pontifex addere voluisset. Ratus igitur acriore medicamento ad huius ecclesiæ salutem opus esse pontifex, episcopum ad synodum citauit.

Tergiuersari non potuit Guelder. Lugdunum profectus, oratores a Leodijs, Hoiensibus, Dionantijs, Tungris, Trudonensibus, Stabulensibus (apud hos enim etiam abbatem agebat) aduersum se cum accusationibus missos inuenit. Cohorruit, vbi causam adeo turpem in nobilissimo totius Christiani nominis consessu dicendam esse vidit. Sed turbabat maxime pontifex ipse; cui suam omnem vitam sciebat esse perspectissimam. Quare interrogatus a Gregorio, suane sponte mallet, an sententia iudicis episcopatum abdicare? sponte abdicauit: ita veniam sibi faciliorem arbitratus. Verum nullam mereri iudicauit illum pontifex: episcopatu spoliatum amandauit.

episcopatum abrogat.

Erat in eodem concilio Ioannes Enghianus, episcopus Tornacensis, vir genere, sapientia, virtutibusque illustris. Annis quinque tenuerat Tornacensem ecclesiam. Hunc episcopatu Leodiensi, Stabulensique abbatia donatum dimisit Gregorius Leodium cum ornatissima commendatione. Denique XVI. Kalendas Sextiles soluto conuentu, redijt in Italiam, consilio curandi apparatum sacri belli: ad cælum Deus euocauit.

CAPVT IV.

Moritur Aretij: miraculisque celebratur.

ANN. 1276. Pontificis sanctitas

ARetium ierat: in morbum incidit, atque ex eo in mortem IV. Idus Ianuarias anni septuagesimi sexti: & in S. Donati basilica cathedrali conditus est. Ecclesiam rexit annos quatuor, menses duos, dies decem, magna sanctitatis opinione, prudentia, fortitudine animi, humanitate, clementia, contemptu diuitiarum, simul & profusione in egenos, potissimum eos, qui ad sedis apostolicæ gremium confugiebant. Eximiam preterea tum prodidit integritatem, quando nulla generis, opum amicorumue gratia, sed vnius virtutis merito viros prestantes in cardinalium adlegit collegium. Nam in illis quinque, quos delegit, Bonauentura sanctis adscriptus est: Petrus Tarantasius ipsi Gregorio in pontificatum proxime successit, dictus Innocentius V. tertius ab hoc Petri cathedram inscendit Petrus Vlyssiponensis episcopus, & Ioannes XXI. appellatus est.

miraculis testata.

Æquo parciores fuerunt in commemorandis eius virtutibus scriptores: quas procul dubio egregias plurimis ornare prodigijs Deus voluerit. Nam seruatur, ait Molanus, in Aretina æde breuis commentarius miraculorum vi Diuina hoc anno perpetratorum, adscriptis testium nominibus: ad cuius calcem ista subnectebantur: Et quando hoc breue volumen plura complecti miracula non potuit: si quem cupido ceperit plenioris narrationis, adeat ad ædituum huius templi; qui non grauate producet libros miraculorum plenos, quibus beatissimi papæ Gregorij sanctimoniam testari Deus voluit. Ita Molanus. Audio agi hodie serio de solemnibus sanctorum honoribus ei decernendis.

Die duodecimo

STEPHANVS

abbas I. S. Laurentij. *Anselmus, Ægidius, Gesta abbatum S. Laurentij exhibita mihi ab admodum R. D. Gerardo Sany abbate.*

LEodij canonicus ad S. Dionysij cum aliquamdiu vixisset, religiosioris vitæ desiderio Virdunum secessit ad S. Vitoni, vbi egregiam animi sui virtutem certissimis

Digitized by Google

mis argumentis probauit. Quare cum inchoatum in Publico monte S. Laurentij monasterium perficere cogitaret Reginardus Leodiensis episcopus, illum iaciendis monasticæ fundamentis peridoneum commendante Herimanno comite, acciuit. Adfuit mox Stephanus, senosque adduxit monachos insigni religione spectabiles, quibuscum sacram illam deduceret coloniam. Venientem episcopus abbatem consecrauit præfecitque cœnobio: sed mox alio cogitationes auertit. DIE 10. ANN. 1026.

Cum forti gradu ad virtutis ardua nouellum suum gregem deduceret Stephanus, rerum necessariarum inopia laborare cœpit; nec spes in humanis erat vlla: omnem ergo reposuit in cælitibus; euentu prospero, vt solet: Pernoctabat aliquando ad S. Wolbodonis sepulcrum ardentibusque precibus B. Præsulem rogabat, ne quem in fidem receperat, suo præsidio locum destitueret. Succubuit longioris precationis labori religiosus abbas, fessumque caput manibus excipiens, leuem in soporem solutus est. Hic stitit se iuuenis ętate, cultuque corporis florens: qui se Wolbodonis missu venisse præfatus, illum bono iussit esse animo: in SS. Laurentij & Wolbodonis fide tutelaque locum futurum. Quem quamdiu inhabitarent, qui regnum Dei & iustitiam eius sincere quęrerent, cetera liberaliter illis adjectum iri. Argumento hoc tibi sit, inquit, *Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant*, episcopi mentem insigni eius turpitudinis pænitentia mox percellet: suarumque ipse noxarum expiationem exordietur ab hoc loco. Sed en vicinius aliud signum. Quem e familiaribus hodie Visetum ire iussisti, vt coëmendis necessarijs mutuam pecuniam sumat, inueniet qui a S. Wolbodone missus, gratis largiatur. Probata eodem die posterioris vaticinij veritas, spem de priori certam fecit. Viseti homo ignotus sexagenos probatæ monetæ solidos numerauit, deditque monacho. Episcopus breui post ad meliora mentem applicauit, & principio anni trigesimi post millesimum exstruere templum aggressus, opulenta monachis alendis addixit prædia. Facilior ergo deinceps abbati rerum cursus fuit. Monasterium omnibus ædificijs absoluit, vna cum S. Gertrudis curiali templo. Et postquam annos triginta tres magna laude præfuisset, mortuus est anno quinquagesimo nono, & ad pedes S. Wolbodonis sepultus. ANN. 1029. Ps. 103, 32.

ABBATES S. LAVRENTII.

1. HIs igitur auspicijs postquam velut è cunis eduxisset STEPHANVS celeberrimum illud S. Laurentij monasterium, æquum est illos silentio non omnino præterire, qui idem illud quasi per aliquos ætatis gradus ad eam quam hodie miramur & amamus, veluti maturitatem perduxerunt.
2. Secutus est autem proxime LAMBERTVS patria Coloniensis, magna litterarum cognitione, editisque scriptis inclytus. Obijt anno 1069.
3. EVERARDVS ante Florinensis monachus, factus hic abbas singulare prudentiæ ceterarumque virtutum specimen edidit, & mortuus est 1070.
4. B. WOLBODO anno 1075. regere desijt, a nobis alibi laudatus.
5. BERENGERVS substitutus est e priore Hubertensi. De quo suo loco memorabimus. Obijt anno 1113.
6. HERIBRANDVS S. Iacobi monachus suo item tempore a nobis celebratus, obijt 1132.
7. WASELINVS MOMALIVS humanitate animique candore & ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis. Obijt 1147.
8. WASELINVS DE FEXHE columbæ simplicitate, prudentiaque serpentis commendatus, litterarum amans fuit & peritissimus, nonnullaque reliquit ingenij sui monumenta. Mortuus est 1158.
9. WALTERVS. Obijt 1159.
10. EVERLINVS DE FOVZ domo nobilis, monachus S. Iacobi Leodij cum S. Thoma Cantuariensi postea præsule Parisijs operam litteris dedit: atque vbi accepit eum martyrio coronatum, aram in eius honorem dicandam curauit primus omnium qui simili illum honore coluerunt. Obijt 1192.
11. BALDVINVS. Obijt 1193.
12. GERARDVS virtute maturior quam ætate, monasticam disciplinam simul & rem familiarem cum strenue procurasset annis tribus & sex mensibus, S. Iacobi abbas creatus,

Digitized by Google

creatus, sexto post mense immatura morte sublatus est 1197.

13. OTTO PRATANVS olim S. Pauli decanus a nobis alias prædicatus. Obijt 1227.

14. IOANNES MAILLART a nobis suo loco memoratus cessit 1239.

15. HENRICVS DE HACCVRIA infulæ primus vsum anno 1240. a Gregorio nono obtinuit & mortuus est 1258. & hoc elogio notatus in sepulchrali lapide *Nigrorum flos monachorum.*

16. GERARDVS DE HERSTALLO. Obijt 1271.

17. ENOCH DE IVPILIA. Obijt 1291.

18. IOANNES PEVREAL Leodiensis dignitatem posuit 1297.

19. WERICVS e S. Nicolao in Glano dignitatem pariter abdicauit 1310.

20. GODEFRIDVS DE BRONIO authore Nicolao de Namurco pio proboque eremita condidit nosocomium S. Georgij in Tilleur. Obijt 1324.

21. ARNOLDVS DECAS abdicata dignitate moritur 1338.

22. ADAM S. Trudonis abbas successit & rei familiaris rationibus in melius restitutis ad S. Trudonem redijt & paulo post obijt 1330.

23. WALTERVS MACHARIVS e Stabulensi decano hoc est priore factus abbas huius monasterij magna laude rexit & mortuus est 1355.

24. IOANNES DE CLOYE ante monachus Eloyensis moritur 1362.

25. ROBERTVS DE GINIMONT monachus S. Huberti dignitatem abdicat circiter annum 1396.

26. STEPHANVS DE MARILLE Brabantinus moritur 1404.

27. HENRICVS ADÆ disciplinam, ædificia, remque omnem familiarem sapienter restaurat & moritur 1434.

28. HENRICVS DE CHERAT magno totius monasterij bono gubernat, & dignitatem ponit. Obijt 1461.

29. ARNOLDVS LOEN DE KEMEXHE priuatus obijt 1478.

30. BARTHOLOMÆVS DE LONGO CAMPO sui antecessoris munere & totius cœtus consensu susceptam prouinciam religiose rexit. Obijt 1504.

31. HENRICVS DE OREY Erardo Marcano Leodiensi episcopo & card. sua virtute commendatus. Obijt 1508.

32. IOANNES PEECKIVS Loscastrensis priscæ vir innocentiæ, & absque felle amaroris, omnibus percarus fuit. Pingendi artis peritus, plerasque tabulas sua ipse manu pinxit, quæ hodieque templum exornant. Obijt 1516.

33. IOANNES DE NOVILIA magnifico opere cenaculum & pleraque alia construxit, mortuusque est 1520.

34. GERARDVS ZVYLREVS Kempiniensis multa ædificia prouide instaurauit curauitque rem familiarem. Obijt 1558.

35. HENRICVS NATALIS ingenio, prudentia, omnibusque virtutibus præstans monasticam & œconomicam sapienter administrauit. Eo abbate templum & nonnulla ædificia Geusiorum flammis anno 1568. conflagrarunt. Abbas instaurationem aggressus, noui chori fundamenta iecit. Mortuus est 1577.

36. IACOBVS THOMÆ dignitatem posuit anno 1586.

37. OTGERVS LONCINVS monasticam disciplinam remque familiarem sapienter & religiose instaurauit, nouumque templum construxit. Et postquam ingenti monasterij bono, magnaque sua laude rexisset, annis virtutibusque grauis. Obijt 1633.

38. Tanti præsulis non indignus successor admodum R. D. GERARDVS SANY sedulo hodie regit nobile illud monasterium, monasticesque gloriam a majoribus partam prouide tuetur.

Die

Digitized by Google

Die decimo tertio

I. B. IVETTA clausa Hoiensis. *Hugo Floreffiensis.*

CAPVT I.

Iuetta nuptui tradita, ægre fert coniugij pondus.

NAta est Hoij Iuetta anno virginei partus post millesimum & centesimum quinquagesimo septimo. Parentes habuit ex ordine plebeio, opulentos magis, quam honesti amantes. Prior quippe fuit eis cura filiæ suæ ad rerum humanarum splendorem gradum struere, quam illam erigere ad cælestia. Vix attigerat annum ætatis decimum tertium: ambiri cœperunt ardenter eius nuptiæ, non propter opum dumtaxat magnitudinem, sed potissimum ob formæ præstantiam; quę sola fere spectant cæci mortales. Nec oculatiores multo fuerunt eius parentes. Honesto natum loco, nummatumque iuuenem nacti, in nuptias volentem nolentem illam conjecerunt. Auersabatur ea vincula, nec vmquam in illa se induisset, si suo arbitrio relicta fuisset Iuetta. Contra vim parentum stare, non fuit teneræ virgini animus. Nec tamen in eam partem animo concessit. Odisse cœpit, quod experiebatur iugum; eoque magis, quod excutiendi nullam spem videret. Infelicitatem ergo suam, suum seruitium deplorabat; vsque adeo, vt cum libertatem tum denique futuram intelligeret, si vir moreretur, id vero cœperit tota desiderare, eius vitam non leuius exosa, quam suam seruitutem. Quo scilicet pinguior gleba est, si defuerit cultus, eo vberius steriles dominantur auenę: ita prorsus vsuuenit Iuettæ. Quod animo virtutis semen Deus indiderat, in sentes, & vrticas pullulauit, quando culturam parentes neglexerant. Rerum humanarum fastidio debuerat ad cælestia assurgere; misere prolapsa est in grauem noxam, grauibus deinde pænis expiandam.

Inuite nupta

conjugium auersatur.

CAPVT II.

Ad meliorem vitam a Deo traducta, viro orbatur, assurgit ad altiora.

SVam diutius sine fruge sementem esse non tulit Deus: Diuini amoris sole excoxit. Quod enim impresserat fastidium earum deliciarum, quibus in conjugio fruuntur aliæ, id veluti lux illi fuit ad deprehendendam rerum omnium humanarum inanitatem. Intellexit igitur in vno Deo spes omnes, omnes delicias, & summam hominis felicitatem esse collocandam. Mera fuit illa Numinis beneficentia. Nec hoc ipsa merebatur nec cogitabat. Dante Deo, in aliam mox adeo mutata est, vt nec se caperet ipsa, nec alij quotquot ipsa familiariter vtebantur, neque maritus ipse. Quem ante mortuum optabat, eum iam amare, venerari, illi in omnibus obsequi, & pro viribus gratum facere studium erat. Tanto quippe in Deum amore ferebatur, vt nihil graue duceret, quod sciret ex eius esse voluntate. Omnis illi voluptas erat minus rectas animi appetitiones frangere, corpus inedia, vigilijs, flagris, sago cilicino domare, rerum Diuinarum meditationibus mentem pascere, cum Deo, cælitibusque sermocinari. Liberiorem nihilominus in cælestia volatum præpediebant matrimonij compedes: quibus ancillam suam expedire Deus constituit. Egerat in conjugio annos quinque: tres genuerat liberos, quorum vnus viuis abierat, quando virum mors sustulit. Tum denique reddita sibi, vel potius Deo Iuetta, cogitare cœpit quæ Domini tantummodo sunt, *vt esset sancta, & corpore, & spiritu.* Omnem ergo mundum muliebrem primum abjecit, quo de secundis nuptijs se consilia deponere testaretur. Tum acerrimo se ipsa bello petens, ferreis catenis corpus constrinxit, onerauitque plumbeis laminis in pectus & dorsum dependentibus. Victum ita moderari instituit, vt naturæ legibus obsecuta, voluptati minime seruiret.

Inopinantem Deus ad se conuertit.

Conjugio libera

1. Cor. 6.34.

in virtutem fectio incumbit.

Digitized by Google

DIE 13. Accroso plane vescebatur pane, cui præterea cineres inspergebat. Si quando apud amicos mensæ lautius instructæ accubaret, quo mortalium falleret oculos, vilissimum quemque cibum & a quo natura magis alias abhorreret, cupide sumebat, ceu in eo quæreret voluptatem & inueniret. Porro conuescentibus pia nonnumquam arte sic illudebat, vt ferme jejuna cum mensam relinqueret, sed hilari & serena fronte, opipare tamen epulata crederetur. Fallaces nimirum hominum oculos fallere amant pij homines, quo certius in se defixos Diuinæ pietatis oculos detineant. Ea fuerunt Iuettæ tirocinia.

CAPVT III.

Secundas nuptias generose respuit, & castitatem Dei parentis ope tuetur.

Reuocantem ad nuptias patrem non audit;

AD iustum & graue certamen illi veniendum fuit: & infensior is erat aduersarius, qui fere carior. Annum erat ingressa vitæ decimum octauum: forma erat præstantissima, honestissimis moribus, parentum admodum opulentorum exspectabat hereditaté. Quibus omnibus fiebat, vt quicumque illi bene velle profiterentur, ad alteras nuptias illam fortissime propellerent, ceu ad præcipuam aliquam felicitatem omnibus votis expetendam. Importune vrgebat in primis parens; ijsque omnibus machinis eius animum quatere connitebatur, quæ familiares in eiusce modi causis esse solent illis mortalibus, qui terrena solummodo sapiunt. At suauiore iam cælestium rerum imbuta dulcedine Iuetta, despiciebat constantissime, quæ vel a suscepto vitæ instituto deterrere poterant, vel ad nuptias retrahere.

non ipsum episcopum:

Vbi frustra suos omnes conatus esse pater aduertit, vim aliam multo potentiorem placuit addere. Radulfo episcopo perfamiliaris erat, cuius scilicet omnes rationes, & viciniora Hoio vectigalia procurabat. Eius hortatu & autoritate filiam sua sententia dimouendam credidit. Sed & frustra hoc fuit. Nam ad principem euocata id ætatis femina, concussa nonnihil animo est, vt primum in eum se dedit consessum, in quo erat cum frequenti nobilitate episcopus. Verum se mox collegit, vbi peti hoc intellexit, quod imis infixum medullis reuelli minus vellet, quam ipsum animum corpore. Ea constantia & votum suum episcopo aperuit, & certam de tenendo vitæ instituto sententiam, vt in aliam mox episcopus mentem mutatus, feminam ipse hortari cœperit ad meliora; pollicitus numquam se passurum, vt vlla deinceps illi super eo molestia crearetur.

& fortiter stat pro castitate

Erexit ea victoria Iuettam; sed non ab omni lucta, vel insidijs securam præstitit. Quidam defuncti conjugis agnatus, omnem se liberorum tutelam suscipere professus, apud Iuettam domi frequens erat: & seu consuetudine impuras animo flammas concepisset, seu ante conceptas colloquio & aspectu alere cogitaret, eo deuenit, vt turpem æstum comprimere non valens, verbo etiam prodere non erubesceret. Erubuit vero Iuetta, ibi deprehensa, vbi nulla mali cuiusquam suspicio illam tetigerat. Et statim velut a somno excitata, graui oratione hominis impudentiam ita castigauit, vt ad eam redire numquam deinde fuerit animus.

protegente Dei matre

Numquam tamen in eo belli genere non vigilandum. Sæpe resurgit ad pugnam, qui prostratus terram ore momorderat. Erat aliquando apud amicum Iuetta, noctem actura: superuenit ille cognatus sub ipsas tenebras, vt dimitti non posset. Aliquem latentis ignis saltem fumum verita illa, cum ad quietem singuli se reciperent, honestam secum virginem assumsit. Ceteris altum stertentibus, excubabant pro castitate hic Iuetta, ibi ille pro sua libidine. Qui quando tempus esse credidit, suspenso cœpit eam gradu quærere: iamque non procul aberat, quando Iuetta eius minime ignara, quas ad id tempus preces ad Deum protraxerat, ardentiore mentis connisu fundere cœpit, ne cælesti ope in periculo destitueretur. Neque vero destituit pudicitiæ præses fidissima Dei Parens. Eam ad se properantem vidit Iuetta, suauissima luce conspicuam. Sed eius conspectu indignus ille, venientis certe strepitum auribus percepit: subitoque perfusus horrore, trepide se recepit; neque reliqua nocte mouere se ausus est. Ita præsidio virginis omne periculum euasit; atque ad altiora virtutum posthac Iuetta conniti perseuerauit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Superatis præterea inferis, elephantiacis seruire aggreditur.

EXultabat Iuetta compresso omni secundarum nuptiarum desiderio, & triumphatis acerrimis castimoniæ hostibus: non omnino palmam inferi cessere; atque si extorquere non sperarent, victricem tamen feminam fatigare instituerunt. Rejectis scilicet illa omnibus alijs cogitationibus, cum tota ferretur in res Diuinas, eius ardori spatium pro voto dies non dabant: noctibus somnum abrumpebat, vt in templo concinentibus Dei laudes sacerdotibus adesset. Frendebat dæmon ab infirmiore sexu ac ætate se contemni. Terriculamenta per tenebras objicere cœpit. Horribiles ferarum formas ac voces, atrosque nonnumquam Æthiopas ad terrorem offerebat, nunc insano impetu incurrentes, iam hianti rictu vel vnguibus quasi laceraturos, aut vim aliam intentantes. Ac primum certe diabolicæ artis ignaram non semel eæ ludificationes terruerunt. Sed vbi denique autorem deprehendit, de illius imbecillitate certa, qui suis diffidens viribus alienos terrores emendicaret, risit inanes laruas, vnius Dei nixa præsidio, sine cuius nutu nihil possent conjurati omnes in aduersum inferi. Constantiam ergo tenuit in proposito. *Dæmonis fraudes eludit.*

Imo (quę sinceræ virtutis indoles est) cum ad altiora semper niteretur, in noua virtutũ schola exercere se cõstituit. Tenera ferebatur in egenos caritate: eaque miseris hominibus impendebat officia, quæ poterat, & quæ non poterat. Nam eorum malis ea subinde profusione subuenit, vt domesticæ omnis supellectilis reliquum nihil sibi faceret, intimamque adeo subtraheret lineam vestem. Nulla quippe re poterat animo suo facere satis, quam Christo sponso suo fieri pro certo habebat. Quamobrem postquam a viri morte quinquennium effluxerat, majus aliud aggreditur. *In egenos pia.*

Infra vrbem Hoiensem, sub arduo monte, in læua Mosæ amnis ripa, paruum erat, & vectigalibus tenue nosocomium, elephantiacis Christiana caritate curandis. Hic arenam sibi Iuetta delegit: hic cum diuitijs, honoribus, delicijs certare placuit; & ea propitio Numine debellare. Magnis opibus, & honestissima specie femina viginti trium annorum, pauperem in domum, & humanis omnibus præsidijs ferme destitutam, elephantiacis ministratura se abdidit: aut potius in publicum, & claram lucem prodijt. Nec enim abdita latere potuit illa virtus, quæ eiusmodi feminam abijciebat non tantum ad seruilia, sed & illa, a quibus abhorret quam maxime hominum natura. Pauperibus, & miseris hominibus putida lue infectis, parare cibos, in os ingerere, manus & pedes lauare, tergereque, sternere lectos, mundare lintea, cubicula verrere, solemne illi, imo voluptas fuit Christi causa. Eoque suiipsius despicientiæ & odij deuenit, vt eadem infici lue peroptaret. Atque optato vt frueretur, cum elephantiacis agere cœpit familiarius, eos lecto surgentes, & decumbentes manibus sustinere, eodem cum illis cibo, potuque vesci, ijsdem, quibus vsi fuerant illi, lineis vestibus vti, eadem, qua lauerant illi, suum corpus aqua proluere. Hoc æstuauit desiderio illius causa, quem olim putauerunt, nostri amore *quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.* Illo contentus suæ sponsæ desiderio Deus, prẹmium in æternitatem parauit: sed & tantæ virtuti famam inter mortales ac honorem. Nam & integra semper corpori sanitas mansit, & celebrari cœpit longe lateque Iuettæ sanctitas, multosque ad spectaculum excire, imo ad morum correctionem. Et nonnulli quam mirabantur vitæ integritatem, per nobilem humanarum omnium rerum contemptum imitari studuerunt. *Elephantiacis ministrat,* *eaque lue cupit infici.* *Isaiæ 53. 4.*

CAPVT V.

Parente ad sanctiorem vitam traducto, ipsa se tuguriolo claudit: & ad meliora pariter filium adducit.

MVltis eius opera saniora sectantibus, vnius maxime recta consilia Iuettam recrearunt. Pater is fuit: cui vt corporis vitam debebat filia, sic meliorem animæ vitam precari non cessabat. Obtinuitque tandem. Filiæ propositum, quod non leuiter

 ipse

Digitized by Google

DIE 13. ipse primum impugnarat, admirari mox, & suspicere cœpit, tum etiam amplecti constituit. Tuguriolum construxit ad latus ædiculæ nosocomij in quo degebat filia, quod incoleret ipse, pedem numquam in posterum elaturus, ne ad sacra quidem mysteria frequentanda: per fenestram quippe prospectus erat in sacram ædem, cui contigua erat casa. Multis commune fuit viris, feminisque hoc vitæ institutum illa tempestate; perseuerauitque ad patrum memoriam: Clausi dicebantur.

Pater tuguriolo se claudere cogitat:

Aggressurus hoc viuendi genus, cum episcopo mentem aperuisset, sine cuius facultate nihil poterat; vt qui res illius sibi creditas diu administrasset; probauit ille quidem sanctioris vitæ desiderium; sed cum eius imbecillitati diffideret, autor fuit, vt animi corporisque vires in Nouo-monasterio aliquamdiu periclitaretur. Monenti paruit ille. Verum ferre non potuit, quam ex episcopi præscripto sui rationem haberi, & se mollius tractari aduertit. Ad filiam igitur abire constituit. Sed cum in memoriam redijsset votum Compostellanæ profectionis, ea religione se prius soluere statuit. Fecit. At sanctiore tum mente diuinitus injecta, Villarium se recepit: vbi Cisterciensem professus disciplinam, expiatis magna seueritate prioris vitæ noxis insigni sanctitate vitam egit.

immo Villarium se recipit:

Eos producebat fructus Iuettæ virtus: & decimum iam annum insigni vitæ integritate posuerat in eo nosocomio: quando ducente Deo altius vitæ genus sectari amauit. Quod parenti suo parauerat, ipsa tuguriolum ingressa est, & illo se clausit, vt liberior animus religiosis commentationibus per immensa rerum Diuinarum spatia se efferret. Fecit euentu mirabili sancta femina, non aliter ac omnium terrenorum oblita. Sed matrem se esse non potuit obliuisci.

ipsa tuguriolum intrat.

Filiorum alter, magno matris solatio, generose Cisterciensem in Aurea valle amplexus erat disciplinam; & abbas postea viuente matre creatus est. Alterum iuuenilis ardor ad noxiam abripuerat libertatem. In rationis orbitam salutaribus monitionibus sæpe pia mater reuocauerat: sæpe filius pro indita leuitate resilierat; peruicacius nonnumquam rejecerat sana consilia. Tandemque etiam quo obstrepentis (vt quidem ajebat) importunitatem effugeret, hereditatis portionem extorsit, & vertere solum amauit. Fugientem a se filium minime deseruit optima parens. Secuta est fusis ad Deum pro eius salute precibus; & ad se, imo ad Deum retraxit.

Filius insolescens

Descenderat Leodium, & velut excusso iugo liber exultabat iuuenis, breui post ad exteras regiones abiturus. Noctu forte dormienti horrendum, sed euentu felix visum Deus obtulit. Christi iudicis tribunali visus est sisti, eiusque condemnari sententia. Concurrerunt mox crudelissime sæui tortores, qui post diros cruciatus animam exprimere nitebantur. Donec adfuit a judice, qui in piæ parentis gratiam denuntiaret ampliationem, resipiscendique spatium tres annos indulgeret. Vix sibi redditus est iuuenis. Inhęrebant animo, & sentiri videbantur, quæ objecta fuerant dormienti tormenta. Ab his in alia cogitationes distracturus, vrbem obibat, quando medio foro occurrit ignota, sed honesta facie femina; &: Heus iuuenis, ait: ad matrem abi: te conuentum desiderat. Nec audijt ille plura, nec eam diutius vidit. Numinis ergo credidit imperium esse. Ad matrem reuersus, & nouam eius ducatu vitam exorsus, paulo post in Cisterciensi Trium fontium familia monasticen professus est, & ad raram vitæ sanctitatem peruenit. Ita sancta mulier, quamquam tuguriolo clausa, non sibi dumtaxat, sed & filio, pluribusque alijs salutem promerita est.

horrendo viso terretur,

& fit Cisterciensis.

CAPVT VI.

Occulto peccato absoluitur, patrocinio Dei parentis: ex quo valde proficit.

QVantum caliginis est in humana mente! Sæpe tenebris tum oppletur, quando in clarissima se versari luce credit: & qui ad altissimum virtutis enititur fastigium, non raro secum, quamquam ignarus, graue vitij jugum effert: quod etsi hominem Diuinæ puritati non faciat inuisum, aliquam tamen reuera labem inspergit. Sed intaminatam voluit bonus Deus sponsam suam Iuettam. Imprudenti conjugij odio, mortem marito non semel optasse narrauimus: quod nulla expiatum pænitudine putat Hugo Floreffiensis, cum eius animi oculos alias perspicaces fugisset. Videri voluit Diuina pietas, & elui.

Noctis

Digitized by Google

Noctis meliorem partem religiosis precibus lacrymisque transegerat, quando in somnum soluta, videre sibi visa est mirabili conspicuum majestate Christum Dominum cælo descendentem ad jus dicendum. Discussa iam multorum causa, grauiter accusari cœpit Iuetta, nec poterat inuenire, quo se purgaret. Aduersam ergo sententiam judex pronuntiaturus videbatur: judici vidit assidentem omnis clementiæ parentem virginem Mariam. Hanc oculis, hanc animo (nec enim aliter posse videbatur) sibi asylum designat. Illa ad filij pedes prouoluta, trepidantis & sibi diffidentis Iuettæ causam sic egit, vt iudicem quamquam ægre primum, & multis reluctantem flexerit ad clementiam. Tum a matre adductam ad se Iuettam, impresso suauiter osculo consolatus Iudex, matri commendauit, vt suo deinceps præsidio filiam suam protegeret. Ita rem ab illa sibi narratam testatur Hugo Floreffiensis.

DIE 13. Occultum peccatum diuinitus edocta

ope B. Virginis

Salutarem porro timorem eo viso concepit ipsa, nec vmquam animo dimisit. Oculis plus quam lynceis agendas res omnes, actasve discutere cœpit, & ibi errata damnare, vbi næuum vel leuissimum aliorum nemo deprehenderet. In maximum ex eo sui contemptum venit: nec vmquam pro noxarum grauitate (vt quidam ipsa censebat) satis se demittere visa est; sed in omni congressu, aliorum pro se preces obnixe flagitauit. Cibi porro, potusque (qui fere fontana fuit) ea parcitate vsa est, vt prostratis sensim viribus, rigorem eum temperare jussa sit eorum imperio, quibus Christi nomine sibi parendum esse statuerat.

pœnis sponte expiat.

CAPVT VII.

In Diuina non raro abripitur.

QVo majore seueritate corpus affligebat, aut insigni sui despicientia res omnes humanas auersabatur, hoc altius ad cælestia animum attollebat. Terrenis enim curis expeditas hominum mentes, in puriorem Diuinorum contemplationem inducere Deus consueuit. Iuettam quousque euexerit, quæ illi aperuerit arcana, eius modestia occuluit. Pauca diligenter collegit Hugo Floreffiensis, quæ miram feminæ sanctitatem significent, cælestiumque rerum peritiam.

In cælum aliquando terris abrepta, cingi visa est veluti stipatoribus longo ordine genijs cælestibus, nouem in dextro latere, in læuo nouem; duobus scilicet e singulis illorum ordinibus. Illam hi vestibus multo auro contextis, monilibusque mira gemmarum varietate contextis exornarunt. Quæ quidem distinctos angelorum ordines, nomina, ac munia; gemmarum item nomina, vim, varietatemque cum ignoraret, (vt ea mulieribus familiaria esse non solent) in eo nihilominus mentis excessu, claro hæc oculo perspexit, didicit. Hoc ornatu ijdem angeli ad ipsius Dei solium illam euexerunt. Vidit hic & audiuit *arcana, quæ non licet homini loqui.* Certe ipsa quamquam sæpius rogata, numquam animum inducere potuit, vt quæ viderat, aperiret. 2. Cor. 12. 4.

Ex ipsa quærebatur alias, an hominis mens in Deum abrepta, carorum meminisse posset, atque adeo illos sponso suo commendare. Potest, inquit illa, quod vult Deus; & præterea nihil. Illi quippe nexu tam arcto iungitur, vt vnus cum illo spiritus facta, omnium quæ extra ipsum sunt, atque adeo sui ipsius quodamodo obliuiscatur: imo fastidio sit, quidquid Deus non est. Sæpius interrogata quæ cognouisset arcana sanctissimæ Trinitatis: respondit tam sublime, & supra hominis mortalis captum esse mysterium illud, vt omnino paucis expediat in illa secreta se penetrare, ne imprudentes Majestatis scrutatores opprimantur a gloria. Ægre quippe fieri, vt quem Diuina aliqua vis supra humanam conditionem ad celsiora illa mysteria purius contemplanda euexerit, demittatur postea rursum ad hæc inferiora: tantamque subinde luctam esse, vt corporis viribus attritis, vitæ periculum non leue immineat. Certe alias cum negaret solitam se mentis aciem attollere in sanctissimam Trinitatem, sed potius detineri se in mysterijs humanæ Christi naturæ; notarunt tamen non raro qui cum illa familiarius agebant, cum ab altiore aliqua contemplatione sibi restitueretur, tantam aliquando vim esse passam, vt impatiens doloris, & vehementer æstuans, exclamare cogeretur. Sanctæ mulieris silentium pauca hæc fecit obscuriora, præsertim ijs, quibus nullum est cælestium experimentum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Multis ad meliora adductis, nosocomium amplificat.

Nosocomiũ auget ædificijs, facultatibus disciplina.

LVx est splendidissima Deus: cui quo familiarius jungebatur Iuetta, eo lucidiores virtutum radios euibrabat, inuitabatque suauiter ad imitationem familiares. Verum pijs multorum desiderijs officiebant habitationis angustiæ: quas ea de causa laxare placuit. Amplas igitur ædes, magnificumque templum non modo construxit, sed & illis instruxit vectigalibus, quæ satis essent ęgrotis Christiana caritate curandis, alendisque pluribus mortalibus, qui virtutem insigni studio sectarentur, & in res Diuinas vel peragendas, vel concinendas incumberent. Aggressa est porro rem tantam, non magnarum opum, sed Diuinæ munificentię fiducia. Eius enim amici, & qui rei familiaris rationes omnes perspectas habere se credebant, affirmare soliti sunt, ignorare se prorsus quibus, nisi Dei auxilijs, tantum opus perfecisset. De his omnibus antea diserte vaticinatam esse constabat.

Præcipuum porro sanctę feminæ studium, & prima cura fuit, spiritualibus substructionibus domum Dei siue ecclesiam exornare: hoc est mortales concitare ad animas virtutibus excolendas. Et fecit euentu adeo secundo, vt præfixę mihi breuitatis cancellos prætergrediar, si singulos ex vtroque sexu persequar, qui eius consilio & quasi ductu vel a vitæ turpitudine resilierunt, vel ad virtutis apicem felici nisu contenderunt. Fauit nimirum Deus, & prodigijs non paucis pia feminæ studia promouit. Non enim suauem dumtaxat, & vehementem ad permouendos animos suadam indidit, aut sanctis vitæ exemplis vim impressit trahendi ad imitationem: sed etiam absentia, imo futura, adque adeo intimos animorum recessus perspiciendi facultatem concessit. Quibus fiebat, vt denuntiatis periculis a malo deterreret alios, alijs dexteram porrigeret ad emergendum, faustum aliis animæ statum cum detexisset, eos ad meliora hortaretur ac perduceret, alios denique longe plurimos promissis e cęlo subsidijs, ostentatisque beatę immortalitatis pręmijs ad altiora excitaret.

Abundum incitat ad bonum

Pulcherrimus conatuum eius fructus fuit Hoiensis quidam iuuenis Abundus, qui sanctis monitionibus obsecutus, cum ad monasticen animum applicasset, egregia vitę sanctitudine Villarij floruit. Non pauci alij, qui Iuettam sana monentem respuerant, inopinato plerumque occupati interitu, pęnas dederunt. Diuinæ enim pietatis neglectum grauior pæna persæpe consequitur.

CAPVT IX.

Diuinitus præmonita, religiose moritur.

Studiose cõparata

VIrtuti suum adest pręmium serius, ocyus. Beatam animam feliciter Iuetta exhalauit idibus Ianuarijs anni supra millesimum & ducentesimum vicesimi septimi, postquam annos sex & triginta tuguriolo clausa, vitam egisset integerrimam. Edocta diuinitus extremum instare diem, viribus omnibus connixa est, ea vt perennarent, quę ad Dei gloriam aggressa erat. Imo pectori omnium maxime inhęrebat cura virginum, aut feminarum, quas Christo genuerat, & incitauerat ad retinendam vitæ innocentiam. Et quo breuius superesse spatium intelligebat, hoc sæpius ardentiusque modo vniuersas publice, modo priuatim singulas aduocabat, & ad tuendam in sancto proposito constantiam, audendaque semper majora cohortabatur. Quibus cum acrius sui desiderium accendisset, rogareturque a sodalibus, longiorem vt vitam obtineret, quo diutius illas & ad altiora salutaribus monitionibus propelleret; animum testata est in vtrumque paratum, seu ponenda esset vita, seu longius producenda ad illarum vtilitatem: at malle se cuicumque Numinis volũtati totam permittere, quam suum sequi arbitrium.

mortẽ obit

Cum diem mortis, atque adeo horam prędixisset, adfuturumque cum Virgine matre Christum Dominum, qui exciperent animam, & in cęlum deducerent: illo quidem puncto temporis animam exhalauit; omnes vero quotquot aderant, ita repentina mirabilique suauitate perfundi mentem senserunt, vt præsentis Christi, sanctissimæque Matris id esse testimonium nemo dubitaret.

Accessit

Digitized by Google

Acceſſit & aliud profectò mirabile. Vt primum exſpirauit, conuolauit ad tugurioli feneſtram innumerabilis auium multitudo; & quamuis hiberna intemperie rigeret aër, vehementibuſque ventis, ac prægelida pluuia horreret, ſuauiſſimum edidere concentum, quamdiu in mortis ſignum ſonuere æra campana: at ſimul conticuere, poſita mox omni tempeſtate, pura cęlo redijt ſerenitas. Credita ſunt elementa ſanctiſſimæ feminæ primum mortem lugere, tum de eius gloria gratulari. DIE 13. diuinitus ornatam.

II. SEVOLDVS abbas IV. S. Huberti. *Ex his quæ ad me R. D. Romualdus Hancart ibidem monachus miſit de ſententia admodum R. D. abbatis ſui Nicolai de Fanſon.*

CVm S. Macuardus Hubertenſem abbatis dignitatem iuſtis de cauſis abdicaret anno poſt Virginis partum octingenteſimo triceſimo ſexto, Seuoldum ſibi ſucceſſorem dixit. Præſtantem illius virtutem vt aliud nihil euincat, argumento ſit tanti viri iudicium. Verum etiam aliud audi a diſciplinæ integritate, quam Andaini floruiſſe accepimus anno triceſimo ſeptimo. Fœdis imbribus labeſiebant in agris ſegetes, diraque fames ab omnibus metuebatur, niſi opem ferret diuina pietas per S. Hubertum totius regionis præſidem optimum. In hoc vno ſpem omnem vniuerſi collocabant, ſalutemque ſibi pollicebantur, ſi ad Diui ſepulcrum ſupplicationes vterque ſexus inſtitueret. Verum is tum erat Andaini diſciplinæ rigor autore Seuoldo abbate, vt viris laicis rariſſimus in domus ſepta pateret ingreſſus, feminis etiam in templum nullus, niſi ipſo S. Huberti feſto die. In tanto omnium diſcrimine rigorem illum temperari poſtularunt accolæ. Re tota maturo conſilio perpenſa, ægre, ſed tandem annuit Seuoldus; ea tamen cautione, vt ſtructis ordinibus ſupplicantium ritu prodirent venientibus obuiam monachi, totamque multitudinem in templum deducerent, ne quid fortaſſe debitam templi ſanctitati venerationem obturbaret. Indicto igitur ieiunio, nudatiſque pedibus adfuere præſtituto tempore ſupplicantium agmina. Poſtulatiſque Deus liberaliter annuit. Nam & cælo ſerenum derepente redijt; & longo poſt tempore nulla terræ frugibus noxia tempeſtas deſæuijt.

Aliud anno quadrageſimo primo prodigium accidit, quod illos iure abſterreat, qui eccleſias injurijs laceſſere non erubeſcunt. Comes quidam Odo nomine S. Huberto dicauerat opulenta quędam prædia aſſentientibus nepotibus Goderanno, Harcario, & Beremundo. Sed ea defuncto patruo ſibi vindicauit Goderannus, negauitque ſe vllum prębuiſſe conſenſum: & Seuoldum ab iniuſtitia reuocantem ſępe rejecit. Ad monaſterium forte aliquando venerat: exceperunt officioſe monachi, illique ad menſam inuitato eulogeticos panes, hoc eſt cum ſacra pſalmodia proprijs efformatos manibus & ſolemni ritu formulaque ſacratos obtulerunt. Ille vt erat mente a ſacris aliena, ſuſpicatus non alio conſilio officia hęc deferri, quam vt ablata reſtitueret, propoſitos ſibi panes canibus objecit, cohorrentibus ad eam impietatem comitibus, ipſumque etiam ab illa dehortantibus. Canes alias famelici ſacrum panem non attigerunt. Ceteris ad miraculum attonitis, contempſit vnus Goderannus, & abijt. Conſecuta mox Numinis vltio, hominem immani viſcerũ torſione cruciauit. Punientem Dei manũ agnouit infelix; miſit ad Seuoldum, qui eius nomine occupatis prædijs renuntiaret: & ſtatim poſuit illa dolorum acerbitas. Quod in pio propoſito confirmare hominem debuerat, eo noxiam ipſe libertatem arripuit. Nam apud fratrem, qui audito caſu mox aduolarat, ſe ipſe damnauit ſuæ leuitatis, qui adeo temere ſuis ſe bonis exuiſſet: at certe rem haud ita ceſſuram. Vix ore verbum hoc eruperat: ecce renouatus dolor fauces intercipit, vt non tam voce, quam incondito ſtridore exclamaret, monachorum eulogijs ſe ſtrangulari. Atque inter eiulatus infelicem exhalans animam, eccleſiæ ſua libere poſſidenda reliquit. Sacrorum contemptus ſeuere punitus.

His Dei beneficijs inſignita eſt Seuoldi pręfectura: quam poſt annos nouemdecim felici morte Deus compenſauit illius ſæculi anno quinquageſimo quinto.

TIET.

Digitized by Google

III. TIETFRIDVS.

abbas XX. Trudon. *E commentarijs, quos dedit admodum R. D. Hubertus de Suetendael abbas S. Trudonis.*

CReatus abbas anno Domini nongentesimo sexagesimo quarto cum eximia clareret morum sanctitudine, monasticam disciplinam ad illustrem prouexit nitorem. Eo quippe grex non ęgre sequitur, quo religiosis exemplis bonus pastor præiuerit. Virtutem vero Deus etiam inter mortales non deserit. Res ergo familiaris hoc abbate magna cœpit incrementa.

Anno sexagesimo septimo illustris matrona Bertha Flandriæ comes Virginem-Matrem Aquis venerata cum domum rediret, ex itinere diuertit ad S. Trudonis. Vbi cum paucos dies curando corpori dedisset, graui inualetudine tentari cœpit. Aduolauit mox vt audijt filius Arnulfus Flandriæ marchio: roganteque matre (quæ se morti proximam cum intelligeret, superorum auxilium sibi cōciliare satagebat) S. Trudoni opimos agros addixit. Ipsa magna animi pace vitam posuit XVII. Kalendas Sextiles, & sepulta est in vetere crypta, sed Adelardo II. abbate in superiorem chorum educta ad majoris aræ sinistrum cornu.

Cum insigni studio totos triginta annos asceseos splendorem procurasset Tietfridus, anno nonagesimo quarto Idibus Ianuarijs, vt vixerat, religiose mortuus est.

Die decimo quarto

I. THEODARDVS

conuersus Villariensis. *Chronicon Villar.*

EIus virtutem, felicemque in monastica disciplina progressum multis commendari in eo libro, qui *de claris luminaribus cœnobij Villariensis* inscribitur, ait Chrysostomus Henriquesius in menologio Cisterciensi; sed prodigijs etiam Deus celebrauit. Pridie illius diei, quo Virginem matrem in cælum assumtam veneratur ecclesia, mensæ in villa forte cum sodalibus accubabat, ecce grauiter ingemiscens, vberrime cœpit flere, & mox in effusum risum solui. Remotis mensis ex eo seorsim villæ præpositus sciscitatur, quam flendi causam, quam deinde ridendi habuisset. Ad hæc ille: Vnum de nostris sodalibus Villarij moriturum vidi cilicio insterni, dæmonesque tanta multitudine concurrentes, vt vel ipsas dormitorij tegulas numero superarent: quo spectaculo lacrymas tenere non potuit. Verum vbi dato signo conuenit vniuersus sodalium cœtus, & cœpit preces fundere: illi statim se in trepidam fugam adeo certatim auerterunt, vt angustior illis porta videretur: & hoc mihi risum mouit. At vero cum a monachis insonuit illa antiphona *Subuenite Sancti Dei*: morituro occurrit gloriosus exercitus vndecies mille virginum & martyrum ducente S. Vrsula, quas ille pręcipua veneratione coluerat: earumque præsidio cælitum choris adscriptus est. Ita narrauit Theodardus: pluraque alia e cęlo arcana non infrequenter didicit; Deo illius virtuti testimonium ferente. Ac denique vt vixerat religiose mortuus est.

II. SANCTIMONIALIS ANONYMA

Argentonensis. *Ex ijs quæ ad me scripserunt, & coram testatæ sunt R. D. Catharina Malnæa abbatissa, aliæque virgines eiusdem monasterij.*

QVemadmodum illius nomen, sic ætas qua vixit, & virtutes quibus claruit, a majoribus proditæ non sunt. Eximia tamen ad posteros illius opinio deuenit. Fiduciæ in Diuinam pietatem præclarum habemus exemplum. Terræ vitio, cæliue intemperie

perie pariter obuenerat aliquando messis & ex eo fames per omnem prouinciam grassabatur. Sub Idus Ianuarias absumta ferme iam Argentoni erat tota annona.

Religiosa hæc virgo vt horreo præfecta erat, malum præsentiens, petendam a supremo patrefamilias opem censuit. S. patriarchæ Iosephi simulacrum nacta, in horreo collocauit, insigni fiducia Deum precata, vt qui veteris patriarchę sapientia quondam Ægyptum liberauerat dira fame, eiusdem modo suffragijs deuotę sibi familię subueniret. Audiuit certe Deus precantem. Petitum e horreo frumentum numquam defuit : imo crescere visus est cumulus, & affatim ad proximam vsque messem alendæ toti familiæ suffecit. Dei beneficentiam nemo non agnouit: omniumque voluntate decretum est, vt omnibus deinceps annis Numini gratię referrentur. Ad nostram hanc ętatem vsurpatur. Solemne carmen *Te Deum laudamus* cum antiphona *Ioseph ductus est in Ægiptum &c.* XIX. & XVIII. Kalend. Februarias ab vniuerso virginum cœtu concinitur. De ipsa virgine plura non habemus: meliores religiosarum virtutum manipulos in cęleste horreum intulisse creditur.

Egregia complura religionis specimina produxit olim sacrum hoc gynæceum, hodieque producit. Vt non immerito seriem antistitarum, quę tantam virtutem excoluerunt, lector hic, nec opportunius alibi requirat. Libens obsequar, quantum fauebit antiquitas: nam temporum iniquitates memoriæ nonnullas subduxerunt.

ABBATISSÆ ARGENTONENSES.

FVit primitus hic religiosarum virginum cœtus in Grandi valle propter Flerucum. Sed egestate prima monastices germina suffocante, Guilielmus Harentonius sanguine comiti Namurcensi propinquus illas ad se sub annum 1230. Argentonum euocauit : vbi

1. MECHTILDIS abbatissam prima egit; neque proditum est quamdiu : & quæ proxime successerit, ignoratur.
2. MARIA regere cœpit anno 1280. & mortua est 1306.
3. MARGARETA DE NAMVR obijt 1336. Post quam hiatus rursum est ad annum vsque 1380 : quo
4. MARIA DE GEMBLOV creata est abbatissa, ferturque rexisse octoginta sanctimoniales. Illo tempore hostilibus flammis totum cœnobium conflagrauit. Obijt ipsa 1418.
5. MARIA DE GENTINNE anno 1430 sibi substituit Nicasiam de Harby, & octauo post anno mortua est.
6. NICASIA DE HARBY vniuersum monasterium flammis, vt diximus, absumtum ædificijs instaurauit : & (quod iure magis laudaueris) ad primæuum disciplinæ nitorem reuocauit. Mortua est 1452.
7. CATHARINA DE HERKE obijt 1468.
8. IOANNA CROKINNE obijt 1506.
9. IOANNA D'ALLENNE obijt 1526.
10. HELENA D'ALLENNE alterius soror multa prouide construxit, & mortua est 1536.
11. CATHARINA TERMONDE ædificijs etiam monasterium ornauit, ac sibi substituit Annam de Rubempre.
12. ANNA DE RVBEMPRE obijt 1558.
13. IOANNA REMY cum insigni virtutis opinione mortua est 1574.
14. FRANCISCA DE VERNEMBOVRGHE eximia fuit religione, multisque aduersis exercita. Monasterium ab Hollandis incensum cum instaurare cœpisset mortua est 1612.
15. Quę secuta est R. D. CATHARINA MALINEA nouum cœnobium ędificare aggressa, feliciter absoluit: quodque multo potius est, reuocata prima legum obseruantia magnum religiosę disciplinę splendorem addidit, & quotidie indefesso studio pergit augere. Sancta consilia promoueat Deus.

Die decimo quinto
S. MAVRVS
eremita. *Manuscripti Hoiens. Molanus.*

SOlemnibus sanctorum honoribus B. Maurum colit & veneratur ecclesia Hoiensis, cuius facta, ętatem ipsumque adeo nomen ignorat. Mortuum in lucem venisse aiūt, tum singulari Numinis beneficio vitę redonatum: & cum sacro baptismi fonte tingeretur, Mortui-nati nomen fuisse inditum. Nullus tamen nominis illius hodie vsus est. Eruditiores aliqui Sante-mortuum appellant; S. Mortuum plures; at S. Maurum longe plurimi.

Humilitate excellit. Vt adoleuit Maurus modestiam in primis, & reliquam morum honestatem amplexus est. Rara sui demissione rusticanis hominibus operam aliquamdiu primum nauauit. Sed purioris deinde consuetudinis cum Deo ineundæ desiderio, vitare hominum congressus, & anachoresim in saltu Andanensi profiteri cœpit: atque in cœpto fortiter ad vsque mortem constantiam tenuit.

Cum aliquot diebus, pręter quam solitum erat, a vicinis colonis non videretur, metus vel suspicio orta est de eius morbo, aut etiam morte. Siluam ergo ingressi, dum singula inuestigant, exanime corpus inueniunt. *Eius sacrum corpus diuinitus Hoium aduehitur.* Quod Andanam vehere dum cogitant, nullis equi stimulis aut flagellis eo impelli potuerunt: at in viam Hoiensem conuersi, sponte sua mox iter arripuerūt; nec vsquam ante substiterunt, quam vrbem ingressi, ad S. Ioānis Euangelistę peruenissent. Ex Numinis ergo voluntate (sic omnes interpretati sunt) ibi humo mandatum est sacrum illud depositum. Quo die vel anno Maurus viuis excesserit, non liquet: atque adeo neque quo vixerit sęculo, aut quam diuturna fuerit illius vita. Vltimę tamen ętatis senem faciunt pictores: quique S. Mauro abbati dies sacer est, eumdem & huic ab antiquo consecrarunt, non alia quam communis nominis ratione.

Ea quandoque fuit etiam sacrorum in antiquitate negligentia, quę minoribus quidem illustria inuidit majorum exempla: non suum tamen semper virtuti honorem detraxit. Consecutus est insignem in populo Hoiensi S. Maurus, Diuino Numine illius apud se gratiam multis prodigijs testante. Præcipua eius eluxit beneficentia in illos, qui calculo laborarent, capitisve dolore, aut dentium, vel tibiarum. Plurima gratitudinis ergo appensa sunt olim anathemata, quando majorem populi religionem frequentioribus beneficijs Deus compensabat.

Et in hunc diem prodigijs celebratur. Eam a veterno suscitare voluisse videtur hac ętate nostra. Kalendis Septembribus anni supra millesimum sexcentesimum decimi quarti cum assiduis imbribus Hoiolus amnis sic intumuisset, vt totum pauimentum templi S. Mauri perlueret, sancti sepulcrum nihilominus non attigit, multo minus in illud penetrauit, quamquam rimis non exiguis pateret. Censuerunt tamen periti latomi re ad libellam expensa, debuisse aquis tegi sepulcrum ad gemini pollicis altitudinem. Iteratum idem prodigium prid. Idus Martias anni sequentis: ac denique rursum Ianuario anni duodeuicesimi. Ecce dum scribo, Ianuario anni quadragesimi tertij rursum Hoiolus miseranda calamitate magnam vrbis partem pæne perdidit, ædes plus ducentas subuertit, nec in vlla vrbis regione plures, quam in S. Mauri parœcia, amnis nimirum inundationibus maxime obnoxia. Et cum tota vrbe non pauciores octoginta homines aquis suffocati perierint, nemo vnus ex hac parœcia desideratus est. S. Mauri beneficium esse religiose crediderunt, quod illi dies hic sacer esset. Eius scilicet caritatem aquę multę non obruent, si illius beneficijs Hoiensis populus, se præbuerit non indignum.

Digitized by Google

Die decimo ſexto

FVLCARDVS

abbas Lobienſis. *Chronicon Lob. Ægidij VVaulde.*

ANtiquiſſimum & regale monaſterium Lobienſe regere cœpit anno poſt milleſimum nonageſimo quarto. Priſcæ religioſęque ſimplicitatis fuiſſe fertur. Monaſticam diſciplinam inprimis coluit; atque vt illa in primęuo ſplendore retineretur, indefeſſa vigilantia ſtuduit. Cuius cum primum ſolidiſſimumque fundamentum eſſe religionem duceret, eius ſtudium cœnobitarum omnium animis voluit inſertum: tantaque cura inuigilauit, vt ſtatis horis in templum omnes coirent, vt pedem ipſe noctu æque ac interdiu vix vnquam efferre videretur: heri namque præſentia equum ſaginari non ignorabat.

At Dei cultum quo procurabat diligentius, eo cumulatius noua monaſterio vectigalia adijciebat Diuina prouidentia. Et cum non deeſſent, qui S. Vrſinari hereditatem diſtrahere in varia, Lobienſiſque eccleſiæ libertatem opprimere niterentur, ad Henricum imperatorem, qui Limburgum obſidebat, venit primo ſequentis ſęculi anno: obtinuitque vt in caſtris dato diplomate in Cæſaris fidem ac tutelam Lobium cum omnibus agris ac vectigalibus ſuis reciperetur. Sibi tamen nihil deceſſurum exiſtimauit, ſi exſurgenti in Hannonia Lætienſi cœnobio adminicularetur, conceſſo illi Fleono, licet S. Vrſinari patrimonium id eſſet. Lætienſium enim inopiam ſua opulentia ſubleuari, Deo credidit acceptum eſſe.

Glorioſa fuit hoc abbate Lobienſis monaſterij fama. Fuit tamen, qui ſua ambitione labem illi inſpergere non erubuit. Ingobrandus is fuit, qui tanti abbatis religioſa inſtitutione nihilo melior, non per oſtium, ſed pudenda fraude in Hubertenſium abbatum dignitatem irrepſerat: Nec ea contentus ad Lobienſem adſpirabat, ſui fratris autoritate fretus, qui apud Obertum epiſcopum Leodienſem gratia plurimum valebat. Rem ergo iam eſſe confectam ratus, S. Huberti pedum abdicauit, tradiditque epiſcopo, a quo Lobienſe recepturum ſe ſperabat. Sed pro innocente Fulcardi ſimplicitate ſtetit Deus, eamque epiſcopo mentem injecit, vt Hubertenſem quidem admitteret dignitatem, Lobienſem vero relinqueret Fulcardo, quem eo munere digniſſimum nemo dubitabat. Sic turpi notatus ambitione Ingobrandus Lobium redire coactus eſt ad priuatam vitam, in qua monaſticæ humilitatis rudimenta relegeret. Fulcardus autem annis & virtutibus maturus, & cum laude ſuo functus munere, diem ſuum obijt anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptimo. In S. Vrſinari pro gradibus chori ſepultus eſt. Ambitio repreſſa.

Die decimo octauo

PETRVS

I. conuerſus Villarij. *Aſſignies e Manuſcriptis Villar.*

INcertus a primis annis diutius hæſit Petrus quam in partem virtutiſne an vitij ſe daret, inuitante ad illam Deo, dęmone ad illud retrahente, non aliter ac ſi paria committerentur virtus & vitium, Deus & dæmon. Ea nimirum eſt humanæ mentis cæcitas, qua illa ipſa quotidie plurimi eadem trutina expendunt; atque vtinam non repellerent ſalutaria, noxia complexuri! Petrus ſane puerili leuitate naturæque corruptela in nimiam vitę libertatem propendere viſus eſt: ſed maiore vi Diuina pietas ad meliora reuocauit. Neque primo congreſſu dęmon ceſſit; ſed totis viribus reniti cœpit, & adoleſcentem obſcœnis per ſomnum ludificationibus ſollicitare. Ille contra fortiter reſtitit, poſtquam ſemel in contraria ſtudia ſe flexerat, & ſeuerioribus afflictationibus in officio corpus retinuit. Diu incertus. Fortiter ſe vincit.

Suum militem in medio certamine Deus minime deſeruit, ſed in ſancto propoſito confirmauit affuſis e cælo viribus; atque etiam mirifico ſolatio generoſe dimicantem recreauit. Nam miſſa de cælo voce promiſit fore, vt in ſancta ſanctorum deduceretur.

Digitized by Google

DIE 18. & gloriose compensatur. Ille spe bona plenus & alacrior præteritæ vitæ noxas lacrymis eluere sic aggressus est, vt alias denuo remissa sibi esse peccata diuinitus acceperit. Imo per somnum primæuæ innocentiæ restitui visus est, sacerdote quodam sacri baptismatis ritus exequente, adstante etiam & velut ministrante Dei matre.

Piorum tamen hominum obsecutus consilio Villarium se recepit, vbi in conuersorum ordine contenderet ad optima, quo nimirum a Deo vocari credebatur. Hęc arena illi fuit, in qua sibi bellum acerrimum indixit ad edomandas primum corporis appetitiones, ne rectę rationi pertinacius obsisterent; sed potissimum in memoriam & honorem Christi Domini acerbissimos cruciatus nostri causa perpessi. Primum scilicet illud est ad omnem virtutem vestibulum. Solemne ergo illi fuit composito e funiculis flagello, vel aculeatis aquifoliæ ramis sese crudeliter verberare, artus atterere injecta veste cilicina, vel erinacei pelle, in vrticis ac vepribus corpus versare, solo pane & aqua vesci toto quadragesimæ iejunio. *Acerbissime se cruciat*

Verum ea decertatio, quæ plerosque veteranos prostrasset, tironi huic visa est vmbratilis sub Christo duce tam cruentato: cui similior vt euaderet, manus sibi pedesque clauis perforauit, latus vero aperuit candente ferro; & ne cito vulnus clauderetur, contextam pilis equinis cordam in illud immisit. Sinceri amoris illa vis fuit, vt quemadmodum delicijs alij, ita nouis ille quotidie gauderet inuentis cruciatibus. Nulla quippe Christiano militi gloriosior victoria, voluptas nulla liquidior est, quam ad imperatorem suum quam proxime patiendo accedere. *in memoriam Christi patientis.*

Vltima hæc meta cuiuis alteri poterat videri, quę tirocinij rudimenta Petro fuerunt. Postquam enim eiuscemodi exercitationibus Christi patientis mysteria diu recoluisset, a Deo iussus est ad ipsa Diuinæ majestatis arcana transire, quibus in se puriorem æternæ illius bonitatis amorem succenderet. Paruit felici euentu. Tantum eius mentem Diuinarum rerum incessit desiderium, vt intolerabilis videretur vitæ præsentis mora. Quare cum mirabili aliquando agitaretur æstu; vt conquiesceret, Deus mandauit, pollicitans fore, vt votorum summam attingeret. Comprimere mentis impetum ille nequijt: amicitiæque fiducia ausus est affirmare, se vix induci posse, vt eius promissis fidem tribueret, quæ videret in longum adeo differri. Vis tu pro me vadem? inquit Deus. Volo sane, refert Petrus: volo tuam matrem, cor tuum volo, tuaque vulnera. Deus annuit: & ex eo totus in Dei amorem sic abreptus est, vt sine illo esse non posse videretur. *Autore Deo in eius amorem incumbit.*

Pro illa porro tam admirabili pactione cum gratias ageret, subitus illum inuasit timor, ne infidelitatis a Virgine matre argueretur, quam cum elegisset obsidem, crebrius tamen cum Filio fidentiusque ageret. Adfuit mox bona mater, depulsoque omni vano metu, docuit sic omnia filium inter & Matrem esse communia, vt sibi delatum alter censeat, quod alteri detulisset ipse. *Dei Matri carus est in paucis.*

Clientis autem simplicitate adeo delectabatur optima patrona, vt suo illum aspectu creberrime solaretur. Imo filium aliquando in manus illi dedit, sui amoris certissimam argham. Hoc ille dono tantum pectore concepit amoris ignem, vt æstum ferre non sustinens, quasi in paralysim incideret: simulque doceri se intellexit, obrui imbecillitatem humanam a Dei se superfundentis majestate.

Ceterum in cælestia sic rapiebatur, vt de illis disserens numquam fatigaretur. Aliquando sane tota nocte cum familiari sic egit, vt sedendi cura non semel in mentem venerit. Terras nimirum paulatim deserebat, vt in suos se amores ferret. Obsecutus est tandem optimus Deus; illumque mortalitate exutum gloriosa beauit immortalitate.

II. EVERARDVS TACITVRNVS conuersus Villarij. *Assignies e Manuscriptis Villar.*

VIllarij professus Cisterciensem disciplinam in ordine conuersorum Eucrardus argumento nobis est, non magna illi opus esse sapientia vel ingenij acumine, qui velit ad religiosæ vitæ perfectionem aspirare. Exemplo suo docuit familiarem fere esse cum simplicibus Diuinæ sapientię sermocinationem. Ad quam vt pertingeret, secedendum esse sibi persuasit in desertum locum, hoc est animum ab humanarum rerum strepitu *Silentij vis,*

Digitized by Google

pitu seuocandum, vt Dei vocem intus docentis clarius perciperet. Certe præter alias virtutes, quibus cum laude studuit, seueram præsertim silētij obseruationem sibi indixit: eaque de causa Taciturni nomen apud alios indeptus est. Illius enim adeo tenax fuit, vt nec agrorum intentus culturæ verbum effaretur, nisi vel cuipiam iter facienti viam indicaret, vel perditam monasterij rem requireret. Cum hominibus scilicet illi tacendum esse sentiebat, qui cum Deo sermocinari desideraret.

Forte cum famulo vir nobilis illac iter habebat, vbi colebat agrum Euerardus. Hunc vbi famulus agnouit, suum herum stitit, aitque: Hominis istius constantiam periclitare; & a me auferto, quidquid lubuerit, si aliud ab illo verbum elicueris, præter viæ indicium. Tentauit vir nobilis: neque plus quam dixerat famulus, impetrauit. Aliquid incusso terrore credidit obtineri posse. Vultu voceque iram simulat, equo descendit, minas intentat, ni loquatur. Verum quando nec hilum proficeret, iram reuera non tenuit, impegitque colaphum: indignius etiam illum tractasset, nisi sui corporis objectu cohibuisset famulus. Euerardum æquitate mentis non deturbauit injuriæ atrocitas: sed Diuini moniti memor, genibus eius aduolutus alteram præbuit maxillam. Inuictam constantis animi fortitudinem! A ceteris nimirum auersa mens, & in vnum intenta Deum, illius vnius vocem, non obstrepentis naturæ perturbationem audiebat. Nihilo sedatior interim abiturus vir nobilis equum ascendebat: accurrit Euerardus, & equum arrepto freno detinet, dum ille suo commodo inscendisset. Altus clamor fuit hoc silentium, & in mentis illius intima se penetrauit. Melius enim, quam verbosa disertissimi cuiuscumque oratoris facundia, duram hominis mentem emollijt illa Euerardi patientia caritasque, & impotentis animi detestationem cum multis lacrymis & veniæ postulatione conjunctam exciuit. Neque diu post in alterum ille virum mutatus, constitutis domi familiarium rerum rationibus, Villarium venit, & religiosam asceticam professus est. Sic vnico facto sui & alterius cessit Euerardo victoria.

& eius constantia mira,

cum inuicta patientia,

eiusque premium.

Vt in Deum, sic & in illos, quos eius loco venerabatur, moderatores suos obuersum retinebat animum Euerardus, in diuersa distrahi non facile passus; & omnibus eorum mandatis non minore studio, quam animi simplicitate obtemperabat. Monasterij segetibus graue damnum inferebant sæpenumero pulli equini viri cuiusdam nobilis e vicinia. Iussus inuigilare Euerardus, illos in medijs segetibus cum aliquando deprehendisset, pauca verba cum brutis animantibus loqui cœpit, & auditus est: Cum a Deo, inquit, conditi fueritis, in illius famulos qua fiducia insurgitis, eorumque segetes injuria depascitis? Dei conditoris nomine vobis ego præcipio, vt deinceps vmquam huc ne redeatis, & mecum vna modo veniatis, in nostram villam. Paruerunt extemplo pulli alias indomiti; Euerardumque præeuntem secuti sunt. Adfuit pullorum dominus pro illatis damnis facturus satis: qui summopere demirabatur ab effeto sene potuisse pullos duci, quibus regendis plures expediti iuuenes essent necessarij.

Obedientia

& simplicitatis potentia.

Innumeris decoratam virtutibus senectutem cum Euerardus egisset, XV. Kalend. Februarias (quo anno, mihi compertum non est) e viuis abijt in cælum, qui tanta diligentia linguam cohibuerat, eamdem subinde soluturus in Dei laudes æternum suauissime concinendas.

Die vigesimo tertio

DVRANDVS

episcopus IL. *Anselmus, Ægidius, Baronius, & quæ admodum R. D. Gerardus Sany abbas S. Laurentij dedit e sui monasterij monumentis.*

CAPVT I.

Creatus episcopus insigne modestiæ exemplum edit.

VT ignauos posteros nequaquam nobilitat illustris maiorum virtus; ita nec obscurum genus arcebit vmquam honoribus & gloria virtutem. Parentes habuit Du-

Ex infima sorte

randus

randus infimæ sortis homines, & rusticanos, sub clientela gentis Morialmææ in prouincia interamnensi. Sed præclarum illius ingenium cum deprehendisset Notgerus Leodiensis episcopus, litteris excoli voluit. Excultus est Durandus litteris simul & virtutibus adeo feliciter, vt S. Hérico Cæsari virum eximia doctrina præditum postea postulanti, illum donauerit Wolbodo Leodiensis episcopus. Iubente ergo Cęsare Bambergam profectus, nascentem illam ecclesiam splendida litterarum & religionis luce illustrauit.

ad episcopatum euectus

Quare cum anno supra millesimum vicesimo secundo in viuis esse desijsset Wolbodo Leodiensis episcopus; alium ei substituere ratus ad se pertinere Henricus imperator, (sic ferebant tempora) Durandum designare constituit. Illam quippe de eius præstantia conceperat animo opinionem non modo ex Wolbodonis commendatione, sed etiam vel maxime ex ipsorum Bambergensium testimonio, vt alium neminem ecclesiæ Leodiensi præficiendum esse putauerit antistitem. Hoc ergo munere Durandi labores & merita in ecclesiam Bambergensem donauit imperator: aut potius ecclesiæ Leodiensi tantum virum donauit, quem merito sperare poterat clarissimum eius lumen futurum.

illustre modestiæ certamen edit.

Leodium redibat Durandus: occurrit in itinere Godescalcus Morialmæus præpositus Leodiensis, qui factum a canonicis Leodiensibus decretum, quo episcopus ipse iubebatur, ad Cæsarem deferebat, vt sua ille confirmaret autoritate. Quod vt accepit Durandus, qui eius cliens erat, pro reuerentia, quam domino suo debere se profitebatur, dono ipse Cæsareo cessurus, Godescalcum sibi subrogare voluit: illustri sane mentis moderatione. Contra Morialmæus egregiam in cliente virtutem sapientiamque reueritus, Cæsaris decretum laudabat ratumque manere debere contendebat. Insignem vero & apud omnem posteritatem summa laude dignam contentionem! Euicit tandem in Godescalco germana generosi animi nobilitas. Imperio herili clientem adegit, vt Cæsareo staret decreto; litterarum virtutisque splendorem ratus potiorem, quam generis ad ecclesiam regendam.

Obtemperauit Durandus, Godescalci iam dominus: & Leodium vna venerunt. Prioris tamen conditionis numquam oblitus, illum semper reueritus est. Ipso inaugurationis die cum idem præpositus more majorum, manus ei porrigeret clientelę professionem editurus nouo principi: ille conditionis suæ non immemor, insigni modestia ab episcopali cathedra illi assurrexit, negans ita fieri oportere, cum magis deceret vt se domino suo clientem profiteretur.

CAPVT II.

Sacrosanctam Eucharistiam aduersus Berengarium magna gloria tuetur.

Berengariũ infamẽ tem

FElicibus auspicijs ingressus episcopatum Durandus, nobilissimam sibi mox gloriam peperit, sumtis armis aduersus infame monstrum Andegauensis ecclesiæ Berengarium. Is augustissimum Diuinumque sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum ausus impio bello lacessere, haustum ex ima inferorum sentina venenum per ecclesiam spargere immani sacrilegio instituit, annitente Brunone Andegauensi episcopo, quem in camdem secum vesaniam pertraxerat. Nequaquam indormijt incendio tam diro exsurgenti Francorum rex Robertus. Quo salutaribus vndis impias flammas restingueret: omnibus regni totius episcopis conuentum indixit.

non audiẽdum

Consilium ferme omnes probauere, quod expeditissima hæcce ratio videretur nefandi monstri omnino debellandi. Contra sensit Durandus noster. Qui perspicaciore mentis oculo præditus, cum vereretur ne pudendam & grauem ecclesia plagam acciperet, non dubitauit ad ipsum regem quamquam externus ipse litteras dare, & a sua sententia parum vtili dehortari. Cum enim errorum suorum Berengarius fautorem haberet episcopum, qui alterius nullius quam supremi pontificis sententia damnari queat, nequaquam e re ecclesiæ catholicæ futurum aiebat, vt in sacrum illud ordinis ecclesiastici concilium admitteretur, audireturue. Quid enim aliud cogitaturam multitudinem imperitam, quando episcopum videret non modo nulla pæna repressum, verum etiam integra dignitate florentem; quam impietatem illam

Digitized by Google

illam iam spargi cœptam, ab omni concilio reuinci non potuisse, aut etiam fortassis probatam. Hæresiarchis ergo nulla ratione audientiam esse concedendam, nisi damnandi potestatem fecisset pontifex. Imo non esse prorsus audiendos, sed de supplicio disquirendum. Tum quippe hæreticos fuisse audiendos, quando quæstionibus necdum mature excussis omnino de veritate non liquebat; atque adeo collatis capitibus, sententijsque fuit exploranda. Sed postquam vniuersæ ecclesiæ catholicę concilijs, veluti sanctissimis senatusconsultis decretum est, ac sancitum, quid sentiendum sit reijciendumve, meritis supplicijs coërcendos esse, quotquot ab eiusmodi decretis peruicaciter recessisse conuincerentur. Ita Durandus, non minore sapientia, quam incenso studio Diuinæ gloriæ. sed coërcendum censet sapienter.

Regem arbitratur Baronius in episcopi sententiam concessisse, quando nulla sit memoria concilij cuiusquam habiti: & subijcit: *Vides lector prima spicula in virulentum draconem vibrata fuisse a nobilissima ecclesia Leodiensi catholicæ fidei tenacissima; in primis vero ab eius episcopo Durando.* Digna immortalitate gloria.

CAPVT III.

Diuinitus castigatus, serio resipiscit.

QVantum est malum auaritia! Nullis tenetur finibus: & homines alias sapientissimos mente dimouet. Ab ima paupertate prouectus ad principalem opulentiam Durandus, cupiditatem comprimere non potuit. Cum enim ab antecessore suo B. Wolbodone S. Laurentij cœnobium suscepisset perficiendum, nihil effectum dedit. Omnes quippe, quas ille crediderat, facultates ad episcopium auertit, aut nobilitatem. Fas enim illud esse, persuasum habuit, quamdiu monasticen nemo coleret ad S. Laurentij. Impune non fecit. Nam semel iterumque dormienti adstitisse visus est Wolbodo, & damnata eius auaritia rem suam repetere. Territus non leuiter Durandus, cum id familiaribus enarraret, somniantis capitis eas esse ludificationes, aiebant illi maxime, quibus sui sacrilegij partem impertijsset. Ea nimirum dormienti recurrere, quæ vigilans mente versaret. Sapientis esse somniorum ludibria contemnere. Heu quam cito credimus, quæ amamus! Fidei plus apud auarum hominem inuenerunt infames parasiti, quam sanctissimus episcopus. Sic oraculo Diuino sua stetit veritas: *Si Moisen & prophetas non audient, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Auaritiam licet e cælo monitus Luc. 16.31.

Tertium adfuit Wolbodo, sed iam terribili voce tristia minitans, quod auditus non fuisset; quod non expiasset ipse culpam: eaque de causa securim iam ad radicem arboris esse applicatam. Quæ dum dicit, pedo grauiter cædere visus est. Cum verbere mox hominem lethalis ægritudo corripuit. non corrigens, morte castigatur;

Excita clamore familia, Durandus archidiaconos, aliosque ciuitatis optimates imperat accersiri. Quæ viderat, audieratque aperit. Et ingemiscens: Ecce, inquit, iam morior. Iustissimo Dei iudicio vita mihi pręciditur. Quæ grauiora mereor, Dei clementia remittat. Mortuum vos ad Wolbodonis sepulcrum efferte, & ex eius aduerso, sed extra ędis ambitum & sub patibulo inhumate. Tum B. Laurentio Wasegam insigne prędium attribuit; plura pollicitus, si vita superaret. Sed vltra promissionem nihil amplius permissum. Apud Deum scilicet est voluntati pręmium, cum ipse vltra tendere non sinit. prius tamen resipiscit.

Acri ergo concussus dolore propter immoderatam cupiditatem Durandus, sanctioraque iam amans & amplectens, Christiane diem obijt X. Kal. Februarias anni vicesimi quinti, atque vti constituerat sepultus est. Cum aliud tamen postea templum exstrueretur, inclusum muro sub tectum receperunt. Ceterum Durandi peccatum felix pęne ausim appellare, quod tam nobili ipsemet expiauit pęnitentia. Nec abs re iudicaturum illum arbitror, qui dixerit illam fuisse mercedem incensi illius studij in propugnanda aduersus hęreses Venerabilis Eucharistię veritate.

Die

Die vigesimo quarto THOMAS CONIERVS e Societate IESV.

CAPVT I.

Ingressus Societatem IESV, *vtilem proximo nauat operam.*

THomas Conierus, Anglus gente, domo nobilis, cum annos vixisset jam circiter viginti quatuor, inuitari se diuinitus credidit ad consecrandam Numini generis claritatem, natalis soli dulcedinem, ac in primis libertatem, quæ illi potissimum ætati suauissima solet esse. Relicta igitur patria, vbi pio proposito hæresis obstitisset, Societatem IESV ingressus est. Sed dum exercetur in tirocinio, visus est Deus iuuenis constantiam probare voluisse. Violentis quippe renum ac vesicæ obstructionibus adeo cœpit affligari, vt sine Societatis incommodo graui, cœptis illum insistere non posse medici iudicarint. Iussus est ergo Societatem relinquere. Bono iuueni tristius nihil accidere poterat. Toto animo conuersus ad optimam Dei parentem, opem ab illa flagitauit, in qua spes suas omnes collocarat. Neque fefellit mater pijssima: ita religiose ipse credidit. Omnis enim mali vis ita se remisit, & abcessit omnino, vt nihil nisi post annos plurimos, paucis ante mortem diebus deinceps senserit. Redijt igitur ad Societatem, & ad vsque mortem in ea perseuerauit.

Ingressus Societatem ope B. Virginis, ANN. 1586.

Eximium in eo salutis alienæ studium eminuit. Prima illi exercitatio fuit in castris serenissimi archiducis Alberti. Reuocatus postea Duacum, scholis præfectus est. In quo munere ita se gessit, vt omnem late agrũ Christianæ caritatis officijs vna susceperit excolendum. Lendium & Bapalmam sępius excurrebat. Hic potissimum raræ virtutis opinione carus fuit illustrissimo vrbis gubernatori comiti Noyellio; qui ad Limburgi præfecturam postea translatus, P. Thomam ad se non raro solitus est euocare, vt religiosa eius consuetudine tum ipse cum omni familia frueretur; tum vrbs tota pijs eius cohortationibus ad recti amorem concitaretur. Libens profecto & sæpe commemorabat insignia Diuinę pietatis in se beneficia, quæ sibi P. Thomas obtinuisset, interprete apud Deum B. Praxede virgine.

operam proximo nauat:

S. Praxedem studiose colit.

Hanc in paucis pia mentis affectione venerabatur, & religiose colendam alijs proponebat, si qua se daret occasio. Eius maxime cultum & imitationem sacris Deo virginibus commendabat. Et vero quoad vixit, magna religione diem illum festum ita habuit, vt musico concentu, rituque celebriori rem Diuinam peragendam procuraret, & ipse de pulpito in eius laudem peroraret. Denique pro fide catholica si vitam aliquando poneret (quod vehementer optabat) cum nomine S. Praxedis schedulæ inscripto, quam manu teneret, occumbere desiderabat.

CAPVT II.

Procurato Dionanti collegio, in Arduennam se conuertit.

Exculto Dionanto,

SVb annum a Christo nato millesimum sexcentesimũ septimum missus Dionantum, prima Collegij Societatis IESV fundamenta jecit. Sancta quippe dicendi vis illi fuit ad permouendos mortalium animos. Omnibus Aduentus diebus, itemque verni jejunij, & alijs quibusque anni festis celebrioribus ad populũ in æde principe verba faciebat: teneriorem autem ætatem, aut etiam prouectiorem sed imperitam catechisticis lectionibus Christianam doctrinam edocebat: vtrumque mirabili ardore, parique bono.

collegioque ibidem posito,

Is quippe fructus indefessos eius labores subsecutus est, vt adulti quidem ferme vniuersi sacra confessione totius vitæ noxas apud ipsum eluerint: pueri vero ceu parentem tota vita coluerint. Magnum igitur omnes incessit desiderium socios in vrbem aduocandi, quorum opera perseuerarent dulces illi fructus, quos P. Thomæ cultura produxerat.

Digitized by Google

Condito demum Collegio, vbi sensit adesse bonus pater, qui jactam sementem opportunis irrigationibus fouerent, in omnem longe lateque prouinciam excurrere ipse constituit. Campum nactus est industriæ suæ patentissimum. Ab Hannoniæ finibus, ad Germanorum limites, & per ipsam Franciam insigni operæ pretio se diffudit eius caritas, omnis conditionis homines complexa, summos infimos, sacros profanos, rudes eruditos. Nullos refugiebat labores itinerum per auia, inuia montium, vallium, siluarum, per niues, pluuias, densam grandinem, tempestates, æstiuos ardores, rigorem hibernum. Fuit cum inter dicendum Dionanti in ęde summa virium defectionem pateretur. Induci non potuit vt in domo vicina vel igne vel vino vires recrearet: collegium non procul abesse ostendens. Abijtque eodem die in Arduennam quamuis cælo niuibus ac frigore inclementi. Demiranti amico respondit, Deo laborandum esse. Tum cibo lectoque parabili ac vili contentus, hilari fronte præferebat animum humana solatiola contemnentem. Ab his deliciæ erant e loco superiore ad populi concionem ardore animi quam maximo dicere; de plano rudioribus catechesim explicare, pro sacro tribunali ante auroram & post solis occasum pænitentibus aures dare. Denique nihil non erat iucundum pro gloria Numinis propaganda pro curanda hominum salute. In Arduennam se conuertit, magno labore

Quid emolumenti reportarit, argumento sint hominum iudicia & ęstimatio. Rarum omnino est vniuersorum studia & amorem ita sibi conciliasse, vt inuideret nemo, nemo obtrectaret: omnes hominis virtutem amarent, suspicerent, ac denique glorioso nomine passim Arduennæ apostolum appellarent. fructu maximo.

CAPVT III.

Bastoniæ laborat vtiliter.

MEmoria dignum est, quod Bastoniæ gessit. Vrbs est media ferme Arduenna, ęque olim miserabilis neglecto animarum cultu ac soli sterilitate. Hanc excolere proposuit P. Thomas sub annum millesimum sexcentesimum decimum tertium. Consuetis artibus illam gentem aggressus est. Ad populum verba fecit, etiam toto Aduentu & Quadragesima, catechesi rudiores imbuit, pastores animarum facile octoginta pro more in concilium coëuntes ad creditos sibi greges magna cura tuendos frequenter exhortatus est; tum pænitentibus sacra confessione peccata expiantibus operam dedit indefesso labore; religiosa denique consuetudine ac pijs colloquijs ad recti prosecutionem prope vniuersos accendit. Sed euentu tam secundo, vt ipsi se mirarentur incolæ, tenerrimeque amarent illum boni sui autorem.

Numquam non gratissimus ad illos veniebat. Et si quidem venturum esse nuntiaretur, portis se pueri turmatim effundebant, insolita lætitiæ significatione P. Thomam in vrbem inducturi, discedentem etiam postea deducturi, atque ita obtenturi vt sibi bonus pater bene precaretur. Tanti vero populus illum faciebat, vt quocumque die vel hora, statim atque dari signum audierat, relictis ilico familiaribus negotijs, conflueret ad templum, P. Thomam dicentem auditurus. Nullis eius sacris cohortationibus fatigari posse videbatur: illumque numquam a se voluisset discedere, aut certe sociorum aliquos. Quod vt consequeretur, aliquam sociorum familiam in vrbe sua constitui flagitauit. Id vero obtineri non posse cum intelligeret P. Thomas, autor fuit, vt ex alio ordine religiosos alios aduocaret, quorum opera in concepto pietatis ardore foueretur. Vnius scilicet Numinis gloriæ studebat, seposita cuiuscumque alterius ratione. Eiusdem alijs locis pręterea fuit mentis, idemque dedit consilium. Condito igitur Bastonię cœnobio, mansit tamen apud ciues P. Thomæ amor & desiderium.

CAPVT IV.

Ad iuuandum proximum mira valuit industria.

VT indefessus, sic ingeniosus est amor: & sexcentos excogitat modos, quibus bene de illis mereatur, quibus bene vult. Varias multis locis sodalitates constituit, quibus homines ad sacrorum cultum & amorem excitandos sperabat, vt quos hæc non mouerent, illis certe alijsve caperentur. Venerabilem Eucharistiam aliquæ venerabantur, Sodalitates instituit,

proponebatur alijs Virginis Matris honor: quædam animas expiantibus flammis detentas liberare studebant. Tria hæc animo medullitus infixa vt habebat, sic alijs esse cara desiderabat, e quibus ingentem perciperent vtilitatem, cum & ad frequentanda Mysteria spe sacrarum indulgentiarum pellicerentur, & mutuis exemplis rerum Diuinarum amorem accenderent.

teneram ætatem curat.

In recta iuuentutis institutione magnum esse momentum intelligebat ad felicem publicæ rei statum. Puellas in primis honestis moribus imbui desiderabat, quæ matresfamilias deinde factæ, & domos suas Christiane regerent, & recte liberos educarent; atque ita semel insita perennaret pietas. Honestas ergo virgines, quæ cœlibatum amplexæ, rerum spiritualium ipso magistro non parum erant peritæ, Dionanto eductas scholis præfecit, quas opportunis locis aperiendas iudicauerat.

Consilium probauit optimus euentus. Longe plurimæ ad altiora contendentes per insignem rerum humanarum contemptum ad monasticen aspirarunt. Earum votis vt fieret satis, dedit operam vt sacratæ Deo virgines ijs locis sedes statuerent. At quæ cœnobiticam vitam aggredi non poterant, salutaribus præceptionibus plurimas sic efformauit, vt rejectis nuptijs, spretaque rerum fluxarum inanitate, ad honestum non minus tenderent apud parentes, quam in suis gynæceis sacræ Deo virgines.

CAPVT V.

Christiana submissione magnam conciliauit autoritatem.

NIhil erat illi difficile, cui tantum erat in animos imperium, non quod occupauerat ipse, sed quod sponte & lubentes dabant vniuersi. Hominis quidem integritatem, & incensum Diuinæ gloriæ studium amabant omnes: sed alio nullo magis rapiebantur, quam eius modestia & animi demissione. Morum ingenua suauitas fuit in illo mirabilis, & sane amabilis adeo, vt religiosa tamen viuedi ratione quamquam accuratissima, nemini videretur austerior. Colloquijs sales inspergebat tam ingeniosos, tam innocuos & sanctos, vt neque ipsius dedecerent virtutem, & acceptam eius redderent familiaritatem hominibus etiam iusto liberioribus; quibus aculeum semper ad meliora relinqueret infixum.

Hoc euicit, vt quo magis ipse cederet alijs, eo primas ipsi studiosius deferrent. Plus vice simplici contigit, vt cœnobitis alijs dum concionandi locum relinqueret, obtestarentur illi obnixe vt retineret, non aliter ac singulare beneficium accepturi. Alias quidam Christianitatis, vt vocant, decanus ad rem familiarem attentior, suam cupiditatem, in publico pastorum conuentu castigatam acriore eius oratione, suspicabatur; atque vt vlcisceretur, statuerat vrbis suæ pulpito illum arcere. Adfuit non multo post P. Thomas, & religioso suo candore modestiaque non tantum obtinuit, vt dicere permitteret decanus, sed & suam in posterum corrigeret cupiditatem.

Ea humanitate facilem ad se rusticanis hominibus alias nonnumquam timidioribus aditum aperiebat, militum in vicinis præsidijs frangebat ferociam, hæreticos etiam complures Sedani reducebat ad ortodoxam veritatem.

Insignis præsertim eminuit prudentia felicitasque in conciliandis abbatibus, curionibus, vrbium magistratibus, præsidiorum præfectis, aliaque prima nobilitate; quorum scilicet autoritatem certus esset, ad promouendam Numinis gloriam, plurimum valituram.

Tantam de eius virtute sapientiaque conceperant opinionem abbates S. Huberti & Aureæ vallis, vt eius amarent consilia, & studiose nonnumquam sanctioribus festis euocarent, quo currentes ad charismata meliora cœnobitas fortius impelleret. Obuius aliquando factus in Arduennæ siluis abbas Aureæ vallis, relicto curru in terram abjectus, non prius assurgere voluit, quam illi P. Thomas bene precatus fuisset. Sed tum maxime cum mortem imminere sensit, illum adesse sibi voluit totos octo dies, quibus eius consilio ductuque omnem animæ statum securius componeret.

Se suaque illi magna fiducia nonnulli credebant, commendabantque frequentissime, cum præsertim aliquid e cælo cuperent impetratum; eiusque preces graue pondus apud Deum habituras sibi persuasum habebant. Deo multi sua vota litteris quandoque consignata tradebant frequentissime ad Virginem Foiensem deferenda. Et vero fuerunt, qui religiose

Digitized by Google

religiose crederent a Deo se per illum obtinuisse, quod optarant, prolem alius in conjugio diu optatam, alius sanitatem, aliaque alij. Cujusmodi complura penes me habeo cordatorum & fide dignorum hominum testimonijs affirmata. Sed me teneo, ne in pontificias prohibitiones incurram, quandoquidem debitum ab episcopo pondus non fuerit procuratum.

CAPVT VI.

Alijs præluxit virtutibus.

QVibus artibus tantam sui concitauerat apud omnes æstimationem, ijsdem ad vsque finem vitæ retinuit, atque adeo auxit. Qui vel leuiter illum nouerant, certum habebant humani nihil illum ambire, nullas amare delicias. His frui nonnumquam potuisset, quando apud amicos non raro versabatur, qui pro virtutis admiratione nullis sumtibus parcere voluissent. Sed ille sui propositi religiose tenax lautiora omnia respuebat. Vini haustum, quantumuis liberaliter offerretur, non nisi ægre tertium, domi vnicum admittebat. Si epulas amici protraherent, ille vel canonicarum horarum, vel studij necessarij, vel valetudinis, aut alio quocumque obtentu se subducebat; sed ea comitate, vt offenderetur nemo, nemo non laudaret hominis temperantiam, & amaret. Temperantiam amabat,

In habitu paupertatem coluit perstudiose, relicta suis præsidibus omni eius cura; nisi quod ab illis euincere niteretur (quantum quidem sineret modestia) vt laceras vestes alia quacumque, modo non noua, mutare permitteretur. paupertatem,

Otij tam fugitans fuit, quam sancti amans laboris. De Deo semper aut cum Deo agebat. Iter faciendo fere precabatur in faciem frequenter procumbere solitus, etiam domi, quando neminem in conspectu habere se crederet; maxime vbi per agros vel erectas cruces, vel affixas arboribus sacras imagines videbat. studium sacrarum litterarum,

Strenuam litteris nauabat operam. S. Pauli epistolas, reliquamque scripturam, S. Thomæ theologiam, ac SS. Patres, cum domi erat, assidue manibus & animo voluebat. Foris otij quidquid nancisci potuit, scriptis proprijs perlegendis tribuebat. Temeritatis enim & præfidentiæ aiebat esse vel in concionem prodire, vel propositis quæstionibus respondere (quod in eo vitæ genere frequenter vsu venit) nisi longo ante studio comparatum. Et vero ipse admodum eruditus audiebat: eoque nomine a viris doctis grauissimisque consuli solitus est. Atque illi sane faciles acquiescebant; doctrinam scilicet eius, prudentiamque, ac rerum vsum ante dudum experti singularem; cum maxime persuasum haberent illum, si quidem rei grauitas postularet, nullum nisi consulto Deo responsum dare.

Christiana homini libertas & candor eximius fuit. Cum omnem offensionem magna diligentia caueret, & sui demissione ferme nimia ceteros veneraretur, abfuit tamen longissime semper ab omni assentationis specie; nec amicitia cuiusquam vel dignitate deterritus est, quo minus damnaret, quod Diuinę gloriæ vel animarum saluti aduersaretur. candorem animi.

CAPVT VII.

Feliciter moritur.

ANnum vitę agebat circiter septuagesimum septimum, ab inita societate quinquagesimum tertium, quando ad partam laboribus mercedem Deus euocauit. Domum ex agris redierat post Christi Domini natalem (ita nec ætatis grauioris gratia, nec pedis male affecti vitio labores consuetos deserebat) morbo correptus est, qui vitæ finem attulit. Is ille fuit, propter quem tirocinio dimissum fuisse narrauimus: quasi testatum illo voluisset benignissima Dei parens, suum fuisse beneficium, quidquid ille vixisset in societate, laborassetue. Ante mortem triduo succumbentibus tandem viribus decubuit. Quod vt in vrbe auditum est, nonnulli e pręcipuis tam sacri ordinis quam profani, bono patri, cui publicam rem plurimum debere profitebantur, vale vltimum dicere, & rogare voluerunt, sibi vt bene precaretur. Ægre quidem hoc obtinuerunt ab eius modestia & humilitate: sed illius precibus cum se commendarent, sic annuit, vt sibi vicem ab illis reponi flagitaret.

Neque minore modestia humilitateque cum domesticis se gessit. Ad obsequia etiam minima,quæ sibi videbat impendi, non cessabat Societatis caritatem prædicare, ac pro illis habere gratias: sibi immerenti illa exhiberi; dolere se de aliorum incommodo. Vt sensit aduentare mortem, Christianis armis ad certamen vltimum communiri postulauit. Ac professus se vixisse, morique Societatis I E S V religiosum, suppliciter erratorum suorum veniam ab omnibus sibi concedi cum rogasset, eorum pariter se precibus obnixe commendauit.

Eadem porro,quæ semper,animi vultusque hilaris constantia, eodem pietatis ardore diuinarumque rerum desiderio,in Deum sanctis se aspirationibus efferre perrexit,eoque frequentioribus ac ardentioribus,quo vltimę metę propinquior fiebat.Singulari videtur beneficio fauisse Deus, vt cui ab annis aliquot hebetior fuerat auditus,is acutior factus sit ad accipienda quę accendendis illis aspirationibus suggerebantur. Denique nihil sibi dissimilis, IX.Kalend. Februarias anni supra millesimum & sexcentesimum vndequadragesimi, vita hac mortali defunctus est, vt immortalem feliciter auspicaretur. Audita morte, sanxit magistratus Bastoniensis vt bono patri publice parentaretur. Parentarunt & vtriusque sexus cœtus religiosi plures.

Die vigesimo quinto

I. S. POPPO

abbas Stabulensis. *Euerhelmus eius discipulus, Anselmus.*

CAPVT I.

Sancte educatus, Jerosolymam, tum Romam magna religione petit.

FLandriæ terræ S. Popponem debet ecclesia Leodiensis. Natus est anno supra nongentesimum septuagesimo octauo parentibus nobilibus, Tizekino, & Adalunifa: hanc appellat Euerhelmus illustrissimam. Cum septimo a conceptu mense editus esset, & quinta post hebdomade cecidisset pater Hasbaniensi bello; matrem orbitatis magnus incessit metus, quod infirmior esse soleat eiusceemodi partus. Ideo tenera infantis membra molliore lana fouere auia instituit. At certior fuit ipsius Dei tutela Popponem ad magna destinantis.

Euaserat ad adolescentiam vegeto corpore, firmisque viribus Poppo,quando ad militiam animum adjecit: ea quippe familiaria sunt nobilibus iuuenibus studia. Sed primæ vix induerat arma, ecce in cæcos mundi se casses animaduertit delapsum & ingemuit. Illam enim vitę militaris esse deprehēdit licentiam,infamemq; libertatem,vt fere pudor esset,non esse impudentem;scelus,non esse sceleratū. Retroque pedem statim retulisset,si dignitate, dictique sacramenti fide salua fuisset integrum. Ceterum quod supererat,eam constantissime retinuit mentis integritatem, vt nullius intemperantiæ, cupiditatis, effrenis ambitionis, concitatioris iracūdiæ,aut alterius cujusquam perturbationis animi jugo ceruices submitteret: sed erecta mente cælestia solummodo spectaret. Quibus vt purius frueretur, æqualium consuetudinem, choreas, lusus, jocos (istius ætatis oblectamenta) vitabat. In locis Numini sacris erat frequentissimus. Cum superis toto animo versabatur, & sub militari sago mentem verè monasticam tegebat.

Adolescens virtutem amat,

Inter has virtutum exercitationes,subijt animum cupiditas Palæstinam visendi,venerandique loca Christi seruatoris vestigijs consecrata. Quæ cum Christiani nominis hostes latrocinijs, & cædibus infestarent, nihil deterritus est Poppo: martyribusque non multo inferiorem consecuturum se palmam sibi persuasit, si in eo itinere, suum illi sanguinem refunderet, qui pro vniuerso hominum genere suum ipse fudisset. Eiusdem animi socios nactus in iter se dedit:superatisq; viarum mille difficultatibus & periculis, in Syriam cum peruenisset,ita se pro locorum sanctitate habuit, vt secundū illud Hieronymi, non tam Ierosolymis fuisse, quam Ierosolymis bene vixisse, potuerit gloriari.

In Syriam proficiscitur.

Itinere toto ex animi sententia confecto, in patriam non diu redierat, nouum peregrinationis Romanæ desiderium accendi sensit: quam pariter aggressus, non absimili religione confecit. In reditu cum ad S. Theodorici monasterium diuertisset, in grauem incidit morbum nobilissimus vir Theodoricus, eius in hoc itinere socius, & olim militiæ ductor; morbique acerbitate deuenit in phrenesim, simul & pręsens vitæ discrimen. Misertus Poppo, suis, Sanctique Theodorici precibus malum vtrumque depulit. Sibi redditus, pristinæque valetudini Theodoricus sancte promisit quem primum ex se daret filium vxor; & Theodorici nomen illi daturum; & quantum suarum esset partium adlaboraturum, vt in eodem monasterio se ille Numini consecraret. Sincere fidem postea voti reus pater exsoluit; & magna gessit ad Dei gloriam inter ascetas filius.

CAPVT II.

Inuitatus ad nuptias, prodigio auocatur.

REuersus in Flandriam Poppo, collectam ex locorum sacrorum veneratione, morum castimoniam numquam reliquit. Eoque factum vt, cum virtute nihil sit ad gratiam conciliandam potentius, & Balduino Marchioni (Comitem hodie dicimus) & reliquæ nobilitati, quæ Principi suo frequens adesse solet, carus in paucis euaderet. Ex omnibus vnum maxime deuinxit Frumoldum nomine, genere, opibusque, sed magna apud Marchionem gratia potissimum pollentem. Perspectam hic diuturniori consuetudine Poppinis virtutem adeo complexus est, vt oblata illi filia generum adsciscere peroptaret. Iuuenem a nuptijs tacita quędam in animo vis auocabat. Verum id mentis haudquaquam robur erat, vt viri nobilissimi amicitiam, affinitatemque respuere auderet; aut illam contemnere posset nuptiarum claritatem, & illecebras. Tandemque diu secum colluctatus, fidem dedit de ducenda conjuge. Hominem tamen vrgere fortiter pergebat interior stimulus, omnemque tollebat animo quietem. In nuptias propendens

Vt ad dictum nuptiarum diem inuitauit Frumoldus, cessit iterum Poppo, & viam ingreditur. Iter intempesta nocte, densisque tenebris faciebat; splendidam ecce circumfundi lucem admiratur: & dum prospicit, vt causam deprehendat; quam ferebat lanceam videt cuspide inflammata instar ardentis faculæ coruscantem. Sed e cælo clarior menti simul fax illuxit, accenditque ardorem, quo robustior animus clare demonstratam honorum, ac deliciarum inanitatem non tantum agnosceret, sed & generose repudiaret. Subitoque: Cœptum iter desero, socij; inquit: & quo Deus vocat, iam iam sequor. Nec mora: damnata, quam mundo militauerat, militia, cælo deinceps nouam militare constituit. Atque alius domum redit. a Deo auocatur.

CAPVT III.

Monasticen professus, generose se vincit.

SEd neque hic sibi credidit esse subsistendum. Insonantem animo Deum audiebat: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Obuersabatur animo, spectata quondam in S. Theodorici cœnobio ascetarum virtus. Ad illam consectandam vocari se arbitratus, eo proficiscitur. Venientem excepit Gilbertus genere, ingenio, virtute insignis, & Gerardi Cameracensis episcopi frater. Et forte tum Dauidis psalmos de more secum recitabat; iamque ad vltimos versus psalmi noni & septuagesimi deuenerat, cum cœptum persequens, in Popponis humeros diuino afflatu manum injicit, & ait: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Sed quamquam olim suauissimam ex mutuæ virtutis admiratione contraxissent necessitudinem, Popponem tamen iam ob diuturniorem absentiam non agnoscebat Gilbertus. Vbi vero & nomen, & nouum susceptæ vitæ consilium audijt; tum denuo & amantissime complexus amicum, subiunxit: *Et non discedimus a te: viuificabis nos, & nomen tuum innocabimus. Domine Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Atque psalmo ita denique completo, ad abbatem

Gen. 12. 1. Ad S. Theodorici monachus. Psal. 79. 18. ibidem 19. & 20.

batem & reliquos sodales induxit Popponem, obtinuitque vt in tirocinium reciperetur.

Hic nouam ingressus militiam Poppo ductore ac magistro Gilberto, strenuam nauauit operam: cui magistro cum demandata portæ fuisset cura, xenodochium Poppo accepit curandum; & executus est ea caritate diligentiaque; vt in rebus abiectioribus, & assiduo labore sinceriores inuenire delicias videretur. Miserum quempiam hominem accepit aliquando elephantiasi adeo deformatum, vt aduenientibus vna pauperibus ceteris esset horrori. Eo gratior Popponi hospes fuit: nec vllum caritatis officium desiderare potuit. Omnia eius vota Popponis ardor anteuertebat. Inclinante die, sanctum Christi tironem anceps cura distraxit. Alienum a Christiana caritate iudicabat domo dimittere; hospitio retinere periculosum. Nam qua vteretur supellectile, totam a reliquis submouendam intelligebat, contagij metu. Contempsit omne periculum animosa caritas: suoque ipse stragulo leprosum obuoluit aduersus nocturni cæli intemperiem. Sed aliud depulsum est præterea malum, probante Deo sacri iura hospitij. Post leuem sudorem discussa est omnis elephantiasis labes. Sequenti mane inuenit hominem Poppo inexspectata sanitate exultantem; & dimisit obnixe rogatum, rem totam alto vt silentio tegeret. Quod enim omni sanctitati familiare est, verebatur maximopere, ne quam in homines consequeretur gloriam. Et sane cum factum inaudijsset Gilbertus, scire se primum dissimulauit; sed cum argueret postea, quod proprio potius stragulo, quam alieno leprosum texisset, noxiam quidem isthanc indulgeri Poppo petijt, sed in genua prouolutus rogauit, & obtestatus est, istam lepræ curationem nemini aperiret. Ceterum ipse sui victor, stragulo illo deinceps vti numquam exhorruit.

fortiter se vincit,

leprosum curat.

CAPVT IV.

Matrem ad sanctiorem vitam adducit.

LAtere nescit germana virtus; & quamquam in latebras abdat sese, paulatim tamen emicat, & suo splendore mortalium oculos perstringit. Magno rerum gerendarum vsu, vitæque sanctimonia sub hoc tempus celebrabatur Richardus S. Vitoni Virdunensis abbas. Hic ad S. Theodorici cum aliquando venisset, Popponis virtutem, quamquam studiose latitantem, primo ferme congressu deprehendit, ac adamauit; summisque precibus ab abbate obtinuit, secum vt abducere liceret. Erat in præsidum suorum potestate Poppo, paratus vbique gentium ex eorum nutu sedem figere, & certus ibidem Deo suo frui.

A B. Richardo Virdunum abductus,

Purioribus in dies e cælo perfundebatur delicijs, clariusque Diuini beneficij magnitudinem agnoscebat, quo magis mundi salebris ereptus, ad monastices amœnitatem emerserat. Atque vt quam plurimos eiusdem boni participes esse voluisset, illud in matrem deriuare primum studuit. In Flandriam igitur Richardo Abbate potestatem faciente redijt. Neque illi magnopere contendendum fuit, vt parentem in suam sententiam pertraheret. Plurimum valebant apud illam sancti filij exempla; rebusque cælestibus jam dudum ipsa capiebatur. Neglectis ergo amicorum omnium, familiariumque lacrymis, contempta fortunarum amplitudine, relicta patria, in filij disciplinam transiens Virdunum abijt. Elnonem ad S. Amandi venerat, quando sanctum confirmare propositum Deo placitum est. Ante S. Cyrici martyris reliquias noctu in preces incumbebat Adalunisa, cum leui correpta somno, venerabilem videt sacerdotum candidatorum senatum, cui præsidebat S. Amandus. Ipse S. Cyricus præcipuo quodam cultu illustris, Adalunisam sibi supplicem vniuerso cœtui commendabat. Et cum annuisset ceterorum nomine Amandus; feminam in preces prostratam blando vultu Cyricus erexit. Calcar hoc fuit currenti. Alacrior illa ducente filio ad S. Vitoni deuenit: atque arrepto feliciter vitæ sanctioris instituto, tuguriolum ædi sacræ adhærens ingressa, illoque arcte conclusa vitam egit multa virtute conspicuam, digna tali filio parens.

in Flādriam profectus,

ad sanctiora matrem adducit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Rem Vedastinam studiose procurat, & imperatori carus libertatem seruat.

ANno supra millesimum nono monastices corruptelam Folradi abbatis negligentia inuectam Nobiliacum ad S. Vedasti cum non ferret Balduinus Flandriæ Marchio, jusso abdicare Folrado, Richardum Virduni ad S. Vitoni abbatem, vitæ integritate, & tractandorum animorum peritia celebrem substituit. Geminatam sarcinam quo leuius toleraret Richardus, Popponem secum adduxit. Cuius cum breui cognita virtus Vedastinos omnes in sui amorem pellexisset, in humeros eius de omnium sententia magnam transtulit Richardus oneris partem; remque familiarem decessoris ignauia valde dissipatam illi colligendam credidit, & sanius administrandam. *Ad S. Vedastum translatus,*

Prouincia erat magnis impedita difficultatibus. Cœnobij prædia longe plurima comperit beneficiaria lege abalienata: quę cum a viris potentibus possiderentur, non facile recuperari posse intelligebat. Aggressus est tamen animo interrito. Marchionis autoritate fultus, negotium ex animi sententia confecit. Efferbuere animis illi, quibus tantas opes accidebat Poppo, & quę Principis facta erant imperio, cum infecta suis ipsi viribus reddere non possent, in autoris ipsius caput omnem iram statuerunt effundere. Nullum Diuina prouidentia securius est scutum. Eo tectus Poppo, nullas maleuolorum insidias, apertam vim nullam extimuit. Dei causam se suscepisse certus, vel incolumem eius præsidio se futurum confidebat; vel si caderet, gloriosum sibi triumphum a Deo pollicebatur. Incolumitatem præstitit Deus, elusis omnibus aduersariorum machinamentis. *rem familiarem restituit, contemptis periculis.*

Monasterij negotia procuraturo necesse fuit ad Cęsarem ire. Et cum in Batauia Vedastini multa possiderent; ea ex itinere placuit lustrare. Quod cum amico cuidam suo illic agenti nuntiasset, studiose is comparare studuit, quæ decerent hospitem non amicum modo, & sanguine junctum, sed & eximium virtute. Alios e familiaribus alio, piscatum quosdam miserat; qui cum irrito diu labore se fatigassent, & omni captura vacui jam abiturirent; vetuit vir ille nobilis, & mitti denuo retia mandauit, precatus tantam retibus prædam concluderet Deus, quantam Popponis amaret sanctitatem. Ita fatur paterfamilias: famuli parent, & eam piscium capiunt multitudinem, quæ fidem oculorum pæne superaret. *Eius sanctitatem Deus miraculo probat,*

Hinc ad Imperatorem abijt Poppo. Erat is Henricus, magnus virtutis admirator, sed & cultor; tandemque cælo receptus, Sanctorum honoribus ab ecclesia colitur. Perspecta dudum erat ipsi Popponis sanctitas; famane, an consuetudine, non liquet. Excepit ergo Imperator sanctum virum pro merito, vt imperanti potius obtemperare, quam supplicis annuere precibus videretur. Tantæ Cæsaris humanitati quidpiam minime impar existimauit Poppo reponendum. Sub illos forte dies in Augusti palatio ludi celebrabantur. Inter cetera spectacula vir productus est omni detracta veste nudus, membrisque melle perlitis, vrso objectus. Risus a multitudine, imo & Cæsare, quamquam sancto captabatur e miseri hominis trepidatione, metuque, aut certe periculo; quod profecto leue esse non poterat; cum merito timeretur, ne fera mellis inescata dulcedine, dum auidius, quod amat, persequitur, hominem violaret. Alieniorem a mansuetudine, caritateque Christiana spectantium illam voluptatem Poppo iudicauit, intentatoque Diuini iudicij metu, palam Augustum corripuit: obtinuitque vt tum quidem periculo vir eximeretur, at deinceps Christianos oculos ludicra tam inhumana non oblectarent. Hic sanctę libertatis fructus exstitit; quæ si frequentior in aulis Principum audiretur, rarius morum deploraremus turpitudinem. *veneratur imperator, & intrepide ab illo arguitur.*

CA-

CAPVT VI.

Restitutus aliquamdiu vitæ priuatæ, fit abbas Stabulensis; & a Deo protegitur.

POst hæc Atrebatum redierat Poppo, & rebus S. Vedasti procurandis sedulam aliquamdiu nauarat operam; Richardi abbatis imperio, Virdunum ad S. Vitoni redijt, vt noua Euangelicæ demissionis exercitatione mentem excoleret. Qui rebus præclare gestis egregiam nominis sui consecutus erat claritatem, iussus hic est ad vilissimas quasque monasterij sese functiones demittere. Paruit hilari animo vir sanctus abjectiora omnia in præcipuis reponens delicijs; tum denique sibi se restitutum arbitratus, cum a clarioribus abesse munijs liceret.

Germanæ virtutis lapis Lydius est sui demissio: est & fax splendida, sed tanto clarior, quanto densiores se tenebræ circumfuderint. Facem ergo breui super candelabrum existimauit collocandam Abbas: Popponemque secundo a se loco stare iussit, & maxima quæque monasterij administrare negotia. Quæ cum feliciter procederent, eius præterea confisus prouidentiæ, S. Mauritij monasterium Waploi dictum illi commisit. Creditam sibi complexus prouinciam Poppo, vt ascesim ipsam sanctioribus legibus, ita cœnobium vniuersum nouis substructionibus instaurauit, & Beloacum nuncupauit.

Mortuum ad vitam reuocat. Inter res familiæ procurandas, Argentinam ad Imperatorem rursum illi proficiscendum fuit. In itinere loco amœno ad corpus curandum forte resederat; ecce gregis pastorem videt eminus prædam lupo factum abstrahi in auia: suos misertus inclamat, & opem ferant præcipit. Sublatis in altum oculis a Deo potissimum flagitat auxilium, obtestatus nihil se prius gustaturum, quam prædam suam lupus reliquisset. Curritur interim longa circuitione propter paludes; & dilapso iam fuga lupo pastor inuenitur exanimis; & in equum sublatus ad Popponem reuehitur. In preces Poppo incumbit; & dum manu cadauer attrectat, crucisque signum imprimit, iacentis vultui color redire, moueri membra incipiunt; sancto denique abbati viuus pastor assidens cum illo cibum sumit.

Creatum Stabulēsem abbatem. Sub id tempus vita Bertrannus Abbas Stabulensis decesserat: eique Popponem subrogare Henrico Augusto visum est. Erat forte tum apud Imperatorem Richardus abbas; quem dissimulato consilio rogauit Cæsar, Popponem sibi donaret. Diu, multumque Richardus obstitit, multa excusans, quorum gratia Popponem a se nullo modo dimittendum affirmabat. Cum Heribertum Agrippinæ præsulem secum deprecatorem adhibuisset Augustus, & nihilo plus proficeret; imperauit tum denique pro sua Cæsaris autoritate: reueritusque imperium Richardus, quamquam ęgre, Popponem concessit. Ita Henricus Stabuleti abbatem renuntiauit: Heribertoque, & Wolbodoni episcopo Leodiensi mandauit, Stabuletum deducerent, immitterentque in abbatiam.

Magnam Cęsari, bonisque omnibus spem concitarat nota Popponis virtus, sed & inferis metum incussit, cui a tanto viro cladem non modicam formidabant. Quam vt *persequuntur impij;* auerterent, perditorum hominum in pia sancti abbatis studia odium inflammarunt tanto atrocius, quanto vita dissimiliores erant. Eo hi audaciæ, & furoris euaserunt, vt correptis aliquando armis, impetuque facto, in monasterium irruperint, monachis cædem intentantes. Insigni prodigio mansere intacti monachi omnes, multiplici quantumuis telo petiti, non aliter ac si firmissima e ferro, chalybeue lorica tecti fuissent. Facti rumor interea Malmundarium (vbi Poppo forte tum erat) delatus, vt crescit eundo fama, nonnullos e monachis cæsos esse spargebat. Popponem perculit nuntij atrocitas, virosque item nobiles binos, qui tum apud abbatem erant. Hi facinoris indignitatem minime passuri inultam, citatis equis Stabuletum aduolant, monasteriumque intrepide ingressi, ingentem illam multitudinem terrent, ac pellunt. Monachos *Deus vlciscitur.* eripuisse periculo & injurijs, sibique restituisse, satis illis fuit: at non Deo. Ante peractum anni istius circulum vita omnes expulsi sunt. De Popponis & sodalium innocentia, de certo Dei præsidio, nemo post illa prodigia dubitauit. Admirationique deinceps, & in delicijs esse cœpit, quæ odio fuerat sancti abbatis virtus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

Creatur abbas S. Maximini, multis nequicquam repugnantibus. Germanos inter & Francos pacem facit. Plurima monasteria sapientissime regit.

ETiam Cæsari creuit eius veneratio. Celsiore collocata gradu, magis in oculos atque ex eo in amorem sanctitas incurrebat. Biennium Stabuleti vix actum erat, cum Hierichone ad S. Maximini Treuiris abbate vita defuncto successorem designauit Augustus Popponem. Noua fuit odiorum sementis; sed eo quam Stabuleti turpior, quod ipsorum monachorum insita pectoribus, inhonestiori germine pullularet. Prauæ libertatis inescati dulcedine monachi nonnulli, morum suorum peruersitatem corrigi non patiebantur. Obstinatis ergo in malum animis in sancti abbatis caput scelerate conspirant. Vide conjurationis atrocitatem, omni Christiano detestandam. Sub ipsam rem Diuinam inter sacrosancta Mysteria, horrendas submurmurare execrationes, magicisque carminibus hominem sanctum deuouere diris aggressi sunt. Cum tanta non procederet impietas, veneno tollere constituerunt. Neque hoc valuit quidquam; incolumi Poppone malum omne in impia capita Deus retorsit. Nam ante annum ex eo euolutum tristi morte sublati sunt omnes.

Periclitantem item ad S. Maximini

Deus denuo tuetur,

Ceteris, qui in officio perstiterant, accreuit amor eius, & reuerentia, quem Deo carum esse, indicijs tam manifestis compererant. Et vero bene factis ille, rectisque consilijs, beneuolentiam ab omnibus & venerationem promerebatur. Ea quippe viri integritas, caritas in sodales, sanctioris asceseos amor, & cura, incensum Diuini honoris studium elucebat, vt monasterij facies alia videretur. Quare graui tentatus corporis infirmitate, cum ad extrema deuenisset, & de vita medici desperarent, tum denique vniuersorum sese animi prodidere. Singulorum periclitari patrem dixisses, ita omnium erat metus, & communis comploratio. Vnus inter omnes maxime quidam Ernestus, cum ab alio nullam spem crederet reliquam, ad Deum per preces refugit. In quas ardentius incubuerat aliquando; en cælo delabi vocem audijt: Popponi hæc infirmitas non est ad mortem. Virtuti excolendæ anni exinde viceni relinquuntur. Oraculo fidem euentus fecit, incredibili omnium gratulatione.

& vitam illi producit.

Humanis excesserat Henricus imperator, vt virtutis omnis sic & Popponis studiosus admirator. Magnum videri poterat abbatis columen cecidisse, si hominum se potius gratia, quam virtute sustinuisset. Huic vero tantum inerat roboris, vt amplissima etiam regna fulcire potuerit. Henrici successor Conradus Francis Orientalibus, (ita Germanos indigitabat ætas illa) imperabat, Occidentales (hoc est Gallos) regebat Henricus. Diffidebant animis ambo, cum sua gente singuli. Et cum ad consensionem reuocare multi frustra conati fuissent, cruentum bellum timebatur. Agnosce lector, honesti in mortalium animos imperium. Componere pacem aggressus Poppo, ea valuit apud vtrumque sanctitatis opinione, vt quo volebat, vtrumque adduxerit, duasque gentes a belli consilijs remouerit.

Germanos inter & Franços dissidia sedat.

Cæsari magis ex eo fuit in delicijs. Et cum forte tum Argentinensis ecclesia pastore suo viduata esset, Popponem præficere Conrado fuit animus. Obstitit vir sanctus eo rationum pondere, illo ardore precum, vt præ episcopali dignitate monasticam retinere modestiam obtinuerit. Rem ergo publicam Augustus ita curatam voluit, vt intra gradum suum Poppo nihilominus relinqueretur. Quotquot igitur toto imperio præsulibus suis destitui contingeret monasteria, ea vniuersa Popponi committere constituit. Ac primo paternæ hereditatis prædium in Vosago situm nomine Linthurgum tradidit, in quo in S. Ioannis Euangelistæ honorem cœnobium construeret. Feliciter constructum Poppo, sanctisque imbutum legibus, vna cum S. Maximini monasterio, Ioanni cognato suo viro longe integerrimo dedit administrandum.

Plurima cœnobia iubetur administrare.

Tum Conradi auspicijs longe, lateque vberrimos piorum studiorum fructus proferre cœpit. Abbatibus enim vita abeuntibus cum a Cæsare sufficeretur, credita sibi monasteria primum lustrare, morum corruptelam, sicubi irrepsisset, tollere, monasticæ

 discipli-

Digitized by Google

disciplinæ vim ac robur restituere, ædificia etiam vbi opus erat, instaurare cœpit: ac denique cum omnibus adesse non posset, viros probatæ fidei, virtutisque sibi substituit, Herosfeldiæ Ruodonem episcopum postea Paderbornensem, ad S. Galli Norbertum, Wirtzemburgi Volmarum, Hasternaci Humbertum, in Cella S. Gisleni Heribrandum, in Altomonte Euerhelmum, Brunvillarij Ellonem, Bosenthorffi Cononem, ad S. Pauli Vltrajecti Herizerum, eiusque duos proxime successores, Niuilrarij Theodoricum, ad S. Vincentij in Mediomatricibus Heribertum, Walciodori Lambertum, Treuiris ad S. Eucharij Bertulfum. Vide hominem ad magna publico natum: vastum mirare pectus, quo tam dissitas complexus prouincias Poppo, singulari tamen diligentia singulas excoluit.

CAPVT VIII.

Papponis facta Deus prodigijs probat.

MVltiplicem in varios partitus curam Poppo, totam a se numquam dimisit: sed supremi strategi adinstar, per inferiores ductores victrices illas copias regebat. Triumphos inuidit dæmon; & ad virium infringendum robur, nonnullos ad secessionem faciendam, ambitione, animique impotentia concitauit. Sed castigauit idem seuere, qui horrendo terræ hiatu Core cum conjuratis omnibus absorpsit. Lintburgo Ioannem a Poppone præpositum fuisse narrauimus. Quem non multo post Deus cælo postquam induxisset, in eius locum male sana cupiditate ductus irrepsit Gumbertus, nulla Popponis jussione, vel consilio. Temeritatem Deus mox corripuit. Tabefacta viscera diris hominem cruciatibus, ac lenta denique morte consumserunt. Haganonem eodem vitio non absterruit funestus ille antecessoris exitus, cui alius non multo leuior breui dignitatem simul & vitam eripuit.

Aliquos in illum rebelles castigat Deus:

Godesteno secundam late famam, & claræ virtutis opinionem solitaria vita conciliarat. Ea fortasse fiducia se Haganoni successorem ingessit, neglecta Popponis assensione: sed vltricem mox Numinis manum sensit; ex edito monte prolapsus in præceps, vitam amisit. Quibus tot afflictum casibus Lintburgum, suo tempore affirmat Euerhelmus respirare non potuisse. Ne mirare igitur adeo studiose principes viros Popponi sua monasteria commendasse, quando non vberrimos modo illius cultura produci fructus, verum certam illam intelligebant esse Dei voluntatem.

Quamquam omnem suam in vniuersos eximia caritate impenderet operam Poppo, præ ceteris nihilominus cordi Stabuletum fuit. Insidebat nimirum altius, quod animum prius occuparat. Hinc mente numquam abibat: corpus etiam eo referebat, quoties per negotia liceret. Licebat frequentius, ex quo Treuiris ad S. Maximini Ioannem præposuerat, virum sanctitate, & prudentia, quam sanguine propinquiorem. Et cum illustrem asceseos nitorem, quocumque se verteret, circumferre videretur, quam inferorum in se acuerat odium, tam Dei tutela, præsidioque muniebatur. Stabuletum aliquando reuersus, ipsam monasterij portam subibat: ecce monachus quidam, sed veste qua tegebatur indignus, eructare cœpit, quam ab inferis hauserat impietatem: sanctoque viro, quem non aliter ac optimum patrem venerari debuerat, & amantissime complecti, diris clamoribus mortem non erubuit imprecari. Audijt Deus; & in perditum caput vota extemplo retorsit. Diris quippe tortus cruciatibus, infelicem non diu post homo sceleratus animam exspuit.

iterum,

Alias sub noctem disserebat sanctus abbas cum sodalibus de rebus Diuinis: & cum ingruerent tenebræ, quempiam e cœtu dimisit occlusum aliquam in vicino portam. Postquam ille tenebrarum horrorem aliquoties excusasset, neque flexisset abbatem, e cœtu digressus, ad portam vt venit (Vide seueritatem Dei leues noxas in homine religioso quandoque castigantis) a dæmone mox infessus, horrendos edere clamores cœpit. Concurrentibus monachis, in ædem sacram abducitur, quo vel sodalium precibus, vel sacris exorcismis, ab impuro hospite liberaretur. Adest nihil perturbatus Poppo; incussaque homini alapa, hospitio suo dæmonem excussit. Ita virtutem Deus beneuolentia prosequitur: contra formidant, & horrent inferi.

iterumque.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IX.

Stabuletum & Malmundarium ædificijs instaurat.

EO studio beatus abbas sacra procurabat, vt rem familiarem nullo modo negligendam arbitraretur. Malmundarij a que ac Stabuleti, vel antiquitate, vel sordidis angustijs deforme monasterium instaurare constituit. Obturbare nisus est dæmon, quodam operum præfecto ex editiore loco in casum impulso, eiusque membris omnibus eo casu grauiter collisis. Nitentem repressit Deus; & homini vita periclitanti restituit incolumitatem mirabili modo. Illatum in mensam suam ferculum misit ad afflictum hominem sanctus abbas, conceptis rite verbis bene precatus. Mirum dictu! Vix gustarat æger, sanitati se mirantibus omnibus restitui sensit, & retulit ad opera dirigenda. Quæ cum feliciter surgerent, defuerunt exstruendo templo columnę marmoreę. Quas e longinquo petere cum ingentium esset sumtuum, vicinum montem fossionibus Poppo pertentari jussit: vano sane consilio, vt quidem arbitrabitur, quicumque loci nouerit ingenium, in quo nullas vnquam marmoris latomias fuisse certum est. Effossum tamen marmor, quantum columnis necessarium fuit. Numinis beneficentiam omnes interpretati sunt mortalium religioni obsequentis. Frustra dæmon aduersatur.

Stabuletum septēnio sic instaurauit beatus abbas, vt prima domus incunabula non immerito dixisses. Ædificiorum nihil, nihil supellectilis erat sacræ, vel profanę, quod non Popponem jactaret autorem. Pro coronide regiam magnificentiam templo dicando placuit adjungi. Eam nimirum sanctos viros procurasse non semel ad Diuini nominis amplificationem sacrę testantur historię. Cui enim potius quam Diuinæ omnis humana seruiat Majestas? Nonis Iulij anno post Christum natum millesimo & quadragesimo Henricus Cęsar, qui Conrado parenti successerat, Popponis rogatu adfuit cum multis ex vtroque ordine sacro ęque ac profano Principibus. In honorem principis apostolorum, & sanctorum Martini ac Remacli, dicarunt bini pręsules Hermannus Coloniensis, & Nithardus Leodiensis. Dicatur templum præsente Cæsare.

His rite, magnaque gloria procuratis, obtinuit Poppo, vt quæ a prima conditione ab vno abbate regi cœperant: Stabuletum & Malmundarium, ea numquam a se diuelli fas esset, Cęsareo rescripto sanciretur. Quodque faceret ad arctiorem animorum conjunctionem, decretum pariter est, vt non nisi Stabuleti Malmundarienses monastica vota nuncuparent.

CAPVT X.

Magnos ad virtutem progressus facit.

INter hæc non minore virtutum auctu Popponi crescebat animus, quam surgerent substructiones. Exclusa omni terrenarum rerum concretione, angelicam inter mortales agere vitam dixisses. A primo tirocinio vitijs omnibus, vel quibus aliquando se meminerat succubuisse, vel a quibus metuebat oppugnari, capitale bellum indixerat; durissimaque corporis castigatione tantum animo virium adjunxit, vt nobilissimos promeritus sit triumphos. Sed cum lentius initio progrederetur, quam mentis flagitaret ęstus, & veteranos assequi prope desperaret, quos peccatorum admissorum odio, lacrymis colliquescere non infrequenter animaduertebat, pectoris sui duritiem odisse cœpit, & quasi ex isto chalybe (vt quidem censebat ipse) ignem excussurus duro silice contundere non dubitauit. Nec infeliciter profecto. Accendente Numine tantus exarsit ignis, vt veluti solui animus, vberibusque totus diffluere lacrymis videretur. Nam & solum, in quo se dabat orationi; & cum sacris operaretur, vestes sacerdotales largo imbre perfundebat, ipsamque adeo mensam, cum cibo reficeretur: de quo minima erat illi cogitatio, quando animus cibi illius suauitate totus capiebatur, quem e pijs commentarijs sub mensam apud omnes asceticas familias inferri solemne est. Sui victoria, pænitentia, donum lacrymarum,

A pia illa Diuini amoris teneritudine profluebat veluti riuulus fraterna in mortales omnes caritas, sed eos in primis, quos calamitates, & ęrumnæ magis commendabant: in his vero primas tenebant asceteę, quos inopia rerum necessariarum premeret; tum anachoretæ, pietas in egenos.

Digitized by Google

choretę, quorum egestati ante omnes consuli, æquum arbitrabatur. In egenos denique ceteros eius se profundebat munificentia: & præter quotidianas largitiones aperta manu factas, Kalendis omnibus trecentos Christiana caritate reficiebat.

CAPVT XI.

Miraculis ac vaticinijs celebratur.

SOlem lux prius deficiet, quam virtutem & honore Deus, & amore destituat. Etiam prodigijs exornatum a Deo fuisse Popponem narrauimus; & narrare præterea animus est. Vir genere clarus, nomine Stephanus, religiosa sancti abbatis consuetudine captus, Stabuleti monasticen profitebatur: grauisque senio, & recte factis, cum vitam eximia laude actam clausurus esset, & animam prope agentem viserent sodales: Ego quidem, inquit æger, ad meliorem vitam abiturio: verum nisi missionem dederit pater meus Poppo, abire mihi fas non est. Vocatur Poppo: Eucharisticum viaticum homini moribundo impertit: felix iter ad beatam immortalitatem rite precatur: & ad se vix redierat: animam Stephanus efflauit.

Sanat mulierem insanam.

Femina mentis impos nullo teneri poterat ergastulo. Per auia, & inuia, per montes, & siluas vagata, ducente Deo Stabuletum deuenit eo temporis puncto, quo secundum rem Diuinam Poppo manus abluebat. Obtinuit mulier, vt in piscinam aqua de more ne mitteretur: sed eam vt primum ebibit, sibi restituta, in amentiam deinceps numquam relapsa est.

Vaticinatur, Ioan. 21.18.

Vaticinijs præterea Poppo claruit. Cum ad S. Maximini apud Treuiros Ioannem jussisset abbatem, abiturus in sodalium cœtu verba faciebat, & hortabatur ad tenendam nouo antistite in sanctis propositis constantiam; Diuina subito perfusus luce, hoc e cælo accepit oraculum, ad se destinato missum: *Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: dum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te ducet, quo tu non vis.* Intellexit quippe Ioannem vita, & munere breui defuncturum: & se quantumuis reluctantem ad id muneris denuo compellendum. Quod inter dicendum sic explicauit, vt ambages quidem, & ęnigmata mirarentur vniuersi; sed denique tum intelligerent, quum tenebras euentus dissipasset.

Iterum.

Aliud eius vaticinium notarunt. Leodium cum Wazone episcopo reuertebatur, & suaues aliquando miscebant de rebus Diuinis sermocinationes, cum equo nonnihil concitato pręcurrens abbas: Ecce, inquit, praeo. Leuiter id dictum ab homine istius dignitatis, & ætatis non existimarunt, qui aderant: & quando mortem breui postea subsequi viderunt, id ab ipso diuinitus acceptum non dubitarunt.

CAPVT XII.

Ad S. Vedasti asceticam restituit: item Martianis.

LEodium cum Episcopo Wazone vix redierat Poppo, mox Atrebatum reuerti debuit, quo reuocabat Balduinus Flandriæ marchio. Diem suum obierat ad S. Vedasti Ioannes abbas: cui Popponem suffici placebat, ob memoriam eximiarum virtutum, quarum illustre specimen abbate Richardo ediderat, donec ad Stabuletum regendum auocaretur. Suo etiam jure gentilem suum, & quondam clientem repetere Balduinus videbatur: nec abnuere Poppo potuerat. Sed cum præterea Cęsaris opus esset venia; ea tandem impetrata est sub Wazonis reditum.

Profectus igitur Atrebatum Poppo, exceptus est magna omnium gratulatione, & Vedastinorum ingenti bono. Nam cum monastices a Richardo nuper restitutæ splendor, ac dignitas effluxisset (ô humanam imbecillitatem & inconstãtiam) ad pristinum eam honorem reducere occœpit. Ac primum quidem vsque eo feliciter, vt apostolicę puritatis tempora redire viderentur, quando quæ priuatim quodammodo monachi possederant, ad Popponis pedes hilariter abjecerunt in commune redigenda. Tanta vis est germanæ virtutis.

Postquam breui omnia reflorere cœperant, vt suam ipse præsentiam minime necessariam arbitraretur, Stabuletum redire placuit, vbi (quod sibi quidem imminere certum

tum habebat) inter suos vita defungeretur. Non alia lege potestatem abeundi fecit Balduinus, quam ex itinere Martianas vt diuerteret, lustraret, labefactamque corrigeret disciplinam. Venienti processere obuiam monachi structo agmine supplicantium ritu. Hominis desiderium, & venerationem excitarat mira sanctitatis fama. Et illic vtilem nauauit operam vir sanctus: sed ob *velocem* (quam præsentiebat) *tabernaculi sui depositionem* cum reditum suum maturaret, Balduinum qui cetera accuraret, sibi substituit. 2. Petr. 1. 14.

CAPVT XIII.

Martianis sancte mortuus, Stabuletum refertur.

COntra quam apud se Poppo destinarat, Deus decreuit. Non Stabuleto, sed Martianis pugilem suum Deus ad brauium euocauit. Hoc fuit ad vltimam pugnam veluti classicum. Visus est Poppo per somnum adstantem sibi dæmonem videre, & inter alias minas iactantem etiam fore vt loco illo breui emigraret. Minitantem despexit Poppo, respondituque: Deus, cuius nutu, prouidentiaque monasterium hoc suscepi regendum, & cui milito, quo tempore, quaue ratione videbitur hac me statione euocabit. Eum sui contemptum non ferens dæmon, in illum toto impetu incurrit, quasi vim facturus. Præsidij Diuini clypeum obiecit vir sanctus; & illud regij vatis inclamauit contenta voce: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Illa cum voce fuit animi contentio, quæ non modo Popponi, sed & ceteris in vicinia corpus quiete curantibus somnum omnem excuteret. Et ne mera somniantis cerebri ludibria, sed dæmonis certa machinamenta esse, vt crederet sanctus abbas, lampadem, quæ Benedictinis legibus in dormitorio loco tota nocte lucere debet, extinctam esse deprehendit, principis tenebrarum nimirum id esse facinus. Ann. 1048. Dæmonem abigit. Ps. 123. 8.

Quod supererat noctis, postquam in canonicas preces impendisset, acerba correptus febri, mortem intellexit imminere. Quare Euerhelmum Altimontis abbatem rogauit, solemnia Mysteriorum præsidia morituro impertiretur, demortuique corpus Stabuletum reueheret. Tum instratum pauimento cilicium nudatis pedibus adijt, & magna animi demissione terram osculatus supinum se in horrenti illo sago collocauit. Eoque præcinente solemne illud carmen: *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini*: cum ceteri religioso concentu prosequerentur, ægroto vires aliquæ redierunt, dandisque vltimis mandatis spatium dederunt. Ac denique quod in votis summopere dudum habuerat, Deum rogauit, & obtestatus est, ea nocte mori daret, quę S. Pauli ad Christum conuersi pręcedit festum diem. Obtinuit vir sanctus. Eadem nocte post antelucanas preces rite celebratas, animam sancte exhalauit, anno ætatis septuagesimo. Studiose comparatus moritur.

Parentatum est Martianis, magna sanctitatis illius opinione: quam confirmauit Deus mirabili odoris e sancto corpore spirantis suauitate. Iustis persolutis inde discessum est. Vt Leodium aduentare funus audijt episcopus Wazo, pro virtutis merito, quam in viuente Poppone semper insigni veneratione fuerat admiratus, edixit vt sacer omnis ordo, quo ritu supplicatum procedere consueuerunt, structis agminibus funebri pompæ occurreret: ipse Stabuletum vsque deduxit.

Parentis sui corpus excepere monachi magna veneratione: quam non leuiter auxit illustre prodigium. Nam qui manibus ferebantur accensi cerei, nulla quantauis ventorum vehementia potuerunt extingui. Dum parentatur, angelicum se concentum auribus percepisse testatus est episcopus. Situs est denique B. Poppo media crypta, principio anni supra millesimum quadragesimi octaui: & quamquam sextus a morte dies decurreret, non modo nulla fuit e corpore graueolentia, sed perseuerabat, quę statim initio spirare cœperat odoris suauitas. Ita morientis sanctitatem meritis honoribus ac prodigijs ornauit Deus; & alijs minime minoribus sepultum cumulauit. Reliquere tamen ignobili conditum tumulo mortales ad hanc ætatem; quando serenissimus princeps Ferdinandus Bauarus episcopus Leodiensis, idem & Stabulensis abbas, in lucem proferri iussit, hominumque religionem cum S. abbatis gloria quasi sepultam postliminio suscitauit. & refertur Stabuletum.

IOAN-

II. IOANNES IARDINIVS
conuerſus Villarij. *Henriques menolog.*

A Primis monaſticæ vitæ rudimentis ſingulari quadam animi propenſione Dei matrem coluit; a qua minime imparia beneuolentiæ recepit argumenta. Acer fuit in ſui corporis caſtigatione: ſed magna perfundi ſolitus dulcedine, incendique ardore, cum Diuina contemplabatur, cælitum colloquijs non raro dignatus eſt. Sed & ſortem filiorum Dei in hac vita, id eſt crucem accepit generoſe ferendam: nam varia morborum acerbitate conflictatus eſt.

Miſerum hominem exitio liberat.

Alius item eodem tempore laborauit elephantiaſi, vt patiendo conſequeretur, quod fortaſſis agendo quærere non ſatagebat. A ceteris contagionis metu ſeparatus, morbi moleſtijs ſuccubuit: conſtituitque apud ſe, noctu clam in proximas aquas ſe dare, atque ita ærumnis modum ſtatuere. Sed a canibus prodi veritus, qui noctibus excubabant, exſpectādam cenſuit natalem Chriſti Domini noctē, qua & vinculis teneri canes, & homines in templo eſſe conſueuerunt. Illa igitur nocte cum etiam eius cuſtos ad ſacram ædem abijſſet, ſtrato ipſe exſurgit, & præ corporis imbecillitate corruit in terram, nec ſe valuit erigere. Admirandam Dei pietatem! Adfuit Virgo mater cum ſanctis virginibus Catharina & Agnete ipſoque Ioanne Iardinio; cumque illum e terra blande in lectum ſuſtuliſſet: *Fili, ait, noli negligere diſciplinam Domini; neque fatigeris cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Sic illum ſuauiſſime conſolata abijt. Infirmum inceſſit cupido ſciendi quo ipſa inde abiret: & oculo, quoad licuit, eam ſecutus, euntem in templum videre viſus eſt.

Nocturnis precibus jam erat finis; redijt ad infirmum miniſter & Iardinium aduocare iuſſus eſt. Venit ille, quamquam ægre: nam ſenio, varijſque languoribus, ſed maxime podagra confectus ad templum noctu jam pridem non ibat. Ceterum quærenti confeſſus eſt, corpore ſe quidem abſentem, ſpiritu tamen adfuiſſe. Interrogatus præterea, quo inde itum eſſet; reſpondit, Diuam matrem tribus pone ſequentibus ad cœtum monachorum adijſſe, ijſque Diuinas laudes concinentibus gratulatam eſſe, fauſtaque omnia precatam, eodem modo ad conuerſos abijſſe: ac tum denique ab oculis receſſiſſe. Recreatus Diuina illa benignitate infirmus, æquiſſimo poſthac animo optimi Dei flagella quæcumque ſuſtinuit: neque multo poſt magna fruens animi tranquillitate mortuus eſt.

Eximium hunc fructum protuliſſe credita eſt inſignis Iardinij pietas, qua hominum præſertim eorum, qui monaſticen profitentur, vtilitati cupidiſſime ſtudebat. Tandemque morborum inuicta patientia, illuſtri virtute, frequentibuſque ſuperorum colloquijs inclytus, in Domino mortuus eſt.

Die vigeſimo ſeptimo
LEONIVS
abbas Lobienſis. *Iperius, Manuſcripti S. Bertini, Chronicon Lob. Ægid. VVaulde.*

Aquicinctinus monachus fit abbas Lob.

GEnte Flander ex agro Furnenſi, domo pernobilis, apud Flandriæ comitem auctoritate ſupra ætatem valuit. Sed abjecta ſpe omnium humanorum, quæ ſibi ſumma polliceri poterat, monaſticæ humilitati ſe Aquicincti ſubmiſit, annos natus viginti duos. Eaque ſuę virtutis edidit ſpecimina, vt illum magni cœperit æſtimare Aluiſus abbas, præfeceritque primum prioratui S. Georgij ad vrbis Heſdinij portas: tum ad epiſcopatum Atrebatenſem euectus, ipſum Lobij abbatem creandum procurauit.

Neſcio qua temporum iniquitate factum erat, vt paucis monachis ægre ad tuendam vitam neceſſaria ſuppeterent. Qua valebat Leonius induſtria, in meliorem ſtatum vniuerſa reuocauit. Diſciplinæ reſtituendę primum fuit ſtudium: cui cetera Deus adjecit

ca li-

ea liberalitate, vt collectis plus septuaginta monachis religiose sustentandis cœnobij facultates plus satis essent. Floruerunt & litteræ magna gloria; quæsitique Lobio sunt non pauci, quibus regenda committerentur alia monasteria. In his Drogo creatus primum Florinensis abbas, tum Leodium ad eamdem dignitatem in S. Iacobi vocatus est.

Rei hic feliciter gestę gloria clarum Leonium crearunt abbatem suum Bertiniani anno millesimo centesimo duodequadragesimo. Quam prouinciam pari animi magnitudine aggressus, anno secundo Romam ad œcumenicam synodum contendit, ibique sui monasterij libertatem aduersus Cluniacenses adeo feliciter propugnauit, vt apostolico muniri rescripto obtinuerit. — *tum Bertinianus.*

Longius iter ingressus est anno quadragesimo sexto. Iubente Eugenio Ierosolymam petijt cum Franciæ rege Ludouico, Theodorico comite Flandriæ, & Aluiso Atrebatensi episcopo, populique maxima multitudine; redijtque biennio post pretiosissimo thesauro opulentus. Nam Christi Domini sanguinem attulit, quem inuentum aiebat circum sacratissima vulnera concretum, cùm abluerentur a Iosepho & Nicodemo. Comiti Theodorico dederat rex Ierosolymorum, comes abbati. Qui ex eius voluntate deposuit in oratorio S. Blasij seruandum.

Cum autem anno quinquagesimo secundo totum monasterium horrendo incendio conflagrasset; illud ea diligentia Leonius restaurauit, vt nouum augustiori forma steterit ante biennium, templumque Kalendis Nou. dicatum sit.

Denique virum se prębuit vasto pectore, qui neque multitudine negotiorum aut grauitate terreretur, neque frangeretur difficultatibus. Et postquam annos plurimos sapienter rexisset, anno sexagesimo tertio mortuus est.

Die vigesimo octauo

I. S. CAROLVS MAGNVS imperator. *Eginhardus, Theganus, Anastasius, Pithoei annales, Baronius.*

CAPVT I.

Carolus ab ætate prima pie instituitur.

CArolus, cui magnitudo rerum gestarum Magni cognomen fecit, patre Pipino necdum rege, matre Bertrada anno septingentesimo quadragesimo quarto natus est Iupilię, vt fere nostratibus omnibus placet. Si negat aliquis, nostrum esse nihilominus contendo, quod intra nostrę diœceseos fines vt plurimum commoratus sit, imperijque totius regiam constituerit, ac denique diem obierit, & sepultus sit. Res vniuersas ab illo gestas enarrare propositi mei non est: inueniet lector apud Francicarum rerum scriptores. Virtutes ego duntaxat & sanctitudinem persequar.

A bono patre optimam nactus est primę ętatis institutionem: qui a regia majestate non credidit alienum litteris operam dare, maxime virtuti: per quas nimirum *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Sed exemplo melius, quam præceptionibus quibuscumque liberi docentur. Sedis apostolicæ, ecclesiasticique ordinis eam venerationem a patre didicit Carolus, qua nihil aliud magis illi nominis & glorię peperit immortalitatem. — *Puer litteris & bonis moribus imbuitur. Prou. 8.15.*

Dura Longobardorum tyrannide vexatus Stephanus III. pontifex maximus, ad Pipinum jam regem ceu ad asylum cum veniret anno quinquagesimo quarto; processit obuiam iubente patre Carolus jam decennis cum plurimis e prima nobilitate, vt Christum scilicet in piscatoris successore venerari disceret iuuenis princeps in tanti regni spem educatus. Subsecutus mox filium Pipinus ad tria passuum millia, cum pontifici occurreret, venerationis gratia delapsus ex equo, ad eius pedes accidit cum conjuge, filijs Carolo & Carolomanno, principibusque omnibus. Tum assurgens eius equum per aliquod spatium stratoris vice deduxit. At paucis post diebus pontificis manu sacro inunctus oleo rex inaugurari voluit cum conjuge Bertrada & vtroque filio; auspicatissimum fore re- — *Pontifici procedit obuiam.*

gnum

DIE 28. & ab illo coronatur. gnum arbitratus, cui Christi vicarius solemni ritu bene precatus esset. Illustre hoc sinceræ religionis exemplum Carolus accepit, quod porro imitaretur cum rempublicam administraret.

CAPVT II.

Romanam ecclesiam veneratur & defendit.

ANN. 768. IN animos liberorum miram habent vim parentum exempla. Cum patri morienti successisset in regnum Carolus, in religionem & obseruantiam aduersus sedem apostolicam magis successit. Nihil quoad vixit antiquius habuit, quam ecclesiam Romanam omni studio colere, venerari, tueri viribus omnibus, summis opibus augere; hoc apostolorum principi B. Petro ratus esse tribuendum. Quod vt certum esset ac fixum, in leges suas relatum esse voluit in hęc verba: *In memoriam B. Petri apostoli honoremus sanctam Romanam & apostolicam sedem: vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas: vt licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum; tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Ita sensit & sanxit decreto tantus princeps, etiam post susceptum imperium.

Eius animus in ecclesiam Romanam. Grat. dist. 19. c. 3.

Piæ mentis in sanctum apostolum motioni obsecutus, quater in vrbem profectus est. Primum quidem anno septuagesimo quarto, vt gratias B. Petro haberet pro felici per Alpium angustias in Italiam irruptione, cum Longobardis bellum inferret: sed audi quam religiose. Vbi jam propinquus, cum inter ordines occurrentis sibi multitudinis ingentis cruces, quę præferebantur, conspexisset, relicto mox equo, reliquum iter pedes peregit. Ad principis apostolorum basilicam vbi peruenit, in genua prolapsus, B. apostolum religiosissime primum salutauit. Tum per singulos gradus quasi perreptans, singulis osculum venerabundus impressit.

Insigni religione salutat apostolorum limina.

Templum denique ipsum deducente pontifice ingressus, S. Petri sepulcrum insigni religione, sanctaque animi voluptate veneratus est. Ad alia deinceps vrbis sanctiora templa supplicatum diebus aliquot progressus, ratam esse voluit, quam ecclesiæ Romanæ fecerat Pipinus pater, exarchatus Rauennatis, aliarumque terrarum amplissimarum donationem, & addita iurisiurandi religione confirmauit.

Alterum iter ad apostolorum limina ingressus est anno octogesimo primo, post Saxonum gentem ad Christum adductam; quasi opima nimirum inferorum spolia triumpho sane Christiano ad B. Petri pedes positurus. Paschatis festo cum Hildegarde coniuge Romam venit. Pipinumque filium sacro baptismate lustrandum Hadriano pontifici obtulit. Lustrauit pontifex maximus, & in regem vnxit vna cum eius fratre Ludouico.

Post annos sex denuo Romam ijt Carolus. Inuitarant religio in S. Petrum, & fides in ecclesiam Romanam. Hanc aliquis adhuc perturbabat metus Longobardorum: qui priore bello necdum omnino fracti, Romanos infestare pergebant auctore Heregisio Beneuentanorum duce. Romam ergo contendit; & religioni quidem primos dies concessit, tum domitis Beneuentanis ecclesiæ libertatem ac pacem restituit. Præcipuum id hoc itinere apostolorum principi appendit anathema.

Sed multo nobilius est quod anno denique octingentesimo se illi obtulit. Laborabat Romana ciuitas infami dissidio. Leo pontifex maximus horrendo sacrilegio violatus, at seruatus singulari Numinis beneficio, certius nullum inter mortales sibi credidit perfugium esse quam ad Carolum regem. Venientem exceperat rex pro sua in Romanam sedem reuerentia; & cum validis auxilijs Romam remiserat anno superiore: secutus ipse est hoc anno: & in vrbem quarto denique veniens, vbi qua solitus erat religione ad sancti apostoli sepulcrum preces fudisset, operam dedit vt testata mundo Leonis innocentia honores referret, quos mereretur apostolicæ sedis sanctitudo. Inhonoram noluit tantam eius religionem pontifex. Ipso Christi seruatoris natali die Carolum inaugurauit Romanorum imperatorem, cum populi Romani incredibili plausu, faustisque acclamationibus. Tanto honore auctus ex inopinato Carolus vinci noluit animi gratitudine. Interposita iurisiurandi religione vouit se totis viribus Romanam ecclesiam, quoad viueret, defensurum.

Imperator salutatur. ANNO 800.

Regis pietati non satis fuerunt repetitæ toties religiosæ peregrinationes, non susce-

pta

pta in Romanæ ecclesię pręsidium grauissima bella, florentissimique exercitus in Italiam missi; non amplissimarum prouinciarum donationes probatę confirmatæ, non immensum auri argentique pondus basilicæ S. Petri sanctioribusque alijs vrbis templis oblatum, vltimo pręsertim itinere Romano. Duo præterea constituere placuit, quibus ecclesiæ Romanæ illustrem gloriam, opesque non paruas adderet.

Primum est quod longo difficilique bello domitis Saxonibus, & Christiana sacra profiteri iussis, omnem triumphi gloriam B. Petro adscripsit, atque adeo omnem subjecit Saxoniam. Ita suo tempore Gregorius VII. testatur Saxones fateri solitos fuisse, & in commentarijs suis habuisse consignatum.

Saxoniam S. Petro vectigalem facit: *Greg VII. l. 8. epist. vlt.*

Alterum illo maius nemo non existimabit: Gallias enim omnes (sic affirmat Gregorius VII. pontifex maximus) S. Petro vectigales fecit, vt vnaquæque familia denarium saltem vnum quotannis penderet. Ex quo tributo quoad ipse vixit, mille ducentas libras per singulos annos apostolicæ sedi numerandas collegit tribus in locis, Aquisgrani, apud podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium. Ita victricem illam gentem, & vicinis omnibus nationibus domitis gloriosam fateri voluit sanctus rex non tam sua fortitudine, quam principis apostolorum auspicijs nobilissimas tot victorias reportasse.

Ibidem. Item omnes Gallias.

Verum quando se mortalem non ignorabat, veritus ne secum concideret memoria tot acceptorum beneficiorum, & debitæ S. Petro venerationis; atque ita cælitum auxilio destitui mereretur posteritas, religiosa sapientia prouidit. Cum Theonisvillæ in principum conuentu anno octingentesimo sexto testamentum scriberet, totumque imperium in tres filios Ludouicum, Pipinum, & Carolum partiretur, hoc in primis addidit: *Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem S. Petri simul suscipiant; sicut quondam ab auo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino rege, & à nobis postea suscepta est, vt eum cum omni adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant.* Eximiam habes & Christiane prouidam augustissimi imperatoris religionem.

Eamdem mentem filijs moriturus commendat.

CAPVT III.

Ecclesiasticam disciplinam ac libertatem fouet.

VT matrem Ecclesiam Romanam, ita reliquas toto suo imperio ecclesias cum suis episcopis pręcipuo quodam honore coluit, magno rei Christianę incremento.

Primum omnium cum priores reges episcoporum designationes sibi pro sua libidine sumsissent, nulla canonum ecclesiasticorum habita ratione; sacrum ordinem suæ libertati restituendum existimauit. Sanxit igitur vt legitimis suffragijs ad eam dignitatem cooptarentur. Cooptati vero cum ad castrensia munia solerent a præfectis regijs euocari, cogique etiam in acie ad manus conferendas, vetuit seuere deinceps vt ne id fieret, quod tantopere sacris legibus aduersabatur; ne scilicet eos odisse ferroque violare discerent mortales, quos parentum adinstar colere debuissent. Eorum esse vota sacrificiaque Numini offerre pro regnorum incolumitate felicitateque; non ad dimicandum in aciem prodire. Ne tamen pugnanti militi deessent, qui eum in discrimine peccatis absoluerent, sacerdotes aliquos in castris agere voluit, quos vitæ integritate, peritiaque sacrarum legum episcopi probassent.

Præsulum electiones sancit esse liberas: eosque liberat ab expeditionibus:

Alias cum audisset ecclesias sacrasque Deo familias vexari nonnumquam impotentia auaritiaque regiorum præfectorum, acres dedit litteras ad filium Pipinum in Italia regnantem pro tuenda sacri ordinis immunitate: caueretque in primis monuit, ne labe tam pudenda suum regnum inspergeret.

Episcoporum autem iudicio tantum detulit pius imperator, vt liberum cuique voluerit esse ad eos prouocare; secutus exemplum religiosissimi quondam imperatoris Theodosij magni. Eam porro iudicijs illis vim esse voluit, vt *omnes causæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, episcoporum sententijs terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius tractari negotium, quod episcoporum sententijs decisum fuerit.* Tum subjungit: *Testimonium etiam ab vno licet episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis autoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit.* Ea Carolus e Theodosij legibus in suas relata voluit.

ad eos prouocare cuius licet.

DIE 28.

Sapiens monitum.

Hæc audiant, (inquit Baronius) *& erubescant illi, qui his penitus aduersas leges statuunt, & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes, quacumque occasione prætensa, via indirecta procurant, ne laici ipsi attingant limen ecclesiastici fori. Timeo, timeo istis, ne quando si ista facere præsumant, Deus vindex tandem exsurgens virga furoris ferrea tamquam vas figuli confringat eos. Vnde & ob imminens quod adstat periculum, æque cum Dauide ex alto corde vociferor: Nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram: & exemplo Caroli discite, ex obedientia, & obseruantia erga apostolicam sedem regna & imperia propagare, atque firmiter stabilire.* Ita Baronius.

Ecclesiæ dignitatem curat:

Porro qua sacrorum reuerentia tantos ecclesiastico ordini honores & autoritatem tribuebat, & a ceteris tribui iubebat Carolus, eadem obnixe studuit sponsam Christi ecclesiam sine ruga & macula decoram seruare. Sacros libros, quibus vt solidissimæ basi Christianam omnem sapientiam inniti certum est, cum librariorum vel ignorantia vel negligentia mendis plurimis oppleuisset, autor ipse fuit, vt Alcuinus vir illius temporis sapientissimus, collatis optimis quibusque libris emendaret. Martyrologium cujus ad id tempus in sacris cœtibus vsus erat, cum æquo breuius, & nimis jejunum videretur, ab Vsuardo insignis eruditionis monacho locupletari voluit. Eiusdē prętereа hortatu, de Diuinis officijs idem Alcuinus scripsit; & ecclesiastica officia in decentem rectumque ordinem descripsit Hadrianus Papa. Vestium, omnisque apparatus, quæ inter sacra sacerdotes vsurpant, varietatem significationemque, eius imperio explicarunt archiepiscopi aliquot ecclesiasticarum rerum peritiores. Paruum nihil existimabat vere magnus imperator, quidquid ad Dei Opt. Max. cultum & gloriam referretur.

item disciplinam.

Ecclesiasticam disciplinam in primis cordi habuit. Cuius vt sartam tectam seruaret dignitatem, e conciliorum pontificumque decretis centum & duodeseptuaginta capitula colligi mandauit, non quod aliquam super episcopos sibi sumeret autoritatem, sed cum *deuotum se profiteretur sanctæ Ecclesiæ defensorem, humilemque adiutorem,* paternarum sanctionum commonefecit. Quid quod tam frequentia cogi concilia voluerit? Annis enim diuersis concilia duodecim celebrari obtinuit, volente iubenteque pontifice Romano; ad quem id iuris pertinere fatebatur. Incensum sanctioris disciplinæ studium quid magis probet?

Clarius ecce argumentum accipe. Fatiscente annis corpore, cum mortem imminere sentiret, qua prouidentia rebus imperij consultum voluerat, ea nihilo minore sanctæ Dei ecclesię prospicere voluit. Vno eodemque anno, qui fuit post octingentesimum decimus tertius, quinque concilia celebrauit, Moguntiæ, Rhemis, Turonibus, Cabiloni, Arelate; vt collatis in vnum capitibus dispicerent episcopi, sancirentque quod ecclesiasticæ disciplinæ nitorem maxime tueretur. Factum est sapienter. Nam teste Baronio, *nihil pæne prætermissum est in quinque concilijs istis, quod ad optimam ecclesiæ institutionem spectare posse videretur. Sic igitur Christianissimus princeps proxime ex hac vita discessurus ecclesiæ bene consuluit, de qua dum vixit semper optime meritus fuit.* Sic ille.

CAPVT IV.

Ipse doctissimus litteras restituit.

QVod religioni proximum, sed ab armis videtur alienius, litteras Carolus non mediocriter amauit. Mirum profecto nemini non videatur, & ideo maiore dignum gloria; rudi illo sæculo regem vastissimi imperij moderatorem voluisse & potuisse ad litteras animum applicare. Distrahebant illum negotia, quæ plurima maximisque implicata difficultatibus occurrant illi necesse est, quicumque ad tanti imperij clauum sedet. Ecclesiam pręterea Romanam toto pectore complexus est protegendam. Imo sacra omnia suis omnibus regnis ita coluit, fouit, protexit, vt religiosissimum potius antistitem diceres quam regem. Arma tamen ita tractauit, tot bella gessit, eaque diuturna, tot barbaras subegit nationes, vt perpetrandis tot rebus hominis ætatem vix credas satis esse potuisse. Mirare igitur vastum hominis animum. Optimas horas sua diligentia inuenit, quas in adipiscenda Diuinarum æque ac humanarum rerum cognitione collocaret. Et vero eam adeptus est tantam, vt ætate sua nemini facile cessisse videatur.

Thologiam calluit,

De Theologicis disciplinis argumento nobis est, quod Albinus, siue Alcuinus suo tem-

tempore longe doctissimus, si quæ illi dubitatio suboreretur, datis ad Carolum litteris, eum consulere solitus sit. Fidei vero nostræ arcana quam illi perspecta esse debuerunt, quando in Francofurtensi conuentu, quem aduersus Elipandi archipręsulis Toletani heterodoxa dogmata cogi obtinuerat, ipse in illo totius occidentis theatro grauissimam orątionem habuit, qua & impietatem confutaret, & patres ad eamdem damnandam cohortaretur? Nec eo contentus, vna cum synodi decreto misit, quam scripserat eruditissimam epistolam, qua validissimis conuictum ratiocinationibus Elipandum, & alios eiusdem insaniæ socios ad orthodoxam veritatem reuocaret. Eas litteras apud Baronium inueniet lector anno septingentesimo nonagesimo quarto.

Artium liberalium amans fuit. E quibus maxime didicit rhetoricam, dialecticam, arithmeticam, astrologiam: linguas Latinam, Græcam, Hebræam calluit. Autor esse fertur nominum, quibus hodieque ventos ac menses Germani indigitant. In singulis monasterijs & episcopijs scholas esse constituit, in quibus grammaticam, musicam, arithmeticā iuuentus doceretur. Latinæ linguæ Græcæque tradi pręcepta Osnaburgi voluit. Cabilonensi concilio decretum est, vt ex Caroli pręcepto scholæ essent, *in quibus litteraria solertia disciplinæ & sacræ scripturæ documenta discerentur, & tales ibi erudirentur, quibus merito diceretur a Domino: Vos estis sal terræ.* artesque liberales,

Eius igitur auspicijs, hortatu, munificentiaque pelli cœptæ hoc sęculo ignorantiæ tenebræ. E quibus si quis ad aliquam lucem emergere cogitaret, non facile magistrum reperiebat, qui manu duceret. Præmijs, humanitate, beneuolentia plerosque Carolus inuitauit; alios vt discere auderent, alios vt vellent docere. Ita Parisijs aiunt cœpisse scholas, quæ connitentibus deinde regibus ad eximiam peruenerunt claritatem. Quos amare litteras, & earum cognitione clarescere intelligebat, Petrum Pisanum, Alcuinum, Paulinum, Vsuardum, alios coluit ipse impense, & posita quasi majestate, suauissima cum illis necessitudine jungi tantus rex amabat. & eas promouit.

Si verum est illud sermone tritum, Honos alit artes, non vsque adeo certe mirum, illas, viuente Carolo, toto orbe Christiano late clarissimam sparsisse lucem, auspicijs tanti Mecęnatis. At vero dolendum adeo breuis spatij fuisse claritatem illam. Cum ipso pæne Carolo extincta est: pari nimirum illius dedecore qui tam splendidam lucem extingui passus est, & gloria illius qui tanto studio accenderat.

CAPVT V.

Fortiter æque ac feliciter bella gerit.

ARmorum hic ego fortitudinem prædicabo? Ab instituto meo fuerit alienius, qui virtutem mihi commemorandam sumsi. Verum ea ipsa de causa præterire non possum. Illius enim imperatoris felicitatem inuenio tantam, fortunam eius votis sic obsequentem, victorias quasi continua innexas catena, & perpetuatos quodammodo triumphos, vt humanæ conditionis fines transcendere videantur. Virtutis scilicet ac religionis præmia fuerunt.

Alpium angustias firmissimis munimentis obstructas, infessasque florentissimis Longobardorum copijs, quis posse penetrari credidisset? Penetrauit Carolus: non sua profecto suorumue fortitudine; sed apostolorum principis auxilio. Sic ipse fassus est, & de eo gratias relaturus Romam contendit. Cujus nimirum causam insigni religionis studio tuebatur, eumdem sensit fortissimum defensorem. Et quod vix vllis mortalium viribus expugnari posse Ticinum videbatur, immissa peste regem Desiderium coëgit apostolus vt Carolo deditione traderet. Quam multas, quam potentes, quam feras & barbaras nationes inuicta illa sua fortitudine contudit, fregit, suoque vel potius Christi subjecit imperio? Et profecto certissima hæc est tot illustrium victoriarum causa. Nec enim amplificandi magis imperij sui, quam propagandi honoris Diuini cupiditate ferebatur. Obseruatum est frequentes illos ecclesiastici ordinis conuentus, quos ante meminimus, celebrare tum consueuisse, cum periculosum aliquod bellum immineret. Ita quippe sua Deo cordi futura sperabat, si magna ipse diligentia, industria, studio, sollicitudine, quæ Dei erant, procuraret. Neque fefellit Deus: neque Carolus ignorauit, & publico fateri solitus est. De Longobardis jam narrauimus. Pro domitis Saxonibus Romam item venisse certum est, & principi apostolorum ceu victori Saxoniam subjecisse. Longobardos debellat

DIE 28.

& multos in Germania populos. Græci, Persæ,

De Auaribus præterea, Sclauis, Dalmatis, Bohemis, Bajoarijs, atque Saracenis in Hispania triumphauit. Græci cum occupatum ab illo in Italia imperium vindicaturi viderentur, fœdus cum illo pacemque bello prætulerunt. Fœdus item & amicitiam petijt Aaron Persarum rex potentissimus, qui excepta India totum pæne tenebat orientem. Cum enim oratores in Syriam ad visenda sacra loca misisset Carolus, excepit illos Aaron quam humanissime, Dominicumque sepulcrum in Caroli jus ac potestatem transcripsit. At redeuntibus in Europam suos adjunxit legatos cum ingentibus muneribus. Misit & suum oratorem Amiratus Abraham Saracenorum in Africa princeps. Ea fuit Caroli gloria, cujus amicitiam per tot maria terrasque requirerent adeo studiose potentissimi principes.

Africani eius amicitiam expetunt.

Nulla scilicet regnorum imperiorumque felicitas vmquam major, quam a Dei honore cultuque strenue procurato. Nulla mihi, sed ea sit fides, quæ debetur magno pontifici Hadriano, cum ad Constatinum orientis imperatorem scriberet. Ita habet: *Cum iniquum erroris scandalum, quod in ipsis Graciæ partibus irrepsit, abolitum fuerit, & Deo annuente ipsæ venerandæ imagines restitutæ, erit magna lætitia dilatata per vniuersum terrarum orbem: & super omnes barbaras nationes, B. Petro principe apostolorum vobiscum comitante eritis in triumphis victores, sicuti filius & spiritualis compater noster Dominus Carolus rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum nostris obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnes Hesperiæ occiduæque partis barbaras nationes sub suis prosternens conculcauit pedibus, omnipotentiam illarum domans, & suo subijciens regno adunauit. Vnde per sua laboriosa certamina eidem Dei apostolicæ ecclesiæ ob nimium amorem plura dona perpetuo contulit possidenda, tam prouincias, quam ciuitates seu castra & cetera territoria.* Ea Hadrianus. Cui vtinam sequentibus ætatibus major fuisset fides & obsequentia.

CAPVT VI.

De Leodiensi diœcesi bene meritus est.

E Plurimis quę magna gloria gessit Carolus, pauca hęc collegisse mihi satis sit, quæ eximiam eius sanctimoniam clare commostrent. Attingere modo placet, quæ magis ad nos spectant, & in nostra diœcesi perfecit.

Natalis soli captus dulcedine cum Iupiliæ vel Heristalli frequens ageret, inuitatus insuper commoda per saltus vicinos venatione, amare cœpit, quam in ecclesia Leodiensi aduertebat disciplinæ integritatem, collatisque magnis opibus ornauit. Addunt super hęc nostrates pæne omnes scriptores dedisse genti huic prætorium vexillum, quod in bello vniuersæ vires sequerentur: & quia in æde principe seruari mandauit, S. Lamberti vexillum vulgus appellat.

Sed regiæ in primis magnificentiæ cum insigni religione conjunctę nobilissimum statuit monumentum, vbi paucis Leodio milliaribus ad orientem intra Leodiensis diœcesis fines thermæ celebrabantur salubritate non minus quam amœnitate. Exstruxit ibi regiam, vrbemque condidit Aquas appellatam, quam regni totius sedem ac caput esse voluit. Quæ vt sub Virginis Matris tutela quiesceret, ei templum posuit sumtu regio, conquisitis ex Italia columnis marmoreis. Stabat opus, omnium quæ Carolus exstruxerat facile princeps; pari apparatu dicatum rex voluit. Inexspectatam & votis majorem nactus est magnificentiam.

ANNO 799. Immani perditorū hominum sacrilegio pulsus vrbe Leo pontifex maximus, ad Carolum regem confugit. Excepit rex profugum qua par erat veneratione: Aquasque adductum rogauit, basilicam recens conditam in honorem Virginis Mariæ Numini dicaret. Pij regis obsecutus desiderio pontifex, consecratum præterea templum liberaliter sacris indulgentijs locupletauit: at Sanctorum reliquijs rex ipse, quas non minore diligentia, quam religione tota vita collegerat. Seruatur in nostram ætatem sacer ille thesaurus, singulisque septennijs ostenditur populo Christiano e toto Belgio, Germania, Hungaria, Gallia concurrenti.

Sed & Hoium Carolo cordi fuit. Canonicos quindecim in æde Virginis matris collocasse fertur, ijsque alendis addixisse vectigalia: vrbi vero comitatus dignitatem adjunxisse. Sed cum plurimis ibidem celebraretur miraculis S. Domitianus, educendum terra sacrum eius corpus rex curauit. Eduxit Hildeboldus Coloniensis archiepiscopus. Ea sunt Caroli celebriora in hanc diœcesim merita.

CA-

CAPVT VII.

Ad mortem religiose comparatur.

SEnio grauis ſanctus imperator, cum extremum diem haudquaquam procul abeſſe ſentiret, rem ſuam omnem mouentem vt ſcripto teſtamento diſtribueret, epiſcopos plures, & in his Walcandum Leodienſem, itemque comites multos acciuit. Memorabilis eſt tanti imperatoris vltima pijſſimaq; voluntas, quam ex Eginhardo hic adſcribam.

Suas ejuſce generis facultates omnes tripartito diuiſit Auguſtus. Duas tertias portiones in alias viginti & vnam deſcribi partes voluit, vt in totidem metropoles diſtribuerentur, quot erant in eius imperio. Eam porro partem, quæ ſingulis metropolitis obtigiſſet, diuidi voluit in tres alias, quarum vnam eccleſię ſuæ retinerent, cetera relinquerent epiſcopis ſuis ſuffraganeis. Tertiam denique rerum omnium, quas diximus, portionem (cui cum æque ac priores, auro, argento, gemmis, & reliquo ornatu regio conſtaret, adjungi voluit omnem ex ęre, ferro aliaque viliore materia ſupellectilem, quo partes poſſent ad plures deuenire) illam inquam tertiam quadrifariam rurſum partitus eſt, vt prior pars metropolitis denuo adijceretur, alteram liberi, nepoteſque obtinerent, egenis tertia cederet: vltima denique in familiæ famulos, ſeruoſque diuideretur. Religioſe teſtamentum ſcribit.

Ea fuit Magni imperatoris vltima voluntas, toti vitæ nimirū conſentanea. De pietate in eccleſias jam narrauimus: in egenos ita prodidit Eginhardus. Chriſtianā ſuam caritatem non modo in omnes qua latiſſime patebant imperij ſui fines, ſed & in reliquum orbem Chriſtianum ſpargere ſtudium fuit. Imo in Syriam, Ægyptum, & Africam extendit. Nec alio certe cōſilio cum Saracenis regibus aut principibus amicitiam coluit, quam vt Chriſtianos in eorum imperijs degentes, religioſis ſuis largitionibus ſubleuare poſſet. Quibus ſtudijs fidiſſimos ſibi parabat amicos, a quibus in ęterna tabernacula reciperetur. Chriſtianis inter barbaros ſubuenit.

CAPVT VIII.

Feliciter moritur.

AD ea, quę maioris momenti, & ad felicem totius imperij ſtatum pertinebant, conuerſus, omnibus tanta ſapientia proſpexit, vt nullum ab illius abſentia, vel dominationis mutatione periculum timeri poſſe videretur. Eamdem ſecuritatem (quantum quidem ab humana prouidentia ſperare licet) eccleſiæ rebus vt relinqueret, omni ſtudio contendit conuocatis pluribus concilijs; quemadmodum ante demonſtrauimus.

Tum ſucceſſorem in imperio filium Ludouicum deſignaturus, prouinciarum omnium ordines Aquas conuocauit anno octingenteſimo decimo tertio. Auditis omnium ſententijs, filium ijs præceptionibus inſtituit, quæ optimum parentem decerent. Primum omnium, Dei vt obediret mandatis præcepit, tum ſanctam eius eccleſiam tueretur, veneraretur ſacerdotes, ſubditos ſibi populos amaret, cœnobijs pauperibuſque ne deeſſet, vitia promeritis perſequeretur pænis, illibatæ fidei miniſtros deligeret. Quæ quidem omnia ſi quo mandabantur animo, ipſe eodem ſtudioſe exequeretur, non dubitaret Deum ſecundos conſilijs euentus conceſſurum. Hæc vbi dixiſſet, vniuerſo cœtu feliciter acclamante, filium imperij diadema ſumere juſſum, Cæſarem ſalutauit. Illud ſuarum virtutum præmium etiam viuus tulit, vt regni ſolio filium videret inſidentem. Filio ſucceſſori ſalutaria dat præcepta.

Sed mox ad aliud in cælum euocatus eſt. Nam V. Kal. Februarias anni ſequentis feliciter ſanctęque imperium poſuit ſimul & vitam. Conditus eſt in Aquenſi baſilica, quam exſtruxerat, eodem quo obijt die. Sepulcro arcus impoſitus eſt deauratus cum eius ſtatua & hac inſcriptione. *Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliauit & per annos quadraginta ſeptem feliciter tenuit. Deceſſit ſeptuagenarius anno Domini octingenteſimo decimo quarto, Indictione VII. V. Kal. Febr.* Moritur.

Sanctum inuictumque imperatorem inter prima ſua decora recenſet eccleſia Leodienſis Magnum jure optimo nuncupatum propter rerum geſtarum amplificatique imperij magnitudinem. Sed Triſmegiſti nomine lōge digniſſimus profecto fuit; primum ob bellicam fortitudinem, tum ob eximiam rerum humanarum ac Diuinarum cognitionem, & denique ob præclaram vitæ ſanctitudinem. Victrices ſane aquilas numquam cupidius, quam glorioſam Chriſti crucem, religionemque ſanctiſſimam ſtuduit proferre: ex quo ſolemnem hanc in bellis illi teſſeram aiunt fuiſſe: CHRISTVS REGNAT, Ter maximus jure dicendus.

CHRISTVS

CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS TRIVMPHAT, Eam denique cum insigni sapientia vitæ retinuit integritatem, vt in posteros sancti nomen & honores inuenerit.

S. SPEVS
II. episcopus. *Molanus.*

QVando vixerit, quam rexerit ecclesiam, sacrum illius corpus quis Aquas aduexerit, nobis ignotum est. Anno post natum Christum millesimo sexagesimo secundo Aquis Hartesburgum auexit rex Henricus: inde in suum cœnobium haud ita multo post abstulit vicinus quidam abbas. Martyrem Aquenses, Hartesburgij confessorem venerantur. Ita densis vndique tenebris illum mortales inuoluerunt, quem ob sanctitatis præmium in lucem inaccessam Deus recepit.

Die vigesimo nono
CAROLVS
I. abbas VIII. Villariensis. *Cæsarius, Cantipratanus, Assignies, Henriques.*

Mirabili consilio

FVit Carolus natione Germanus, genere nobilis, militari fortitudine inclytus. Quem re admodum leui Deus ad aliam longe grauissimam transtulit. Iter cum comite faciebat, quando pratum ingressus suauissimis floribus, fontibusq; limpidis amœnissimum, conticuit quidem ipse, itemque socius; sed ad intimam tacitæ mentis aurem cum vtroque Deus colloquebatur, & admirabilem operabatur mutationem. Pratum prætererant: Heu, quantum est in rebus inane! ad alterum inquit alter. Breui quidem effluet ea prati amœnitas: sed omnis humanarum rerum dignitas ac splendor, quanto diuturnior est? Ea negligere, certum est. At quidem in Syriam aduersus Christiani nominis hostes si tendimus, (quod quidem animo consilium jam pridem versamus) quot vbique pedicæ, quot vincula, quibus rursum impediamur? Pessumdatis ergo ceteris, Cisterciensem Himmerodæ disciplinam profiteamur.

monasticen amplectitur.

Sancte in eum modum ambo, fortiterque constituerunt, & collectis eiusdem propositi socijs pluribus, quod animo conceperant perfecerunt. Carolum ad magna destinari, significauit Deus illustri viso. Cum ritu solemni monasticum ille habitum indueret, columbam miræ pulchritudinis in eius caput cælo delabi vidit Henricus quidam e genere conuersorum, vir antiquæ probatæque fidei.

Et vero ea animi fortitudine Carolus in noua hac militia se exercuit, vt bonus aliorum ductor & magister esse posse videretur. Anno igitur post millesimum centesimo & duodenonagesimo, cum Himmeroda Serobercham sacra colonia deduceretur, ceteris præesse jussus est. Porro sacræ illius familiæ fundamenta jecit eo religiosæ paupertatis amore, modestia, sanctaque simplicitate, ac purioris vitæ exemplis, vt plurimi contemptis honoribus, humili se eius disciplinæ subjecerint.

Sapienter Seroberchã regit.

Secunda religiosæ præfecturæ fama, morumq; sanctimonia permouit monachos Villarienses Carolus, vt eum præsidem anno supra millesimum & centesimum nonagesimo septimo postularent. Detrectauit, quantum religiosæ obsequentiæ fas fuit, se monachum induisse eo consilio contestatus, vt effusiorem prioris vitæ libertatem deploraret, non vt noua se impediret. Illam tamen prouinciam subire cõpulsus anno nonagesimo septimo, non magis præesse studuit, quam prodesse. Cum enim a prima sui conditione non admodum emergeret Villarium, Caroli tandem auspicijs, ac in primis magnanimitate feliciter assurrexit. Et qui monachorum habitationem non inuenit aliam, quam viles e stramine casas, lapideas ædes exstruxit.

Opes suppeditauit Diuina prouidentia, mira hominis prouocata integritate; cujus exemplum profert Cãtipratanus memoria longe dignissimum etsi tacito abbatis nomine. Sed & tempus, & Caroli nota sapientia virtusque, & res ab illo gestæ inducunt animum vt ipsi adscribam. Mortuo Namurci quodam feneratore, ex eius vltima voluntate delatę Villarium fuerant mille sexcentę libræ: sex florenis singulas ego quidem æstimo e mente scriptoris, qui etiam alias ita videtur accipiendus. Agri hac pecuniæ summa monasterio coëmti sunt. Factus abbas Carolus vbi rem accepit, improbauit: statimq; diuen-

Integritas.

ditis

ditis gregibus, armentis, aliaque supellectile, collectam ex eo pecuniam Namurcum misit illis restituendam, qui a feneratore injuriam passi crederentur. Verum nemine Namurci id negotij suscipiente, pecunia Villarium relata est. Nec acquieuit abbas: eam præcepit in vrbem denuo deferri, deponi in foro, publiceque denuntiari, negare Villarienses illam esse suam, quam male partam fuisse nemo nesciret. Religiosi abbatis innocentiam vniuersi collaudarunt. Ac senatus quidem rem suam cuique reddi mandauit: Deus vero excitata piorum hominum mente, non ita multo post abbatem facile decimo tanto compensauit: adeo vt quod ante tenuissimum & pæne ad mendicitatem redactum fuerat cœnobium, elegans postea multisque opibus auctum asserat se vidisse Cantipratanus. a Deo compensata.

Verum quanto nobilior est animorum cura, quam substructionum, tanto certe grauior est, operæque maioris. Quam aggressus insigni felicitate Carolus, præclaram inuexit animorum immutationem, reuocata ad primæuum nitorem monastices disciplina. Hinc aucta non magis numero, & nobilitate candidatorum, quam virtute familia illa, ordinem Cisterciensem, atque adeo Leodiensem diœcesim, imo vniuersam ecclesiam exornauit, felix prole virum. Religiosa administratio.

Miranti aliquando nobili cuidam viro, qui fieret, vt ipse pluresque alij delicijs quondã assueti, solis leguminibus cõtenti nunc agerent, respõdit granis tribus deliciosum parari ciborum omnium condimentum. Primum esse manuum laborem; alterum vigilias nocturnas; tertium denique deliciarum desperationem. Cum prouincia fame fatigaretur, redigerenturque ad incitas nonnulli alias honesto loco nati, occurrit aliquando viro nobili pedibus iter facienti, vilemque vestem induto. Pupugit Carolum ea hominis species: eique mox equum, quo vehebatur ipse, obtulit: & si quid super hoc a se desideraret, minime se defuturum. Adeo mouit opportuna abbatis humanitas virum illum nobilem, vt Villario deinde suas omnes fortunas addixerit. Temperantia. Caritas in egenos.

Miram sua virtute collegit apud principes autoritatem: qua Leodiensem episcopũ, & Brabantiæ ducem ad arma quandoque prosilientes cohibuisse fertur. Sanctæ nihilominus quietis amantior, importunis quodammodo precibus obtinuit, vt posita dignitate Himmerodam priuatus se reciperet. Sed illum in sua solitudine principes non reliquerunt, cum illius se consilijs duci peroptarent. Nec æquum videbatur, vt priuatæ tranquillitatis desiderio tantum proximo bonum inuideret. Plurimis igitur saluti fuere sapientissima illius consilia. Gratia apud principes. Amor vitæ priuatæ.

Verum vt domesticis potiori iure tenebatur, iussus est a præsidibus suis parthenonem S. Agathæ curare. Hochti enim monasterium illud cum primitus incoluissent monachi Cistercienses, & postea in Vallem Dei migrassent, in id aduocarat sub hæc tempora Leodiensis episcopus eiusdem instituti virgines ex Aquensi S. Saluatoris gynæceo. Has aggressus religiosis institutionibus imbuere Carolus, eum induxit monasticæ splendorem, vt non multis post annis cum Albertus Mohanus comes regia munificentia Vallem nostræ Dominæ conderet, eo Hochtenses virgines inuitarit. Hochtum illæ reliquerunt, (quod scilicet magna rerum inopia laborabat, neque nisi diu post restitui potuit) at non certe acceptam a Carolo disciplinam deseruerunt, quam secum inuectam in Vallem nostræ Dominæ magna sui ordinis gloria religiosissime retinuerunt. Religiosæ disciplinæ cura.

Hic ergo fuit vltimus & primis minime inferior Caroli conatus: post quem breui ad promeritam optimis suis studijs mercedem in cælum euocatus est, Ita affirmauit diuinitus se didicisse sacra quædam virgo; atque adeo minime lugendam illius esse mortem, qui pro superstitibus iam in cælo patronum ageret.

II. HIMANA

abbatissa Salsiniæ, tum & Flinarum. *Vita S. Julianæ, Buzelinus.*

COmitibus Hostedenijs nata, fratrem habuit Conradum Coloniæ archiepiscopum optime de ecclesia sua meritum; vt cui præter alia præclare gesta transcripsit omnem, quam ipse adierat, illustrissimæ familiæ hereditatem. Ipsa Salsiniæ se Cisterciensi disciplinæ submisit, illudque suæ virtutis edidit specimen, vt sacræ illi familiæ jussa sit præesse. S. Julianã fœda injuria suo cœnobio pulsam visit Namurci primum ac religiose recreauit. Cum vero necessariarum rerum inopia premi videret, indignitate rei commota Leodiũ scripsit, effecitque vt quæ omnia sua Cornelianæ domui addixerat, quemadmodum æquitati sane consentaneum erat, quoad viueret, aliquid annui vectigalis acciperet.

DIE 29. ciperet. Imo Salsiniam magna humanitate sæpius illam inuitauit: venientemque officiose & caritate sincera non secus accepit, quam si beneficium acciperet, non vero concederet: nihil enim tantæ virtuti, quam (vt animo perspicax erat) in illa suspiciebat, non debitum existimabat.

At sub annum millesimum ducentesimum quinquagesimum sextum orta Namurcensium graui seditione aduersus Martham Augustam Constantinopolitanam & Namurci comitem (cui in paucis cara erat Himana, eoque nomine populi Namurcēsis odio grauiter petebatur) Salsinia cum suis omnibus cedere compulsa est. Ac ceteras quidem sodales pro calamitate temporum quam maxime potuit prouide dimisit in diuersa loca; sed Iulianam, cujus sanctimoniam in primis admirabatur, & tenere diligebat, a se non passa discedere, Fossas perduxit, eique constanter adeo adhæsit, vt ibidem & morienti deesse non voluerit, & sacrum eius corpus Villarium vsque deduxerit.

Dum trahitur Namurcense bellum, & diutius exulat Himana, contigit vita decedere antistitam Flinensem (celeberrimus est parthenon haud procul Duaco) atque vt Marthæ Augustæ commendatione cara euaserat Margaretæ Balduini I. imperatoris Constantinopolitani filiæ Flandriæque comiti, monasterium illud regere jussa est anno illius sæculi sexagesimo primo. Lætus hoc nuntio frater illius archiepiscopus Coloniensis, haud distulit Margaretę principis desiderio facere satis, quæ jam pridem postularat nonnulla e sanctarum virginum Coloniensium corporibus. Himana Coloniam profecta, cum sorore sua Alide ad S. Walburgis antistita, terram ad S. Vrsulæ alte jussit effodi: repertaque sunt ingenti numero sacra corpora: ita futurum prædixerat olim S. Iuliana. Cum nobili illo thesauro Flinas repetens, ex itinere corpus vnum & capita quatuordecim sanctarum virginum Salsinię deposuit ad aliquam sui memoriam. Redeuntem in Flandriam excepit Margareta princeps, omnesque prouinciæ ordines veneratione singulari: multique ecclesiarum & monasteriorum præsules certatim aliquam tantæ gazæ partem postularunt. Maluisset Himana multiplex hoc decus monasterio suo reseruari, quam in varia distrahi loca. Quia tamen satius Margarēta fore iudicauit, vt nonnullis earum reliquiarum variæ ornarētur ædes, multis eas cōmunicari desiderauit. Ergo Tornacensi D. Martini cœnobio duarum virginum sanctarum data corpora, quibus Honoratę & Florinæ nomina erant. Vnum Mareolenses canonici regulares Atrebatum juxta considentes accepere. Quædam capita & ossa canonicorum Duacensium D. Petri ecclesiæ concessa: alijs alia templis donata. Tantam nihilominus copiam Margareta & Himana Flinis retinuerunt, vt præter aliqua corpora ossaque varia, etiam hodie octoginta circiter illic capita visantur.

Sacrum hunc thesaurum omni auro pretiosiorem nouo templo ornandum censuit antistita; & aggressa est vna cum Margareta principe. Sed cum magnæ molis id esset, & paucorum annorum fuerit eius magistratus, alteri absoluendum reliquit. Abijt ipsa ex vita hac mortali ad religiosorum suorum studiorum immortale præmium.

ABBATISSÆ SALSINIENSES.

Salsiniam porro conditam aiunt circiter annum a nato Christo millesimum centesimum quadragesimum septimum: quam hoc ordine rexerunt

1. IDA quæ obijt 1158.
2. BERTA obijt 1182.
3. *AGNES DE WARNANT 1205.
4. MARGARETA 1233.
5. HIMANA jam a nobis cōmemorata.
6. HAWIDIS obijt sub annum 1282.
7. CLEMENTIA 1300.
8. EMENGARDIS DE LONGCHAMPS 1328.
9. IDA 1342.
10. IOYA 1356.
11. ELISABETHA 1370.
12. ELISABETHA II. 1386.
13. IOANNA 1405.
14. IOANNA DESTOVR 1422.
15. MARIA MVZOT 1440.
16. MECHTILDIS MATIEL 1450.
17. IOANNA SENSEILLE 1462.
18. ALIDIS A VALLION 1485.
19. IOANNA SMALKIN 1512.
20. CATHARINA SMALKIN 1526.
21. MARGARETA WINGARDE 1553.
22. MARIA NAYS 1559.
23. ANNA DE NOIRMONT 1580.
24. ANNA DE WAGINNES 1598.
25. ANNA GODEFRIAVX 1627.
26. MARGARETA MONIOT 1636.
27. Nobilis ac Reu. D. IOANNA DACOS magna laude regit, & religiosa vigilantia monasticen conseruat.

FLORVM

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
FEBRVARIVS.

Die primo
I. S. SIGEBERTVS
rex Austrasię & conditor cœnobij Stabulensis.

Sigebertus, Baudemundus in S. Amando, Hugbaldus in S. Gertrude, Notgerus in S. Remaclo.

NEque regni majestas, neque vitæ sanctitudo Sigebertum tenebris eripuerunt. Ita famam & nominis apud mortales celebritatem a nobis esse negligendam docuit, qui vnus est meritis omnibus major, merces nostra, Deus. Res a sancto illo rege gestas omnino paucas ab antiquitate habemus.

Patre natus est Dagoberto Francorum rege, anno sexcentesimo tricesimo sexto. Qui cum notam haberet & suspiceret Amandi virtutem eximiam, A S.Amando baptizatur ab eo salutaribus aquis filium tingi voluit. Tinxit reuocatus ab exilio sanctus episcopus: & inter sacra, cum forte omnibus ad alia conuersis nemo post factas preces responderet, infans dies natus non plures quadraginta, iam non infans, Amen, clara voce pronuntiauit. & respondet Amen. Futuræ sanctitatis, quam adeptus est ætate maiore Sigebertus, omẽ fuit.

Triennem filium Dagobertus in regni societatem recepit, Austrasia ipsi attributa, & rebus gerendis præposuit Pipinum singulari integritate, sapientia, fortitudineque præditum.

Decimum ætatis annum attigerat Sigebertus, quando diem Pipinus obijt. Successit in regni administrationem Grimoaldus parente non inferior filius. Vtriusque igitur gloria est, quidquid domi forisque gestum est ante Sigeberti regis pubertatem: eaque de causa præterimus.

Sancte puer educatus est, salutaremque institutionem tota mente complexus, regnum feliciter, vbi per ætatem licuit, cœpit administrare. Neque regni licentia, quod Religiose educatus est. fere fit, a recto virtutis tramite deflexit. Sed totus Diuinis inhians, asceteria vel a regibus antecessoribus condita in suam ipse fidem recepit, auxitque opibus: vel locis opportunis, vbi non erant, ipse noua moliri instituit. Vtebatur in eo perlubenter opera Remacli Tungrensis episcopi; quem Numine plenum nouerat formandorum ad omnem recti speciem animorum longe peritissimum. Casæcongidunum igitur euocauit, vbi cœnobium ad Sesmarum fl: posuerat, quo mores ascetarum ad monasticæ leges efformaret. Verum quod longius abesse non pateretur de commisso grege sollicitudo, regem episcopus rogauit, vt cœnobium quo se subinde reciperet, ad res Diuinas puriore meditatione hauriendas, in proximis Trajecto saltibus Arduennæ exstruendum curaret: Trajectum enim episcopis vt plurimum sedes erat. Non grauate rex annuit; vt qui monasteria condere, poneret in lucro & delicijs. Imperiorum enim nec ornamenta magis regia, nec munitiora præsidia esse vlla, quam quæ ad Dei, sacrorumque cultum amplificandum ponerentur, existimabat, judicio sane Christiano. Grimoaldo igitur

Digitized by Google

domus suæ præfecto negotium dat, vt quam designasset Remaclus aream, futuro monasterio liberaliter addiceret, atque ex ærario regio impensas omnes necessarias subministraret.

Malmundarium tum Stabuletum condit. Malmundarium in diœcesi Coloniensi primum condidit Remaclus, tum & Stabuletum in Tungrensi: ac denique dicauit anno quinquagesimo secundo supra sexcentesimum. Rex vero cui sacra omnia cordi erant; delectabaturque in primis incenso illo studio ascetarum, quos vndique audiebat concurrere ad illustria hæc Christianarum virtutum lycea; imo suis videbat oculis veluti generosos pancratiastas fortissime dimicare; sancte judicauit æquum non esse, vt rerum terrenarum sollicitudine vel penuria angerentur illi, qui per illarum contemptum ad cælestia sibi gradum struebant.

& ditat. Itaque præter illa, quæ vel ipse regia munificentia, vel Grimoaldus contulerant, adjecit quidquid terrarum vtrique monasterio adjaceret, ad vsque duodecim leucas. Leucam vnam metitur Notgerus mille quingentis passibus. Neque his contentus, ex agro omni vicino decimas insuper attribuit. Ingentes præterea opes in Aquitania & ad Ligerim adjecit. Ita sanctus rex Sigebertus quam Arduennę solitudinem infami sterilitate natura damnauerat, camdem meliore virtutum omnium copia fecundauit.

Religiosis eiuscemodi profusionibus magis exultabat, quam coarceruatis alij ingentibus thesauris. Duodecim monasteria condidisse fertur, paucis quibus regnauit annis: vicesimum enim vitę non attigit. Adeo sanctum regem terra non merebatur; cælum Deus inuexit Kalendis Februarijs anni quinquagesimi quarti.

Moritur. Eius sanctitatem quamquam a scriptoribus prætermissam, post aliquot tamen ætates multis diuinitus comprobatam miraculis, quorum nonnulla suis viderat oculis, libello Sigebertus monachus ostendit. Illud præterire non possum, quod post quadringentos annos monachi S. Martini Metis (apud quos terræ condi voluerat) sacrum eius corpus ab omni putredinis vitio illibatum inuenerint. Rursumque anno millesimo centesimo septuagesimo cum in conspectu ingentis multitudinis sepulcrum aperiretur, integerrimum & dormienti simile beati regis corpus apparuit. Sanctitatis profecto testimonium, quod sexcentis scriptoribus anteponas.

Incorruptū est corpus.

II. WINANDVS
Dominicanus. *Choquetius.*

GEnte Germanus fuisse fertur: & sanctissimi patriarchæ Dominici disciplinam sectatus, magnam egregię suæ virtutis opinionem concitauit. Habitus est enim (Leandro teste) *vir vitæ venerabilis, deuotione precelsus, & sanctitate conspicuus.* Quare cum circiter annum millesimum ducentesimum quadragesimum secundum Prędicatores Trajectum inuitarentur, missus huc fuisse creditur, & exsurgenti illi familiæ præpositus Winandus: vbi prima religiosæ illius domus fundamenta posuit: sapienter, ita fama fert. Nam ab hominibus pæne ignoratur, quem tamen varijs mirabilibus rebus a Deo celebratum fuisse, autor est Antonius Senensis. Vnica hæc posteritati relicta est. Vinum aliquando suis sodalibus propinari mandauerat; respondit promus triduum esse, ex quo nullum domi vinum fuisset: abit tamen ad cadum imperante Winando; cumque vino plenum ingenti sua omniumque admiratione inuenit; atque ex eo tum sodalibus omnibus, ac longo postea tempore prompsit. Nemo fuit e toto cœtu, qui prioris sanctimonię hoc a Deo datum esse dubitaret. Annis quatuor suo munere perfunctus est Winandus: & post religiose constitutum ea in vrbe ordinis sui tirocinium, hanc vitam cum immortalitate commutauit anno post millesimum & ducentesimum quadragesimo sexto.

Die

Digitized by Google

Die tertio

I. S. HADELINVS

Conditor Cellensis. *Manuscripti S. Laurentij ab admod. R. D. Gerardo Sany abbate exhibiti, & alij.*

S Tabulensis plantarij surculus non ignobilis aut infecundus fuit Hadelinus gente Aquitanus, & indolis præclaræ iuuenis, Stabuleti sacræ asceseos sub Remacli disciplina tirocinium posuit, tanto magistro discipulus minime indignus. Prestantioris virtutis exspectatione vniuersos recreabat, quando profecturus Romam S. Remaclus eius monasterij abbas, illum habere voluit viæ comitem.

In itinere forte Hadelini dormientis caput fulgere magna luce conspexerat: a somno quæsijt ex ipso, visumne aliquod inter dormiendum fuisset oblatum. Ingenue fassus est Hadelinus, visam delabi cælo columbam, & capiti suo insedisse: ignorare porro quid eo portenderetur. Affirmauit Remaclus, S. Spiritus in ipsum descendentis eam fuisse speciem. Illi ergo se deinceps permitteret: iret, & condendo monasterio locum quæreret. ANNO 669. Diuinitus ad magna destinatus

Vt domum rediere; profectus post breue spatium Hadelinus, in locum deuenit Dionanto proximum ad Lessiam. Illic magna seueritate corpus castigare aggressus, vegetum in res Diuinas animum sanctiore contemplatione attollebat, vitato mortalium conspectu, qui vnius immortalis Dei spectabat oculos. condit Cellas.

Verum quemadmodum *non potest ciuitas abscondi supra montem posita*; emicuit breui in omnem late viciniam eiusce sanctimoniæ claritudo & fama: cœpitque frequentari eremus illa concurrentium hominum multitudine. Impetrandorum per eius preces a Deo beneficiorum cupido inuitabat alios, alios admiratio cælestis sapientiæ, quam pia dicendi facultate liberaliter profundebat in auditores; nonnulli etiã imitandi desiderio, eius se submittebant disciplinę. Quibus cum tuguriola circum se exstruxisset, quæ in re eremitica & monastica cellas primitus appellarunt; factum est, vt Cellæ locus appellaretur: & paulatim piorum hominum munificentia in celebre monasterium excresceret. Matt. 5. 15.

Angelicam quippe vitam ducebat, Remaclo parenti suo virtutum imitatione quam simillimus. Per multas vero perpetuaturum ætates, cum tantę sanctitatis jactum semen beata fecunditate pullularet, cœnobijque illius bonus odor, velut *odor agri pleni* in vicinam omnem prouinciam diffunderetur, captus illius suauitate Pipinus princeps, eo se contulit. Famam ipsa re minorem vbi deprehendit, religiosam illam familiam cum sancto suo parente veneratus, prædia quædam addixit vitę tolerandę. Atque tum quidem omnium se obnixe commendauit precationibus; verum & alias sæpe, in arduis maxime animi sui negotijs Hadelinum consulere solitus est, & eius pro se preces efflagitare. Fauet Pipinus,

Pręter hanc Pipini beneuolentiam, fratres germanos tres Beonem, Triclinum, & Baldoinum idem bonus Deus suscitauit, qui illius religiosi cœtus egestatem donata omni sua hereditate subleuarent. Beonis vxorem admirabili prodigio sanitati restituerat Hadelinus. & alij,

Miro alio sane memorabili acceptam sibi esse testatus est Deus eiuscemodi in Hadelinum liberalitatem. Matrona quædam Wezza nomine, cum ex graui morbo decumberet morti proxima, quæsierunt qui aderant, ex ea studiose, quem vellet prædij cujusdam quod possidebat, heredem. Iterata sępius intermortua voce respondit: Hadelinum, Hadelinum inquam. Mittitur curriculo, qui illum acciret. Interim Wizza cespitem, cujus donatione (ritus is priscis temporibus) prædium Hadelino cederet, manu tenebat: sed cunctante Hadelino, animam efflauit. Adfuit ille non diu post: & dum attentius inspicit aliquidne vitæ superesset in femina: ipsa (rem mirandam!) rigentes jam morte oculos laxat, non aliter ac si viueret; & cespitem Hadelino tradit. S. Hadelini nomen prædio manet. Deo miraculis probante.

Multis præterea miraculis celebratus est. Dionanti feminam multos annos mutam persanauit, & loquendi reddidit illi facultatem. Pauperculę mulieris ostium petulci bouis impetu diffractum, integrum solo sermone restituit. Fontem præterea geminum,

 cum

DIE 3. cum aquæ laboraretur inopia, precibus suis elicuit, in Francherio monte alterum, alterum eo loco, quem Remaclus cælo tum receptus per quietem demonstrarat.

Denique mortis ab eodem carissimo suo parente præmonitus, postquam discipulis suis postrema dedisset mandata, & bene precatus esset, maturam senectutem multis præclare factis gloriosam beata morte conclusit III. Nonas Febr. Partam virtute venerationem multis post mortem miraculis confirmauit.

Moritur.

In canonicorum collegium post aliquot sæcula monasterium illud transijt; qui denique Adolfo Marcano principe de grauibus injurijs questi, cum Cellis diutius consistere se posse pernegarent, relicta antiqua sede, Leodium venerunt, asportato secum S. Hadelini sacro corpore: & paulo post Visetum migrarunt, vbi in hoc tempus collocato suo collegio sanctum suum conditorem insigni religione venerantur.

Visetum translatus est.

II. ERLVINVS
ex archidiacono Leod. episcopus Camerac. *Baldricus.*

IN ecclesia Leodiensi archidiaconus floruit virtute, prudentia, Diuinorum humanorumque cognitione, ac tractandarum rerum peritia: quæ Notgero episcopo in paucis sapienti illum adeo commendarunt, vt hunc vnum ad episcopatum Cameracensem susciperet promouēdum, quamquam a Sophia regis Ottonis sorore quemdam Arelinum Balduini Flandriæ comitis e pellice filium non ignoraret esse propositum. Creatus igitur Erluinus a rege Cameracensis episcopus anno nongentesimo nonagesimo quinto, eumdem anno proximo secutus in Italiam, a Gregorio pontifice maximo Romæ consecratus est.

Ecclesiæ suæ gubernationem aggressus, e Notgeri Leodiensis episcopi disciplina se prodijsse præclaris facinoribus probauit. Episcopio suo Cameracesium ab Ottone cum obtinuisset, eius castrum condidisse fertur. Cameraci vero episcopi palatium, & S. Autberti basilicam nouis operibus auxit, ornauit. Ab ecclesia sua injurias magna vigilantia & fortitudine propulsauit, Balduini comitis potentiam minime veritus. Walterum etiam Cameraci castellanum importuna tyrannide sibi nescio quid arrogantem compescuit, sed non ea qua par erat constantia: ideoque quoad vixit ab illo multa passus est indigna. Sed fortius in Fulradum abbatem Vedastinum animaduertit; qui nobilissimo illi monasterio partū iam pridem omnis religionis decus cum tueri debuisset, id sua turpitudine subruebat. Non censuit ferendum Erluinus: & postquam data paterno animo consilia respui vidisset, contraque tentari, quę minime omnium deceret, dignitatem ipsi tandem abrogauit, substituitque Richardum Vitonensem virum illis temporibus eximia religione celebratissimum, cujus industria studioque primus monasticæ nitor restitutus est.

Eiuscemodi consilijs suam ecclesiam postquam annis quindecim magno publicæ rei bono sustinuisset Erluinus, diem obijt anno supra millesimum decimo III. Non. Febr. & in S. Autberti sepultus est.

Die quarto
S. VVLGISVS
episcopus & abbas Lob. *Fulcuinus, Manuscripti Lob. Molanus, VValdeus.*

VVlgisum S. Ermini abbatis II. sodalem appellat Molanus: cujus etiam successorem fuisse certum est. Creatus igitur abbas fuit anno septingentesimo tricesimo septimo: episcopus autem fuit more primis abbatibus Lobij vsurpato; non quod vllam diœcesim sibi creditam haberent, sed quod apostolico munere adducendis ad Christum gentibus vacarent. Soliti quippe sunt primis illis temporibus episcopi consecrari, qui sanctum illud munus aggrediebantur. Rerum porro ab illo gestarum memoriam existimat interijsse Molanus Normannorum populationibus. Quibus sane alijsque temporum

rum

Digitized by Google

rum injurijs, imo & quandoque hominum negligentia factum est, vt vel sola plurimorum sanctorum nomina, vel quandoque gestorum minima pars hodie nobis supersint. De quibus monendum semel esse lectorem putaui.

Quamdiu fuerit abbas Vulgisus, & quo anno mortuus sit, a majoribus non accepimus. Sepultus est in superiore monasterio, quod canonicorum collegium erat,& monachorum sepulcris addictum. Nam in inferiore monachorum templo, quod ad Sabim est in valle, sepeliri neminem obseruatum est ad nostram vsque ætatem jam inde a condito Lobio. Sed anno post millesimum & quadringentesimum nono, cum grauibus bellis conflictata fuisset Leodiensis prouincia, veritus Ioannes Bauarus Leodiensis episcopus ne quam nouorum bellorum injuriam aliquando paterentur SS. Vrsmari, Ermini, Vulgisi, & aliorum quinque sanctorum sacra corpora, Binchium in Hannoniam auexit: vbi in hunc diem magna Christiani populi religione seruantur.

Die quinto

I. IOANNES MAILLARTVS
ex abbate S. Laurentij monachus in Valle S. Lamberti,

WAZELINVS
ex abbate S. Iacobi ibidem monachus, *Gesta abbatum S. Laurentij, & quæ mihi e sui monasterij monumentis exhibuit R. D. Ægidius Gryte prior S. Jacobi.*

NObili inter Leodios genere natus Ioannes Maillartus, cum euangelicam humilitatem in S. Laurentij sectaretur, id religiosæ mentis specimen edidit, vt anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo Ottoni abbati succedere jussus fuerit. Verum vt priuatam vitam omnibus honoribus pręferebat egregius sui contemptor; in ea vero desideratam sui demissionem ad S. Laurentij non speraret; vbi scilicet ex memoria pristinæ dignitatis suis sodalibus se venerationi futurum intelligebat; alio migrare constituit, quamquam alioqui monasticam disciplinam apud suos florere animaduerteret. Emicabat eo tempore per totam hanc diœcesim Cisterciensium ardor; calebatque adhuc a prima sui origine Vallis S. Lamberti. Eo concessit Maillartus relicta dignitate: quo anno non proditur. Sed eximium insignis humilitatis exemplum vixit ad annum vsque vndequadragesimum, quo ad promeritam illo sui contemptu gloriam in cælum abijt.

Tantæ virtutis exemplum non diu ante reliquerat Wazelinus e Florinensi monacho S. Iacobi abbas XVIII. qui postquam solidos viginti annos magna laude præfuisset, Christiana animi fortitudine omnem honorum splendorem repudiauit anno vndetrigesimo, vt in eadem Valle S. Lamberti monachus viueret: vbi egregio sui neglectu vitæ reliquum religiose duxit.

II. FRANCISCVS MONTMORENCIVS
e decano Leodiensi religiosus Societatis IESV.

CAPVT I.

Insigni magnanimitate Societatem ingreditur.

QVæ prima in Gallijs Christianæ veritatis lucem, docente magno Areopagita, Montmorencia gens insigni profecto gloria recepit, & per tot sæcula rebus praeclare fortiterque gestis summos quosque honores promerita est, egregium edidit nostra hac ætate germen, quod non minus in suam stirpem decus refudit, quam ab illa videretur accepisse. Franciscus is fuit; qui anno sesquimillesimo septuagesimo octauo inter Contempta nobilitate

Belgas

DIE 5. Belgas natus, illustrissimę illius familiæ caput, generoso tamen magnarum rerum contemptu se ipse major euasit.

A primis annis cælestium rerum id pondus ac momentum intellexit, vt ad sacra conuersus, ijs initiari voluerit. Casletensis ergo præpositus creatus est: tum cooptatus in canonicum Leodiensem, post aliquot denique annos omnium suffragijs adlectus est in nobilissimæ illius ecclesiæ decanum. Quam dignitatem amplissimam cum rara prudentia, autoritate, laudeque gereret, vocari visus est ad majora; sed alio quam mortalium consilio; qui scilicet mortalia dumtaxat spectant, cæci ad cetera.

opibusque Nam adjecto ad illustris domus fortunam gemino comitatu Stegrensi ac Morbecano, cum apertum illi ad majores honores cursum omnes existimarent; inexspectato euentu Deus ad meliora permouit. Comiti Morbecano justa persoluebantur: adfuit Franciscus illi sanguine proximus, eiusque heres. Ante quam terra corpus conderetur, inclamauit solemni ritu fetialis, essetne qui defuncti arma sibi tolleret: cumque responderet nemo, (defunctus quippe erat Morbecanæ familiæ vltimus) ea majorum more perfregit. Franciscum perculit hoc spectaculum; illustrissima enim gente sic extincta, vt nemo vnus ex illa relinqueretur, nihil inter humana constans sperari posse videbatur. Quod vt maturius expenderet, seposita aliquando ceterarum rerum tractatione, publico se abstinuit octo decemve dies; atque per spiritales S. Ignatij exercitationes, terrenarum omnium rerum fluxum ac inanitatem sic animo perspexit, vt teneri non potuerit, quo minus disruptis vinculis, & omni spe sæculi contempta, ad monstratum sibi Crucis vexillum euolaret, & nudus nudum Iesum in eius Societate sequeretur.

Societatem ingreditur Anno igitur sęculi hujus duodeuicesimo fortunas omnes atq; titulos in fratrē natu minimū, principem postea Robecanum trāsscripsit: nam fratrum secundus abbas erat S. Andreæ & Fidemij; tertius vero jam pridem Societatem erat ingressus, & hodie superstes Romæ est assistens Germaniæ; siue pro Septemtrionalibus prouincis a consilijs est admodum R. P. Vincentio Carrafæ Societatis præposito generali. Porro Franciscus his tribus vna cum illustrissimo, ac reuerendissimo Tornacensi episcopo deducentibus, III. Idus Decembris ad nouitiatum venit. Vbi de more in templum a magistro nouitiorum inductus, & ad implorandām Numinis opem recitato hymno *Veni creator Spiritus*; ad famulos se conuertit, qui eiusce consilij prorsus ignari sequebantur: & sibi quidem deinceps negauit obtemperandum esse, quando se ipse Reuer. patri rectori subijceret. Eos admodum perculit inexspectatum hoc vale, omnibusque lacrymas vbertim expressit.

magna sui abjectione. Digressis cum episcopo fratribus, ad nouitios ipse vnum in locum congregatos ingressus, ad eorum primum conspectum suauissima perfusus est animi voluptate, & in genua prouolutus (nequicquam deprecante rectore) singulorum pedes amplecti voluit & osculari, omnibus tantam animi demissionem admirantibus.

Altero ab ingressu die, ne quo retineri videretur mundi vinculo, aut ad eum regressus spes vlla superesset, decani Leodiensis dignitatem abdicauit: & quas de consilio suo, abdicationeque litteras ad canonicos Leodienses scripserat, tradidit perferendas fratri suo abbati S. Andreæ. Magnam Leodij tantæ virtutis admirationem audientibus omnibus impresserunt hæ litteræ: magis etiam fama quaqua versum diffusa. Scimus profecto non paucis ad imitationem accendendis subjectas fuisse faces.

CAPVT II.

Suæ ad Societatem vocationis beneficium magni facit.

PRæclaro hoc Francisci facinore permotus Theophilus Bernardinus ex eadem Societate sacerdos, non multo post scripsit, publicoque dedit libros vndecim de religiosæ perseuerantiæ præsidijs, quibus illum ad sanctam in suscepta vitæ ratione constantiam hortaretur, & currenti (quod aiunt) calcar adderet.

Nihil vero sic illum in arrepto religiosæ vitæ studio firmabat, atque suis momentis perpensum, alteque impressum animo Dei ad religionem vocantis beneficium. De quo quoties incideret sermo (quem pro suo scilicet animo crebro ac libenter ingerebat) miro pietatis sensu, teneritudineque mentis voluptate cælesti delibutæ, prædicabat singularem ergi se Numinis benignitatem, & altitudinem suauissimæ prouidentię, quæ occulta vi ea vincula, quibus in sæculo illigabatur, dirupisset, ac sese præter spem ac meritum ad hanc sanctam Societatem (sic aiebat ipse) vocasset, & per euentus varios duxisset

veluti

Digitized by Google

veluti manu, atque in eum diem in illa seruasset. Qua certe Societate quamquam (vt dictitabat) indignus, membrumque inutile, & locum alterius, qui multo cum fructu in ea laboraturus fuisset, occuparet, confidere tamen se affirmabat sancti parentis Ignatij meritis, aliorumque e Societate sanctorum siue cælo jam receptorum, siue adhuc degentium in terris, optatum finem cęlestis beatitudinis consecuturum. Nam *particeps*, inquiebat, *ego sum omnium timentium te.* Ps. 118.63.

Sed etiam hoc generosius. Sub finem tirocinij, cum ob inueterati jam languoris pertinaciam, spemque exiguam melioris valetudinis ambigerent, qui Societati in prouincia præerant, possentne eum ad vota nuncupanda admittere, ea de re ad præpositum generalem retulerunt. Proposuerunt interim ipsi Francisco, an ad sua redire vellet relicta Societate, sanitatis facilius recuperandæ gratia. Ille pro incenso suo in Societatem studio magna constantia respondit: Quamuis sibi ad sæculum redeunti certa spes esset recuperandæ valetudinis: & contra appareret in religione assiduis se morbis conflictandum, deliberatum sibi potius cum eo valetudinis incommodo in religione ad mortem vsque perseuerare, quam in sęculo sanum florentemque viuere; si modo Societatis pręsides, inutilem licet Dei causa in ea retinerent: curaturum se quoad posset, vt illi quam minimo oneri esset. Insignem constātiam!

Quod ergo tam constanter optarat, consecutus, semper deinde magis amauit. Nam & quotidie vota repetere sub sacrum, confirmareque solitus est: & si quem acciperet a Societate defecisse, acerrimo tangebatur doloris sensu. Optabatque liceret sibi cum illis, qui in illa vacillabant, familiariter agere; vt illos quoad fieri posset, fortibus monitis animatos ab ea mente deterreret.

CAPVT III.

Eximia eius modestia, paupertas, patientia.

HOc illustrior est humilitas, quo quis ex altiori se demiserit. Post contemptam eam quam diximus dignitatem, generisque splendorem ac principales fortunas, vir pręterea illius ętatis (annum egerat quadragesimum primum, cum Societati se dedit) reliqua vita mirabilem animi de se modice sentientis demissionem constanter prætulit, summa erga pręfectos suos obseruantia, aduersus omnes candore animi, morumque facilitate; qua etiam ante initam Societatem summos infimosque sibi mire deuinxerat. Prior ipse nudo capite ad se venientes excipere solitus, magna demissi animi significatione quemlibet affari, vnicuique etiam minimo tamquam præsidi deferre: fuitque aliquando vt a socio laico, nescio cujus errati veniam demisse sumto in manus pileo, precaretur: in quo is qui veniam rogabatur nullam culpam posset agnoscere. Humilitas.

Egregię sui demissionis illustre præbuit exemplum statim a tirocinio, quando moderatorum arbitrio theologicas scholas frequentare cœpit tanta animi voluptate, quantam inter mundi illecebras & honores numquam præ se tulerat: adeo vt qui in ijsdem studijs cum illo versabamur, illam eius demissionem magis veneraremur, quam dignitates ante suspexeramus: & certe Numinis in nos beneficentiam agnoscere cogebamur, quæ nos ad illud vitę genus vocasset, atque in eo retineret, ad quod vir tantus posthabitis illis dignitatibus ea propensione se demisisset. Ceterum corporis infirmitate compulsus cum paulo post scholarum exercitationes deseruisset, eamdem semper retinuit mentis æquitatem: & cuipiam aliquando dicenti, optandum fuisse, vt ipse theologicarum disciplinarum cursum emetiretur, quo solemni Societatis more professionem quatuor votorum posset edere, dignam se sententiam reposuit: Eo consilio minime ad Societatem veni, vt ad aliquos in illa honores eueherer: mihi plus satis est, me nuncupatis votis in illa religiosum viuere.

Illum sui contemptum consequebatur tenerrimus religiosæ paupertatis amor, quem in omni victus vestitusque ratione palam testatum facere gestiebat. Non nisi ægre adducebatur, vt obsoleta jam vsuque detrita vestimenta cum opus esset, commutaret melioribus; dictitans ea etiamnum vsui idonea; & paupertatis rationem habendam esse. Victus ratio, vt in corpore morbis afflicto & imbecilli admodum tenuis, & intra necessitatem. Vt vero quidpiam alicujus pretij sibi proprie coëmeretur, ferre non poterat. Nec paupertatis modo, sed etiam pauperum amans fuit: in quos si quid ei a Paupertas

præ-

Digitized by Google

DIE 5. præsidibus permitteretur, pia liberalitate totum profundebat.

Patientia. Quanta vero fuerit in doloribus æquitas animi & in perferendis cruciatibus fortitudo, perpetuus ille tot annorum languor ostendit. Vix enim in Societatem ingressum, (quasi forti experimento tironem suum tentaret Deus, quo inueniret illum dignum se) inuasit pertinax morbus ischias. Qua in dies acerbius recrudescente, eo tandem bonus pater redactus est, vt vi morbi luxata coxendice, non nisi fulcrorum adminiculo sese quoquam mouere, ac ne horum etiam subsidio absque magno labore posset. Itaque annos circiter viginti intra pauperis cubiculi angustias tantum non constrictus, & in omnes euentus in Diuina voluntate conquiescens, grauis nemini, omnibus patientiæ documento, animique æquitate, carus vixit.

Morbi porro nonnihil subinde remittentis tœdia piorum versuum scriptione leuabat. Quo in genere quantum valuerit, argumento sunt sacra cantica & Idyllia, quæ publico data sunt magna eruditorum approbatione.

Rectus amor litterarum. In poëticen a prima ætate se immoderatius incubuisse fatebatur, cum aliquo valetudinis detrimento: eaque de causa obtinuit a suis præsidibus, vt cum vires ademisset morbus, valentiore aliena manu flagris cæderetur: addebatque se religioni iam ducere ad eadem studia redire, nisi sancta, & e sacris scriptoribus petita argumenta tractaret. Quod ipsum studiose commendabat iunioribus humaniorum litterarum professoribus: eoque fine Dauidis poëticam artem illis subinde in familiari sermone exponebat adeo feliciter, vt omnes obstupescerent. Dicebat porro se ante quam Societatem iniret poëticis studijs ita fuisse delectatum, vt qui onustas fructibus arbores cum voluptate contemplantur: at modo cum se ad res sacras scribendas conuertisset, ijs delectari, vt faciunt illi, qui fructus ad aspectum pulcherrimos, postquam visu fuerint recreati, colligunt, & cum voluptate eisdem vescuntur.

Nihil scilicet illi sapiebat, quod Diuinę gloriæ studio non condiretur. Quare cum Theologicam quæstionem aliquando legisset, qua modus explicabatur, quo mutuas cogitationes sibi aperirent, & colloquerentur angeli, affirmauit se magnopere mirari hęc a theologis disputari, quę & valde sint incerta, & ad proximi salutem non conducant.

His ergo sed potissimum religiosis piæ mentis exercitationibus, suum illum pauperem secessum ac solitudinem ita sibi non tolerabilem modo, sed jucundam etiam ac suauem recte vtendo fecerat, vt non semel testatus sit, plus se liquidæ voluptatis die vno ex ea percipere, quam inter honores & vitę commoda anno toto esset expertus. Adeo verum est, ei qui sua bona nouerit, meliorem esse diem vnum in atrijs Domini super millia! Atque in eo quoque suauitatem Diuinæ erga se prouidentię commendabat, quod nimirum se alioqui per omnia inutilem morbis immissis exerceret, vt vel sic conformem redderet imaginis filij sui. Illud interim vnum in suis doloribus sentiebat, quod eos subinde animo non satis forti sufferre videretur. Cujus itidem admoneri se a socio cupiebat, si quid in eo forte a se peccari animaduertisset.

CAPVT IV.

Religiose moritur.

Vitam adeo religiosam mors haud quaquam impar subsecuta est. Non multo ante mortem cum S. Ignatij commentationibus mentem per dies aliquot exercuisset, generalem peccatorum confessionem magna accuratione quasi postremam instituit, velut si mortem imminere præsagiret.

Mira ipso supremo tempore fuit in eo pax animique tranquillitas, magna de Diuina bonitate fiducia, mentis cum Dei voluntate summa consensio, quando dolores suos cum Christi doloribus conjungebat, & se ipse Numini penitus offerebat in holocaustum. Fuit & acre cælestis patrię incensumque desiderium: quo ipse eam in rem vsurpatis crebris piarum precum formulis totus aspirabat; vbi etiam se ab ijs dudum exspectari diceret, quos in vita præ ceteris caros habuerat. Atque si diuinitus ea sibi daretur optio, vt ex eo morbo reualesceret, si vellet; se vero de manu Dei mortem promptius acceptaturum, *quoniam melior est misericordia eius super vitas.*

Psal. 62. 4. Mirabatur vero se hoc in articulo ea perfrui mentis tranquillitate, vt quamuis (quod ajebat) horis abhinc viginti quatuor in alteram vitam demigrandum esset, nihilo tamen exinde

exinde magis commoueretur, quam si aliud quodpiam non eiusce momenti negotium conficiendum esset. In quo ille rursum lætus agnoscebat Diuinæ pietatis beneficium, quo ad Societatem vocatus fuerat; sine quo, nequaquam ea animi pace & gaudio mortem fuisse oppetiturum.

Cum sub sacram vnctionem de imminente beatitudine injectus esset a rectore sermo, hic jam solita fiducia, & manu appressa pectori: *Reposita est*, inquit, *hæc spes mea in sinu meo.* Quæ & his affinia alia eo animi ad cælestia anhelantis ardore, ea pietatis significatione promebat, vt adstantibus lacrymas suauissimus pietatis sensus non semel elicuerit. Nemo certe fuit, qui parem sibi e vita discessum a Deo non precaretur. *Iob 19. 27.*

Denique post dulcissima IESV & MARIÆ nomina pie appellata, cum extrema voce subjunxisset; Sit Deus benedictus: placidissima morte, velut leui somno solutus est Duaci Nonis Februarij anno post Christum natum millesimo sexcentesimo quadragesimo. Vixerat annos sexaginta duos; in Societate viginti & vnum. Postridie mortis funus elatum sponte honestauit frequens nobilitas, rata se hoc debere mortuo, quæ viuentis virtutem suspexerat ac coluerat.

Die sexto

I. S. AMANDVS

episcopus XXVI. apostolus Flandriæ, conditor Elnonensis. *Baudemundus, Notgerus in S. Landoaldo, Sigebertus in S. Sigeberto, Theodoricus in S. Trudone, Hugbaldus in S. Gertrude, officium Leod. Molanus 6. Febr. & 1. Oct.*

CAPVT I.

Vitam apostolicam instituit.

AMandum externis potius populis, quam sibi genuit Aquitania. Paternam quippe domum, omnesque fortunas, parente nequicquam dehortante, deseruit generosus adolescens, vt euangelicam paupertatem amplecteretur. Et post lustrata plurium sanctorum ascetarum cœnobia cum Bituriges venisset, annos posuit denos quinos in disciplina Austregisili præsulis sanctissimi. Sed religiosa peregrinatione Romam suscepta dum eximio pietatis sensu apostolorum limina veneratur, Gallias repetere iussus est a S. Petro, ad semen Diuini verbi felicibus auspicijs iaciendum. Auxit animos ab apostolorum principe jussio. *Apostoli munus illi a S. Petro demandatur.*

Regressus in Gallias, cum se regi stitisset, atque Galliarum episcopis, episcopum consecrari placuit: ita quippe ferebat eorum temporum ratio, vt euangelicæ prædicationis gratia episcopi dignitas conferretur. Apostolicum igitur munus incenso animi ardore aggressus, diuitem animarum prędam ad Christum adduxit.

At vehementiore sensit cupiditate pectus accendi, quo nobilior in oculos præda incurrebat Bauo. Cuius exemplis, vt audiebat plurimos in exitium propelli, (imperia fere sunt principum facta) ita nihilo pauciores sibi persuadebat, felici morum eius immutatione reuocandos ad salutem animarum strenue curandam. Nec irriti fuere conatus. Quem iuuenilis impetus in auersam ab honesto vitam longius abripuerat, sana deliberatio per sapientem Amandi adhortationem in viam reduxit. Secutus est fructus exspectationi Amandi non impar. Nobilissimus omnium fuit in Gertrude Niuellensi; cui acre calcar fuerunt sanctiora cognati Bauonis consilia. De hoc & illa suo tempore dicturi sumus. *Bauonem ad Christũ conuertit, quem secuta est Gertrudis;*

Recreatus vberi messe Amandus, maiora meditari cœpit. Gandensem populum ad Scaldis & Legiæ confluentes idololatria insanientem, ad Christianam veritatem sibi sumsit adducendum. Prefractæ mentes, & impijs superstitionibus in transuersum actæ, pertinacius reluctatæ sunt, quam vt primo congressu manus darent. Euicit tandem *tum Gandensis populus,*

Digitized by Google

DIE 6. Amandi constantia, Christianæ doctrinæ veritas, & perpetratorum a Deo prodigiorum frequentia: diffractoque impietatis iugo, populum illum in veram Christi Domini libertatem asseruit.

CAPVT II.

Peccantem arguere regem ausus exulare iubetur: nec ideo sanctis se laboribus abstinet.

ANNO 633. Regem ausus arguere, SVam operam ouibus errantibus in ouile Christi adducendis dum nusquam desiderari patitur Amandus, non immerito vereri visus est, ne regno vniuerso pestem crearet pudenda & luxu infamis Dagoberti regis vita, qui pro libidine sua quas lubebat, coniuges ducebat ductasque pellebat. Illum igitur officij Christiana libertate commonuit, salutaribusque præceptis vitæ turpitudinem castigauit. Verum neque se patiuntur argui supremæ potestates: neque libidinis cœno immersæ mentes suauolentis virtutis percipiunt fragrantiam. Indignatus rex commonitorem suum regni finibus iussit facessere. At sua secum omnia portabat vir sanctus, ibi patriam inuenturus, quocumque perrexisset: vbique inuenturus, quem summo studio quęrebat Deum.

iubetur exulare.

Mirabilis animi ardor. Gallias ergo, non institutum suum reliquit: vt qui messem nihilo parciorem finitimis in regionibus speraret. Vascones in Pirenæis saltibus, tum & Slauos trans Danubium excoluisse fertur mirabili ardore & diligentia, quæ vastissimis & maxime dissitis terrarum spatijs non fatigaretur, aut tepesceret. Indignum scilicet iudicabat, ea non audere pro amplificanda Numinis gloria, quæ negotiatores per summa pericula pro augendis opibus, vel per populorum strages & ruinas pro quęrenda nomini suo gloria non dubitarunt aggredi imperatores.

Landoaldũ & socios Roma conquirit. Verum expertus non illam in Domini horrea frugem, quę sperari poterat, reportari propter operarum penuriam; Romam iter adornauit, sociorum supplementum a pontifice maximo quæsiturus. Et vero plures impetrauit sanctæ illius expeditionis comites Landoaldum archipresbyterum, Amantium diaconum, Adrianum, & alios numero septem. Quibuscum auctus animis ad primos se labores retulit; & non imparem tam sancto conatui fructum produxit.

CAPVT III.

Reuocatus a rege, filium eius sacris aquis tingit. Tungrorum episcopus creatur: nec tamen apostolicas expeditiones dimittit.

Regis filiũ baptisat. DAmnata interim priore vita Dagobertus rex, pulsisque pellicibus, aggressus meliora, Ragentrudem duxit coniugem, & masculam ex ea suscepit prolem anno post sexcentesimum tricesimo sexto. Cumque Amandi virtutem, quamquam regno pulsam, semper suspexisset, illum ab exilio reuocauit, vt Christianis sacris filium initiaret. Initiauit Amandus, & in gratia deinceps apud regem fuit, sanctisque consilijs in administrando regno vtilissimam operam nauauit. Felix rex, qui integros vitæ viros in consilium adhibet, eosque audit, qui regibus audent vera loqui. Vtrumque æque rarum, parique dignum laude: regem pati, imo amare errata sua argui: & consiliarium noxio metu posito audere regem arguere. Publicam rem ambo certa cumulant felicitate.

Creatur episcopus Tũgrens. Cum anno proximo Ioannes Agnus Tungrorum episcopus suum diem obijsset, Amandum illi Dagobertus subrogauit. Reluctatus est ille non laborum metu, quos ardentissimis Dei causa votis expetebat: sed quod honores auersabatur, qui non magis virtutem consectantur, quam illos fugiat germana virtus. Cessit nihilominus regis imperio, & omnium ordinum postulatis: admissumque munus exequẽs, eo majore virium omnium contentione per diœcesim vniuersos ad Christianæ disciplinæ puritatem amandam cohortari cœpit, quod populum esse suum, quod se pastorem intelligeret. Acer est a caritate stimulus, at seuerum a justitia imperium.

Suus

Suus operæ fructus respondebat vberrimus, quandoquidem toto Tungrorum agro, aureum vere fuerit hoc sæculum: nec aliud vllum sanctitate magis floruerit. Verum vt lucidissimum alias solem nubecula sæpe tenuis obtegit: ita nonnulli a quibus subsidium non minus lingua, quam vitæ exemplo sperari par erat, ecclesiæ nitorem impuritate sua inficiebant, & ad honestum reuocantis verba respuebant. Adeo nihil vsquam est ab omni parte beatum.

Peruicaciam detestatus sanctus præsul, opimæ messis desiderio, quam Gandaui, Tornaci, finitimisque regionibus se reliquisse meminerat, eam repetere constituit. Commendata Landoaldo archipresbytero ecclesia sua, reuersus est ad priores labores. Non alio quippe consilio diœcesim vnam refugere videbatur, quam vt suam latius operam diffunderet. Nec alio vsquam loco lubentius eam collocabat, quam Gandaui, adjacentibusque regionibus. Quas cum ante susceptum Tungrensem episcopatum insigni excoluisset studio juxta ac fructu, ad eas toto se animo referebat, non secus ac ad proprium quemdam fetum. nec tamen priores expeditiones deserit.

Tungrensem nihilominus ecclesiam non ita deseruerat, vt omnem rei bene gerendæ in eius finibus dimitteret occasionem. Niuellis virginem genere virtutibusque illustrissimam Gertrudem sanctioribus institutionibus juuit ad Christianæ vitæ puritatem consectandam: atque adeo IV. nonas Dec. anni quadragesimi septimi sacrum virginitatis illi velum imposuit. Ad Sabim præterea secundo ab vrbe Namurcensi lapide Monasterium posuit, & in S. Petri honorem Deo consecrauit, quod a posteritate S. Fredegando dicatum est.

CAPVT IV.

Episcopatum abdicat.

QVamquam pro voto vicinas excoleret regiones Amandus, compedes tamen nescio quas sibi credebat injectas, quamdiu Tungrensis ecclesiæ curam nondum deposuerat. Abdicandi potestatem litteris ad Martinum pontificem maximum datis anno quadragesimo nono flagitauit: simulque precibus institit, vt sacras sanctorum reliquias, librosque aliquot impertiri dignaretur. Ac deniq; certior fieri petijt eorum, quæ in concilio constituta fuissent, quod Romæ Martinus coëgerat aduersus antiquas hæreses ante annos quindecim in Oriente repullulantes. Respondit pontifex minime sibi placere, quam ille cuperet missionem: sed potius generoso pectore sustinendos atque superandos Christi nomine labores, quos secum episcopij cura deuehere consueuisset. Romanæ vero synodi decreta misit, vt ea cum ceteris Galliarum episcopis, suo calculo probaret. Misit & reliquias; non autem libros, excusata eorum penuria. Ita pontifex. Verum quæ fuerint illæ sanctorum martyrum reliquiæ, nemo prodidit: quemadmodum neque quis fuerit Gallicanorum episcoporum cœtus. Summo pontifici nihilominus obtemperatum fuisse persuadet Amādi virtus & sincerum veritatis orthodoxæ studium. Abdicandi ANNO 650. vero potestatem quamquam hoc anno negatam, obtinuit sequenti, pontifice rationibus nescio quibus euicto: & episcopi munus posuit, non sectaturus otium, aut in latebras se abditurus, sed in ampliorem aliam expeditior se daturus palæstram.

CAPVT V.

Post sanctissimos labores feliciter moritur.

REliquum ætatis non infrugifero otio Amandus consumsit. Primam quippe Belgarum nobilitatem præter eos, de quibus suus est alias dicendi locus, ad omnis virtutis normam instituit.

In his sanctimonia celebrantur Rictrudis, & sanctæ virgines eius filiæ Clotsendis, Eusebia, & Adalsendis Martianis, Duacique earum frater Maurontus: Sonegijs Vincentius, eiusque conjux Waldetrudis Castriloci, Malbodij Aldegondis, Merbecæ Berlendis, ipsius sancti viri neptis ex sorore: pluresque alij genere sane inferiores, at nequaquam sanctitate. Cujus tam beatæ cateruæ pars non ignobilis Elnone fuit sanctus Andreas, Martianis Ionatus, Blandinij Florebertus & Ioannes, omnes ab ipso Amando ab- Mirabiles eius fructus.

 bates

DIE 6. bates constituti: ac denique magnus ille Humbertus, qui tam sibi, quam B. Amando paratam in cęlo coronam diuinitus accepit. Et ne cuipiam de Humberto dubitare fas esset, in ipso eius capitis osse crucem ceu arrham angelus impressit oculis omnium spectabilem, quamdiu vixit ipse. Beatam virtutis fecunditatem, non sanguine, sed exemplis, præceptionibus, disciplinaque propagatam! Quæ omnia vt S. Amandi gloriam amplificant, minime fuerunt mihi prætermittenda: sed indicasse satis existimaui, ne me nimium in externa diffunderem.

Elnonem condit: Ceterum postquam Childerici regis munificentia conditum Elnone cœnobium monasticis institutionibus, vitæque exemplo stabilijsset; ac anno demum sexagesimo primo dicasset basilicam; insequentis anni principio ad promeritam tot laboribus coronam in cęlum euolauit sub annum vitæ nonagesimum. moritur. Terræ mandatus est in eodem monasterio; quod Tornacum inter & Valentianas cum vrbe hodie nomen ab ipso retinet: plurimisque celebratus miraculis, præcipua post tot ætates populorum religione colitur. Inuentum est sancti præsulis corpus anno supra octingentesimum nono putredinis omnis expers, & viuentis hominis adinstar, adeo succo plenum, vt geminos dentes religionis gratia cum extraxisset aliquis, sanguinis stillas fluxisse proditum sit. Apostolici viri sanctissimique parentis memoriam inhonestis ruderibus pęne obrutam quo suscitaret nostra hac ętate, meritisque honoribus recoleret admodum R.D. Nicolaus du Bois Elnonensis abbas, instaurato a fundamentis vniuerso monasterio dignum B. Præsule monumentum erexit.

II. OMNES SS. EPISCOPI TRAIECTI.

A S. Seruatio ad vsque S. Hubertum (qui Leodiū migrauit) omnes quoquot fuerunt episcopi sanctitatis nomine celebrantur, & ab ecclesia coluntur. Quibus omnibus, quod Trajecti fuerint episcopi, vt quidem nonnullis placet, vel ibidem certe domiciliū fixerint, hunc Februarij sextum diem illius vrbis ecclesia consecrauit, quod quo die plerique mortem obierint, ignoretur. In solemni tamen precandi formula septem dumtaxat recensentur, ijque sunt, qui suo singuli certo die coluntur. In eum igitur illos reijcimus, quemadmodum & reliquos, quorum noti sunt natales: ideoque hic asterisco notabimus, vt ab alijs secernat lector. Illo autem sibi successerunt ordine.

* S. SERVATIVS X.	* S. MONVLFVS XXI.
S. AGRICOLAVS XI.	* S. GONDVLFVS XXII.
S. VRSICINVS XII.	* S. PERPETVVS XXIII.
S. DESIGNATVS XIII.	* S. EBREGISVS XXIV.
S. RENATVS XIV.	* S. IOANNES AGNVS XXV.
S. SVPPLICIVS XV.	* S. AMANDVS XXVI.
S. QVIRILLVS XVI.	* S. REMACLVS XXVII.
S. EVCHERIVS XVII.	* S. THEODARDVS XXVIII.
S. FALCO XVIII.	* S. LAMBERTVS XXIX.
S. EVCHARIVS XIX.	* S. HVBERTVS XXX.
* S. DOMITIANVS XX.	

Quibus ego quidem annumerandos censeo episcopos octo pariter sanctos, qui ante S. Seruatium cathedram Tungrensem tenuerunt. Quamquam enim certum sit, & fateantur ipsi Trajectenses, eos nequaquam illius vrbis episcopos fuisse; illorum tamen sacras exuuias huc ante Tungrorum euersionem a S. Seruatio credimus advectas esse, & in eius templo asseruari. Quare hujus diei honores illis etiam fuisse decretos existimo: ideoque subijcio nomina.

S. NAVITVS II.	* S. FLORENTIVS VI.
* S. MARCELLVS III.	* S. MARTINVS VII.
* S. METROPOLVS IV.	* S. MAXIMINVS VIII.
* S. SEVERINVS V.	* S. VALENTINVS IX.

His porro inter preces inserit ecclesia Trajectensis S. Candidum item episcopum; non quod hujus diœceseos pastor fuerit; sed quod illam quamquam aduena sua sanctitate illustrarit, & in ea terræ mandatus sit. Sed etiam hic suos honores habet septimo Iunij. Quorum autem natales dies ignoramus, ignota quoque sunt hominibus præclara facinora:

Digitized by Google

nora: at suum in cælo præmium habent; vbi quemadmodum ignorari, sic & inhonora nequit esse virtus. Illis igitur omnibus, hoc est triginta sanctis episcopis sextum Februarij Trajectensis ecclesia dicauit; sacraque illorum corpora viginti & vnum veneratur. Faxit Deus, vt quod nostra peccata sustulisse videntur, tot sanctorum præsidium Diuina pietas restituat.

III. S. RELINDIS abbatissa Eicana. *Molanus.*

Eicæ ad Mosam (hodie Masecam appellamus) principio sęculi octaui vixere pij conjuges opibus, genere, virtute spectabiles; duasque filias genuere Harlindem & Relindem siue Renulam; de qua nobis sermo hic est. Vtramque a teneris vnguiculis sancte instituendam in parthenone, qui Valentianis ad Scaldim præstanti virginum sanctimonia florebat, Christiana sollicitudine procurarunt.

Pijs illę sic imbutæ sunt institutionibus, vt contempto humanarum omnium rerum splendore, euangelicam cum monastica disciplina humilitatem amplecti totis animis constituerint. Et cum magno asceticæ rei bono alijs præesse posse viderentur, parentes non procul Eica in prædio suo monasterium filiabus construxerunt. Adeo illę sanctum & omni honestate virtutum prestans vitæ institutum arripuerunt, vt ingentem filiarum turbam virginea fecunditate sponso Christo genuerint. Magistros Diuinæ sapientiæ nonnumquam audiebant Willibrordum Bonifaciumque, celebratissimos illos Frisiorum apostolos: qui sacram hanc sementem eo cupidius jaciebant, quo paratioribus sentiebant animis excipi. Ferunt, cum aliquando venisset ad illas Willibrordus, parumque vini superesset in cella penuaria, desubito vas Dei munere repletum fuisse.

Viuendi finem prima fecit Harlindis, postquam adolescentem familiam feliciter aliquamdiu rexisset. Superuixit Relindis ad ętatem vsque decrepitam; eo majore studio rem asceticam procurans, quo magis totum onus in suos vnius humeros recidisse sensit: & excitata religiosarum legum insigni gloria, quæ asceticam illam familiam in secuturas ętates illustraret; rebus præclare gestis inclyta, decessit VIII. Idus Februarias. Vtriusque sepulcrum Deus miraculis exornauit.

Die septimo

I. S. AMOLVINVS. episcopus & abbas Lobiensis. *Molanus, VValdeus.*

S. Wlgiso (qui Lobiensis abbas creatus est anno post septingesimum trigesimo septimo) successit S. Amoluinus, & episcopatu consecratus est, quemadmodum in illo monasterio ferebant eorum temporum rationes, ad rem Christianam religiosius cum autoritate promouendam. VII. autem Idus Februarias vita defunctus est. Neque de illo plura licet affirmare. Diximus multa, quando in ecclesia sanctum ab antiquo appellari diximus. Et hic Binchium cum alijs sanctorum sacris exuuijs translatus est, postquam Lobij pluribus sæculis sepultus mansisset.

II. RAINERVS conuersus Villarij, eiusque filij GODEFRIDVS, THOMAS, & RAINERVS ibidem monachi. *Chronicon Villar.*

Vixit in sæculo Rainerus non e sæculi legibus: sed *eius conuersatio in cælis esse* dici potuit. Coniugem habuit multa virtute conspicuam, e qua tres genuit filios Godefridum, Thomam, & Rainerum; qui Villarij omnes monasticen professi, religiosa vitæ puritate claruerunt. Vnica vero filia in Parco Dominarum Deo consecrata, insigni studio virtutem & ipsa coluit. Paternæ in liberos prouidentiæ fructus is fuit, cęlo sane dignus. Ab vxoris morte pater filios secutus, Villarium se recepit, & conuersorum adscri-

Digitized by Google

DIE 7. adſcriptus ordini, miro pietatis ſenſu in precandi ſtudium incubuit. Sed præcipua cura fuit aſſiduis pæne lacrymis, ieiunijs, flagris ſibi acriter incuſſis, alijſque corporibus afflictationibus prioris vitæ noxas (ita loquebatur vir alias innocens) expiare. In eiuſmodi ſtudijs non diu exercitus, paulo poſt mortuus eſt: rectaque illum in cælum auolaſſe diuinitus accepit Rainerus eius filius. Quo audito cum miraretur Arnulfus Cornibutius vir tum celeberrimæ ſanctitatis; atque vix animum poſſet inducere vt crederet illum tantillo tempore eam attingere potuiſſe mentis puritatem: affirmauit Rainerus, illam doloris & lacrymarum vim fuiſſe.

Sancto patre non indigni fuere filij. Idem ille Rainerus (quem ob vitæ integritatem arcana cæleſtia ſępius edoctum eſſe, fama fuit) fratres ſuos diuinitus accepit, nullis a morte ſupplicijs retinendos, ſtatim ad actæ vitæ præmia in cælum euolaturos. Et ipſe fratribus nequaquam inferior, vt vixerat, ita ſancte mortuus eſt.

Die octauo

S. MENGOLDVS

comes Hoienſis & martyr. *Manuſcript. Hoienſes, Zanflietus, VVarnantius, Transmoſanus.*

DE Mengoldo diuerſi ſcriptores prodidere diuerſa, vel ſupra modum ſplendida, & euentu ad admirationem inexſpectata, vel a vero manifeſte aliena. Neque in vnam omnes mortis cauſam conueniunt. Eam tradunt nonnulli, quæ martyrij glorioſam illam palmam eripiat. E multis vix fidem merentibus ſelecta lectori pauca dabo, in quæ vt ceteri fere conſentiunt, ita ſimilia vero magis viſa ſunt.

Hoij comitem fuiſſe conſtanter aiunt vniuerſi. Cum grauibus implicitus bellis aliquot annos adminiſtraſſet principatum; cruenta tandem diſſidia, mutuaſque exoſus cædes, quæ non facile cuiuſquam animum ab omni noxa relinquunt immunem, præteritas labes ſuſcepit purgandas. Principem ergo diſſimulans, plebeio habitu; varia per orbem Chriſtianum ſacra loca luſtrauit, duris interea corpus afflictationibus caſtigans, reficienſque animum cæleſtium rerum commentationibus.

Quibus poſtquam ſe toto ſeptennio exercuiſſet, Hoium redijt, & vitam illic inſtituit omnibus Chriſtiani principis officijs ornatiſſimam. Cumque non vitæ dumtaxat exemplo, verum etiam pijs ſermocinationibus reuocatos a vitę turpitudine mortales ad honeſti proſecutionem accenderet; quoſdam ex equeſtri ordine ſuæ gentis claritudinem multis ſceleribus polluentes, ad ſtudium virtutis ſolius atque vnicæ nobilitatis cohortari aggreſſus eſt. Salutares eius monitiones ceu atroces injurias acceperunt perditiſſima capita: ſanctumque principem ſaniſſima conſilia proponentem impie occiderunt.

Partam cælo gloriam teſtatus eſt Deus crebris miraculis. Quo factum eſt vt populus Hoienſis S. martyrem Mengoldum ſuum olim comitem, in S. Domitiani collegam adſciuerit, quorum ſe fidei ac tutelæ committeret.

Die decimo

I. B. HVGO FOSSENSIS

S. Norberti ſucceſſor Præmonſtrati. *Vita S. Norberti & Bibliotheca Præmonſtrat.*

CAPVT I.

Hugo Foſſis educatus, S. Norberto ſe adjungit.

In familia epiſcopi Camerac.

NAtus eſt Foſſis Hugo: & vtroque orbus parente, in S. Foillani cœnobio (collegium eſt hodie canonicorum) ſanctioribus diſciplinis ita mentem adoleſcens excoluit, vt in familiam non grauate Burchardus Cameraci epiſcopus adſciuerit, carumque in paucis habuerit virtutis admiratione.

Forte

DIE 10.

Forte Valentianis agebant, quando eam in vrbem venit Norbertus principiô anni millesimi centesimi vndeuicesimi; qui obtenta a Gelasio pontifice maximo facultate Diuini verbi spargendi, iam tum meditabatur inuictam illam militiam, qua Dei ecclesiam tot gloriosis trophæis exornauit. Audijt ergo Burchardum in vrbe esse; quocum suauissima illi fuerat olim necessitudo, cum apud Cęsarem agerent. Ad ipsum adit, pulsatisque foribus, ad colloquium per Hugonem inducitur.

Induxerat Hugo, & tacitus stabat: ecce videt post primam salutationem, magna primum defixum admiratione Burchardum; tum in Norberti collum ruentem, suauissime complecti, & lacrymas oculis vbertim profundere. Obstupescebat Hugo: At episcopus: Hominem hunc lacernosum vides, mi Hugo? Mihi necessitudine junctus fuit arctissima, cum in regia versaremur. Isque est qui oblatum a Cæsare Cameracensem episcopatum recusauit. S. Norberti virtutem admiratus,

Perculit Hugonem tanti hominis species tam abiecta, vitæque austeritas. Vilissimo tegebatur amictu: & quamquam acre frigus esset, nudus pedes incedebat. Iam pridem seuerius vitæ genus meditabatur Hugo. Eius ducem Norbertum a Deo sibi credidit oblatum: & paucis post diebus in eius transijt disciplinam, suo ciuiumque suorum bono ingenti. Cum enim magistrum secutus Fossas deuenisset, maximam ciuibus omnibus admirationem concitauit inexspectata sui mutatione; quod contempto humanorum omnium fulgore, & omni spe etiam maiorum, austeram illam vitam sectaretur. ei se adjunxit.

Ad Norbertum multos exciuit ea admiratio, fidemque illi non leuem conciliauit. Qui latius diffusa paulatim secunda fama, eximiam diœcesi Leodiensi caritatem impendit.

CAPVT II.

Vtilem Præmonstratensi ordini nauat operam.

Religiosum sanctioris vitæ genus cum iam instituisset Norbertus & aliquot suis sodalibus statuisset domicilia: Præmonstrati iussus agere Hugo, orientis illius familię rem magno suarum virtutum ornamento, sed Christiana maxime animi fortitudine sustentauit. Alijs quippe socijs in torporem nescio quem, ac veluti desperationem abeuntibus ex horrore Præmonstrati, Hugoni fecit animos ingentes visum illustre diuinitus oblatum.

In preces aliquando sedulus incumbebat, sollicitabatque aliquod e cælo malis leuamen; ecce Christum seruatorem videre visus est cruci clauis affixum, supra quem septeni claritatis admirandæ radij coruscabant. Designata equidem arbitror septena S. Spiritus charismata, quibus ad hostem debellandum animaretur nascens sacra illa militia. Huc porro confluere videbatur innumera hominum candidatorum multitudo, qui peregrinorum ritu, habituque, cum peris & baculis cruci adgeniculantes Christum adorabant; & post data sacris pedibus oscula, velut accepto imperio, dimicaturi discedebant in diuersas orbis plagas. Læto viso recreatus

Hugoni, socijsque spem erexerunt illa, atque adeo fiduciam aduersus cacodæmones addiderunt. Quod enim hi deinceps in Norberti sodales nequibant, operis in cœnobij conditionem incumbentibus cœperunt incommodare, varijs illudentes terriculamentis. Sed infaustos genios absterruit ipse Hugo, fugauitque obiecta victricis Crucis parma. Ita nouellam familiam suis quasi humeris sustinebat, Norberto per Germaniam interim maiora moliente. socios in proposito confirmat.

CAPVT III.

S. Norberto successor datus, ordinem valde amplificat.

Ad archiepiscopatum Magdeburgensem euectus anno vicesimo septimo Norbertus, cum regendis sodalibus par esse non posse videretur, designatus est biennio post Hugo tanti pręsulis Præmonstrati successor. Atque vt cęlo probari constaret, quod sancta animorum consensione Præmonstrati gerebatur: cum esset eodem illo die Magdeburgi Hugo; in cælum a se visus est tolli, sistique Christo Domino: vbi Norbertus Animatus alio viso

illum

DIE 10. illum ceterorum sodalium nomine, qui delegissent in præsidem suum, Christo offerebat dicens: Hunc a te, Domine, mihi creditum, tuæ sanctissimæ Majestati restituo. Oblatum Christus protensa dextera recipere visus est.

Præmonstrati curam suscipit

Animatus hoc viso, humeros oneri imposito fortiter Hugo supposuit: eaque diligentia sacrum illud tirocinium erudijt, propagauitque, vt monasteria plus centum excitarit, veluti totidem præsidia munitissima, opportunis per orbem Christianum locis collocata, vbi bella Domini milites candidati bellarent. Patriam in primis ipse cordi habuit; & hanc diœcesim firmare proposuit eiuscemodi munitionibus. Eodem quippe anno feratum septum in amœno nemore, principum olim delicias ad portam vrbis Louanij ædificando asceterio concessit dux Godefridus Barbatus. Antiquo Gallici sermonis vocabulo Parcum appellant. Aliud anno tricesimo primo Virgini Matri, & S. Ioanni Baptistæ condidit Auerbodij comes Lossensis Arnoldus cum Rudolfo abbate Trudonensi. Exstructum est Heilesemense anno tricesimo tertio.

& propagat.

ANN. 1137. Verum inter illa canonicorum Fossensium eminuit & Diuinæ gloriæ amplificandæ studium, & caritas, munificentiaque in nouum hunc ordinem. Excitabat nimirum Hugonis sui ciuis & alumni spectata virtus: cui tribuebant plurimum. Quod ergo carissimum habebant iuxta & nobilissimum, Præmonstratensibus in perpetuum tradiderunt locum martyrio S. Foillani sui præsidis consecratum, in Carbonaria silua Montes inter & Niuellas, vbi prodigijs diuinitus perpetratis celebrabatur B. martyr.

CAPVT IV.

Sancte moritur.

VNiuersam Præmonstratensium familiam totos annos quinque & triginta, insigni sanctitudine sapientiaque Hugo gubernauit, æterna dignus gloria: nam omnis alia meritis minor erat. Clarum profecto & sincerum de ambitione rerumque humanarum magnitudine triumphum duxit, constanter rejecto, qui offerebatur, Carnotensi episcopatu: hoc felicitatis præ parente suo Norberto adeptus, quod & reijcere potuerit.

Recusato episcopatu

Anno igitur sexagesimo quarto clarissimum suæ patriæ lumen & Præmonstratensis ordinis decus illustre, ad sanctorum consiliorum & recte factorum mercedem in cælos, abijt IV. idus Februarias. Virtutem eius, non modo dum viueret, orbi testatam Deus voluit prodigiosa supra naturę vires morborum curatione. Verum annis etiam post mortem denis quinis cum aperiretur sepulcrum, suauissimus exhalauit odor super omnem aromatum fragrantiam qui mortalibus indubie signaret insignem hominis sanctimoniam *sicut incensum in conspectu Domini.*

moritur.

Ps. 140. 2.

II. B. GVILIELMVS DONGELBERTVS monachus Villarij. *Manuscript. Villar. Henriques, & quæ ad me de illo dedit R. D. Thomas Pochet prior Villar.*

DOmo nobilis, illustrem inter mortales vitam egerat, quando sinceriorem in humilitate gloriam quærere constituit. Damnata quippe rerum conditarum inanitate, monasticen Villarij professus est. Paupertate suique demissione nihil antiquius habuit. Nemini se præferri sustinebat, qui in primis delicijs reponebat omnibus postponi. Cum male affectam aliquando tibiam haberet, quietem medici pręscripsere. Ille vero: Absit, inquit, vt vnius tibiæ gratia sanctioribus me cœnobij exercitationibus subducam. Denique quem sui contemptum a primis asceticæ tirocinijs amauerat, constantissime retinuit, donec ęternam morte gloriam adipisceretur. Inter sanctiora religiosissimi illius cœnobij pignora conditus est, certo non vulgaris integritatis argumento, licet ad posteros scripto non fuerit transmissa.

Humilitas

Digitized by Google

III. GODEFRIDVS CORTEBEKIVS monachus Villarij. *Manuscript: Villar. Henriques.*

AFfligemij primum asceesim sectatus, studio religiosioris vitæ Villarium migrauit. Eoque mentis ardore contendit ad illam, quam sibi proposuerat morum puritatem, vt mirum in sodalibus omnibus inflammaret sanctimoniç amorem. Monasticam disciplinam mirabili vigilantia coluit: neque sic aliud quiduis auersatus est, vt omne illud, quod animum vel leuissime posset inquinare. Hæc illa fuit causa, propter quam non nisi ægerrime monasterio pedem efferret, etiam ad salutandos parentes aut amicos: Domum quippe, aiebat, numquam refero, quam extuli cordis puritatem, aut tranquillitatem. Religiose dictum! quod facta nihilo inferiora sequerentur. Atque ita denique in Dei conspectum mundis corde promissum admissus est. Puritas animi.

Die duodecimo

IACOBVS GRVITRODANVS, GERARDVS SCEIDANVS, & alij priores Cartusiæ. *Trithemius Vir: ill: & Script. eccl. Petrus Sutor, & quæ R. D. Ægidius Liuerloz Leod. Cartusiæ procurator e domus suæ commentarijs collegit.*

EXimiam esse præstantissimi Cartusiensis ordinis sanctitudinem quis non intelligit? Verum tamen prope nimiam (si mihi fas sit) dicam eius esse modestiam; qui sua sic vni Deo dicata notaque vult esse, vt fere silentio premat, & quoddam quasi piaculum existimet in mortalium cognitionem adducere, cum alioqui propagandç Dei gloriæ plurimũ conducere certum sit. Vni ferme Trithemio debentur, quæ habemus hic dicẽda.

Glorioso certe vinculo litteras cum virtute conjunxit Iacobus Gruitrodanus. Fuit enim (inquit ille scriptor) *in Diuinis scripturis eruditus, sæcularis litteraturæ non ignarus, ingenio præstans, & dulcis eloquio, vita & conuersatione deuotus.* Domui ergo duodecim apostolorum Leodij præpositus anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo, post annos quinque in Zelandiam ad Zirixeanum prioratum translatus est: ac deinde Leodium anno quadragesimo septimo reuocatus, idem munus obiuit non prudentia tantum & morum integritate, verum etiam editis ingenij monumentis ipsam posteritatem rerum Diuinarum studiosam ad cælestia prouehere studuit. Probatam diutius his exercitationibus vitam anno septuagesimo quinto clausit, cum Leodiensem familiam annis omnino triginta duobus rexisset. Gruitrodanus

Gerardus vero Sceidamus teste eodem scriptore, *monachus fuit ordinis Cartusiensis, prior domus omnium apostolorum iuxta Leodium, vir in Diuinis scripturis longo studio exercitatus & eruditus, ingenio mitis, & dulcis eloquio; religione quoque, prudentia, autoritate & conuersatione venerandus. Scripsit ad ædificationem legentium quædam præclara volumina.* Postquam magno suorum bono annis octo præfuisset, mortuus est anno millesimo quadragesimo secundo. Sceidamus

Locum item hic meretur Adrianus eiusdem Cartusiæ prior VII. Fuit enim autore Petro Sutore *sacræ paginæ doctor præstantissimus, in humanis quoque litteris notabiliter doctus, vitæ sanctimonia spectabilis, & zelo animorum admodum feruidus. Animaduertens sapientiæ thesaurum non sibi pro se dumtaxat, sed vt ceteris impertiretur, collatum fuisse, diligenter curauit & verbo præsentes instruere, & absentibus posterisque prodesse.* Rexit annis septem. Adrianus

Subijcerem Henricum de Piro, nisi retineret in silentio Cartusiensis modestia. Fuit ante susceptam monasticen legum peritus, & orator non ignobilis; primusque in academia Treuirensi legum canonumque explicationem auspicatus est; in concilio autem Basileensi non obscuram suo nomini famam comparauit. Ingressus deinde Cartusiam adeo se virtute probauit, vt familiam Leodiensem susceperit regendam. Anno denique millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio Wesaliensis prior designatus, magno sui relicto desiderio morte sublatus est. Henricus de Piro

DIE 12. Gosuinus. Produxit & Zeelemensis Cartusia pulcherrimos flores; quos item in hominum conspectum prodire non patitur. Audio tamen Gosuinum eius priorem adeo virtutibus claruisse, vt in episcopum Scalotensem fuerit assumtus. Prioris tamen vitæ rigorem temperari numquam passus, cilicinæ vestis vsum semper retinuit, & ab esu carnium tota vita se abstinuit.

Hæc quasi furtim delibo: cumque proferri aliud non patiantur religiosi illi patres, generosum saltem gloriæ contemptum suspice lector, & imitare.

Die decimo tertio

TANCRARDVS

abbas S. Huberti. *Hæc collecta ex archijs Hubert: de voluntate admodum R. D. Nicolai de Fanson abbatis ad me misit R. D. Romualdus Hancart ibidem monachus.*

PRincipibus Parmensibus ortum fuisse Tancrardum prodidere chronica Prumiésia. Sed cum virtutibus litterarumque cognitione nobilior esset, anno Christi octingentesimo sexto Prumiæ creatus est secundus abbas. Quam prouinciam cum insigni sanctitudine sapientiaque regeret, Carolo Magno carissimus euasit: eiusque beneficio amplissima prædia in agro Andegauensi Prumiensibus obtinuit.

Non concidit ea gratia moriente Carolo anno illius sæculi decimo quarto. Apud successorem Ludouicum Pium tenuit quem merebatur locum Tancrardi virtus. In publicæ rei administratione de sapientissimi abbatis ore pendebat, eiusque consilia sequebatur imperator.

Nec tamen inter imperij negotiá suorum Prumiensium obliuiscebatur. Asceticam disciplinam tanta laude procurabat, vt cum anno duodetricesimo diem Andaini obijsset Alueus, qui ab inducta monastica primus ibidem abbas fuerat, omnium suffragijs expetitus fuerit, vt succederet. Annos tres & viginti Prumiensibus præfuerat, quando Hubertenses regere exorsus, eodem anno labente viuere desijt; destituitque nouellum hunc cœtum in magna sapientis administrationis exspectatione.

Die decimo sexto

ERARDVS MARCANVS

episcopus LXXXIV. & cardinalis. *Chapeavillus, Brustemius, & Manuscript. Leod.*

CAPVT I.

Episcopatum bonis auspicijs init.

Eius virtutes. CReatus est episcopus Leodiensis anno sesquimillesimo quinto jam exeunte. Commendabant Erardum præter generis nobilitatem & potentiam, (e principibus quippe Marcanis siue Arembergijs patrem habuerat Sedani toparcham) egregia indoles, optima corporis compositio, magnum & acre ingenium, litterarum humanarum ac sacrarum non vulgaris cognitio, eruditorum hominum amor, judicium, eloquentia, & ante omnia omnibus in rebus magna animi moderatio. Quare vniuersorum suffragijs designatus est episcopus. Quo feliciter tantum munus auspicaretur, vicena argenti pondo sanctissimo martyri Lamberto obtulit, sacro eius capiti ornando.

Religioso secessu ad episcopatum se parat, Interea dum solemnem pontificis probationem exspectat, ad S. Laurentij secedit, vbi secum salubri meditatione perpenderet oneris, quod susceptum ibat, grauitatem, angelicis profecto humeris formidandam; animumque componeret ad sacerdotium. At rerum vrbanarum strepitum e vicino non persentiscere non poterat, salutantium frequentia &

Digitized by Google

tia & importunitate nonnumquam obturbatus. Ad Robertum igitur fratrem abijt Sedani toparcham: eoque paucis salutato, ad Cartusiam Montis Dei haud longe dissitam se contulit: vbi sacrorum librorum lectioni, commentationique rerum Diuinarum intentus ad sacerdotale munus, optimis præceptoribus, & in primis Spiritu Sancto ductore se prępararet. Quam necessaria est ad rem tantã eiuscemodi mentis exercitatio subeundã, tam inusitatam esse nemo nescit, illa vero etiam ętate inauditam. Hoc certe major est Erardi commendatio. Post actum adeo sanctis exercitationibus quadragesimam, sub pascha, pontificium accepit diploma. Quo Leodij vulgato, cum multi ad Erardum confluerent, qui ratas præfecturas & functiones suas obtinerent; illis adjungere se non dubitarunt comœdi, citharœdi, histriones, mimi, alijque similes familiarum principum vorãgines vel pestes, & quam antecessori præstiterant, suam operam obtulerunt. Pudicam vult esse familiam.

Ille procul facessere jussit: & quemdam sua petulantia lenonem se potius quam comœdum prodere non veritum, impudentiusque se comitatui ingerentem, fustuario multatum abigi mandauit.

Reuersus ad S. Laurentij, sacerdotio initiatus est: ac deinde Tungris apud canonicos regulares episcopali charactere VI. nonas Maias Deo consecrari voluit. Quo die tanto cum pietatis sensu, voluptateque spiritus perfusum fuisse asseruerunt, vt ea in reliquos adstantes quodammodo exundaret, omnibus eius exemplo non dissimili pietatis religionisque ardore affectis. Episcopus consecratur.

Auspicia tam religiosa faustis Deus beauit successibus. Atque in primis proximo Octobri nobilissimum ex agro Leodiensi sanctitatis & sapientiæ germen exortum est Ludouicus Blosius abbas postea Lętiensis: de quo ante diximus.

CAPVT II.

Publicam totius prouinciæ pacem procurat.

PRęcipuum illi studium fuit rempublicã post sæuissimas bellorum tempestates, quibus tantum non obruta fuerat, in portum reducere; populumque bella dedocere, quæ deinceps sine vltima pernicie gerere nequaquam posse videretur, finitimis omnibus in potentissimam monarchiam conjunctis. Omnium igitur primum, factiones in quas totius prouinciæ vires dudum abierant, ad concordiam reuocare studuit: neque Arembergiæ plus fauit, quam alteri, memor principem plus patriæ, quam suo generi debere.

Quare cum Carolus Guelder impatiens pacis, quam a Philippo Austriaco rege impetrauerat, diutius non videretur quieturus, edictum proposuit Erardus, ne hostile quid in regem Castellæ, vel Gueldrię ducem quispiam moliretur: qui secus fecisset, suspendio luiturum. Oriente jam bello cum valida auxilia duceret ad Gueldrum e Gallia Robertus Marcanus episcopi frater, nemo dubitauit Erardum in illas partes tracturum Leodios, quarum vniuersam gentem suam sciret esse studiosissimam. Sed episcopum ille se, non belli ducem esse intelligens, sapienter ecclesiam suam externi belli fluctibus nulla satis justa causa inuoluendam, Cæsaremque ac regem potentissimum parentem & filium patrię hostes accersendos non existimauit. Contra decreto sanxit, ne quis nascentium bellorum occasione, e finibus Leodiensibus in quoscumque finitimos hostile quidpiam aggrederetur: quiue partem sequeretur alterutram, ante belli finem in patriam ne rediret; eumque patrię hostem habitum iri, quicumque secus fecisset. Ita pacem magno suo bono retinuere Leodienses, quam multis retro annis non nisi fama cognouerant. Pacem retinet bello Gueldrico:

Eadem fuit episcopi prouidentia exardescente bello inter Cęsarem Carolum & Franciscum I. Galliæ regem: quorum controuersias cum nihil ad suam ecclesiam pertinere intelligeret, voluit & bellum ad illam nihil spectare. Eiusdem præterea consilij fuit, cum in Cęsarem bellum mouere auderet ipse Robertus eius frater; quem suæ temeritatis pęnas luere maluit, quam in exitium illos impellere, quos ad salutem ducendos a Deo acceperat. item Gallico.

Verum quæ belli mala tantopere studuerat auertere, ex intimis reipublicæ visceribus enasci cœperunt; & tristissimam intulissent cladem, nisi magistratuum primum vigilantia, tum præsulis autoritas oppressisset. Collecta e suburbanis ripariorum plebecula, obtentu nescio quarum legum, quas fame tum grassente conscribendas ad egenorum leua- Ripariorum seditionem sedat.

men contendebat, arma sumere ausa est, & vrbi magistratibusque omnibus vim minari. Periculum vt accepit Erardus, qui tum vrbe aberat, magna celeritate redijt, consternatisque subito eius aduentu seditiosis, in eos lege agi imperauit. Pauci qui mali totius autores fuerant vel morte pænas dederunt, vel fuga euaserunt. Ceteri pro culpę grauitate castigati sunt. Ita repressis improbis, reipublicæ securitatem & pacem reddidit sapiens episcopus.

CAPVT III.

Sapientibus institutis publicam rem promouet.

QVibus pręterea præsidijs studeret reipublicæ incolumitati, videamus. In illo quippe insigni tuendæ pacis desiderio, belli non obliuiscebatur, quod aliquando vel inuitus sustinere fortassis cogeretur. Ad instaurandas prouinciæ munitiones, quas vel antecessorum negligentia, vel injuriæ bellorum labefactarant, sic animum adjecit, vt pulcherrima simul ornamenta visus sit addere. Prætereo quæ vel Leodij vel alijs in vrbibus erexit munimenta. Illius opera sunt arx Hoiensis, Dionantia, Francimontana, Stokhemiēsis, Curingiana. Merito miraberis vel hunc vnum tā multa perficere potuisse, vel alios tam pauca voluisse. Numquam satis patriā munierat, exornaratque magnanimus princeps. Cujus rationem hoc apophthegmate reddere solitum ferunt: Auem tuto seruari, quæ firma claudatur cauea.

Munitiones instaurat.

Verum ad publicam omnium incolumitatem aut dignitatem cum validius sit robur a legibus; etsi paucas ab Erardo conditas habeamus, hoc tamen nobis certum est, cum temporum ratio postulauit, illum sapientissime propositis edictis cauisse, ne quid acciperet resp. detrimenti. In illud vero incubuit insigni vigilantia, ne quis paulatim legum aut magistratuum irreperet contemptus: duplici quippe hoc freno immoderatam coërceri mortalium libertatem.

Concilium ordinarium condit.

Id vero sapienter constituit, quod publicæ rei plurimum commodaret. Inhibuerat Maximilianus Cæsar ad suum tribunal appellari, sed episcopi iudicio stari sanxerat, quoties in prima actione non ageretur de sexcentis florenis aureis Rhenanis. Idem autoritate sua confirmarat Carolus Cæsar. Rebus ergo maturo consilio discussis, de sententia prouincialium ordinum, nouum tribunal condidit Erardus, quod Concilium Ordinarium appellamus, nouenisque constat iudicibus, quos consiliarios nuncupant. Ex his ternos designandi potestatem esse voluit episcopo, collegio S. Lamberti binos, binos equestri ordini, plebeioque binos. Cuius quidem eam esse censuit vtilitatem Chapeavillus, vt exclamarit: *Vtinam optimi illius imperatoris exemplo S. D. N. in causis ecclesiasticis simile aliquod priuilegium concederet! Non vtique ea hic esset litium frequentia & immortalitas; qua quotidie videmus honestissimas familias ad ruinam præcipites adduci; dissidia, simultates & odia inueterata in animis ingenerari; ac tandem etiam cædes, homicidia, aliaque plurima mala perpetrari, nullo quod huc vsque adferri potuerit remedio.* In ciuilibus saltem causis hoc boni debet Erardo prouincia.

In ecclesiasticis quod ad mores attinet, pro suo publici boni studio tentauit, inquit Chapeavillus, quod non potuit exsequi. At bonorum consiliorum gloriam ab euentu Deus non metitur. Suum tamen operæ pretium episcopus Andaini tulit, item & in Veteri vineto, restituta vtrobique eximio nitori disciplina.

CAPVT IV.

Hæreses acriter persequitur.

NOuo grauiorique malo nouum & acrius objecit remedium episcopus. Audiri cœperat fœdum, totique septemtrioni exitiale monstrum Martinus Lutherus: qui sanctissimæ asceseos turpis desertor hæresiarchaque impijssimus, veterum hæreticorum insanias pęne omnes suscitare contendebat euentu tam luctuoso, vt surgentes ex alijs alię hęreses, florentissimas respublicas, prouincias, regna in malorum omniū vltimū abriperent. Contra fortiter se murum pro domo Dei in sua diœcesi opposuit Erardus: sed tum magis postquam in Augustano totius imperij conuentu impudentem eorum vidisset

disset peruicaciam. Hic concepta a Philippo Melanchtone perscriptaque illius insaniæ capita (quæ a loco Confessionem Augustanam nuncuparunt) exhibuerunt Cæsari principes protestantes ijsque tam pertinaciter adhæserunt, vt post longas disceptationes nullo fructu solutus sit conuentus. DIE 16. ANN. 1530. Hæreses auersatus,

Offensus ea contumacia Erardus, acrius in hæreticos concepit odium: qui præter injurias in Diuinum Numen, omnem publicæ rei statum perturbarent. Quare quod ex Augusti decreto ante mandauerat vsurpari, edicto seueriore sanxit in publico ordinum consessu, flammis in hæreticos vt animaduerteretur. Ita vulnus immedicabile censent medici flamma ferroque recidendum, quo sinceram partem ab interitu seruent. Cum vero postea protestantes jactitarent factam esse sibi potestatem nouæ religionis retinendæ ad œcumenicum vsque vel nationis concilium; eoque libertius suum virus spargerent: non tulit impurorum hominum impietatem religiosissimus princeps Erardus: & non minore quam antea seueritate, quo diœcesim suam *virginem castam exhiberet Christo*, in hæreticorum perfidiam animaduertere perrexit. Nonnulli vltimo supplicio sublati sunt, alij proscripti, plures sponte exilium amplexi sunt. ANN. 1532. Leodij persequitur,

Ceteris pro merito persequendis cum populi libertatem obesse quereretur episcopus, vocatis in vnum consulibus, scabinis, commissarijs ac toto senatu, obtinuit, vt jubente populo norma conderetur, qua præcipuo ciuium jure, patrijsque legibus minime violatis, orienti malo expedite occurreretur. Factum est intra triduum. Statimque magno puritatis orthodoxæ desiderio complurimi testes auditi, deprehensumque latens virus. Id animis expellere prima cura fuit. Ouium quippe salutem ante omnia curat bonus pastor. Si qua curari non potuerit, segregetur, ne alias in malum trahat contagio. Hæresi contagium præsentius nullum est. Omnem sane mouit lapidem, theologosque adhibuit, Carmelitas in primis ac Dominicanos, qui aberrantes in rectam semitam reducerent. ANN. 1534. & pellit.

Sollicitudini non impar exstitit fructus. Longe plurimi rejectis erroribus, manus dederunt. Perfidiæ suæ tenaciores, vel addixit flammis princeps, vel patriæ finibus expulit; vt cujusque impietas odio vel venia dignior videretur. Alios ab orthodoxa doctrina non alienos vel in custodia detinuit edocendos, vel ad scholas publicas certo illis præscripto tempore dimisit. Eiuscemodi studijs pulcherrimam seruatæ religionis gloriam tulit.

CAPVT V.

Pietatem ac religionem præclaris operibus testatur.

ERardi religionem ac magnificentiam qui nouit, non potest non magnopere mirari: at alteram alteri præferre non facile potest. Quas enim prouinciæ munitiones excitasse meminimus, suo quodam etiam modo ad religionem spectant, quandoquidem ecclesiæ sit vniuersa prouincia, Sanctique Lamberti hereditas appellari debeat. Sunt tamen præclara Erardi opera, quæ religioni proprio jure adscribenda sunt, quod ad Dei cultum, sanctorum honorem, sacras ecclesiæ ceremonias ornatumque referantur. Sed eo magis quod horum pleraque hæretici damnent: ipsos autem publico sane judicio damnauit ipse, quando permansuris in æuum præclarissimis monumentis catholicam veritatem stabiliuit.

Singula recensere non possumus. Quicumque prouinciam vniuersam lustrauerit, vix vllum canonicorum collegium aut cœnobium inueniet, in quo non impressa videat munificentiæ a religiosissimo principe vestigia. Ea dumtaxat attingam quæ in vno sancti Lamberti collegio reliquit.

Flammis absumtum fuerat principe Hornano Erardi decessore episcopium. Excitare nouum aggressus est Erardus sumtu sane regio. Vel ex eo intelliges, quod totos triginta duos annos adhibito ingenti operarum numero manum extremam non potuerit imponere. Geminum totum opus aream complectitur. Priorem quæ promiscuam multitudinem admittit, geminum amplumque peristylium inferius alterum, alterum superius ambit: singulæ ad quatuor angulos turres ornant. Secunda quæ & interior est area, geminam ad meridiem habet porticum alteram alteri impositam: similiter & ad septemtrionem. Structum est vniuersum palatium ingenti lapide quadrato: cui nihil magis Palatium exstruit;

deest

DIE 16. deest quam hortus; qui arearum alteram magnitudine non superat: soli angustiæ majorem non capiebant.

Statuam S. Lamberti curat, Quo die creatus est episcopus, graue argenti pondus S. martyris Lamberti sacro capiti ornando obtulisse meminimus. Sic executus est. Auratam ex argento statuam curauit opere elegantissimo, præ quo vix fili materiam facias. Amplitudine plusquam humana, a capite ad vmbilicum episcopum refert infula redimitum, dextera pedum, librum læua gestantem. Pro basi opus est arte rara elaboratum, in modum porticus totam molem ambientis: in qua minoribus signis efficta sunt illustriora inuicti martyris facinora.

conditoriũ S. Theodardi, Opus aliud pari religione, magnificentiaque non multo inferiore clarum aggressus est ac perfecit. Nobilis est ex argento theca mole ac pondere spectabilis, sed fictoris arte potissimum commendata, cui alia vlla toto Belgio sitne conferenda, nescio. In eam recondidit S. martyris Theodardi sacrum corpus.

tapetes, Elegantissimis deinde tapetijs templum exornauit, quæ insignem artificis peritiam testantur, & referunt altera Virginis parentis res gestas, S. Lamberti altera. Parisijs magno sumtu comparauerat.

campanas, Geminum præterea ęs campanum, Erardi nomine vnum, aliud Chrysogoni, quibus Leodij nullum est magnitudine, pondereve comparandum, suis impensis fudit, ac in principe basilica collocauit.

Aurea sæcula Leodium Erardus reduxit. Vniuersa propemodum Europa bellis conflagrante, altam pacem illo principe Leodienses coluerunt, nouoque religionis incremento rempublicā viderunt exornari. supplicationem Translationis S. Lamberti, Celeberrimum illud in primis est. Quo die Leodium S. Hubertus antecessoris sui B. Lamberti corpus reuexit, eum ab antiquo natalem vrbis venerantur: isque est quartus ante Kalendas Maias. Hunc supplicatione longe omnium ornatissima decreuit episcopus celebrandum, seu supplicantium spectes habitum, siue multitudinem. Sacrarum vestium ornatu visendi maxime sunt, qui sacris operantur & ministrant. Illas & maxime majoris aræ pallium studio singulari episcopus concinandum curauit. Aurum enim vnionesque quamquam magni pretij, vilescunt prę operis præstantia. Canonicorum collegia omnia, omnes cœtus religiosi, curionesque ornatissimo quique habitu; tum consules, scabini, jurati, commissarij, trigintaduumviri, populi denique omnia collegia, longo agmine procedunt. Et ne fortassis olim ab instituto recederetur, non modo vectigal annuum attribuit in singulos distribuendum; verum & jurejurando curauit obstringendos, quotquot in sacri ordinis, aut profani collegium aliquod adscriberentur.

suæ mortis diem anniuersarium, Denique quo hujus temporis hæreticos publico testimonio confutaret, suæque vna saluti consuleret, voluit in omnes futuras ętates pro se funebria justa persolui, diemque pręstituit tertium ante Kal. Ianuarias, quo nimirum fuerat ad episcopatum euectus. Prætorem porro, consules, scabinosque cupiebat interesse: in quos quemadmodum & in canonicos distribuendum assignauit regia liberalitate opimum vectigal: cujus expertem quemquam eorum noluit, qui in peragendis Diuinis, aut vocem aut operam impendissent. Si vero labentibus quondam annis hæc sacra seponerentur, constituit vt populi Leodiēsis vectigal illud fieret, cujus annuis fructibus nubiles aliquot tenuioris fortunę

ANN. 1529 puellę in honesto matrimonio collocarentur. Hoc viuens cœpit, & voluit interesse, quoad vita mansit.

sepulcrum. Eodem huc spectat, quod duobus ante annis sepulcrum sibi viuens posuerit, at sumtu opereque regio, vt nullum fortasse par Europa tota reperias. Sic affirmant qui plurimis peragratis regionibus celeberrima quęque principum Mausolea lustrarũt. Visitur media cella siue choro basilicæ S. Lamberti, opus ex ęre aurato, statuis rara arte fusis insigne. Sleydanus Lutheri discipulus immoderatæ cupiditati gloriæ tribuit. At profecto si verum est parem existere gloriam ex improborum condemnatione, & laudatione proborum; hoc ipsum principis honori tribuendum est, quem religionis integritas impio homini reddidit inuisum. Vnam hanc tenebrionis illius sententiam existimo monu-

Episcopi encomium. mentum esse huic episcopo nobilius omnibus regum Mausoleis: *Mortuus est Erardus Marcanus cardinalis episcopus Leodinus, quo vix alius doctrinæ* (hæreticæ scilicet) *causa plures afflixit.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT VI.

Fit cardinalis, tum legatus a latere. Denique moritur.

TAntam Erardi virtutem his maxime calamitosis temporibus, quibus adeo funestam ab hæresi cladem acceperat ecclesia, cardinalis dignitate donatam voluit Leo X. rogatu Caroli Cæsaris. Pileum dignitatis insigne accepit Erardus anno vicesimo secundo. Hoc illi virtutem acuit, tuendęque religionis studium accendit; vt clare demonstrant ea quæ narrauimus.

Cum autem Henricus VIII. Anglię rex ab ecclesia Romana desciuisset, & Anglicanæ se caput esse profiteretur; Paulus III. pontifex maximus quo eum in officio retineret, auerteretque a potentissimo regno fœdam adeo labem, summa cum autoritate legatum in Angliam misit Reginaldum cardinalem Polum e Margareta Eduardi Angliæ regis nepte prognatum. Francorum regem mox Henricus rogauit, pontificium vt legatum sibi traderet. Cujus commonefactus Polus, quo periculum declinaret, Cameracum secessit. Quo comperto Henricus illum ceu perduellem & majestatis reum proscripsit: edictoque proposito quinquaginta nummum aureorum millia promisit illi, qui vinctum ad se pertraheret. ANN. 1537. Cardinalem Polum periclitantem

Legati periculum edoctus cardinalis Leodiensis, eum in suam vrbem inuitauit. Intranti per portam Aurotanam claues obtulere consules. Ipse pro facta sibi a pontifice potestate plenam noxarum indulgentiam concessit omnibus, qui Pænitentiæ sacramento perpurgati, sacrosanctam Eucharistiam XVII. Kal. Iulias percepissent. Quo die post rem Diuinam celebriore ritu peractam cum clerus omnis, populusque per vrbem supplicatum processisset, vniuersæ multitudini in tēplum reuersæ legatus bene precatus est. Leodij recipit,

Verum hęreticis nihil sacrum: nihil auro regio non peruium, etiam per medios satellites. Quamobrem audito in quo versaretur Polus discrimine, Romam eum pontifex reuocauit. Cumque ex eo audisset, qua veneratione sedis apostolicæ legatum coluisset cardinalis Leodiensis, nouis eum honoribus auctum voluit: pontificiumque a latere legatum designauit. creatur legatus a latere.

Qua suprema potestate cum vti cogitaret Erardus ad sartam tectam ecclesiæ suæ tuendam dignitatem; ad alios honores susceptis pro ecclesia Dei tot laboribus promeritos Deus euocauit. Optimum principem morbus inuasit XV. Kalend. Febr. Ipse cum sua in patriam merita morte succidi sentiret, aliquid vltra eam proferre voluit: ANN. 1538.

Quidquid fructuum inueniretur ex episcopalibus vectigalibus percipiendorum, totum id impendi mandauit in episcopij constructionem. Ipsius igitur opus est, quidquid hodie visitur, quamquam id, quod post eius mortem exstructum est, successoris arma gentilia præferat. Exederat propemodum corpus lenta febris, & ad extrema perduxerat, quando instructus ad vltimum agonem omnibus ecclesiæ sacramentis XIV. Kal. Martias, sesquihora post mediam noctem mortalem hanc reliquit vitam, immortali dignus gloria: verus patriæ pater. Cui si plures Leodium pares tulisset, operum ornamentorumque magnificētia paucis Europę ciuitatibus cederet. Illatus est in sepulcrum, quod sibi viuens posuerat. Cor Hoium in ędē Cruciferorum, exta reliqua in cœnobium Septem fontium nō procul Bruxellis delata sunt. Ea fuerat ipsius vltima voluntas. Moritur.

Die vigesimo

S. EVCHERIVS

episcopus Aurelianensis. *Scriptor synchronus apud Surium, Flodoardus, &c.*

EVcherium nobis genuit Aurelia Franciæ vrbs ad Ligerim. Parentes genere virtutibusque illustres fuere. Matri nocte quadam dormienti visus adstare venerabilis senex, (angelus Dei creditus est) prædixit filium quem vtero gereret, episcopum vrbis Aureliæ futurum. Vt in lucem prodijt infans, sacris illum aquis tinxit Ansbertus Augustoduni episcopus. Cum adolescens

Digitized by Google

DIE 20. lescens in illud Pauli incidisset : *Præterit figura hujus mundi*: item illud : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* : eam fluxarum rerum animo concepit contemptionem, vt ijs mox abjectis monasticen amplexurus, in Gemeticum se monasterium abdiderit.

1. Cor. 7. 31. & 3. 19.

Hic porro tota virium omnium contentione sic in virtutis persecutionem incubuit, vt omnium maxime vnus ille in ceterorum oculos incurrerit, qui in Suauarici locum substitueretur. Episcopus hic Aureliæ fuerat, & Eucherij patruus, vitaque decesserat sub annum septingentesimum vicesimum primum.

Creatur episcopus Aurelianensis.

Franciæ principatum jam tenebat Carolus Martellus : & Aurelianensium ordinum rogatu Suauarico nepotem Eucherium subrogauit. Permolestum illi fuit religiosæ solitudinis quietem relinquere; & ad illum episcopatus splendorem & curas abstrahi : sed parendum fuit, nisi vim experiri mallet.

Qua caritate vigilantiaque creditum sibi gregem rexerit, paucis prodidere scriptores : tu lector, ex hoc vno disce. Indignam tributorum pendendorum seruitutem ecclesijs imponebat Carolus Martellus, earum vectigalia distribuebat in suos milites, alijsque injurijs sacrum ordinem vexabat. Non veritus regiam in illo potestatem Eucherius, quamquam pedum illi deberet acceptum, intrepide peccantem coarguit, & ab injustitia reuocare conatus est.

Martellum ausus reprehendere

Sanctam arguentis libertatem ferre non potuit Martellus; & qui nobilissimis celebrabatur victorijs, se non potuit vincere, infelix princeps. Gothicam forte regionem anno tricesimo sexto vastauerat, Saracenici belli reliquias omnes dissipaturus, quando Aurelia Parisios rediens, sanctum antistitem Eucherium a suis avulsum sequi jussit, ac Coloniam misit exulatum.

relegatur Coloniam,

Exilium virtuti nullum esse potest, cui omne solum patria est. Domi fuit Coloniæ sanctus præsul : & eam in omnibus animi prætulit æquitatem, speciminenque virtutum omnium, vt sanctitatis nomen collegerit apud omnes celeberrimum. Audijt Martellus: & sanctitati nobile theatrum inuidit amplissimam ciuitatem : maximo Leodiensis diœcesis bono relegauit in Hasbaniam, a Roberto duce custodiendum.

tum in Hasbaniam.

Et hic in regno suo virtus exultauit. Innocentissimum enim exulem Robertus ita mox amplexus est, vt suam omnem familiam ei commiserit. Atque indulsit deinde, vt ad S. Trudonis asceterium secedens ad monesticam quietem, e qua præter animi votum fuerat ad episcopatum eductus, reuerteretur, & Diuinis in sancto silentio, & vita priuata frueretur delicijs.

Quintum in exilio agebat annum Eucherius, (erat illius sæculi quadragesimus primus) quando vitam hanc infeliciter posuit Martellus XI. Kalend. Nouembres: & sub idem illud tempus, forte pijs precationibus animum dabat antistes; ad æternos inferorum carceres ab angelo deduci mente visus est, ibique spectare Carolum diris cruciatum tormentis. Cohorruit Eucherius tam infausto spectaculo. Et cum ab angelo ductore suo causam quæsijsset horrendæ illius condemnationis, accepit id responsi : Carolum animo corporeque æternis addictum esse cruciatibus cælitum eorum sententia, quibus res sacras eripuisset, impieque distribuisset in militem. Acerbissimis porro illum supplicijs luere sua peccata; sed in primis illa, quibus ab ecclesia facultates illas auerterat, quas olim pij mortales expiandorum suorum peccatorum gratia Deo consecrauerant.

Martellum apud inferos videt.

Sibi restitutus Eucherius, Bonifacium accersijt, illum Germaniæ apostolum (incumbebat tum autoritate apostolica in corrigendam ecclesiæ Gallicanæ disciplinam) & Fulradum archimandritam ad S. Dionysij, Pipinique sacrario præfectum: ostentumque istud aperuit. De cuius veritate si certiores esse vellent, adirent ad Caroli sepulcrum; vanitatisque omnia damnarent, si reperissent eius corpus. Rem illi censuerunt explorandam. Profecti ad S. Dionysij, cum sepulcrum aperuissent, erupit mox terribili specie draco; nullumque ibi cadauer, sed ipsum sepulcrum tetra fuligine, ceu alicujus incendij atratum viderunt. Ita scriptor vitæ S. Eucherij qui tum viuebat : ita Flodoardus in historia Rhemensi: ita episcopi prouinciarum Rhemensis & Rothomagensis scripserunt in capitulis ad Ludouicum regem missis: ita autor vitę S. Rigoberti Rhemorum archiepiscopi apud Surium: ita Paulus Æmilius rerum Francicarum scriptor, alijque: ita Hincmarus archiepiscopus Rhemensis non toto sæculo re gesta posterior in vita S. Remigij. Aliter cēset primus omnium (quod ego sciam) Baronius, eo potissimū argumento, quod Eucherium prius abijsse vita putet, quam Martellum: at contrarium alias probaui.

Hor-

Digitized by Google

Horrendum porro monitum est principibus, ne per causam propugnandæ reipublicę, aut multo magis, ne cupiditate proferendi imperij spolient ecclesiam, aut eius immunitates conuellant.

Religiosissime degebat in S. Trudonis asceterio Eucherius, & ardentibus a Deo precibus mortem expetebat, quando suo voto proximus Martellum jam mortuum vidit, vt diximus, inter horrendos inferorum cruciatus. Ac paulo post X. Kal. Martias anni sequentis e misero hujus mortalitatis exilio ad cælestem patriam euolauit.

Sacrū eius corpus ad S. Trudonis situm innumeris Deus celebrauit miraculis. Illustre est, quod edidit alterius anni die ipso anniuersario. Cleri populiq; multitudo ingēs fama miraculorum excita confluxerat. Sollicito abbate, vnde prandium pręberetur; ecce curriculo nuntiat aliquis insolentem in proximo amne piscium videri multitudinem. Itur, & nullo labore, velut si aqua hauriretur, tanta copia pisces educuntur, quanta plus satis fuit tantæ multitudini opipare tractandæ. Nemo dubitauit S. episcopi precibus id esse tribuendum.

Alia sunt. Dies tres noctesque totas postquam arsisset cereus, tantum æditiuus ceræ collegit, quantum in eo fuisse constabat.

Diu lampas ardere visa est, oleo nihil imminuto, imo exuberante. Nam supposito vase post paucos dies olei tantum collegit ęditiuus, quantum septenis lampadibus concinnandis satis esset; quæ plures item dies arserunt, oleo minime consumto. Ægrotos prætere a plurimos eodem perunctos liquore Deus sanitati restituit. Indicabant ista, opinor, S. præsulis virtutem nullo alienæ maleuolentiæ ardore violari potuisse.

Die vigesimo primo

S. PIPINVS

Landanus. *Ratherius, Vita S. Gertrudis, Aimoinus, Pithoeus, Molanus, &c.*

CAPVT I.

Sapienter agit apud Clotharium regem. Collegam vult S. Arnulfum.

Pauca, & sparsim ab antiquitate de Pipino relicta collegi, vt quoad licet, posteritas sciat, quem virum (vt dicemus in vita S. Gertrudis) aliquibus sanctorum honoribus veneretur.

Genere, opibus, autoritate, prudentia, potissimumque virtute in Austrasia floruit. Caput fuit augustissimę illius familiæ, quæ tot reges & imperatores dedit orbi Christiano. Quos ipse habuerit parentes, tacent antiqui scriptores: posteriores sunt, qui patrem appellant Carolomannum. Landam incoluisse fertur, Hasbaniæ vetus oppidum: vnde & Landani nomen accepit. Ea possedisse prædia, quæ meliorem hodie Brabantiæ portionem occupant, mihi verosimile est. An ideo Brabantiæ dux sit dicendus, qua fide viderint, qui aiunt. Ego quidem cum Iusto Lipsio parum illi opinioni deferendum arbitror.

Ceterum magnus omnino princeps fuit, quando carus in paucis fuerit Clothario regi potentissimo: qui diuisam scilicet in tetrarchias antea Francorum gentem ad monarchiam reduxerat; plurimum autem Pipino tribuebat, nec temere quidquam, nisi de eius consilio aggrediebatur. Creatus major domus

Ille vt erat in regem & rempublicam fide integra, infractoque pollebat animi robore, tantam nihilominus negotiorum molem suis vnius humeris non existimauit sustinendam. Duobus locum raro relinquit, vbi regnat ambitio. Suo singuli arbitrio pendere volunt omnia: non dominationis consortem, non parem æquis aspiciunt oculis; nec ferre possunt superiorem. At cui sincerus est amor boni publici, id non suis dumtaxat, sed aliorum quam potest plurimorum consilijs, opibus, industria, procurare contendit.

Digitized by Google

Prov. 15. 22. Nam *dissipantur cogitationes, vbi non est consilium: vbi vero sunt plures consiliarij, confirmantur*, inquit Sapiens. Arnulfum Metensem episcopum Pipinus in curarum partem aduocauit, virum & prudentia, & vitæ innocentia spectatissimum, etiam tum, quando conjugij innexus vinculo, vitam inter laicos agebat: quocum morum & studiorum similitudine arctam junxerat amicitiam, atque adeo postea affinitatem data in conjugem filia sua Beggha Anchiso, siue Ansigiso eius filio.

collegam adsciscit S. Arnulfum.

CAPVT II.

Dagoberto primum rege, tum & Sigeberto sapienter & religiose rempublicam regit.

Pipini juxta & Arnulfi consilijs non feliciter minus quam juste regnum Clotharius administrauit. Sed cum anno supra sexcentesimum vicesimo tertio filium Dagobertum Austrasijs regem daret, adjunxit Arnulfum & Pipinum, quorum consilijs ad rempublicam animum filius applicaret; ratus non nisi feliciter perfecturum, quidquid aggrederetur ex eorum mente.

Non desunt qui putent Pipinum in Austrasiam quorumdam inuidia quasi relegatum, ne reliquum interea regnum attingeret. At in gloriam hoc ipsi cessit. Cum enim publicam rem sapienter gessisset, factus Dagoberto carior, plus etiam adeptus est autoritatis, quando ille morienti patri in totum regnum anno vicesimo octauo successit. Ita fere de inuidia triumphat virtus.

Vndecimo post anno cum Sigebertum filium triennem Austrasię regem crearet Dagobertus, Pipinum singulari integritate, sapientiaque pridem probatum, rerum summæ denuo præfecit; & omnem vna cum filio Austrasiam pace, justitia, felicitate, opibus, gloria cumulauit. Summa quippe regum juxta ac regnorum felicitas est sapiens consiliarius.

Lobium promouet, ANNO 640.

Ciuilia sic curabat optimus princeps, vt sacra non desereret; quibus illa nimirum fulciri non ignorabat. Vrsmarum illi Lobienses debent. Condito enim illo monasterio cum se Landelinus Crispinium recepisset, Vrsmarum Pipinus virum illustri sanctitate pręstantem aduocauit, episcopumque creari iussum, Lobio præesse voluit: quam feliciter, dicemus, vbi res postulabit.

Meldariæ cœnobium erigit.

Meldariæ non diu post cœnobium exstruxit. Cum enim sanctæ virginis Ermelindis sacrum corpus multis annis illic iacuisset ignotum, pluribus sub hæc tempora miraculis Deus exornauit. Qua prodigiorum gloria prouocatus Pipinus, consanguineæ sibi virginis venerandum corpus in lucem educendum mandauit, parthenonenque condidit multis prędijs opulentum: nunc injuria temporum interijt.

CAPVT III.

S. Cunibertum adsciscit collegam: & moritur.

Svb hæc vita decessit Arnulfus Metensis episcopus, Pipini fidus comes, & arcanorum omnium, consiliorumque publicis de rebus particeps. Pipinus quamquam longo jam vsu tractandarum rerum peritiam adeptus, vniuersum tamen publicæ rei onus in se vnum recipere noluit. Quod raræ profecto prudentiæ fuit: eximiæ vero etiam religionis, quod episcopum in collegam adlegerit. Cunibertus is fuit Coloniensis antistes, prudentia sanctitateque prędıtus haudquaquam minore, quam Arnulfus.

Cuniberto igitur in consiliorum societatem aduocato, mox fuit, quo suam fidem ac prudentiam probaret. Cum anno quadragesimo quarto viuis abijsset Dagobertus, inter fratres reges Sigebertum Austrasiæ, Neustrięque Clodoueum oriri cœperunt simultates. Composuit magna sapientia Pipinus, & vtrumque regnum magno malo liberauit.

Biennio post vita decessit, acri Austrasianis omnibus relicto sui desiderio. Nam præter vsum rerum, prudentiamque in regendo admirabilem, ea floruit vitæ sanctimonia, cujus veneratione posteritas sanctorum fastis ipsum adscripserit. Sepultum aiunt Landæ, vbi sępius agere consueuerat: Niuellas vero postea delatum, non sine prodigijs. Cum enim

enim honoris causa circumferrentur accensi cerei, numquam toto itinere extincti sunt, vento licet vehementissimo.

Religiose illic in hanc ętatem asseruatur, & cum sacris aliorum sanctorum corporibus deferri consueuit in quibusdam supplicationibus: neque tamen memoria Niuellis est, alios cælitum honores illi aliquando fuisse decretos.

Die vigesimo quarto
B. SIMON
conuersus Alnensis. *Manuscript. Aln. dono R. D. Caroli le Rond ibidem monachi, Ægidius, Cæsarius.*

CAPVT I.

Magno sui contemptu religiosam vitam aggreditur: & primum grauiter impugnatur.

NObilis genere, sed magis animi magnitudine Simon Alnam venit cum sedecim esset annorum; & monasticen amplexurus, de illorum ordine voluit esse, quos conuersos appellant, vt ad viliora quæque applicaretur. Oues ergo pauit egregia sui demissione, animique voluptate adeo suaui, vt illam oculo, lingua, manu non posset subinde non demonstrare. Religiosæ modestiæ fines transgredi plerisque visus est, & toto triennio pænas sæpenumerò dedit, eadem semper animi æquitate. *Rebus vilibus recreatur.*

Grauius fuit quod indixit bellũ dæmon per impudicitiam. Nutricis potissimũ, quam tenerius dilexerat, notis blanditijs, & osculis animo objectis interdiu noctuque vexabatur optimus juuenis. Neque omni contentione vllam obtinere potuit tranquillitatem, nisi vel morbo correptus, vel graui fatigatus labore, vel vbi sacra Confessione animum magis emundaret. Tum quippe breuibus velut indutijs nonnihil conquiescebat. Post septem denique annos ita debellauit, vt speciosissimarum formarum non magis, quam arborum conspectu moueretur. *Impudicitia grauiter tentatus*

At ne victoria tanta præfidentiam, & animi elationem, hæc vero negligentiam etiam crearet, atque humanæ infirmitatis ipse obliuisceretur, permisit Deus vt resurgeret prostratus hostis, bellumque instauraret. Fecit profecto tanta ferocia, vt pęne succumbens Simon ignoraret, quo se auxilij gratia conuerteret. Nihil ab oratione subsidij, nihil quietis in pænitentiæ sacramento inueniebat. Ingrauescente certamine, torpebat propemodum desperatione, cum in aliquam monasterij villam secessit, ingressusque pomarium, abjecit se sub arbore, & opem aduersus hostes a Domino exercituum Deo totis animi viribus flagitauit. Et ecce subito vehemens ventus omnes pomarij arbores concussit: at non in illo Dominus. Post ventum sibilus aurę tenuis (vt quondam Elię vati factum legimus) & vere in ea fuit Dominus. Posita quippe tempestate, omne animi nubilum discussum est. *tandem superat.*

CAPVT II.

Mirabili perspicacia diuinitus donatur, & ea iubetur vti ad animarum salutem.

HIs eductus salebris, planiorem deinceps viam decurrit, cælestiaque puriore mentis oculo perspicere cœpit, & amare. Fastidium humanæ res omnes cum jam illi mouerent, Diuina dumtaxat animo linguave tractabat. Numquam cum Deo non erat, quoties secum esse poterat. Assidua igitur cum illo consuetudine, tantum in animo suo concepit illius desiderium & amorem vt quiescere prius non posse videretur, quam eius frueretur aspectu. Votorum hęc erat summa: hoc ardentissimis *Magno Dei amore feruet*

 aliquan-

aliquando flagitabat precibus, quando abreptus terris animus in cælum ab angelo deduci visus est. Vbi cælitum multitudinem incredibilibus delicijs dum demiratur affluentem, demissam a Domino vocem audijt, quę humanarum mentium arcana illi polliceretur aperienda, quod tanto videndi Dei desiderio flagrasset.

infusaque animorum cognitione

Sibi redditus clara luce perfundi mentem sensit, qua mortalium intima penetraret. Sed cum hominum oculos & admirationem pro sua modestia vereretur, celabat omni studio tantum Numinis donum, quod tamen publico mortalium bono concedebatur. Sacrum ergo Christi corpus, quodam die percepturus, illud ex ore sensit in terram de-

vti jubetur.

labi: simulque intellexit offensum Deum, obtemperatione placandum esse. In terram se demittebat sacerdos, vt sacram hostiam tolleret; innuit Simon vt ne faceret. Tum suppliciter veniam precatus, pariturum se posthac appromisit. Et ecce stupentibus omnibus sacrosancta Eucharistia nemine mortalium attollente, ad Simonis linguam redijt.

CAPVT III.

Magno bono multis occulta pandit.

NImius sim si vel enumerare velim mortales, quos aut periculis eripuit, aut etiam imo peccatorum barathro eduxit. Pauca tamen non commemorare non possum.

Tironi Villariensi,

Conradus Senensis comitis filius, Villarij tironem agebat. Illum quamquam absens vidit Simon aurea corona redimitum; quo futura illius in ecclesia Dei magnitudo portendebatur: eumdem tamen accepit illo anno grauiter & non sine ingenti periculo a dæmone impugnandum. Erat tum Simon apud Walterum Villariensem monachum (is abbas ibidem postea fuit) eumque rogauit, vt cum Villarium redijsset, Conradum de periculo commonefaceret: neue res vana haberetur, explicauit ordine, quidquid eo die sub sacrum animo Conradus voluisset. Villarium vt redijt Walterus, omnia sigillatim eo se habuisse modo comperit, quo Simon enuntiauerat. Et Conradus periculum edoctus vitare tamen non potuit, & non nisi ægre emersit.

Monacho Alnensi,

Alnensi monasterio noctu se proripuerat quidam monachus, leue Domini jugum cum grauissima mundi seruitute permutaturus. Non fugit hoc Simonem, quamquam procul Alna, Malbodioque proximum. Properauit, & ducente Deo, prope Binchium eadem nocte profugum consecutus, felicissime illi persuasit vt ad monastica castra, quæ impie deserebat, generose se referret. Factum est Simone tam sapienter omnia disponente, vt ceteris facti ignaris ad monasterium redierit ad preces antelucanas; & postea cœnobitę optimi probe partes impleuit.

multis sæcularibus,

Hęc & alia eiusmodi plura domi, sed foris longe plurima in aliorum salutem perpetrauit. Feminam infami incestu cum filio, aliam cum mariti fratre se polluentem, vnam suo fetui exitium parantem, puellam alienæ libidini suum pudorem prostituere cogitantem, alios alijs sceleribus implexos, Diuina luce cognouit, & a peccatis absterritos ad meliora reuocauit.

sacerdoti opem fert.

Quæ nequaquam Dei virtute, sed per Beelzebul principem dæmoniorum fieri sacerdos quidam opinabatur: & ijs cogitationibus solidam aliquando noctem duxit insomnem. Alnam mane contendit, Simonis impudentiam demonstraturus. Vt ad se venientem eminus Simon conspexit: Modicæ fidei homo, inquit, perparum hac nocte dormisti. Tum quæ mente versasset, singula recitat, aliaque eius arcana sic enuntiat, vt obmutuerit primum sacerdos, tum superueniente diuinitus majori luce, priorem vitam deseruerit, vt Alnæ monasticen profiteretur.

CAPVT IV.

Cælesti sapientia præditus, multis prodest.

MAgnam præterea Diuinarum rerum cognitionem adeptus est. De quibus cum inter theologię magistros aliquando Parisijs dissereret, hominem acriter illi corripuerunt, quod litterarum ignarus in ipsa summæ sapientiæ adyta se penetrare non dubitaret. Sereno ille vultu respondit, esse in principe basilica Parisiensi librum S. Augustini

gustini, qui loco, quem etiam indicabat, propositam quæstionem diserte explicaret. Quæritur liber, & in eo locus indicatus: inuenitur que tota quæstio clarissime explanata. Attoniti theologi hominem deinceps pro merito venerati sunt.

Fateri certe solitus est Simon, tantam animo lucem e cælo infusam fuisse, vt totos duodetriginta annos nullam in explicandis Diuinis rebus quamquam maxime arcanis difficultatem inuenerit. Hac igitur instructus cognitione aptissima morbis animorum remedia suggerebat; & miræ sequebantur curationes. Ex quo fama longe lateque diffusa magnos ad eum concursus excitabat.

Venerat Alnam quidam e Romano clero, vt eius auxilio animi tranquillitatem consequeretur. Quem intuitus Simon, de illo sibi nihil e cælo innotuisse affirmauit. In lacrymas & eiulatus prorupit vir ille, qui post tantæ viæ labores, salutis omnem spem tolli crederet. Eorum qui adstant rogatu, in illum oculos denuo conuertit Simon; & jam velut aperto pectore perspexit omnem animi statum. Homini porro creabant inquietudinem enormia duo peccata; quæ remotis arbitris illi Simon aperuit, vnaque rationes significauit, quibus ijs sordibus emergeret. Tum Parisios ad theologum sibi notum misit, a quo peccatis omnibus post sacram confessionem absolueretur. Paruit ille magna animi sui voluptate: & affirmare postea solitus est visum sibi, Deum in illo secum loquentem se audire: Beatam porro terram illam, quæ tantum virum Dei munere genuisset.

Roma venerat item alius Simonis ductu, consilioque peccatorum sarcinam positurus. Ipso igitur audiente, sacerdoti peccata confiteri aggressus, cum nonnulla subinde vel pudore, vel imprudentia præteriret, mox Simon castigabat pudorem, vel in memoriam preterita reuocabat; & quo singula explicaret, modum docebat. Atque ita totius vitæ noxas confessus, omnes animi turbas mirabili suauissimaque pace composuit.

Reuersus Romam, vrbem, atque adeo ipsius pontificis Innocentij III. aures Simonis laudibus impleuit. Occultarum enim rerum claram cognitionem, sapientiam, modestiam, alienæque salutis studium satis prædicare non poterat. Quare cum anno supra millesimum & ducentesimum decimo quinto Lateranense concilium indiceret summus pontifex, Simonem adesse jussit, quem nimirum præclara Diuinarum rerum cognitione præditum inaudierat. Pontifici Simon adfuit, & propositas quæstiones quamquam difficillimis perplexas difficultatibus, mirabili facilitate priuatim explicauit. Captus hominis sapientia sanctitateque Pontifex, sacerdotem eum consecrare voluit, quo faciliorem pluribus opem impertiretur, cum peccata sua confitentibus aures daret: sed in suo gradu continuit illum sancta humilitas. In hujus tamen gratiam ille Cisterciensi ordini conciliatus est, cui quibusdam de causis fuerat infensior. Ac præterea Simoni potestatem fecit deligendi quemcumque sacerdotem, qui illos peccatis absolueret, quos ijs irretitos esse Diuinitus accepisset.

An hoc itinere, nescio; certe aliquando cælestium rerum intentus contemplationi Simon, ingentis magnitudinis hominem, qui cælum vertice attingeret, sed putrido ac debili cerebro infirmum videre visus est. Pontificem illum esse, qui occultis peccatis irretiretur, intellexit vir Deo plenus; atque vt ab illo periculum auerteret, eum suas illas latentes noxas edocuit, atque adeo mortis diem. Anno sane sequenti mortuus venit ad Lutgardem Pontifex, & non nisi B. Virginis præsidio damnationis æternæ periculum euasisse affirmauit.

CAPVT V.

Grauia pericula incurrit, & Dei beneficio euadit.

CVm Romæ Simon ageret; audiuit quidam vrbis senator quanta ille luce intimos animorum recessus perspiceret. Veritus igitur, ne pudenda flagitia, quibus immersus volutabatur, per illum in lucem pertraherentur, e medio ipsum tollere constituit. Quare per quemdam cardinalem sibi familiarem, sed cogitati facinoris ignarum, ad se vt perduceretur obtinuit. Et magnam quidem mentitus primum humanitatem, excepit domum: tum in interiora duxit ad destinatum sceleri locum. At mente diuinitus perturbata cum hæreret, occupat illum Simon: Quod ipse tibi (inquit) proposuisti, quin confe-

Digitized by Google

DIE 24. confestim aggrederis? Contra ille: Quid vero tu de consilijs meis? Eloquere, si quid habes. Ad quem Simon. Heri te ipse cultello confodere cogitasti; & hodie de loco superiori te dare præcipitem. Me vero non alio ad te vocasti consilio, quam vt occideres. Obstupuit ille, ea patere audiens, quæ mortalibus omnibus occlusa crediderat: & ad eius pedes prouolutus, facti pænitens veniam rogauit.

Periculum alias nihilo leuius incurrit Simon, & nouo Dei beneficio euasit. Equitabat cum viro nobili, quem alto peccatorum immersum cœno cum intelligeret, educere tentauit ostentato præsenti discrimine. Non tulit sana monentem vir impius, & sensim abductum in siluarum auia, equo jubet descendere, ferroque manum admouet. Hæret hæc velut fixa & immobilis. Et Simon: Quod facis, inquit, fac citius. Ille: Faciam quam citissime, si voluntatem libera sequatur manus. Peruicacem animum castigauit acriter Simon, & eo æquitatis adduxit forti suauitate, vt damnata impietate, suauissimam cum eo coluerit necessitudinem.

Non ferebat dæmon tam frequentem sibi prędam eripi Simonis sanctitate & consilijs: & quod suis ipse viribus nequibat, per hominum impietatem attentabat: vt illi nimirum mortem machinarentur, qui eius vitam suo sanguine tueri debuerant, quando in eorum salutem totus incumberet. Sed illæsum sæpius alias texit Deus. Quę pluribus commemorare supersedeo, ne longior sim.

Sua porro pericula omnia contemnebat, vt a miseris mortalibus diros illos inferorum cruciatus auerteret, quos aliquando se meminerat vidisse. In vastam enim & horridam solitudinem deductus ab angelo, reproborum hominum animas ceu greges porcorum vidit a dęmonibus agi, & ferreis ignitisque virgis crudelissime verberari. Media planitie puteus fumum fœtoremque intolerabilem emittebat: e quo teterrimus dæmon emergens terribili clamore præcepit omnes porcos in puteum mitti pręcipites. Quod vt factum est, ardere cœpit solum omne puteo proximum, & cui Simon insistebat: cujus ardorem cum ferre non posset, nec in tutum se recipere; adfuit angelus, qui se subduxerat; eumque sibi restituit. Et ne mera putes oculorum ludibria, pedes ita flammis illis adusti erant, vt per dies deinde quadraginta nec ambulare, nec consistere Simon potuerit.

CAPVT VI.

Reipublicæ Christianæ admodum vtilis, sancte vitam claudit.

ANN. 1226. De ecclesia Leod. bene meritus, PVblicæ rei natus erat vir sanctus: nec intermisit quoad vixit, vel de singulis priuatim, vel de communibus quam optime mereri. Hugonem Petrapontium præstantissimum episcopum vnus ille Leodij retinuit, quem ad metropolitanam suam sedem abstracturi videbantur Rhemi. Et vacillabat ipse: sed eum confirmauit Simon, affirmans Numini placere, priori vt sponsę fidem seruaret. Grauius est, quod subjicio.

prospicit vniuersæ; Cælestium rerum commentationi deditus, vidit aliquando lunam terræ proximam, validaque sic constrictam manu, vt majore sui parte obscura, cornua dumtaxat duo admodum exilia ostentaret. Intellexit geminam ecclesiæ portendi calamitatem paucis post annis exorituram. Albigensium hæresis altera fuit; altera Frederici II. imperatoris aduersus ecclesiam rebellio. Quæ mala vt auerterentur, aut certe leuius incumberent, Deum tota virium omnium contentione sollicitauit; atque vt idem conarentur alij, quæ viderat, aperuit.

& sibi. In suis minime cæcutijt, qui aliena tam sagaciter peruidebat. Austeram egit vitam, quo exsurgentes gloriæ appetitiones reprimeret, purgaretque admissas noxas. Duplici lorica corpusculum semper afflixit, nisi si quando valetudinis gratia alteram deponeret. Sed tum illam velut conniuentiam tridui quatriduive inedia alijsque afflictationibus compensabat. Hoij erat, quando mortem imminere Deus ostendit; ostendit & sepulcri locum: ad quem frequentius itare cœpit orationem ibi facturus, pluuio quamquam cælo. De quo cum argueretur, nutu suauiter significabat, eum quietis locum corpori suo diuinitus esse destinatum.

Cum ad mortem longo se prouisu compararet, incidit aliquando sollicitudo, Deusne peccata dimisisset, & quam daturus esset coronam. Et ecce vox cælo delabitur: Si pro meritis tuis tibi peccata dimitterentur, quod in te esset Sanguinis Christi pretium?

Si ex

Digitized by Google

Si ex Dei benignitate remissa sunt, reposita tibi nihilominus est corona iustitiæ, quam reddet tibi in illum diem iustus iudex IESVS CHRISTVS. Hac ergo fiducia cœpit cum Paulo frequentius suspirare: *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ac denique exorato Deo, cum corporis vires deficerent, rite Christianis armis instrui ad vltimum agonem postulauit; & VI. Kal. Martij sub mediam noctem felicem animam exhalauit anno vndetricesimo.

DIE 24. Sancte moritur.

Die vigesimo sexto

GVILIELMVS RICHELIVS

abbas S. Trudonis. *Cornelius Sanfliet, Philippus abb. Claræuall. & quæ mihi exhibuit e sui monasterij commentariis Admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas S. Trudonis.*

GVilielmo huic æque ac postea Dionysio celeberrimo illi Cartusię alumno vitam & nomen dedit Richelia, judicium acre natura, præclaram rerum cognitionem labor & constantia; quibus conjuncta virtus honores peperit. Aquisgrani canonicum agebat Guilielmus anno millesimo ducentesimo duodequinquagesimo, quando Guilielmus Hollandus Romanorum rex inauguratus est; eique suam morum integritatem, sapientiam, agendarumque rerum peritiam adeo probauit, vt in consilium rerumque grauiorum deliberationem adhiberi cœperit, ipsi regi gratissimus. Quare cum IV. Kalendas Nouembris vita decessisset Thomas S. Trudonis abbas, in eum popularem suum Trudonenses monachi oculos animosque conuerterunt, qui tanta prudentiæ laude, gratiaque apud regem valeret: firmum enim suis rebus non leuiter labantibus adminiculum a tanto viro sperarunt. Regi placuit Trudonensiũ illud judiciũ: eoque rogante pontifex Innocentius indulsit, vt postridie quam habitum induisset monasticum, solemni se votorum professione obstringeret, ac tertio denique die Nonis Februarijs abbas inauguraretur.

Ob doctrinam regi carus creatur abbas S. Trudonis.

Susceptum munus strenue gessit, magno illius ecclesiæ emolumẽto. Nam qua pollebat autoritate nonnulla prędia in diœcesi tum Leodiensi, tum Trajectensi a quibusdam contra jus occupata recuperauit; aliaque obtinuit Cæsaris munificentia, cui semper vixit percarus. Religionem etiam procurauit non minore gloria, felicique euentu. Beguinas quæ ad hanc ætatem sparsim, vt fors quamque tulerat, & in omnes vrbis parœcias diuisæ habitabant, in vnum collegit, vt eo Diuina studiosius sectarentur, quo ab humanarum rerum strepitu longius recessissent. In suburbano Schurhouię prædio sui monasterij ædem posuit in honorem S. Agnetis, structasque per gyrum domos firmo muro cinxit; hoc illis onere relicto, vt quæ ceteris pręesset, ipso S. Trudonis ad eius aram aureum nummum apponeret. Stat adhuc magna Guilielmi gloria insigne religiosæ disciplinæ monumentum.

Beguinas vna domo claudit.

Eiusmodi pręclare factis magnam sui concitarat opinionem Guilielmus; eoque perlubenter vtebatur episcopus Leodiensis in administranda diœcesi. Cum ergo forte sub id tempus magna sanctimonię fama prodigijsque celebraretur Elisabetha Spalbecana (cujus meritis suum dedimus locum) & jure in rebus supra communem ordinem mirandis inferorum præstigias vereantur cordati viri; aut certe eo peritiorem requirat ducem quo sublimior est virtus, sanctæ illius virginis curam Guilielmo demandauit episcopus, non tam quod habitatione simul & agnatione proximus esset, quam quod egregia innocentia, regendorumque animorum insigni peritia præditus. Quam curam vt executus sit, vidit & edito scripto testatus est Philippus Claræ-vallis abbas cum anno sexagesimo septimo cum alijs quatuor eiusdem ordinis abbatibus Herckenrodę disciplinam inspiceret, diuertissetque ad illam Elisabetham. Nam pręter alia quæ cum laude de hoc Guilielmo commemorat, virum illum appellat eximiæ virtutis, integræ famę magnæque autoritatis.

Cõmittitur illi Elisabetha Spalbecana.

Suum præterea monasterium ornauit magna copia sacrarum reliquiarum, quas Colonia e victricibus copijs S. Vrsulę & S. Gereonis aduexit. Et postquam annos viginti tres

DIE 27. ti tres publico bono suos rexisset, IV. Kal. Martij anno septuagesimo secundo vita defunctus magnum sui reliquit desiderium.

Multis reliquijs suum monasteriũ ornat.

Die vigesimo septimo

S. MACVARDVS

abbas III. S.Huberti. *Quæ e monasterij antiquitatibus collegerat, volente admodum R. D. Nicolao de Fanson abbate misit ad me R. D. Romualdus Hancart monachus.*

ANtiqua comitum a Bullario gente natus omnem illam sæculi claritudinem generose contempsit, vt Prumiæ religiosam humilitatem amplecteretur: eaque suæ virtutis argumenta dedit, vt anno octingentesimo vicesimo nono Prumienses simul & Hubertenses regere jussus fuerit.

Suscepit geminam illam præfecturam insigni asceticæ familiarisque rei incremento. In Eifflia monasterium ædificauit, a quo ortum habuit & nomen agri Iuliacensis oppidum non ignobile, quod Monasterium Eifframlia dicitur. Id autem cœnobium monachis attribuit Prumia aduocatis; addixitque annonam, quæ satis esset, e Prumiensibus vectigalibus.

Sua morum integritate Carolum Caluum Franciæ regem adeo sibi conciliauit, vt qui a rege gratiam optabant magnæ alias autoritatis viri, Macuardum habere deprecatorem studerent. Eius commendatione consilijsque vsus est Lupus Ferrariensis abbas in Senonensi diœcesi, & olim Rabani Mauri discipulus, cum Cellam S. Iudoci cuidam e palatinis collatam recuperare niteretur.

Prumienses rexit Macuardus ad annum vsque illius sęculi quinquagesimum tertium, quo mortuus est III. Kal. Martias, & ab illis sanctitatis nomine celebratur. At Hubertensibus non præfuit nisi ad annum tricesimum sextum, quo Seuoldum virum eo munere dignissimum substituit. Causa fortassis illa fuerit, quod turbatissimis illis temporibus, quibus aduersus Ludouicum Pium parentem suum arma impia filij mouebant, non putauerit vtrumque monasterium sine graui damno potuisse ab vno regi.

FLORVM

Digitized by Google

FLORVM ECCLESIÆ LEODIENSIS MARTIVS.

Die primo

I. S. EGILO

abbas S Huberti & Prumiensis. *Hæc habeo a R. D. Romualdo Hancart ibidem monacho de voluntate adm. R. D. Nicolai de Fanson abbatis.*

COmitum Siluestrium claritudini (a quibus genus trahebat) meliorem virtutis nobilitatem adjunxit. Prumię namque monasticen amplexus, S. Macuardi religiosis institutionibus ita profecit, vt ei morienti abbas sit substitutus anno octingentesimo quinquagesimo tertio. Rexit vero insigni prouidentia, monasticarumque legum obseruatione. Quare non toto post biennio cum Andaini ad S. Huberti diem obijsset Seuoldus abbas, illi rogatus est vt succederet. Paulo post Lotharius Augustus imperij majestatem cum humilitate monastica commutauit Prumię sub Egilonis disciplina: eodemque anno ad feliciorem vitam migrauit.

Exemplum adeo illustre priuatæ vitæ desiderium Egiloni fortassis accenderit. Qui anno vndesexagesimo vtrique dignitati nuntium remittens, suaui obedientię jugo jam pridem assuetum collum supposuit. Sed dum humilitatis modio suarum virtutum lucem occultare toto animo studet, ad Senonensis ecclesiæ clauum regendum accedere compulsus est anno sexagesimo quinto, id agente Carolo Caluo rege. Creditum sibi gregem annis sedecim pauit insigni sapientia sanctisque vitæ exemplis. Interfuit Suessionensi synodo, tum & Trecensi. Ac denique mortuus anno octogesimo primo, sancti nomen in posteros promeritus est. Auectum corpus Prumiam, in S. Macuardi sepulcrum illatum est.

II. REINERVS

abbas XVIII. Trudon. *Commentarij Trudon. quos habui ab adm. R. D. Huberto a Suetendael abbate.*

PArentes habuit multa religione spectabiles. Consignatę publica fide tabulę in hunc diem seruantur in monasterij archijs, quibus Rechlinda eius mater pijssima matrona suę hereditatis portionem S. Trudoni consecrauit. Parentibus nihil inferior Reinerus illa morum integritate monasticen coluit, vt abbati Imizoni vita decedenti anno nongentesimo tricesimo tertio succesor dictus sit.

Prouinciam aggressus est insigni animi magnitudine. Religiosæ disciplinæ puritatem ea vigilantia sartam tectam seruauit, vt simul collabantia longo annorum lapsu ædificia præclaris operibus restaurarit. Amauit boni præsulis sollicitudinem Otto Magnus,

DIE I. quando ad Germaniæ regnum euectus est anno tricesimo sexto; illique alias sua sponte currenti non modo stimulos addidit, sed & subsidium elargitus est. Sustinendæ quippe virtuti numquam adminicula deesse Deus patitur: sed neque exercendæ materiam, quo gloriosius illam coronet.

Innocentem Abbatis nomen detulerant sycophantæ ad Adalberonem II. Metensem episcopum, grauiterque aduersus innocentem concitarant. Multis hic suam innocentiam sępenumero probare voluit: sępe virorum illustrium autoritatem opposuit. Frustra: rationibus omnibus animum occluserat episcopus: adeo vt Metas aliquando profectus abbas, cum in Adalberonis conspectum venisset, pro officiosa salute, nihil nisi indignam verborum asperitatem retulerit. Sui clientis causam non deseruit B. Trudo. Dormienti nocte quadam episcopo adfuit: illumque non verborum dumtaxat acerbitate, sed grauitate plagarum seuere castigauit. Euigilans Adalbero clamore familiares aduocauit: & cum factum aperuisset, ne somniantis deliria narrare videretur, nudato corpore verberum liuorem, membrorumque tumorem ostendit. Tum reuocato quamprimū abbati, suam illam mentis impotentiam condonari obtestatus, omnia deinceps amicitię officia promisit.

tuetur S. Trudo.

Sacris alias operabatur Reinerus, quando sacrosanctæ Hostiæ particulam in Sanguinem demissurus, vidit in imo calice tumentem multo veneno araneam. Exhorruit primum, & quid ageret, incertus hærebat: at vbi venit in mentem illorum Christi seruatoris verborum: *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*: totum calicem intrepidus hausit, valetudine nullo modo violata.

Marc. 16. 18.

Denique postquam monasterium quinquennio sapienter administrasset, Kalēdis Martij anno tricesimo octauo religiose mortuus est.

III. GVALTERVS abbas Villariensis. *Assignies e Manuscript. Villar. Cantipratanus, Cæsarius, Henriques.*

CAPVT I.

Villarij monasticen amplectitur. Creatus abbas monasteria virginibus condit.

GValterus Trajecti natus est nobili familia, sed animo nobiliore. Adolescentiam ingressus, Villarij monasticen professus est eo animi ardore, vt virtutis illam breui dignitatem attigerit, quę sodalium omnium in se amorem prouocaret. Prioris nihilominus vitę conscientia permouebatur, & molestas sentiebat animi concussiones. Quas vt sedaret, adijt ad quemdam e sodalibus, quem mira pollere apud Deum gratia, fama erat: nullam quippe repulsam pati ferebatur, quidquid postulasset. Ab hoc ergo petijt Gualterus, eam a Deo vt sibi animi affectionem impetraret, quæ sub proximum sacrum sincero dolore, pijsque lacrymis pręteritas omnes noxas expiaret. Obtinuit profecto: tantaque copia sanctus dolor lacrymas elicuit, vt aliquam capitis veritus infirmitatem Gualterus, eas tandem sistere, magno connisu contenderit. Neque hoc illi satis fuit. Idem a Deo beneficium rursum impetrauit per deuotam Deo feminam, quam pari apud superos gratia valere acceperat. Sic affecta jam ætate narrare ipse solitus est.

Insigni peccatorū pænitudine tangitur.

Post virtutem suam in egregia illa religionis academia pluribus annis probatam, jussus est ceteris præsidere. Creatus abbas desiderio mox exarsit condendi monasteria virginum. Cumque plura condidisset in diœcesi Leodiensi, veritus, ne si Villario sanctiores dimitteret ad sacra gynæcea dirigenda, tepidiorum ignauia, qui domi relinquerentur, solueretur ascetica disciplina: octo monasteria, quæ susceperat administranda, remisit ad abbatem Cisterciensem. Horum meminisse Vitriacum equidem crediderim, vbi ait, intra vnius Leodiensis diœceseos fines, & breue temporis spatium, septena construi Cisterciensibus virginibus cœnobia se vidisse.

Creatus abbas gynæcea condit.

CAPVT II.

Insigni floret sapientia, modestia, sui victoria, puritate.

INsigni fuit sapientia. Suos docere solitus est: Deum permittere homines labi in quędam peccata, quæ numquam cognoscent, quia non vitant alia quæ norunt. Quo quis Deum amat sincerius, hoc clarius peccata videre, & eius quem amat, nomine acerbiora ferre desiderare. Dei timorem nobis incuti a duobus; eius presentis memoria, mortisque meditatione. Timorem peccati sine fuga diabolicum esse: sed illum sanctum, quo quis vrgetur ne id virtutis quod amplexus fuerit, suis numeris non sit absolutum: Quibus & aliusce modi plerisque insignem sapientiæ, sanctitatisque opinionem consecutus est. Sapientia

Neque sui se monasterij tenebat finibus. Ordini suo, atque in primis sacratis Deo virginibus operam perlubenter juxta & vtiliter impertiebatur. Inferos etiam aliquando sensit aduersantes. Forte in Valle nostræ Dominæ, cum monasticam ibi disciplinam lustraret, de rebus Diuinis verba faciebat, in medium cœtum intulit se simius, leuibus gesticulationibus, saltibusque in omnem se versans partem. Dęmonem esse intellexit abbas, qui dicentem obturbare niteretur. Ille nihilominus clausis oculis, & sanctæ crucis signo pectus communiens, quæ animo conceperat omnia edixit. Cōtemptus inferorum

Modestissimus, suique contemptor egregius fuit. Quamquam genere, litteris, dignitate polleret, ad vilissima se ita demittebat, & in illis tam alacriter versabatur, vt neminem magis se vidisse, Cantipratanus affirmarit. Ea nimirum fuit basis illa firmissima, cui celsissimum omnis honesti fastigium superimposuit. Humilitas

Accessit creatarum omnium rerum acerrimus contemptus, atque adeo sui corporis odium implacabile. Eius appetitionibus vel minimum indulgere, piaculum existimabat: sancte; non ambigo. At vide promanantem ab vno Spiritu charismatum varietatem. Intercesserat illi suauis necessitudo cum Guilielmo Bituricensi archiepiscopo (Cisterciensem hic regulam professus fuerat) & forte ad eius mensam accubabat opiparam, & lautioribus pro præsulis dignitate dapibus instructam: hęrere cœpit hic abbas, & respectare quid potius sumeret, quo sui corporis minus seruiret voluptati. Archiepiscopum non fugit abbatis dubitatio. Tu quidem, inquit, has lautitias vereris attingere, ne ventri plusculum obsequaris: at ego illis ecce reficior, sanctorumque nihilominus fastis olim adscribar, meoque nomini festus dies consecrabitur. Vaticinio ab euentis fides fuit. Sui victoria

Eximia porro fuit Walteri puritas. Humanis rebus abstractam mentem ita Deo conjunxerat, vt quandoque affirmarit Roberto abbati Valcellensi (qui id ipsum postea Cantipratano narrauit) non raro se diem medium, nonnumquam etiam solidum, rerum cælestium commentationi ita dedisse, vt alio numquam vel minima cogitatione distraheretur. Puritas.

CAPVT III.

Recessus intimos animorum perspicit. Moritur.

AD decrepitam peruenit ætatem, mira totius vitæ sanctimonia. Confessus est memorię nullum recurrere peccatum, quod certa voluntate quadraginta annorum spatio admisisset. Singularia a Deo beneficia promeritus est hac integritate.

Caligabant oculi, vt ægre jam visu quidpiam discerneret, neque tamen faciendo sacro se abstinebat. Mirabatur secum qui ministrabat illi monachus. Tum abbas: Tuo, inquit, arbitrio librum expande, & quem volueris digito versum designa; oculis ego clausis illum tibi recitabo. Dixerat: fecit. Stupentique monacho addidit: Si tibi parum est recitare me, quod in libro perscriptum habes; age, quod lubet animo voluta; id ipsum ego enuntiabo. Paruit monachus; & hanc secum efformauit sententiam: Vtinam ego perinde ac tu homo probus essem, Vix ipse cogitauerat, quando eadem abbas protulit verba, quę mente ipse conceperat Latina partim, & partim Gallica, Teutonicaque. Certiore non poterat monachus argumento persuasum habere, mentis intima quæque Magna e cęlo luce donatus

Digitized by Google

DIE I. Gualterum perspicere. Ea fortassis de causa tam studiose statis horis silentium obseruabat: quod indignum existimaret humanis crepundijs, colloquijsve mentem abstrahere ab illis arcanis, quę Diuinitus affundi sentiebat.

ANN. 1221. Vbi tamen de mortalium salute, bonoque, de Numinis gloria agi intelligebat, nullos subterfugiebat labores, sanctissimis etiam delicijs se auellebat. Eo fine homo istius ætatis, prostratisque omnino viribus, Villario exire non dubitauerat, quando in Valle S. Moritur. Lamberti mortem inuenit & sepulcrum, sed ęternam in cælo laborum coronam. Sunt qui argumento satis probabili opinantur fuisse etiam abbatem Vallis S. Lamberti, eoque munere duobus annis perfunctum obijsse. Secũdus enim illius cœnobij abbas dictus est Gualterus, patriaque fuit Trajectensis; mors pręterea sepulcrumque fauent. Dubitationem tamen mouet geminata dignitas, quod ijs temporibus arbitror in ordine inauditum fuisse. Deinde dicitur ille secundus abbas Vallis S. Lamberti mortuus anno supra millesimum & ducentesimum nono; tardius autem toto decennio mortuus videtur Villariensis. Quod magis ergo lubuerit, lector sequatur.

Subijcio hic aliquot monasteriorum antistitas, quandoquidem sacros parthenones condere amauerit Gualterus: non quod hos curasse construendos opiner (certi quippe nihil comperi) sed quod opportunius alibi collocare non possum.

ABBATISSÆ SOLISMONTANÆ.

SOlis mons Cisterciensis ordinis sacrum gynęceum est non procul Fleruco: cuius antiquitates inuertit temporum infelicitas. Antistitarum omnium nomina interierunt ad annum vsque millesimum quadringentesimum trigesimum octauum quo mortua est

1. MARIA DE SENCELLE; quę nominis immortalitatem sane promerita est insigni suo religiosioris disciplinæ studio. Damnatis enim quæ vitio temporum irrepserant, corruptelis; primum monasticæ splendorem magna gloria restituit; & ea de causa prima post reformationem abbatissa nuncupatur.
2. CATHARINA DE VIRE obijt 1439.
3. ANTONIA DV HARBY præfuit annis 22.
4. CAROLA DE RASFLEDT.
5. ELISABETHA DE LANNOY præfuit annis plus viginti duobus; claustrumque ac dormitorium exstruere cœpit.
6. IOANNA DE TRESNIER cœpta a superiore opera absoluit, & 20. annis rexit, obijtque 1545.
7. AGNES DE SAVLTOVR abbatissæ & sacerdotum habitationem construxit. Obijt 1566.
8. ELISABETHA DE HENRICOVRT annis 12. gubernauit. Obijt 1578.
9. ANNA ROBERT domum curandis infirmis ædificauit. Ob. 1602.
10. MAGDALENA BVLTEAV Obijt 1624.
11. IACQVELINA COINET obijt 1636.
12. Successit R. D. ANNA ESTIENNE, & hodie magna religiosæ disciplinæ laude regit.

ABBATISSÆ SOLERIANÆ.

AVgustinianis legibus viuebatur olim in hoc parthenone, qui Oratorium B. Virginis de Solerijs dicitur: sed cum anno post millesimum & ducentesimum trigesimo secundo, clarissima esset tota hac diœcesi disciplinæ Cisterciensis gloria, ea huc inuecta est.

1. ISABELLA DE MOVELETTE (BONEMIÆ nomen alij dant) Ioanni Apiano Leod. episcopo sanguine propinqua, sed virtute multo clarior, prima fuit antistita.
2. MARIA DE ALTA SILVA.
3. AGNES DE LATTINES obijt anno 1291.
4. GERTRVDIS.
5. MARGARETA DE GRINMOMONT.
6. AGNES DAVSCOV.
7. MARIA II.
8. COMITISSA.
9. IOHANNA MORIELLE dicta DE HALENE.
10. ODA DE STREES.
11. MARGARETA II.
12. AGNES DE HARBIZE.
13. IDA DE AZA.
14. MARGARETA DE BREVEES dilci-

Digitized by Google

disciplinam nonnihil labefactam magna laude restituit: & prima reformationis abbatissa appellatur. Obijt anno 1483.

15. ELISABETHA LONGLEI.

16. MARIA DE HAVLT BOIS obijt 1531.

17. MARIA DE FLANDRE obijt 1538.

18. ANNA DE HAL'EMBECQVE obijt 1584.

19. IOANNA D'EMPTINNE obijt 1591.

20. CATHARINA BOVGELETZ obijt 1603.

21. IOANNA IAYNEE obijt 1625.

22. R. D. ELEONORA DE HAMOIR hodie præest, suumque monasterium præclaris ędificijs, religiosisque virtutibus quibus in paucis claret ipsa, sedulo exornat. Sanctos illius conatus Diuina pietas promoueat.

Die secundo

I. ARNVLFVS abbas XIII. Villariensis. *Assignies e chronico Villar. Henriques.*

LOuanij gente nobili natus est Arnulfus. Ingenitam animi puritatem sancta pueritia cum excoluisset, jam adolescens, a rerum terrenarum contagio labem aliquam vereri cœpit. Vt omni se periculo subduceret, Villarium secedere cogitauit.

Forte Guilielmus eius monasterij abbas in arce Louaniensi sacris operabatur, quādo videndam ei se Beata Mater exhibuit monuitq; mox adfuturos eiusdē vrbis ciues aliquot, & rogaturos vt quemdam adolescentem in suam reciperet familiam: Mihi vas electionis est, addit ipsa; nullus a te sit obex, nulla mora. Sic euenit: Virginique paruit Guilielmus; & quoad vita mansit, Arnulfum vtpote a Magna Matre commendatum in caris habuit. Dum tirocinium poneret Arnulfus, hoc se veluti stimulo solitus est excitare: Arnulfe, ad quid venisti? Omni porro virtuti operam adeo strenuam nauauit, vt semel de aliquo errato monitus, in illud deinde numquam reciderit. Sodalibus ita se probauit, vt suppriorem agere jussus sit: post etiam abbatem anno supra millesimum & ducentesimum quadragesimo. Creditum est fuisse id e voluntate Virginis Matris. Sane paucis diebus ante quam ad suffragia monachi conuenirent, cum vno in cœtu omnes sanctæ Virginis laudes concinerent, quidam e genere conuersorum Numine afflatus asseruit Arnulfum in abbatem eligendum. Vbi fidem vaticinio fecit euentus, Iacobo illi conuerso prophetæ nomen mansit.

Commendante Dei Matre *Villarium ingreditur,* *& creatur abbas,*

Fretus Virginis præsidio Arnulfus, cum suis alias viribus diffideret, magistratum illum tenuit insigni caritate & vigilantia. Rei familiaris curam in alios probatæ fidei ministros ferme rejecit, vt collecto in vnum animo magis in asceticam disciplinam, potissimam nimirum sui muneris partem intenderet.

regitque feliciter.

Inter eximias virtutes, quibus pręsertim excelluit, eminuit maxime modestia, mansuetudoque, sed eo sanctioris disciplinæ studio animata, vt seuerius aduersus vitia bellum gerere numquam cessaret: neque suaui illo rigore, aut cujusquam metus, aut gratia absterruit. Ipse vero æqui se finibus continebat hoc patris sui Bernardi monito: *Non super constitutiones patrum constituitur, qui in abbatem eligitur, sed super transgressiones fratrum.* Et illo: *Neque supra regulam est abbas, cui semel & ipse spontanea professione se commisit.* Eiusdem vero librum *de voto & dispensatione* vix e manibus dimittere videbatur; ad illam scilicet normam ratus optime se suum munus impleturum.

Henrico II. Brabantię duci, principi optimo carus in paucis fuit: & ab illo in consiliū sæpissime aduocabatur: vnde apud plerosq; concilij clauis nomen accepit. Cum miraretur aliquando apud ducem, se in eum conuentū admitti, qui rerum ciuilium esset imperitus: respondit princeps: Hoc facto meis optimatibus testatum volo, quanti te tuosq; faciam; vt ne vlla quisquam lacessere ausit injuria. Perge tu porro abbas esse domi, & in ijs quæ spectant animum: ego foris ero, & in ijs, quæ ad corpus rēque familiarem attinent. Ita locutus est; ita fecit Henricus: etiamque moriens, Arnulfi precibus obnixe cōmendari voluit. Arnulfi egregia debuit esse virtus, quę illo tāti principis digna esset judicio. Verū laudem nihilo minorem meretur illa ducis religio: quam vtinam multi principes imitarentur.

Duci Brabantiæ percarus

DIE 2. ANN. 1250. dignitatem abdicat Annos decem, magna laude, cœnobijq; bono incredibili dignitatem abbatis sustinuerat Arnulfus, quando religiosioris quietis amore, odioque honorum, ad vitam redijt priuatam, frustra reclamante tota familia, vicinisque abbatibus. Tum quasi torpuisset hactenus ignauia, nouam instituit vitam. Totus in puriores cælestium rerum commentationes incumbens, cum ad altiora semper eniteretur, non longo post tempore vitam præclara virtute admirabilem feliciter clausit. & in magna pace moritur.

II. ARNVLFVS abbas XIX. Villariensis. *Henriquez, Manuscript. Villar.*

ARnulfus Ghestelius Villarij monasticen amplexus, obtinuit a præsidibus suis, Parisios vt mitteretur ad operam litteris nauandam. Præcipuum tamen semper eminuit virtutis studium; & tantos in ea progressus fecit, vt egregia illius fama inter Cistercienses volitante, illum abbatem suum crearit familia Loci S. Bernardi ad Scaldim. Fit abbas Loci S. Bernardi, Suam vero Spartam excoluit tanta sapientia, vt abbate suo vita defuncto illum sibi Villarienses repetierint. Verum ille tantæ domui regendæ se ratus imparem, præfecturam hanc detrectauit. Ergo & priorem illam ponere iussus est, quando ita ferunt leges Cistercienses, vt filiam abdicare compellatur, quicumque ad matrem euehi recusauerit: in Locum quippe S. Bernardi Villario colonia quondam deducta est. Ad se igitur, hoc est ad priuatam vitam magna animi voluptate redijt Arnulfus. Et apud illos quibus præfuerat, se regendi nequaquam peritiorem, quam parendi illustribus comprobauit exemplis. Accendit hoc Villariensibus eius desiderium, & abbati suo rursum vita decedenti, Arnulfum substitui voluerunt. Tum Villarij:

Manus dedit Arnulfus: neque jam reluctandum esse censuit, quando suam matrem abbatum ignauia labantem intellexit. In tanto ære alieno, & soluendis annue tot pensionibus obnoxiam inuenit domum Villariensem, vt toto anno sodalibus ipse vinum prębere non potuerit. vbi rem familiarem restituit, Non multo melior erat asceticę disciplinæ status: quem primum omnium suscepit corrigendum, non ignarus illius editi a Christo moniti: *Quærite primum regnum Dei & justitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Luc. 12. 31.

Ante omnia Villario studuit exterminare, quę disciplinæ labem insperserant, gulæ delicias, somni ignauiam, loquacitatem, excurrendi pruriginem, immodicum amorem rerum humanarum, strepitus forenses. & asceticā, Ijs de causis ad domesticam religiosę disciplinæ quietem illos sæpius redire voluit, qui villas incolebant. Vniuersos autem studiose docebat, orare, meditari, psallere, legere, scribere; vitam esse monachi: quæ qui negligeret, monachus reuera non esset.

Sed manu potius quam lingua docebat. suo maxime exemplo Numquam domo pedem extulit, nisi vel familiæ suæ, vel ordinis negotijs auocantibus. Abbatem non agnouisses a ciborum lautitia, vel habitu pretiosiore. Omnia cum ceteris amabat communia. Non sibi quamquam abbati licere affirmabat panem vnum aliter erogare, quam in monasterij vtilitatem, aut egenorum leuamentum, ad quos scilicet bona omnia pertinerent.

Noua mox Villario facies redijt tali moderatore. Tanta disciplinæ religiosioris emicuit integritas, vt intra paucos annos e schola hac abbates sibi desiderarint Vallis Dei, Grande pratum, Locus S. Bernardi. Domestica res etiam refloruit, dissoluto ære omni alieno. Ædificata super hęc nonnulla, quæ familiæ vsus postulabat.

Fausto hoc rei familiaris simul & asceticæ incremento inuitati plerique, vitam monasticam Villarij instituere desiderarunt: & annuit abbas adeo liberaliter, vt eodem tempore sub disciplina sua monachos centum, trecentos conuersos numerauerit. Tanti est pręsidis sapientia! licet breui tempore. Breui temporis spatio res multorum annorum compleuit Arnulfus. Postquam annis quinque, totidemque mensibus Villarium administrasset, VI. nonas Martias anni millesimi ducentesimi septuagesimi sexti, ex hac vita migrauit ad promeritam vtilibus adeo laboribus mercedem.

Die

Digitized by Google

Die quarto
VEN. RVPERTVS
e monacho S. Laurentij abbas Tuitiensis. *Ruperti Scripta, Gesta abbatum S. Laurentij & Manuscript. eiusdem monasterij ab adm. R. D. Gerardo Sany abbate mihi exhibiti.*

CAPVT I.

Dei matris munere sapientiam assecutus, Deo inuitante sacerdotio initiatur.

QVis credat clarissimum lumen in tenebris posse delitescere? Ea scilicet est mortalium vel ignauia, vel ingratitudo, vel infelicitas, vt suum apud illos quandoque virtuti desit præmium. At numquam deerit apud illum, qui lucem æternitatis habitat inaccessam. Magni illius Ruperti toto orbe fama notissimi res gestas litteris consignatas nusquam adhuc nancisci licuit: neque tamen illum tacitus preterire sine turpi nota possum. E Laurentianis ergo schedijs (quæ non nisi pauca suggerunt) sed maxime ex eius scriptis collectam a me vitam lector accipe.

In S. Laurentij cœnobio Leodij pæne puer educatus est Rupertus ac tandem in religiosam ascitus familiam a Berengero abbate viro integritate, constantia, sapientiaque vere magno; qui regere cœpit sub annum millesimum septuagesimum sextum. Præter indubitata quæ in eo monasterio habentur in hunc diem argumenta, ita Rupertus ipse non semel diserte affirmat; quemadmodum ego post pauca proferam. E quibus falsum esse conficitur Trithemium, quando Vltrajecti monachum fuisse affirmat.

Heribrando antea S. Iacobi monacho viro doctissimo ęque ac religiosissimo pręceptore litteris operam dedit, quæ apud Laurentianos ea tempestate in pretio quam maxime erant. Sed ingenio tardiore cum esset, & improbo labore parum proficeret, ad certissimum omnium asylam Dei parentem confugit. Ante illius imaginem (quæ magnæ cœnobitis omnibus venerationi tum erat) in genua profusus cum eius opem imploraret, adfuit religioso iuueni benignissima mater multo lumine conspicua, promisitque ipsum tanta Diuinarum rerum cognitione donandum, quanta temporibus illis nemo polleret. Videret porro ne concessum Dei pietate hujuscemodi beneficium obscurę terrę infossum turpi situ pateretur obsolescere. Virgini monenti strenue paruit ille; & sapientiam quam suspicit & admiratur omnis posteritas, Diuino munere consecutus, indefesso labore, nec minore bono, quoad vixit, in scriptionem incubuit. Etiam hodie visitur in illius monasterij basilica ad Aquilonem inserta muro, rudis illa, sed priscam religionem spirans Virginis matris e marmore imago. Ad cujus cultum quo hominum animos reuocaret (alijs enim multis prodigijs olim celebratam fuisse proditum est) illam insigni opere marmoreo exornauit anno nostri hujus sæculi decimo octauo, qui tum magna laude huic monasterio præerat, adm. R. D. Ogerus Loncinus abbas.

Singulari hoc Numinis beneficio jam multum eruditionis simul & virtutis adeptus erat Rupertus, quando illam sacerdotio consecrari voluit Berengerus abbas. Multas ipse causas opponebat, sed majoris potissimum venerationis obtentu tantam deprecabatur dignitatem suis meritis ex omni parte celsiorem; donec suæ voluntatis decretum Deus hoc ostento significauit: quod ipsius Ruperti potius quam meis verbis accipe lector. Sic ait. *Plenus ieram ad lectulum diuturnis cogitationibus, quibus nonnumquam delectabar, imo & sæpe excitabar, & in quibus deficiebat spiritus meus cogitans dies antiquos, & in mente habens annos æternos, quod qui creauit & redemit nos, tremendo tandem judicio judicaturus esset nos. Optabat pauida anima, si quo modo daretur facultas, illum judicis aduentum anticipare, & meditabar cum corde meo quomodo possem praeuenire, & aliqua cum illo secretius verba facere. Cum hujusmodi cogitationibus ieram ad lectulum, & dormienti somnus meus hoc modo suauis exstitit mihi. Videbam stans coram* L. 12. in Matthaeum.

coram

Digitized by Google

ram altari super ipsum in medio stantem dominicam crucem, & in ipsa Domini saluatoris imaginem. Quem cum diligentius intuitus essem, agnoui ipsum Dominum meum Iesum ibidem crucifixum & viuentem, oculos in me apertos habentem. Quod vbi perspexi, confestim inclinans faciem aio ad eum: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Quam salutationem quanta cum humilitate, cum qua reuerentia capitis sui deflexione susceperit, nullatenus edicere possum; nisi hoc tantum, quia potuit homo interior hoc intuens aliquatenus sentire, quod veraciter de semetipso dicat: Discite a me quia mitis sum & humilis corde. Non satis hoc mihi erat, nisi & manibus apprehenderem, amplexuque deoscularer. Sed quid agerem? Altius erat altare ipsum, quam vt eum attingere possem. Vt ergo eiusmodi cogitationem seu voluntatem meam vidit, voluit & ipse. Sensi enim ego quia voluit, & nutu voluntatis eius ipsum altare per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea. Tenui illum, amplexatus sum eum, diutius sum osculatus eum. Sensi quam grauiter hunc gestum dilectionis admitteret, cum inter osculandum suum ipse os aperiret, vt profundius oscularer. Plane hoc agebatur, hoc illa significatione parabatur; vt fieret quod in Canticis dilecta exoptans dicit: Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ vt inueniam te foris, & deosculer, & jam nemo me despiciat? &c. Denique ex tunc mihi nonnihil prouenit secundum sensum dictorum hujusmodi, quia cum ad me reuersus fuissem, & infra vigilias nocturnas visum hujusmodi suauissime retractarem, sicque interpretarer illam altaris & ipsius oris Domini IESV apertionem, quod Sacramentorum eius profunda deinceps clarius intelligere deberem. Interea paulatim amor illius sacerdotalis officij menti sese infudit, tantumque excreuit, vt mox die facto dicerem patri meo spirituali me non velle amplius reniti, imo velle ire cum primum juberet, & suscipere jugum Domini, causa tamen tacita, quæ acciderat. Gratulatus est: & vt primum adfuit tempus ordinationis, hunc sacrum licet indignus ordinem suscepi. Ea sunt Ruperti verba. Quibus profecto relinquitur eximiam jam tum fuisse viri sanctitatem.

CAPVT II.

Aggressus scribere, cum multa passurus videretur, commendatur Cunoni Sigebergæ abbati.

SAcrosancta hac auctum dignitate inuitauit denuo Deus ad illustrem toti ecclesiæ nauandam operam: & quamquam acceptum diuinitus scientiarum thesaurum in terram minime defodiendum esse monuisset magna mater, illum tamen cælesti viso ad scribendum impulit. Ipsum audi narrantem. *Non plus quam triginta dies transierant* (a sacerdotij scilicet inauguratione) *cum ecce jacente me in lectulo, ferme clauso jam die, cum vix oculos in somno clausissem, venit desuper quasi similitudo viri proni & æqualiter extensi, solam quam maxime faciem suam occultans; & in me demissa, totam animæ meæ compleuit substantiam, eo modo mihi impressa, quem verbis exprimere nullatenus possim, multo citius atque profundius quam cera quamuis mollissima sigillum fortiter impressum admittere posit. Protinus somno qui vix obrepserat, excussus sum, & vigilans sensi dulce pondus, vigilans delectatus sum. Et quid dicam? Verum dicere liceat: quia nisi illa repentina sanctæ voluptatis inundatio cito se continuisset, animam velociter in sua de corpore in modum torrentis abstraxisse, secumque detulisse poterat. Sed vt dixi cito substitit inundans illa vis amoris, paulatimque decessit. Ego autem ex tunc os meum aperui, & cessare quin scriberem, nequaquam potui: & vsque nunc etiamsi velim, tacere non possum.* Hæc ille. Ad scriptionem igitur animum applicauit, primumque omnium libros de Diuinis officijs aggressus est. Ita Cunoni testatur Sigebergensi primum abbati, tum Ratisponensi episcopo. *Primitiæ sunt istæ cunctorum operum, quæ mihi a Domino prouenisse gauisus es, & libenter legisti; non dubitans ea commendare, & testificari, quod veraciter sunt fruges terræ, quam Dominus dedit: id est veri sensus sacræ scripturæ, quam Spiritus sanctus condidit. Itaque primitias frugum quidem obtuleram, & dimiseram eas in conspectu Domini Dei; & adorato Domino epulabar in scripturis: sed primitias istas sub nullius obtuleram præsentia sacerdotis, cum lex hoc modo fieri decreuerit. Audiebam interea tale quidpiam, quod me recordari faceret illius ex historia veteri, quod cum locutus fuisset Dominus ad Moisen dicens: Loquere filijs Israël, vt tollant mihi primitias; Ab omni homine, qui offert vltroneas, accipietis eas, & illi certatim offerent. Venerunt artifices & dixerunt Moisi: Plus offert populus, quam necessarium est: oblata sufficiunt & superabundant. Simile hic audiebam; quia dicebatur aduersum me: Iste scribit quod necessarium non est. Sancti scripserunt: Sanctorum*

L. 12. in Matthaeum.

Prologus de Diuinis officijs ad Cunonem.

Digitized by Google

ctorum scripta sufficiunt & superabundant. Non sufficimus legere, quæ Sancti scripserunt, nedum hæc, quæ isti ignoti sine autoritate, de corde suo scribunt. Hæc & alia multo grauiora surda aure præteriens, vt totus eram possessus ab ea, quæ me tacere non sinebat, dilectione Verbi Dei, & primitias istas & alia nonnulla in cartallo meo congessi. Hæc Rupertus: qui de Diuinis officijs librum octauum scribebat principio anni supra millesimum & centesimum vndecimi: sic ipse affirmat. Postquam autem duodecimum absoluit librum, illustre illud aggressus est opus de S. Trinitate, in libros quadraginta duos distributum. *L. 8. de Diuinis officijs c. 4.*

Berengerus enim abbas vt perspectam habebat, amabatque hominis a puero integritatem & admirabilem sapientiam, protegebat etiam autoritate, quam vitę sanctimonia & animi fortitudine, nequidquam frendentibus aduersarijs, magnam domi forisque comparauerat. Verum ingrauescente ætate cum Oberto episcopo parum fideret, qui neque litteras studiose, neque religionis dignitatem fortiter satis tuebatur, eum fidei Cunonis archimandritæ Sigebergensis (Leodium hic forte venerat) ceu nobile depositum commisit. Erat Cuno (inquit Rupertus) *venerabilis abbas & venerabilium studiosissimus litterarum, quodque eo majus est, monachicæ columna religionis; qui jam inde ab anno millesimo centesimo quinto abbas, Christo fideliter obsequendo, bono implebat odore domum Domini.* Quomodo autem in illius fidem ac tutelam transierit Rupertus, ipsum audi, ad illum in hæc verba scribentem. *Nosti, nisi quia tu, imo per te Christus præsidio affuit, nimirum qui molesti fuere huic operi* (de S. Trinitate) *tantummodo dictis, fremuissent etiam in me factis. Quasi paxillus tu mihi factus es fixus in loco fideli, in quo spei meæ possit vasculum suspendi. Proinde actum est credo per prouidentiam Dei & Patris, sine quo nec vnus passer in terram cadit, vt in notitiam venirem tuæ caritatis & fidei: vtque postmodum migraturus ab hoc sæculo pater meus vir vitæ venerabilis, & sapientiæ memorabilis Berengerus abbas S. Laurentij in Publico monte Leodij tuæ committeret fidei tanquam pupillum tutori. Solus enim is qui nunc successit ei, vir fidelis & prudens Heribrandus, qui & ipse litterarum peritus, pueritiæ meæ magister exstitit, illuc vsque non potuit mihi patrocinari, quo (sicut scis) inuidia peruenerat nominis mei. Recordabor ergo nunc clamoris mei & somnij jure inter seria computandi, quoniam non dubito præsagium illud fuisse huius rei quæ nunc accidit; quando scilicet ille quem jam dixi, moriturus in manu tua me dereliquit inimicitias sustinentem odientium me gratis. Recordabor inquam clamoris mei in nocturna visione, quando clamabam sicut in responsorio cantare didiceram, clamorem illum magnum & nouissimum B. Dionysij Areopagitæ: Nunc jam Domine per coronam martyrij cum fratribus meis suscipe. Cantabatur nescio quid de contra & circa me in medio quasi magnæ ecclesiæ choris fortiter & altissime perstrepentibus; & opprobria exprobrantium atque contendentium, quæ nunc ceciderunt super me, illa cantionis imago per contrarium vaticinabatur. Stabam interim taciturnus & mitis, quia conjunctus eram lateri, & manu in manum tenebar jam dicti abbatis mei: cum ecce ille quasi alienæ manui manum meam indidit miro modo, quem vix eloqui possim, videlicet tanquam chirothecam singulis digitis meis in singulos manus illius digitos immersis. Quid illa manus, pater mi, nisi patrocinium significauit tuæ caritatis? Ille enim rebus excessit humanis, & me contra quem jam plurimi fuerant incitati, in manu tua sicut tute scis dereliquit. Cantabatur itaque, vt jam dixi, & multiplicante cantilenam turba, vocalis fragor inualescebat; erupi tandem in vocem magnam & altam, & mihi ipsi pro sua pulchritudinę & compositione valde auditu admirabilem, omnium oculis in me conuersis decantans jam illud dictum responsorium B. Dionysij, manu me deducente (quam jam dixi) manum tuam figurante, vt nunc res ipsa probauit:* Hæc Rupertus. *Prologus de S. Trinitate ad Cunonem. Ibidem.*

CAPVT III.

Migrans in Germaniam, obtrectatores euincit ratione, Cunonis autoritate, perseuerantia.

SIgebergam abijt cum Cunone Rupertus: verum vt sua omnia secum portabat, virtutem nimirum & sapientiam, hoc est inuidiæ materiam, etiam hic dimicandum illi fuit. Sic ipse testatur. *Nonnulli* (inquit) *putantes se probe illud facere quod in Iob scriptum est: Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos, quibus solis data est terra; & non transibit alienus per eos; quondam* (*vt verbis loquar eiusdem beati Iob*) *affixerunt animam meam & attriuerunt me sermonibus, & non minus quam decies confoderunt me, & non erubuerunt opprimentes me refragantem quibusdam sententijs, quas proferebant a vero & recto sensu discrepantes; quas ta-* *In Matthæum l. 12.*

 men

Digitized by Google

DIE 4. *men a magnis & valde nominatis patribus suis, id est magistris suis accepisse videbantur: quos videlicet patres suos confiteri, & non abscondere gloriosum arbitrabantur. Quorum scilicet patrum ipsorum autoritati, vtpote hominum quamuis sapientium cum ego non crederem, meliusque & suauius loqui auderem secundum scripturarum autoritatem, o quanta indignatio! quanta exprobratio juxta hunc modum: Intellige prius & sic loquamur. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo hujusmodi sermones? Sapientes confitentur & non abscondunt patres suos. Tui patres vbi sunt? Qui vel quales magistri te docuerunt? Secundum hæc & his similia non semel nec paucis diebus, sed multoties & aliquot annis me confoderunt & sermonibus oppresserunt.*

Prologo in Matthaeum. Idem alias in hunc modum Cunoni affirmat. *Ipse nosti, audisti quia scripta mea sic plerique legunt, vt insidientur mihi.*

Ibidem. Obtrectatores vincit ratione. Eam porro aduersariorum inuidentiam ratione primum ac æquitate repressit. Subdit enim: *Sanctarum spatiosus ager scripturarum omnibus Christi confessoribus communis est, & tractandi illas nulli jure negari potest licentia, dummodo salua fide quod sentit dicat aut scribat. Quis namque recte indignetur eo quod in eadem possessione post vnum aut duos puteos, quos foderunt patres præcedentes, plures proprio labore fodiant filij succedentes? Isaac & alios puteos fodit, præter illos quos foderant serui patris sui Abraham, quos illo mortuo olim obstruxerant Philistijm. Nam postquam & illos rursum fodit, appellauitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocauerat, sequitur scriptura & dicit: Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam. Item foderunt & alium. ac deinceps: Profectus inde fodit alium puteum. Itaque juxta hanc regulam nobis quoque concedant post illos puteos quos foderunt, id est post illos tractatus quos tractauerunt patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprij vomere ingenij, dummodo viuam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.* Aliam præterea rationem

L.3.in Matthaum. hac nequaquam infirmiorem alio loco promit, in hunc modum. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Aquæ præsenti loco scripturæ sunt, quibus spiritualium continentur mysteria gratiarum; Quid vero est argentum non habere, nisi in philosophia sæculari, siue prudentia eloquij non confidere. Talibus namque non habentibus eiusmodi argentum, ipsa humilis conscientia magnum est emtionis pretium. Quid igitur o æmule subsannas? quid obtrectator me laceras? Fateor quia cathegethas tuos audiui omnes sapientes & prudentes eloquij mystici, & omnino nullas habeo diuitias argenti eiusmodi; & si quid percepi de sæcularibus philosophis, non sunt mihi pro diuitijs, siue pro nummis argenteis. Sed numquid ob hoc ab aquis istis erit desperandum? Imo magis sperandum, quoniam inter omnes sitientes, illos qui non habent argentum, audio maxime inuitari ad emendum. Subsanna quantum vis, licet scripta mea non nisi insidiando legere velis; & si lubet etiam illud dic: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Si enim cum illo, in quem hoc dictum est, participes fuerimus opprobrij, erimus*

In Mat.l.12. *etiam gloriæ & honoris.* Alibi vero sic etiam audet. *Quamuis ego nonnullos in disciplinis scholaribus patres, hoc est magistros habuerim, & in libris artium liberalium non segniter studiosus exstiterim; hoc profiteor quia visitatio ab Altissimo melior mihi est quam decem patres eiusmodi: cujus sub virga sæpe in labijs percussus, nonnumquam etiam toto corpore concussus, sicut auribus tuis fidelibus aliquoties intimaui,* (agit cum Cunone) *cogor ad scribendum, quidquid monitor ille suggerit.* In hunc modum Rupertus.

Scribentem præterea sustinuit Cunonis abbatis autoritas, ac æmulorum victorem fe-

autoritate; *Prologo de S. Trinitate ad Cunonē.* cit. Ita diserte sæpius affirmat Rupertus ipse. *Tua namque* (inquit) *post Deum ope maxime tutus, & fretus testimonio, ecce respondeo exprobrantibus mihi verbum. Et dum facis otium scribendi, autoritatemque concedis superno muneri, quod mihi aspirasse sponte testaris, ad auditum publicum procedit hoc opus, quod ante te cognitum incœperam ad gloriam & honorem sanctæ & indiuiduæ Tri-*

l.12.in Mat. *nitatis.* Itemq; alias ait. *Obtinui victoriæ palmam te* (Cunonem item alloquitur) *plurimum adjuuante, & testimonium perhibente, quod non ex tumore spiritus, non ex præsumtione proprij cordis, sed ex dono accidisset gratiæ Dei, ex dignatione Spiritus Sancti, fiduciam talē habere tractandi sanctarum scripturarum sacramenta: & quod nullo modo facultatem hanc assequi potuissem, nisi per spiritum bonum, de quo vel a quo bona cuncta procedunt.* Ita de Ruperto sentiebat optimus præsul. At veritus ne quę formidata Leodij fuerant inuidiæ jacula, ijsdem in Germania confoderetur; neque satis protegi posset abbatis autoritate; Frederici Coloniensis archiepiscopi tutelæ ac fidei primum commisit; tum etiam commendauit Guilielmo Prænestino episcopo & apostolicæ sedis legato. Qui hominis virtutem cum eximia doctrina conjunctam non tantum amauerunt, & aduersus ęmulos defenderunt, sed quandoque etiam cunctantem, ad scribendum compulerunt. Quamquam enim mira scribendi suauitas,

uitas, & tacita Dei ipsius motio (quemadmodum suo loco narratur) animum eius quodammodo cogeret, quibusdam tamen ex causis nonnumquam infirmitas humana subsistebat. At vbi celebrior jam scriptorum fama per Germaniam volitare cœpit, alij præterea nonnulli stimulos addiderunt. Nam cum priores sex prophetas minores explanasset, sex autem posteriores nescio quo victus tœdiô reliquisset, vrsit Ekkembertus abbas Corbeiensis cœptum opus vt absolueret. Reginardus item prior Busensis calcaribus minime lentis in idem impulit, datis ad illum in hæc verba litteris. *Debes amori, debes honori & obsequio dilecti, per ipsum autem & propter ipsum nostro desiderio, vt verba oris eius sicut cœpisti, vsque ad finem aperias: ne si propter difficultatem eorum tepidius forte secuti non fortiter cucurrerimus in odorem vnguentorum eius, tibi imputetur, qui introductus in cellaria regis, occultasti diuitias sponsi, quas ibi conspexisti. Explanationem dico duodecim prophetarum: cujus partem jam dudum tanta perscripsi auiditate, vt viderer tunc primum tali me studio mancipasse. Quanto autem magis in parte delector, tanto vehementius in exspectationem totius exæstuo.* Ea fuit jam tum, subsidente sensim inuidia, de Ruperti eruditione fama, & cordatissimis quibusque scriptorum illius desiderium: quod in hanc ætatem temporis diuturnitate non elanguit. *Prolog. in posteriores prophetas.*

Omnem denique æmulationem euicit Ruperti perseuerantia: *Nos* (inquit) *temeritatis argui veremur, qui non hominis, sed Dei verba, non ab humo prolata, sed cælesti magisterio deprompta tractare nitimur: quorum sub majestate magni & antiqui, multoque majores quam nos intellectus proprij vires succumbere fatentur. Quid igitur? Remittemus laxas manus: & verborum dignitatem atque difficultatem dormitionis ac somni nobis vt pigri occasionem faciemus? Si hoc agimus, contra nos est illud dictum Sapientis vt excusari non possimus: Vade ad formicam o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem vel præceptorem nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Exsurgamus igitur etiam ad hanc partem sermonis Dei; & quisquis hæc opuscula nostra legerit, exoratum se nouerit vt cum beneuolis arridens oculis dicat de nobis illud eiusdem Sapientis: Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.* Et rursum alio loco: *Conscius* (inquit) *temeritatis ferme in omnibus tamquam temerarium redargui me vereor ab omnibus, eo quod præclara sanctorum atque orthodoxorum patrum studia, latitudinem ingredi sum ausus agri pleni, cui benedixit Dominus, id est sanctæ Scripturæ; in qua vel ex qua est omnis benedictionis odor suauis, & fructus: & quid respondebo arguentibus? Ruth Moabitidem, Ruth festinantem me in spiritu pauida intentione imitari credam, dicentem ad socrum suam: Vadam in agrum & colligam spicas, quæ metentium fugerint manus, vbicumque clementiæ in me patris-familias reperero gratiam. Sicut mandauit Booz pro illa pueris suis, vt nemo illi esset molestus: ita putent omnes qui hæc viderint, quod mandet eis Christus ex illa humilitate progenitus, ne mihi quasi pro præsumtione indignentur. Quod & si quis indignari voluerit, paupercula nihilominus anima pro semetipsa sollicita, famemque venturam præcauens, de qua psalmista loquitur: Quia immaculati quorum dies nouit Dominus, non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur; cœpto in opere persistet, & ibit ante faciem suam, vt operetur cibum, qui permanet in vitam æternam.* Professus sancta hæc sua consilia tam candide Rupertus euicit tandem si non omnes, certe longe plurimos, qui scilicet sinceriores erant æquitatis æstimatores. *& perseuerantia. Prologo in Amos.*

CAPVT IV.

Ductu impulsuque cælesti aggressus est scribere.

VIdisti lector sincerum & vere Christianum scribentis consilium quod non nisi autore Deo, quem omnis boni principium ignorare non poterat, exequi summopere studuit. *Scribamne*, inquit, *illud experimentum dilecti, quomodo dicat: Surge propera: quomodo dicat; Sonet in auribus meis vox tua? Vere non ausim: sed hoc tibi amice* (Cunonem alloquitur) *qui & ipse me ad scribendū hortaris, in aurem dicere non veritus sum; nec verebor si iterū audire volueris. Ceteris dico, & hoc dixisse satis sit, quia reuera etiamsi tacere, siue a scribendi studio cessare voluero, non valeo: & hoc non concedi mihi scio, & bene sentio; & hoc gaudeo. Veracem esse didici (si virtutem discretionis habuisset) amicum Iob, vbi dixit: Sed conceptum sermonem tenere quis possit? Et quidem conceptum sermonem superfluum, siue malum non posse tenere vitiosum est & stultum, juxta illud Sapientis: Sagitta infixa in fenore canis: sic verbum in corde stulti. Sed contra conceptum sermonem bonum & necessarium non posse tenere gloriosum est. Quemadmodum Ieremias tenere non valens, cum dixisset: Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium & derisum tota die: & dixi: Non recordabor eius, neque loquor in nomine ipsius: ita subjunxit: Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. Verumtamen quomodocumque volent præsentes de nobis judicēt; futuri clementius judicabunt.* In eum modū sapiens ille scriptor profitetur: qui cū alias de lu- *In Matthæi l. 7.*

Prolog. in Cant.

de lucta patriarchæ Iacob cum Angelo Domini disseruisset, subjungit: *Igitur o Domina Dei genitrix MARIA, & incorrupta mater Verbi æterni & hominis IESV CHRISTI; non meis sed tuis armatus meritis cum isto viro, scilicet cum Verbo Dei cupio luctari, vt de Canticis canticorum opus extorqueam, quod non dedeceat vocari de incarnatione Domini, ad laudem, & gloriam eiusdem Domini, ad laudem & honorem tuæ beatitudinis. Non noua hæc voluntas nunc incidit. Ante aliquot annos cum essem junior, cingere me volueram, & hoc opus aggredi per occasionem hujusmodi. Coram regina cælorum loquor, a conseruo meo quolibet irrideri non debeo dicente: Ecce somniator. Sedebam quasi solitarius per visum noctu; & ecce quasi sibilus auræ tenuis per vtramque aurem transcurrens, velocius quam dici possit istos in me versiculos deposuit:*

Femina mente Deum concepit, corpore Christum:
Integra fudit eum, nil operante viro.

Cum reuersus ad memet versiculos taliter acceptos mẽte pertractarem, & nonnullis vnde vel qualiter acceperim, secretius non sine admiratione denarrarem, atque ad multorum notitiam versiculi peruenissent, qui tamen nescirent vnde accepissem, ex multis & diuersis quæ audiebam, occasio se præbuit, vt scribere aliquid cuperẽ de incarnatione Domini, versaturus grande onus inualidis humeris. Circa idem tẽpus & hoc aliud accidit. Frater quidam innocentis vitæ, & mundæ ac simplicis adolescentiæ, retulit mihi se vidisse Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum sedentem super altare suum, & circa eum collegium sanctorum, meque assidentem cum quiete, & tenentem Cantica canticorum, & paulo post subjungit. *Recordatus sum cujusdam promissi tui, quia per visum mihi dicere visa es: Pascha cum B. Trinitate facies. Loquebar enim tecum, & dulce de B. Trinitate habebam colloquium, nesciens quod ipsa esses. Sed postquam illud ex te responsum accepi, tum scire volenti quænam esset tam sancta mulier; & hoc flagitanti in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, teipsam esse misericordiæ matrem, stellantibus oculis gratanter demonstrasti. Sequor diuinum præsagium, si quando merear videre faciem tuam & ante Christum tenere Cantica canticorum, juxta quod canimus in psalmo: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Ac denique concludit. *Labor magnus & difficilis: sed exinde spei solatium est, quia sermo Dei talis est, qui secundum similitudinem viri supra memorati, qui luctabatur cum Iacob, possit vinci, si colluctator id est inquisitor eius legitime luctari nouerit. Quid est legitime luctari? Nimirum fortitudine uti veræ & sãctæ humilitatis in precibus & lacrymis. Sic enim ille Iacob superauit teste alia scriptura in qua per Oseam Spiritus S. de illo dicit: In solitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, fleuit & rogauit eum. Igitur eiusmodi fortitudinem tribuat Dominus virtutum, & victoria dulcis gratum subsequetur duellum.* Assecutus est quod adeo sancte sperabat religiosissimus scriptor; & cum occulta his pręsidijs eius sapiẽtia in dies mirabiliter apud mortales claresceret, miram semper animi quietem ac modestiam se retinuisse profitetur multis locis. Plurium instar sit hoc vnum. Postquam Euangelistam S. Ioannem magnifice collaudasset, qui aquilæ haudquaquam absimilis apertos oculos in ipsius Diuinę naturę radios intẽdit, subjungit: *Licet autem pulli eius lambant sanguinem, id est auditores eius cognito tantum crucifixi Domini cruore satientur, eo quod Diuinitatis arcana percipere nequeant: non tamen omnino jure reprehendimur, quod tãtæ aquilæ volatum aliquatenus prospicere conamur. Nam & pulli idcirco in nido suo aluntur, vt post matrem suam quandoque ad eamdem euolent escam. Igitur alta mysteria, quæ in hoc splendore euangelij velut grandis aquila peruolauit magnus doctor Augustinus, nos eadem quidem via, sed non omnino eisdem vestigijs subsequi enitemur. Nam ille quidem alta montium peruolat cacumina; nos interdum & circa radices imas occupabimur. Ille præcelsæ arboris superiora quæque poma carpere festinat; nos terræ quoque proximos, quos paruulis relinquit, attingere conabimur euangelicæ litteræ ramusculos; vt quia grandioribus in alta mysteriorum explanatione satisfactum est, nunc paruis, idest nostri similibus continuatio quoque litteræ subueniat.* Illa de se Rupertus: quæ cum alij reticuerint, prodere placuit, vt nosset lector quo consilio, quove operæ fructu se litteris dederit.

Prolog. in Ioan.

CAPVT V.

Ad prodendum ostensa sibi cælitus arcana compellitur ab abbate Cunone: imo ab ipso Deo.

ERuditionem, quam jure omnes veneramur, beato nexu cum sanctimonia haudquaquam inferiore conjunctam fuisse facile comperiet, quicumq; religiosi hujus scriptoris libros sibi familiares fecerit. Sed clarũ eius præsertim argumentũ sunt diuina illa visa, quæ menti toties objecta ipse testatur. Quod si cui mirum videatur, id ab ipsomet luci datum, qui silẽtio potius tegere debuerat, cum germanę virtutis esse videatur hoc secretum tenere, quod admirationem in homines ac honorem pariat: meminerit is quisquis

est

est, angelum Tobiæ quondam dixisse: *Sacramentum regis abscondere, bonum est; opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Eam ob causam e cælitibus plerique dum inter mortales versarentur, vel ipsi litteris prodiderunt vel dictarunt scribétibus, quę in ipsis arcana Deus fuerat operatus; idque vel Deo pręcipiente, vel illis, quibus Dei vice obtemperabant. Simili imperio paruit & Rupertus, suaque prodidit, semper tamen euangelicæ modestiæ suique contemptus retinentissimus. Sic enim loquitur. *Miranti tibi* (Cunoné alloquitur) *& scire volenti narraueram qualem per euentum accidisset, vt post tam multos SS. Patres catholicos atque nominatissimos, quorum scripta sufficienter impleuerunt armaria ecclesiarũ Christi; ego peripsema omnium animum inducerem ad scribendum tam copiose, & vt dicere solitus eras, tam efficaciter siue vtiliter, vt dubitare non possis, quin sit hoc Dei donũ & quin ista facultas de sursum sit & descenderit a patre luminum, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum. Narraueram ergo tibi causas puero loquacior, lepore timidior: auditis causis tu homo simplicis oculi, ac potius lucidi corporis, dixisti: Scribe hæc mihi. Me prorsus abnuente tu iterum atque iterum repetens atque exigens vt hæc scriberem, cum nuda prece nihil obtineres, magnum nimis & forte vinculum, quo me traheres, collo injecisti, scilicet adjurationem sancti ac tremendi nominis: Per Patrem, inquiens, & Filium & Spiritum sanctum præcipio tibi vt hæc scribas mihi. Non ignoro, pater & domine mi, quin talis ac tanta vehementia de radice vel fonte dilectionis prodierit, qua nostra semper opuscula quibuscumque potes commendare poteras: ad quorum commendationem nonnihil valere arbitraris notitiam siue memoriam eorum, quæ vt scribam tantopere compellis.* Sic ipse. Tanto nihilominus constrictus vinculo, non statim duci se passus est, reluctante nimirum animi demissione, a qua vel latum vnguem recedere verebatur. Nam diu post adhuc cedere nescius ita scripsit: *Adjuramento cur obedire necdum ausus sim Deus scit, & tu mihi conscius ex parte nosti.* Sed denique durius illi fuit contra stimulum calcitrare, quam vt diutius reluctari posset. Nam ingressus scribere duodecimũ librum de gloria & honore Filij hominis, disputationem inchoauerat de quatuor animalibus apud Ezechielem, siue (vt ait) de quatuor vnius animalis faciebus, quando majorem vim sensit, & obtéperare omnino coactus est. Sic enim ingenue fatetur & sancte affirmat. *Nouit* (ipsa eius verba sunt) *ipsum gloriosum animal, & ipse nouit spiritus vitæ, qui est vel erat in rotis, quia cum in exordio hujus libri ista lectio sese offerret, tunc in mente non habebã, vt hac vice huc diuerterem, tibiq; parerem in hac parte, quam verebar, quod cuiuis suspecta posset esse præsumptionis & vanæ gloriæ. Verũ vbi jam dictã lectionem attigi, & post contemplationẽ faciei vituli procedere volui ad contẽplandam faciem tertiam scilicet faciem leonis, recordatio tui sese obtulit instantius atque vehementius, quam eatenus occurrisse senserim, & quasi manu me tenuit, quodammodo dicens mihi: Huc diuerte, quia nisi rem, pro qua sic adjuratus es, prius effeceris, nusquã solita facultate vti poteris, vt cõmode progrediaris. Quid multa? Quasi subsistẽte spiritu, qui me ducebat aut ducere videbatur, coactus sum huc a proposito cursu diuertere, multum tamẽ varius diuque incertus, nunc probans, nunc improbans digressionem hanc, tandem vix animo sedit. Visumque est non nimis discrepare a voluntate sapientiæ, si scriberem quomodo vel ad quid mœrenti mihi & qualemcumque egestatem deploranti, siceram suam & vinum suum dederit, scilicet præsentem consolationem de sanctis scripturis, qua aliquantisper obliuiscerer doloris mei.* Hæc ille: ex quibus nemo non videat quam ab omni jactantia abhorruerit; quomodo non tantum ab homine mortali, verum & ab ipso Deo compellendus fuerit, quam in eo mentem retinuerit, nec vmquam a proposita sibi modestia recesserit.

DIE 4.

Tob. 12.

In Matth. l. 12.

Prolog. de Diuin. off.

In Matth. l. 12.

CAPVT VI.

Mira e cælo experitur.

PRæter hæc quæ jam ante meminimus, admiranda, quibus Rupertum dignatus est Deus, quæ non sapientiam dumtaxat, sed præstantem insuper hominis virtutem clare commonstrent, subijcio non alijs quam ipsius, vt jam cœpi, verbis, cum diserte magis non valeam explicare. *Quid mihi* (inquit) *acciderit, qualibus audeam verbis eloqui? Cum essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli & vidi visiones Dei. Sed quid hic simile illi? Verumtamen quam similitudinem cognoui, jamque ex parte tetigi, istius magnæ Babylonis, in qua omnes simul nati, & illius in qua tunc erat ille captiuus cum captiuis, libet quãuis cum timore vicina sub eo locutione vti: quia aperti mihi sunt oculi, & vidi Filium Dei; vidi ipsum vigilans in cruce viuentem Filium hominis. Non corporali visu vidi; sed vt viderem, repente euanuerunt corporis oculi, & aperti sunt meliores id est interiores oculi, cum tenerem in sinu, atque complecterer crucem ligneam, & in ea imaginem eiusdem Saluatoris, sedens occultus retro post sanctum altare in quodam oratorio B. Mariæ semper virginis, claro jam diluculo, multis eamdem imaginem defigens atque circumiens osculis,*

In Matth. l. 12.

&

& adorans vt sedebam frequenti demissione capitis. Solitus eram id ipsum facere, sed illo diluculo agebam in majore confractione id est mentis humilitate. Qualis autem visus est aspectus eius? Humana hoc non potest lingua verbis comprehendere: tantumque dixerim, quia sensi breuiter illic, quam veraciter dicat ipse, Discite a me quia mitis sum, & humilis corde: & quā veraciter de ipso apostolus dicat, Exauditus est pro sua reuerentia. Vultus eius miro atque ineffabili modo sese demittens, quam reuerentibus oculis accepta se habere significauit oscula adorantis, & adorationem osculantis! Nulla mora interfuit, & ad visum communem reuersus, crucem quidem super altare loco suo restitui; gustus autem quidam ineffabilis, gustus suauitatis eius in ore animæ aliquamdiu ipsa die superfuit; qui tamen paulatim recedens, tandemque deficiens, memorem adhuc facit me versiculi hujus: Gustate & videte quam suauis est Dominus.

Post pauca visum aliud subijcit. *Dicam ergo gratias agens qualem deinde mihi dederit consolationem. Mærens eram, meque somno dederam hora solitæ orationis siue illius adorationis, quam prædixi: & erat causa mæroris, quia non tam cito, nec tanta vt volebam, pax mihi prouenerat de insurgentibus in me malignantibus: quasi vmquam dum viuimus, tuti vel securi esse possimus. Itaque mærens quasi puer, cuius voluntas non statim fit, somno me dederam hora solitæ orationis, cum ecce video semiuigilans in ipso lectulo magnam lucem velut solem super me incumbētem, & audio sonans in ecclesia signum, vt fieri solet dum statutam conuocamur ad orationem; surgere & ad orationem currere mihi visus sum. Fiat mihi secundum voces aut verba quæ audiui, canente vno conuentu multorū, quos nesciui, in vna parte ecclesiæ psalmū quinquagesimum: Miserere mei Deus: & alio conuentu in alia parte ecclesiæ ps. 26. Dominus illuminatio mea: stante maligno aduersario contra me in angulo in ingressu oratorij. Quem vt vidi, exprobraui, velut exprobrare solemus quēpiam larualem aspectum, signo totius faciei potius quam verbis. Propter quod cum ille iratus contra me irrueret, somno illo tenui excitatus sum. Intelligere poteram quod pro consolatione hæc mihi fierent: verumtamen illum quoq; diem totum in mærore transegi; & sequentis diluculi siue antelucani hora, oratione omissa, quam consueueram, somno cum tristitia me reddidi. Cum ecce tenuiter dormienti similiter vt pridie, visum est signū ad orationem commoueri. Surrexi, & ad ecclesiam cucurri: & ecce quasi pro solemnitate Domini multa ecclesiam compleuerat turba diuersorum ordinum, maxime autem monachorum, quodam venerandæ canitiei episcopo celebrante solemnia missarum. Multa ad offerendam quasi post euangelium ascendebat processio vtriusque sexus venerabilium personarum. Cucurri & ego quasi eleemosynam petiturus de oblationibus illis: & ecce juxta dextrum cornu altaris tres personæ stantes habitus valde reuerendi & dignitatis, quantum nulla potest lingua verbis consequi. Duæ personæ multum antiquæ, id est valde cani erant capitis: persona tertia vt speciosus adstabat juuenis, regia dignitate, vt ex eius vestitu poterat agnosci. Vna ex personis vt dixi venerandæ caniciei, valde jucunda dignatione ac sereno vultu manum meam apprehendit, meque osculata est, & pauca verba dixit, quæ quidem memoria non tenui: scio tamen quia pertinebant ad officium vel ministerium scribendi. Persona illa regia; juuenis ille speciosus nihil quidem loquebatur, sed me tamquam frater quam germana affectione, quam reuerenter seu venerabiliter quieto ac modesto vultu me intuebatur, meaque præcordia suo penetrabat intuitu? Non statim, sed postmodum sanctam in his Trinitatem, juuenemque illum esse Filium Dei hoc modo agnoui. Quidam spiritus mali me vtraque parte circumstantes, coram ipso altari me altiorem ipsis pusillus infestare, & latera mea fodere cœperunt digitulis importunis. Cum ita me affligerent, & ego auxilium implorarem ab his quos videbam, Dominus IESVS, qui paululum recesserat, ita tamen vt viderem eum, per nomen mihi innotuit, dicentibus personis alijs: Exspecta paulisper, IESVS veniet confestim, teque adjuuabit. Hoc audito, ipsum inuocaui Dominum IESVM ex nomine. Nec cunctatus ipse, ascendit iterum per gradus, per quos descenderat, quasi cum potestate & reuerenda majestate; & potenter spiritus illos propellens, manusque illorum a lateribus meis cito auellens liberauit me. Tunc ipsæ tres personæ grandi & pari statura æquales me pusillum circumsteterunt, & aperto prægrandi libro, me superpositum eidem libro in sublime sustulerunt. Quo facto is qui me in initio fuerat osculatus, confortans dignanter & familiariter hæc locutus est: Noli timere. Et designans super sanctum altare quædam sanctorum phylacteria auro fabrefacta: Adhuc enim, ait, eris melior, quam ista sint. Visio hæc tam manifesta fuit, vt veraciter dicere possim, quia siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Nam & cum adducerer ad videndum, scio me de lectulo exilysse & in ecclesiam cucurrisse recto & vigilantibus solito itinere: & completa visione, cum personas illas abeuntes prosequi vellem, neque concederetur mihi, aspexi quod nudus & sine omni vestimento essem: & ob hoc festinus eo recurrens vnde veneram, vbi lectulum attigi, confestim experrectus sum. De apertione libri, & de ratione quam persona illa dixit aureas ostendens sanctorum memorias, non opus est vt interpretationem faciam tuæ caritati; cujus de me judicium sæpe audierunt*

Ibidem.

audierunt & secuti sunt multi, quia vere Deus librum suum id est Scripturam sanctam mihi aperuit; & multis sanctorum patrum sententijs, quorum in sancta ecclesia digne celebris est memoria, & velut aurum rutilat; aliquanto meliora dixerim. Hactenus ille.

Aliud accipe; ex quo intelligas in quantam cum Deo familiaritatem penetrarit. Prioribus enim statim subjicit. *Quid deinde dicam? Si flagellat, ait B. Iob, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat. Cujus dicti nunc idcirco meminerim, quia per idem tempus de pœna mea, id est de exspectatione mea, quæ impatienti animo videbatur nimis longa, ipse quodammodo risit. Non imputo illi: jam dudum enim condonaui, videlicet illa condonatione justissima, quam idem B. Iob exprimit his verbis: Soluat manum suam & succidat me; & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat; nec contradicam sermonibus sancti. Eiusmodi condonationem, quæ est non contradicere sermonibus sancti, non reprehendere judicia sancti & justi, vt certissime credo, a me exegerat, dum solito plus dolerem, abundantius flerem propter causam eamdem, id est propter tædium præsentis vitæ, & fere per triduum non mutarentur in diuersa vultus mei. Visus quippe mihi sedens post sanctum altare, tali schemate vel habitu, pro quo debeat dici (vt vere est) antiquus dierum; cum propriu accessissem, crucem pergrandem signum magni doloris bajulans, protenta manu dextera pater clementissimus, naturæ nostræ amicus, mitis & humilis: Amice, inquit, dona mihi quod feci tibi. Ilico manum eius manu mea, velut pro firmamento condonationis, quam vehementer, quam alacriter percussi? quam ille fortiter stringens, me totum quasi ad amplexus & oscula traxit! Sed non mora, vis magna cujusdam sanctæ, ac Diuinæ voluptatis me somno excussit. Num infantilia videntur hæc? Imo res valde seria est, condonare illi quidquid super nos graue ab ipso illatum est, corde & ore dicendo tale quid, vt est hoc dictum a Daniele vel ceteris concaptiuis: Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti, quia peccauimus tibi.* Ibidem.

Addit subinde quod risum moueat, & tamen intimam eius cum Deo necessitudinem probet. *Maximæ* (ait) *dilectionis & fidei est, non pati ēt mori, sed patienter viuere in hoc sæculo pleno peccatis, & voluntatem sequi creatoris cuncta bene disponentis, dum non cito exauditur cupiens dissolui, desiderans ab ista valle lacrymarum migrare ad gaudium visionis Dei. Igitur condonaui quidem; verumtamen inter cetera narrabo quomodo de pœna mea riserit, tãdemque me consolatus sit. Vir quidam venerando habitu stare visus est, meque intuens familiariter: Adhuc, inquit, octo annos victurus es. Cum quasi ludibundum hæc eum dixisse putarem, eumdem sermonem repetens: Verum, ait, loquor; adhuc octo annos victurus es. Nox erat illa solemnis & festiua B. Matthæi apostoli. Cum sanctas manus eius osculari vellem, non admisit: & ab hoc depulsus euigilaui. Quid putas quomodo subsequentes ei dies, & menses, & annos enumeraui mihi? Sic enim acceperam, & sic eum dixisse volebam ac si omnino determinasset, atque ita dixisset: Octo annos, & non plus victurus es. Non attendebam, nec attendere volebam præ nimia desiderantis animi festinatione, posse aliquid subesse in quo errarem, salua visionis veritate; cum mihi non dictum fuisset, quod statim completis octo annis deberem hanc vitam finire. Transierunt ergo mihi septem anni, & octauus annus volui incœperat magna exspectatione & pæne jugi mortis meditatione; cum ego fere totus & solito vigilantior in me conuersus, mirari cœpi quid mecum gererem & qualiter pro exspectatione tantæ rei me habere debuissem. Habebam autem tunc in manibus librum B. Augustini de ciuitate Dei: & hic erat locus quem legebam: Cum autem, inquit, vnicuique mortalium sub quotidianis vitæ hujus casibus innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quamdiu incertum est, quænam earum ventura sit, quæro vtrum satius sit, vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo &c. Ex occasione lectionis huius tunc instantius conueni cor meum, laudans cum Ecclesiaste magis mortuos quam viuentes: cōsilium hoc mecum inij, quatenus quærerem a Deo precibus attentis veritatem ceu certitudinem tantæ rei; vt si visio supradicta ex ipso venisset, iterato mihi oraculo dignatio eius ipsam confirmaret. Ad hoc negotium sedit animo sanctum inuocare Spiritum. Ad hunc ergo conuerti me toto corde, & pro tantæ rei negotio ausus sum illum interpellare, licet mihi occurreret, faciemque mentis meæ reuerberaret illud Isaiæ: Me etenim quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit. Non enim omnium est, responsa Domini quærere, quæ tunc per prophetas administrabantur: sed eorum dumtaxat, qui judicium faciunt & justitiam operantur. Verumtamen fiduciam in hoc præstabat non solum communis fides, sed etiam propria quædam conscientia, seu dignationis eiusdem Spiritus S. memoria; quia diebus illis nonnumquam visitationem seu respectum modis qualibuscumque sentiebam: super quibus parcendum est; præsertim cum & magnus apostolus dicat: Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Ceterum post inserta nonnulla prosequitur in hunc modū. *Mira intentione nihil aut parum cogitans de meritis, quæ nulla erant, sua fide nixus cum tuo luctabor nomine sancte Spiritus, & votum vouebam* Ibidem.

Digitized by Google

vouebam tibi, quod sempiternas tibi retribuerem gratiarum actiones pro beneficio impetrato tantæ exauditionis. Et numquid hoc friuolum erat? Quid enim aliud faciemus ibi? Omnes siquidem qui illuc transeunt in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, transeunt in voce exultationis, & confessionis. Gaudeo igitur Domine S. Spiritus, quia sic lactatus sum scilicet prece & lacrymis. Gaudeo, inquam, quia non dimisi te, nisi benediceres mihi: & tu hoc modo benedixisti mihi. Nox erat instantis diei, quem Christiana religio nuncupat caput jejunij, cũ ego leniter dormiens, videbar mihi quasi cum amico loqui quærente quid haberē, quod tantopere instarem ad quærendã seu inueniendã eiusmodi rem. Ego respondens dicebam esse (vt vere est) magnum negotium: cujus rei cum haberem desiderium propter multa quæ hic occurrunt pericula peccatorum, scirē tamen impensis majoribus opus esse, vt aliquatenus præpararer ad migrandum. Cum hæc vel talia dixissem, repente paululum semotus ab eo cui loquebar, video quasi cælum desuper modice aperiri, atque inde quasi talentum lucidum substantiæ ineffabilis, substantiæ viuentis velociter ac dicto citius demitti, quod meo illapsum pectori, magnitudine vel pondere suo me protinus somno excussit, auro grauius, melle dulcius. Quod vbi illapsum est, primum quidem aliquantula mora quieuit; seque ab omni motu continuit, me quoque quieto, vt forte resupinus jacebam, exspectante euentum rei: mox autem moueri cœpit, & circuire vterum interioris hominis, vterum animæ; quem eatenus nesciebam cujus vel quantæ esset capacitatis. Circuibat itaque modo mirabili res viua & vera vita, semperq; circuitus sequens præcedente erat major multoque amplior: quos tamen circuitus, cum multi fierent, non attendi vt numerarem. Miroque atque ineffabili modo & circuibant inundationes altera post alterã, & sese infundebant; donec tandem vltima Infusio veluti quoddam magnum flumen inundans, hoc mihi dabat intelligi, & hoc sentire me fecit, quod totum animæ vel cordis exceptorium plenum esset & plus capere non posset. Quo facto iterum quieuit paulisper, vt neque influeret, quod jam fecerat; neque effluerет, quod postmodum fecit. Et interim volebat homo interior quasi faciem clarius videre illius substantiæ viuentis. Sed quodammodo occultabat se vt non videretur facies eius, cum valde magno pondere portaretur, & in magna dulcedine sentiretur. Postmodum cœpit reflecti, aliamque in partem circuitus agens, in modum fluminis per læuum latus effluxit, videntibus oculis interioris hominis, quod cum vltimus circuitus proflueret, paululum substitit; & ecce videbam quia substantia illa pulcherrima quasi aurum liquidum erat. Vbi hoc actum est, & eius rei sensus præterijt, ego ignorans quid deinde prouenturum esset, hoc solum dolebam quia secundum intentionem meam nihil dixisset; qui hoc pro maximo gratiæ beneficio accepissem si diceret: Hoc anno, vt exspectasti, de corpore migraturus es. Vere audeo scire & fateri quia donum est altissimi pro consolatione doloris mei, quem dixi: quo accepto jam non inuenit anima mea in se, vt interpellaret eum pro eiusmodi re, aut ita festinaret, vt prius, vesperam rapere diei hujus, finem vitæ hujus, ratione admissa, quod prius aliquid sit operandum quam exigenda merces, quoniam nobis quoque pusillis talis operum materia data est. Ita consolatus sum; & ita spes quam dedit mihi in verbo suo me consolata est in humilitate mea, vt illud quod dixit dator eiusdem spei Christus Filius Dei, non dubitem mihi accidisse: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hæc de suis sapiens ille scriptor & sane religiosissimus. Alia sequuntur haudquaquam minora.

CAPUT VII.

Idem argumentum prosequor.

ANte pauca meminerat Rupertus, acceptis sæpius a Spiritu S. beneficijs, magnam ferendi ab illis auxilij fiduciam animo se concepisse. Accipe, quod ipse profert, exemplum insigne. *Iacebam aliquando non valde sopitus, imo semiuigilans in lectulo; & ecce vt videbatur per gradus dormitorij fratrum descenderam, multorumque spirituum horribilium & facie crudelium quasi castra contra me consistebant. Ego vt aliquoties eatenus nomen S. Spiritus per somnum quoque horrore aliquo ingruente proferre solitus eram, nihil aliud contra eos dicere dignatus, hoc solum nomen teterrimis eorum vultibus objeci, Spiritus Sanctus. Ipsum testor: quasi magno turbine resupinabantur nõ ferentes virtutem nominis. Cum pro hoc illis insultarem, paululumque intermissa sancti nominis enuntiatione, gestu faciei totius exprobrarem; illi quasi viribus ex iracundia resumtis in me velut fortes irruerunt; & ego in fugam conuersus in pratum quod intercolumnia claudunt, illic inuenio senem antiquum virgam manu gestantem, & Spiritum Sanctum agnosco, Filiole Filiole, inclamantem: quo nomine paruulos appellare solemus, quos de sacro fonte suscepimus; meque tali appellatione confortantem gestu potentis pariter & adiuuantis, vt si consisterent aduersum me castra, non timeret cor meum, si exsurgeret aduersum me prælium, in hoc ego sperarem. Confortatus ergo, eoque vnde veneram procurrens contra illas phalangas teterrimas, & cum illis congressus, eodem modo vel*

In Matth. l. 12.

do vel ordine, quo prius ingrauescente conflictu, iterum ad patrinum confugi, sic eum appellans ad succurrendum, congeminato clamore appellationis, quo modo solet quis illum appellare, qui eum de fonte suscepit. Ecce autem inuentus est eodem in loco non sicut prius senex antiquus, sed ignis valde serenus, & circa eum quietudo & securitas magna; ita vt oblitus totius aduersitatis, quasi nulla fuisset, solum ignem illum demissus attenderem, & defixis introrsus oculis persp cere vellem. At ille quasi quoddam sibimet de semetipso fecit vmbraculum, duo hinc & inde velamenta subleuans in modum alarum, quæ paulatim conuenientia, me quasi ablactatum ad sensus communes ab illa tali contemplatione remiserunt, non ignarum interpretationis, quid sibi voluisset species ignis, & quid habitus senis quasi patrini filiolum consolantis. Ipse enim est sanctæ regenerationis nobis autor in baptismo; & ipse est ignis, quem Dominus noster IESVS CHRISTVS misit in terram, & voluit vehementer accendi. Hoc ita sibi contigisse profitetur & explicat Rupertus.

At ecce denuo suam scriptionem attingit, eamque superis acceptam fuisse demonstrat. In Zachariam enim minorum prophetarum penultimum commentarios aggressurus sic proloquitur. *Quid est, o diligens anima, quod mente retractas assistens jam & pulsans ad hujus prophetæ, imo propemodum pulcherrimi euangelistæ ostium? Vidi per noctem, ait, & ecce vir ascendens super equum rufum: atque hæc dicens reminisci me facit, quod nescio quomodo sapiens quis accepturus sit: Quia vidi per noctem & ecce immensitas lucis, & patriæ luminus dulce rubentis, & rubicundo sereno lucentis, vltra quam dici potest; & in ea cantus suauis, cantus multitudinis jugiter canentis, & absque interruptione consonam laudem personantis. Illuc appropinquanti accesserunt exinde obuiam quidam pusioli, & applaudentes lætabundi: Iste, inquiunt, ille est, qui de Domino nostro sic & sic loquitur, hæc & talia dicit. Interim illius patriæ quædam suauitas ineffabilis inundabat secretiora ventris, & dicebat spiritus animæ intelligenti, quod illi concentui deberet consociari. Nonne hæc infantilia sunt? Sed tu Domine Deus noster, cuius admirabile est nomen in vniuersa terra, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Igitur quicumque hæc audit, siue infantem siue virum accipere velit, tendenda corda ingenij, percutienda est cithara pectoris tuam Christe fidem spirantis, ac rogandus est spiritus tuæ caritatis, quatenus ipse componat promptæ modulamina laudis, qui jamdudum hoc inspirauit, vt de prophetarum thesauris nihil aliud spirem, nihil aliud cupiam consequi, quam testimonia tua, testimonia fidelia euangelij tui quod euangelisatum est nobis.* Sinceram ecce scribentis mentem iterum habes, lector: quam Deus ipse sibi acceptam esse profiteri non desinit, & ad nouos fetus producendos excitare.

Prolog. in Zachar.

Sed præter perfectioris caritatis arrham jam sæpius ad illum a Deo demissam, ecce aliam alio loco commemorat, dum illud sponsæ explicat. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Sic enim narrat: *Nostra ætate* (inquit) *referebat quædam adolescentularum familiaribus suis, quibus propter compertam beneuolentiam secreta sua committere non dubitabat; nocte quadam similitudinem manus a capite lectuli fuisse immissam super pectus suum pæne vigilantis, imo nullatenus dormientis, nonnihil de excessu tenuiter patientis. Erat autem tactus suauissimus quasi dexteræ manus. Et apprehendens illam suis vtrisque manibus demulcebat signaculo crucis, peragrans intus & exterius: quibus delinimentis valde manus eadem delectabatur. Cumque post illas signaculi sancti delicias, quibus manum demulcebat, brachium quoque contingere, ipsamque personam, cujus manum tenebat, assequi conaretur, velociter veluti increpitans mouit & excussit se manus illa oleo suauior, penna volucris agilior: motuque suo dedit intelligi, quod ipse cujus erat manus illa, nollet se apprehendi. Memorabat etiam eadem adolescentula, scilicet anima nuptijs istis dedita, canticisque nuptialibus intenta, quoniam sponsus in visu noctis conspicuus, manum suam miro modo pectori eius quasi per foramen injecit, & cor eius intrinsecus apprehendit, tenuitque aliquamdiu suauissime stringens; & gaudebat ineffabili gaudio cor illud intra manum illam subsiliens atque tripudians. Porro de tremore illo, tremore sancto & diuino tale experimentum sibi euenisse fideli narratione referebat. Aspiciebat per visum in quadam ecclesia Saluatoris imaginem cruci confixam in loco sublimi, scilicet vbi de more consistebat, orantibus siue adorantibus proposita populis: cumque in eam intenderet, viuens imago visa est vultu quasi regio, radiantibus oculis, aspectuque prorsus reuerendo: manumque suam dexteram de patibulo adducere, signaculum super aspicientem edere magnifica expressione, dilectus ille dignatus est. Non vana visio, imo magnæ virtutis sensum videnti intulit continuo. Denique sicut tremit folium arboris, vbi vehemens ventus illud concusserit: ita cum repente in hoc visu euigilasset, in lectulo aliquamdiu tremuit, veruntamen tremore dulci, tremore blando, nimiumque suaui. Et antequam euigilaret, in ipso visu jam dicti virtus signaculi videntem sursum rapuit, velocius atque facilius quam dici possit, manibus expansis ad manus illius confixas cruci, ita vt os quoque ori, totumque corpus admotum videretur*

Cant. c. 4. in Cant. l. 5.

Digitized by Google

eius corpori. Et vbi somno erupit, aliquamdiu (sicut jam dictum est) tremore illo Diuino multum delectabiliter vigilans tremuit. Hæc Rupertus quamquam tacito nomine, de se narrasse creditur, quemadmodum etiam id, quod Abacuc vaticinia explicans refert. *Noui quemdam* (inquit) *Deo teste, qui per visum eleuatis sursum oculis aspicere se putauit altitudinem summæ & incircumscriptæ magnitudinis, & miro atque ineffabili modo vim sentire illius Diuinæ virtutis; & quasi in medio eiusdem altitudinis, magnitudinis, immensitatis videre stantem nimis excelsum, & ineffabiliter altissimum, illum Filium hominis, qui pro nobis crucifixus. Cumque visus eiusdem magno quidem, sed suaui vltra quam dici potest, pondere premeretur, hæc cogitatio illi in mentem venit: Heu! quid erit nobis seruis malis, quorum propter scelus talem tantumque Dominum tam male tractari oportuit? Statimque cogitationi huic alia cogitatio quasi desuper ab ipso Filio hominis emissa suauissime respondit: Nec ego tantus nunc Dominus existerem, nisi propter seruorum causam tam male tractatus fuissem: & quæ mihi causa passionis fuit, eadem est gloriæ & honoris.*

In Abac. l. 3

In hunc modum valde profecto singularem salutares e cælo monitiones accepit Rupertus. Sed multo grauius est & optabilius quod habuit de beato animæ suę statu testimonium: Sic enim affirmauit ipse dum Cantica explanaret. *Quid agimus*, inquit, *o anima? quare tristis es & quare conturbas me? Ecce in medio nuptiarum sumus, nuptiarum hominis regis, quas fecit Filio suo, quem de Virgine incarnari voluit. Et dicis mihi illud terrificum, illud valde pauendum: Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali &c. Cur mihi hæc ingeris? Timesne quod vestem non habeas nuptialem? Et quidem si de caritate agitur, quod ipsa sit vestis nuptialis, tu ad istas nuptias, ad istarum nuptiarum laudes decantandas sine caritate non intrasti. Ipsa mater nuptiarum conscia tibi sit & testis, quod sine hujusmodi veste non accesseris. Cui quondam tecum, vt videbatur, colloquenti, dum sermonem cum illa conferres de sacris mysterijs, de gloria sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & dicenti: Quomodo tu audes loqui de hujusmodi? Erat autem hæc eius percunctatio facie serena & vultu hilari: ita respondisti: Ego beatam Trinitatem diligo, & inde certissime scio, quod de illa loquens, numquam veritate aberrabo. Ne igitur tristeris anima mea, neque conturbes me: sed spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi non aberrando; quod esset pæne in tenebras exteriores mitti.* Magnæ securæque voluptatis fuit illud argumentum, & quasi felicis æternitatis pignus.

In Cantica l. 4.

Hęc e plurimis pauca de se magnus ille vir. Quæ profecto vt admirationem, sic & fidem merentur; non tantum ideo quod per aliquot jam sęcula posteritas omnis eam judicij, sapientię, integritatisque laudem illi detulerit, vt non nisi temere judicari possit vel falsum esse, vel fallere voluisse: sed maxime quod proponat, quæ passim Dei benignitate plerisque sanctorum concessa fuisse memorantur, & probat vniuersus orbis Christianus.

CAPVT VIII.

Abbas Tuitiensis dignitate, doctrinæque fama clarus moritur.

IVsto longius id esse non existimaui, quod lectori claris indicijs probaret eximiam illius virtutem ac sanctimoniam ab ipso Deo tantis beneficijs ornatam: cujus pręstantissimam eruditionem omnibus gentibus celebratam admiramur. Sed vtrumque non agnoscere non poterit, quicumque sedulo & attente religiosa illius scripta volutarit. Cum autem non solo calamo prodesse mortalibus posse crederetur, insignique valeret tractandarum animarum peritia, autore Cunone abbate Sigebergensi jussus est ab archiepiscopo Coloniensi cœnobiticũ Tuitiensis familiæ gubernaculum suscipere. Hic excepit Rodulfum S. Trudonis abbatem, suo monasterio propter bellorum calamitates profugũ, & magna beneuolentia fouit: suaui quippe necessitudine conjuncti fuerãt, ex quo litteris operam vna Leodij dederant ad S. Laurentij. Quas ibi præterea res præclare gesserit, ignoramus: eas autem virtuti nequaquam impares fuisse, dubitandum non est.

Cęterum fuit (inquit Trithemius) *in Diuinis scripturis Spiritu S. illustrante omnium doctorum sui tẽporis doctissimus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, ingenio subtilis, eloquio dulcis atque compositus, non minus sanctitate quam scientia clarus effulsit. Tantum ad sacras lectiones amorem habuit, vt nec dormiens quidem a Diuinis colloquijs videretur quiescere; dum lingua eius & labia, quasi aliquid legeret, mouerentur.* Superuacaneum sit e doctorum hominum monumentis eius

encomia

encomia colligere: nullum eius lucubrationibus majus præconium esse potest.

Postquam annos quindecim Tuitium administrasset, sancte vita decessit IV. Nonas Martias anno post millesimum & centesimum trigesimo quinto, annorum numero, sed magis doctrinę virtutisque gloria celebratus. Miraculis etiam illum claruisse Trithemius affirmat.

Die sexto

I. S. GODEGRANDVS

episcopus Met. *Paulus diaconius, Sigebertus, Molanus, & quæ e sui monasterij commentarijs mihi dedit Admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas S. Trudonis.*

NObile hujus diœcesis ornamētum protulit illustrissima gens Pipinorum. Natus est in Hasbania Godegrandus patre Sigiramno; matre Landrada e gente Pipinorum. Litteris & pietati operam dedit primum in monasterio S. Trudonis, sanctissimo tum temporis omnium virtutum domicilio, deinde Metis. Ætate maturiorem vocauit in regiam, & sibi a consilijs esse jussit Carolus Martellus, ac deinde Pipinus, etiam postquam ad regnum peruenit. Ea porro apud regem autoritate sapienter ille & religiose vsus est ad protegendum ordinem ecclesiasticum. Quamquam sibi Metensis clerus episcopum legisset, cum tamen eius se consilijs destitui rex non pateretur, perseuerauit vt antea *princeps palatij, totius Galliæ dux & reipublicæ consiliarius.* Archiepiscopi insigne pallium, simul & potestatem episcopos per omnes Gallias consecrandi concessit pontifex Stephanus: ad quem a rege legatus ierat, vt in Galliam eum adduceret. Adolescit ad S. Trudonis. Episcopus

Terna exstruxit monasteria. Habitu vtebatur adeo vili, vt episcopum nemo facile peregrinus agnosceret. Cilicio, vigilijs, inedia corpus acerrime castigabat. In peccantes seuerus, mansuetus in pauperes & liberalis vixit. Leges etiam sapientissime scripsit, quibus priscum spendorem diu Metensis ecclesia retinuit. religiose regit.

Sarchinium ad S. Trudonis aliquando venerat, cum aliquis e familiaribus puer, veritus plagas ob admissam noxam, ad monasterium ceu ad asylum confugit. Non tenuit episcopi ministros sancti loci reuerentia: perfractis foribus irrumpere, puerumque abripere tentarunt. Cohibuit Deus. Delapsum cælo fulmen cereos in aris accendit, eos vero qui templo vim faciebant, tanto perculit horrore, vt in puerum inijcere manum nemo vnus auderet. Euocatus prodigio Godegrandus, puerum quidem immunem esse, at suos ministros pro violato templo jussit pænas dare; procumbens autem in genua in S. Trudonis fidem ac tutelam se transcripsit, quem tanta apud Deum valere gratia perspexerat. S. Trudonem colit

In Italiam deinde profectus, S. Gorgonij corpus, in Gallias aduehens, Gorziæ deposuit, vbi celeberrimum condiderat monasterium. Ac denique anno sequenti, qui fuit post Christum natum septingentesimus sexagesimus quintus, de ecclesia non minus bene, quam de Francorum regno meritus, sancte mortuus est & in eodem Gorziensi cœnobio sepultus. & S. Gorgonium.

II. S. KADROË

abbas III. Walciodorensis. *Eius vita mihi data a R. D. Romualdo Hancart monacho Hubertensi de voluntate admodum R. D. Nicolai de Fanson abbatis.*

IN Ibernia regio genere natus, cum ducente mirabiliter Deo mare transmisisset, plurimis prodigijs clarus, Floriaci monachum induit, statimque magnam in omnem Sub Anno 917.

 partem

partem virtutis lucem sparsit. Walciodorum deinde venit, suorum popularium sanctimoniam spectaturus, cujus gloriosa per totam viciniam erat fama. S. Forannano mortuo religiosam illam familiam regebat abbas. II. S. Macalanus: qui explorata hospitis sanctitate, illum successorem suum designauit, vt se ad S. Machaelis in Theorasciam reciperet.

Reluctatus est primum Kadroë, vt cognata est omni germanæ virtuti alta sui depressio. Sed oneri denique humeros subjicere compulsus, illam magna prudentia prouinciam inijt ornauitque illustri virtutum prodigiorumque splendore. Quorum fama Metas euocatus, S. Felicis (hodie S. Clementis dicitur) cœnobium suscepit regendum. Neque hic aut virtus, aut miracula virum Dei deseruerunt.

Quę cum audisset Adeleidis Augusta Ottonis imperatoris parens, eius videndi, venerandique desiderio, illum rogauit ad se Neherestenum ad Rhenum veniret. Paruit Kadroë, quamquam affecta jam ętate, neque mortem procul abesse sciret. Hominis sanctitatem paucis diebus omni honore coluerat imperatrix: jamque ille ad se reuertebatur, in itinere major septuagenario mortuus est, anno nongentesimo octogesimo octauo. Sacrum corpus ad S. Felicis reuectum, multis miraculis celebratum est. ANN. 988.

III. STEPHANVS STRECHOEVS episc. Dionysiensis & Leod. suffraganeus.

CAPVT I.

Doctrina & virtute per varios gradus ad episcopatum euehitur.

LEodij natus, Diuinis rebus sic puer affici cœpit, vt præ illis omnia illius ætatis oblectamenta flocci pendere videretur, atque a Deo ad magna destinari. Sodalibus animum ludo laxantibus, induci non facile poterat vt vna luderet; cum sinceriore alia voluptate caperetur. Itaque ludentium spectaculo se fruiturum ajebat: at reuera mentem vt plurimum conuertebat ad Deum, & cum illo suauiter sermocinabatur. Visusque est plus vice simplici sublatis in cælum oculis, palmas supplicis ritu conjunxisse. Domi vero quidquid temporis naturæ necessitati non esset relinquendum, litteris totum aut precationibus adeo tribuebat, vt eius operam ad domestica quædam negotia quandoque peropportunam sibi mater deesse quereretur. At ille proposita ingenti vtilitate, quæ assiduum precandi studium consequeretur, ita modeste suauiterque illam solabatur, vt non modo sibi Deoque relinqueretur, sed etiam ipsa parens eiusmodi precibus paulatim assueuerit, easque retinuerit ad extremam vsque vitam magna animi sui voluptate bonoque, testari solita id se filij adhuc pueri magisterio didicisse. *A puero deditus precationi.*

Hac indole humaniores litteras cum Leodij feliciter percurrisset, Louanium ad philosophiam abijt, tum ad theologiam, semper sibi similis, aut potius in dies se ipse major. Quibus præsidijs ad propagandam Dei gloriam instructus vbi redijt in patriam, S. Michaëlis curiam suscepit procurandam non minore vigilantia studioque, quam commissi gregis vtilitate. In S. Petri collegium cooptatus ita se habuit, vt suas partes nusquam desiderari pateretur. Nam & in canonicorum choro eam assiduitatem puramque religionem præferebat, vt id vnum studere dici posset: suæ vero parœciæ sic inuigilabat, vt minime suus, sed gregis totus dici posset. *Strenuus pastor,*

Latius proferri debuit ea virtus, & in plures diffundi. In Leodiensi seminario, vbi juuentus in totius diœcesis bonum theologicis disciplinis, simul & rectis pro cleri dignitate obeundoque curionum munere moribus instituitur, vt theologiam prælegeret delectus est: imo toti seminario summa cum autoritate præfectus fuit. Hic demum judicij grauitas, recondita eruditio, agendarum rerum peritia, eximia virtus, ardensque Diuini honoris desiderium, velut in theatrum prodierunt, suique concitauerunt admirationem. *prouidus seminarij pręses,*

Anno certe hujus sæculi decimo tertio cum serenissimus princeps Ferdinandus Bauarus Leodij recens inauguratus viros quæreret, quorum opera tuto vteretur in amplissimæ diœceseos administratione: inter plures alios quos audire voluit, Franciscum etiam Fleron-

Digitized by Google

Flerontinum consuluit, cujus prudentię virtutique plurimum tribuebat. Is ante paucos menses Societatis IESV per vniuersum Belgium prępositi prouincialis munere defunctus fuerat, & Leodij jam erat secundum rector. Plurimos igitur in indicem collegit viros vitæ probitate, prudentia, litterisque conspicuos, & ante omnes velut antesignanum constituit Stephanum Strechœum: qui eodem anno suffraganeus Leodij designatus est. Memini vero audisse me virum grauem cum Flerontino expostulantem, quod illa potissimum eius commendatione factum fuisset, vt illa ipse suffraganei dignitate excluderetur: at certe eo dignissimum judicio Strechœum fuisse, docuit euentus. Suffraganeus creatur.

CAPVT II.

Sanctum se episcopum exhibet. Vrsulinas condit.

TAnto auctus honore Strechœus, summa vi contendit ijs potissimum crescere virtutibus, quæ decerent episcopum. Clarissima igitur nostri hujus ęui lumina S. Carolum Borromæum, & B. Franciscum Salesium sibi proposuit imitandos. Nihil ei jucundius fuit, quam res ab illis gestas legere, voluere animo, sæpiusque commemorare. Borromæum Christiana fortitudine, humanorumque omnium contemptu; Salesium mirabili mentis æquitate suauissimaque humanitate; vtrumque incenso Diuini honoris augendi studio referre visus est.

Inuictum animi robur prodidit, vbi credidit agi de Romanæ ecclesiæ autoritate: pro qua stetit intrepidus, quamquam vltimo periculo non procul abesse plerique vererentur. Insignis præterea eminuit fortitudo constantiaque in perferendis molestijs, difficultatibusque perrumpendis, quæ stabiliendis Vrsulinarum rebus intercurrerunt. Fortitudo.

Animi vero mititas, suauitasque morum tanta fuit, vt nisi tuẽda Dei causa occurreret, nihil illi bilis inesse diceretur. Est qui inter eius domesticos vixit, & testatur numquam a familiaribus esse visum ira concitatum etsi a famulis oblata non deesset occasio. Imo blandioribus tum verbis illos alloquebatur, cum acrius corripi mererentur. Hoc nimirum existimabat certius esse salubriusque correctionis genus. At in ceteros tanta fuit humanitate, vt jure suspicerent omnes, venerarentur ac amarent altam illam demissionem cum ea dignitate tam feliciter conjunctam. Humanitas.

Dei honorem adeo cordi habuit, vt quamuis nullam cum episcopatu vel suffraganei munere connexam haberet animarum curam, obnixe tamen studuerit vt scholæ aperirentur, in quibus ad omnem morum honestatem instrueretur alter sexus; cui non satis esse prospectum in hac vrbe diœcesique judicaret: cum tamen ex eo rectam familiarum institutionem summopere pendere satis constet. Cum igitur e Giraldo Carrerio (qui Societatis IESV nouitiatum Burdigalę rexerat, & Leodij tum agebat) audisset ea in vrbe virginum Vrsulinarum institutum autore eminentissimo cardinale Sourdisio conditum incredibili publicę rei bono florere; non prius quieuit, quam apostolicum diploma, quo religiosa illa viuendi norma probatur, Burdigala per eumdem patrem acciperet. Quod vbi primum legit, mirumque in modum suis consilijs consentaneum esse compererit, nouas animo suo faces subjici sensit, ad eiusmodi parthenonem cum scholis Leodij construendum. Studium honoris Diuini. Vrsulinas condit.

Graues videbat difficultates tum a rei nouitate vt fere fit orituras, tum a sumtuum magnitudine, quibus se non facile parem esse intelligeret. Sed nihil eo deterritus, proposita sibi spe ingentis boni excitabatur. Diuini præsidij fiducia rem aggressus, omnes generose perrupit obices, & sua ipsius exspectatione felicius executus est. Neque satis illi fuit religiosum id domicilium Leodij collocasse: Gueti idem, idem & Dionanti tentauit, perfecitque optimo successu; alijs pręterea locis suam operam impensurus, vbi tempus & occasio se darent.

Laboris studijque non minus posuit in nouis illis familijs efformandis adducendisque ad religiosi sui instituti perfectionem, quam posuerat in condendis. Iactum quippe semen videbat copiosa fruge pullulare; domi quidem honestissimis virginibus (quę magno numero ad sacrum illud vitæ genus confluebant) splendorem commodave humanarum omnium rerum mira animi magnitudine despicientibus & aspirantibus ad intimam cum Deo conjunctionem: foris vero tenellulis puellis cateruatim ad eas scholas conuenientibus, vt a tenera ætate non modo primis litterarum rudimentis, varijsque exercitationi- excolitque

ſolemnem inſpectionem illi committere amarent ſereniſſimus princeps Ferdinandus, illuſtriſſimique Nuntij apoſtolici Albergatus, & Petrus Aloiſius Carrafa; quem dum hæc ſcribo, ecce audimus in collegium cardinalium a S. D. N. Innocentio Papa X. adlectum eſſe. Illuſtriſſimus Cameracenſis archiepiſcopus Franciſcus Vanderburgius, qui nuperrime cum magna virtutis opinione mortuus eſt, aſſerere non dubitauit cuidam e Societate IESV ſacerdoti, neminem toto Belgio ſe vidiſſe præſulem Leodienſi ſuffraganeo præferendum.

Non paucorum fuit ea ſententia: fuit omnium, qui illum nouerant. Etiam qui grauiſſime primum aduerſati fuerant, perſpecta magis in dies optimi antiſtitis integritate, priorem omnem amarorem ſic rejecerunt, vt eius virtutem amarent ac venerarentur. Quod vniuerſi tum maxime clariſſimeque teſtati ſunt, cum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo e febris malignitate illum vita periclitari auditū eſt. Communem omnium parentem in vltimo vitæ periculo verſari dixiſſes. Ac denique vbi prid. Nonas Martias viuere deſijt, annos natus quadraginta octo, vna voce omnes ſummi juxta ac imi magno doloris ſenſu profeſſi ſunt egregium Leodienſis eccleſię columen cecidiſſe. Apud Vrſulinas Leodij ſepulcrum elegit, vt eo depoſito religioſæ illæ virgines excitari ſe meminiſſent ad Dei gloriam accurata vitæ ſuæ proximorumque perfectione amplificandam, quam tantopere in familię illius conditione ſibi ipſe propoſuerat. Amatur ab omnibus.

Die ſeptimo

RODVLFVS

abbas S. Trudonis. *Ægidius, Trithemius & quæ e commentarijs ſui monaſterij exhibuit admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas S. Trudonis, & Manuſcript. Leod.*

NAtus Monaſterij ad Sabim Rodulfus, Leodij felicem ingenij culturam adeptus eſt. Ad S. Trudonis Benedictinæ diſciplinę mancipatus, ea egregiæ virtutis edidit ſpecimina, vt anno poſt milleſimum & centeſimum octauo trigeſimus abbas creatus ſit.

Virtuti ſapientiæque par felicitas non fuit. Atrocem turbinem ſuſcitauit Giſlebertus Duraſſij comes, vir opibus & genere potens, ſed implacabili aduerſus Trudonenſes odio. Cui quæ cauſa fuerit, proditum non eſt: ſed Trudonopolim paucis annis cepiſſe, diripuiſſe, incendiſſe ſæpius fertur. Pertæſus tot malorum Rodulfus, deſerta ſtatione Gandauum primo ſeceſſit, deinde Coloniam. Hic adnitente Friderico archiepiſcopo, cui ob ſingularem animi ornatum percarus erat, in S. Pantaleonis abbatem electus eſt. Inuenit ibidem Rupertum Tuitij abbatem ſuaui ſecum neceſſitudine conjunctum, ex quo litteris operam vna Leodij dederant. Et quod jure pluris facias; pretioſiſſimum obtinuit theſaurum e ſacro glorioſorum martyrum Thebæorum conditorio erutum, quo ſuos poſtea Trudonenſes locupletauit.

Animo aſſurrexiſſe Rodulfum inuenio, & ad ſuos reuerſum rem ſuam reſtituiſſe. Hæc ſe dedit occaſio. Forte Trudonenſes aliquot ciues Leodio redibant ab antiquo mercatu: intercepit Duraſſius, pecuniaque & veſtibus ſpoliatos male habuit. Violatam mercatus libertatem atque adeo vindicandam cenſuit Alexander Leodienſis epiſcopus; & vocatum in jus Giſlebertum, damnatumque beneficijs omnibus multauit. Cum epiſcopo Rodulfus ſocietatem & amicitiam junxit (nulla quippe Trudonopoli tum adhuc erat Leodienſibus dominatio) vt conjunctis armis communem hoſtem propulſarent. Arcem Duraſſiam obſederunt, & Brabantos Duraſſio in auxilium venientes (quemadmodum ſuo loco fuſe meminimus) celeberrima victoria fuderunt: ipſaque arce paucis poſt prælium diebus in poteſtatem veniente, libertatem ſuis abbas recuperauit.

Sub idem tempus Auerbodij Præmonſtratenſibus cœnobium cum Arnulfo comite Loſſenſi condidit. Bis Romam eſſe profectum habeo. Denique poſt inſignia litterarum monumenta poſteris relicta, poſt ornatum eximia virtute ſapientiaque S. Trudonis monaſterium, prid. Nonas Martias anno milleſimo centeſimo duodequadrageſimo vitam felici morte mutauit.

Die octauo

HENRICVS DE MARILIS
prior Villarij. *Gesta virorum illustrium Villarij.*

CONtempta generis claritudine, Villarij euangelicam humilitatem amplexus vt meliorem a Deo nobilitatem consequeretur, suauissimum præ se tulit animi candorem, miramque humilitatem. Quibus sodalium animos cum arctissime sibi conciliasset, creditus est imperio peridoneus. Prior igitur creatus commissum ita munus obijt, vt de nimia indulgentia mallet argui, quam de iustitię rigore: nam amore subditos ad rectum facilius duci, quam irritatos metu vel odio a turpitudine deterreri credebat. Eius animi puritatem amauit Deus, quantique ipse faceret, significauit alteri monacho proposita specie facis mirabili splendore rutilantis. Labore, vigilantia, alijsque præclare gestis quãplurimis gloriosus diem obijt, actis in ascetica disciplina annis quinquaginta.

Die decimo

S. ANSBALDVS
abbas S. Huberti & Prum. *Brovverus in hist. Treuir. anno* 887. *& quæ ex Hubertensibus commentarijs ad me misit R. D. Romualdus Hancart ibidem monachus de voluntate adm. R. D. Nicolai de Fanson abbatis.*

SAncto Egilone abbatis dignitatem abdicante Prumiæ simul & Andaini anno Christianæ salutis octingentesimo vndesexagesimo, vtramque prouinciam excipere iussus est Ansbaldus. Multa hic virtute generis suis nobilitatem illustrarat. E Luxemburgensibus enim comitibus esse procreatum, Prumienses prodiderunt. Sed docte Hancartius aduertit dicendum esse potius e Guerrij toparchis descendisse; in quos genus referebat Sigifridus Luxemburgi primus comes, toto sæculo posterior Ansbaldo.

Diu jam illustri asceticæ disciplinæ gloria vtramque familiam administrarat religiosus abbas, quando tristi populatione Germaniam inferiorem vastantes Normanni anno octogesimo primo, ipso die Epiphaniæ Prumiam ingressi, solidumque commorati triduum, & adjacentem longe lateque regionem populati, ipsum postremo monasterium flammis in fauillas redegerunt.

At qui ne quidem in ira sua continet suas misericordias, grauiter afflictum tanta hac calamitate Ansbaldum eodem hoc anno consolatus est. Viuebat in Picardia Nithardus quidam, vir opibus, sed virtute præstantior: qui amplissimarum facultatum herede destitutus, sua bonorum omnium largitori reddere constituerat. Eum igitur multis precibus rogat, vt cuicumque loco ipsi dicato placeret suas fortunas attribui, significare ipse dignaretur. Confectas itaque donationis tabulas sagittæ in incertum mittendæ colligat: excussamque arcu sagittam Diuinæ prouidentię committit eo consilio, vt vniuersæ hereditatis possessionem is locus adipisceretur, ad quem emissa sagitta deferretur. Res sane mira! Vno pæne momento contortum telum ab vrbe Guisiana milliaribus plus sexaginta, S. Ansbaldo Prumiæ sacris operante, in ipsam aram decidit. Tanti prodigij testis superest in Prumiensi tabulario donationis schedula: ipsa vero sagitta in sacrario religiose asseruatur.

Postquam annos viginti sex Hubertenses cum Prumiensibus rexisset, senio omnique virtute venerabilis obijt Ansbaldus anno octogesimo septimo & ab ecclesia cælitum honores consecutus est.

Die

Digitized by Google

Die vndecimo
ERMEDIS PRATANA
abbatissa prima Roberti montis. *Archia monasterij.*

WErici Pratani filia fuit, (quæ gens illis temporibus Leodij prænobilis erat) & sub annum millesimum centesimum octogesimum in Roberti monte viuebat egregia morum innocentia. Cœperat enim ibidem ante annos centum sexaginta ornatissimum omnis religionis domicilium, certis nullis cujusquam instituti monastici legibus. Quod cum viseret aliquando S. Bernardus Clarevallensis, afflatu Diuino prædixerat futurum, vt Cisterciensibus olim legibus illic viueretur. Ex eo injecta fuit animis illarum virginum cupiditas ad monasticen assurgendi.

Ergo cum plures e Pratanorum genere virgines jam inde a primo familię illius exordio in ea vixissent, & nunc etiam Ermedis cum altera viueret, religiosæ disciplinæ in paucis amans; earum parentes ad episcopum Leodiensem adierunt: atque cum vt generis claritate, ita & in Leodiensi republica autoritate & opibus florerent, non ægre principem impulerunt, vt pijs illarum votis annueret. Cisterciensem ergo viuendi normam induxit: ipsoque autore & sodalium omnium suffragijs antistita prima designata est Ermedis; quæ nimirum (vt ego quidem arbitror) jam ante ceteris præfecta, insigni virtutum ornamento præstans, eo se munere dignam probauerat. Regula Cisterciensis in Roberti monte recipitur.

Sacro illi cœtui religionem acuerunt sanctiores leges additaque dignitas. Et cum plures quotidie (duodenis initio haudquaquam plures erant) huic sodalitio flagitarent inscribi, habitationis angustias laxare constituit Ermedis; eoque consilio migrauit in proximam siluam, quam dono dederat Virdunensis episcopus nomine Robertus; a quo totus mons nomen retinet: ad eam enim ecclesiam illo tempore spectabat omnis ager Iupiliensis. Prius domicilium fuit, vbi hodie Leodium versus relicta videtur agro medio ædicula S. Stephano dicata.

Locum nouo monasterio diuinitus fuisse designatum existimarunt. De illo quippe deligendo cum variæ essent sententiæ, in altum Ermedis suarum clauium projecit manipulum, Deum precata, vt in illum deferret locum, in quo futuri templi principem aram collocari vellet. Obstupuerunt vniuersæ trans altissimas quercus eo delatas esse claues, quo humanæ vires numquam propellere potuissent. Ibi hodie primam aram stare aiunt. Diuinitus monasterio locus designatur,

Alio prodigio pias Ermedis molitiones probasse Deus fertur. Aquę penuria locus ille laborabat. Fusis ad Deum ante precibus dum in nemore scaturiginem aliquam sanctimoniales perquirunt, ecce lupum vident e conspectu celeri fuga se proripientem. Sequentes hæ studio videndi quid reliquisset ille, limpidum fontem inuenerunt: Lupi foueam in hoc tempus appellant. & fons ostenditur.

His Dei beneficijs excitata Ermedis, postquam annis viginti magna laude pręfuisset, relictis posteritati pręclaris omnium virtutum exemplis V. Idus Martias anni millesimi ducentesimi quarti vita decessit. Manet in hunc diem religiosissima familia; quam quæ hactenus rexerunt, & quo successerunt ordine, hic dare visum est.

ABBATISSÆ ROBERTI MONTIS.

1. ERMEDI abbatissæ I. de qua jam diximus successit—
2. BEATRIX PATRANA Ermedi consanguinea. Obijt 1220. Eius meminerimus suo loco.
3. CATHARINA LEXHIA a nobis alias laudabitur. Quinto eius anno cum monasterium conflagrasset, cum omnibus sodalibus migrauit in Vallem benedictam. Vbi eius auspicijs surrexit aliud insigne monasterium; quod in hunc diem magna Dei gloria, & secunda Cisterciensis ordinis fama floret.

Sub annum 1240. Roberti montem restaurarunt canonici quidam S. Lamberti, & ab abbate Cisterciensi obtinuerunt, vt ab eiusdem instituti virginibus denuo incoleretur. Factum est anno 1243. creata abbatissa

Digitized by

4. SYBILLA; quæ quando obierit non proditur: viuebat 1248.
5. BEATRIX II. viuebat 1251.
6. CATHARINA MARCANA viuebat anno 1260. & 1271.
7. AGNES viuebat 1271. & 1282.
8. BEATRIX III. viuebat 1284. humilitate Christiana & insigni humanitate commendatur.
9. IOANNA.
10. ELISENNA viuebat 1288. & 1297.
11. IVETTA viuebat 1299. & 1301.
12. BEATRIX IV. viuebat 1302. & 1312.
13. ELISABETHA SVRLET regebat 1326.
14. IACOBA regebat 1336. & 1338.
15. ODA DE HODEIGE viuebat 1340. & 1348.
16. IDA DE IVSSERI prȩerat 1352. & 1354.
17. CATHARINA DE LIXHE viuebat 1366. obijt 1391.
18. IDA DE S. SERVAIS obijt 1393.
19. IOANNA D'AWILHONPVS præerat 1394. & 1405.
20. IDA.
21. ELISENNA DE CRONWEZ præerat 1425. obijt 1440.
22. ELISENNA DE LONCHIN præerat 1451.
23. HELWIDIS DE NIVELLE præerat 1460. & 1467. Hęc nonnihil labantem religiosam disciplinam primęuo nitori restituit.
24. BEATRIX D'ARGENTEAL.
25. CATHARINA D'ARBAX prȩerat 1479.
26. MARIA DE DINANT præerat 1483. & 1491.
27. IDA.
28. PETRONILLA DE S. GENOIS præerat 1494. obijt 1506.
29. MARGARETA D'ORBEECK obijt 1543.
30. MARIA HELLEM abdicauit 1566. obijt 1579. Humilitate & caritate claruit.
31. ALEIDIS D'EMAL laudabiliter præfuit, templique ac domus sarta tecta instaurauit. Obijt 1605.
32. MARIA GRIMONT difficillimis temporibus magna animi fortitudine prudentiaque rexit, auxitque tam domum ædificijs quam templum ornamentis. Obijt 1641.
33. Successit R.D. MARIA WOET, hodieque regit & religiosæ disciplinæ splendorem constanter procurat.

Die duodecimo

VEN. DIONYSIVS RICHELIVS

Cartusianus. *Theodoricus Loër*, *Petrus Dorlandus*, *Theodorus Petræus*, *Bibliotheca Cartusiana.*

CAPVT I.

Dionysij patria, indoles, studia.

DIonysio litterę, virtus, sanctitasque non vulgaris toto orbe nomen fecerunt. Richeliæ pago Leodiensi non procul Trudonopoli natus est; a quo Richelium plerique dixerunt: de Lewis ab alijs dicitur, nomine majorum, quos admodum honestos habuisse proditum est. Sed a vitæ instituto Cartusianum frequentius nuncupant. *Sap. 8.19.* *Puer sortitus est animam bonam*, virtutis, doctrinæque percupidam. *Puer litteras amat,* Iam tum a teneris vnguiculis litteras sic amauit, vt libentius nusquam, quam in ludo litterario versaretur. Acciditque nonnumquam vt lunę splendore delusus, auroram crederet, & intempesta nocte se strato proriperet, scholam petiturus, nisi domus fores necdum reseratas inuenisset. Huic discendi desiderio insignem ingenij felicitatem Deus addiderat, & memoriam sane admirabilem, qua quidquid legeret Dionysius, non ægre complecteretur. Quibus prȩsidijs inter sodales facile primas obtinuit.

& virtutem. Nihilo lentius fuit virtutis consequendæ studium. Cui contrarias esse mundi leges vt primum intelligere per ætatem licuit, ipsi mundo nuntium remittere constituit. Cartusiæ secessus ac solitudo placebat. Sed eius legibus ante annum ætatis vigesimum occlusam sibi portam tum Zeelemi in monte S. Ioannis Baptistæ proxime Diestemium, tum

tum Ruremundæ accepit, non sine magno animi sui dolore. Optato quippe sacræ monastices amplexu non tantum arceri se, verum & impurarum voluptatum illecebris lubrica illa sua ætate obijci sentiebat.

Quod ergo fuit optimum, dum ætate maturesceret, altioribus disciplinis operam daturus, Coloniam Agrippinam petijt, nobilem jam tum academiam: nam Louanij alias proximi nulla fuit ante annum a Christo nato millesimum quadringentesimum vicesimum quintum, quo sapientiæ illic sedes constituta fuit: Dionysius vero sub annum tertium & vicesimum Coloniam reliquit. Ceterum pro illo animi sui ardore, acieque ingenij indefessam vtilemque posuit operam, & secuturis commentationibus firmum veluti fundamentum. Coloniæ studet.

CAPVT II.

Ruremundæ Cartusiam ingressus, omnem honesti rationem strenue persequitur.

ALtius sancto iuueni consilium erat, quam vt nuda rerum cognitione mentem pasceret. Ad litteras animum applicauerat, non eo tantum fine, vt otio vitato honeste iuuentutem exerceret; sed vt ijs maxime artibus institueretur, quibus in destinato vitæ genere se, plurimosque secum alios ad virtutum altissima proueheret. Vt primum ergo per ætatem licuit, relicta Colonia Ruremundam redijt; petitionemque suam candidatus sic vrsit, vt quod in votis erat, breui obtinuerit. ANN. 1423. Cartusiam ingressus

Sed quam acriter ambierat, tam etiam studiose monasticen excolere cœpit, vt & ab ea proprijs virtutibus in vicem excoleretur. Omne rerum terrenarum desiderium in primis sedauit, quo purius inanem animum cælestibus imbueret. Sui contemptor egregius, ad vilissima quæque se demittebat, quę non secus ac delicias complectebatur; ad ea deprimi ab alijs, in illis haberi cupiebat, ac retineri pro merito suo: ita quidem ipse sentiebat. Et si quo facinore laudem aliquam promeritus videri posset; vel ignorari a mortalibus, vel certe sileri optabat, vnius illius oculis, & judicio contentus, cui sua omnia dedicarat; & *qui in altis habitat, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.* Si quando peccasset, ipse se acriter accusabat, seu publice, seu priuatim, vt res poscebat. se fortiter vincit Ps. 112. 5. & 137. 6.

Ciborum appetitionem adeo frenasse prodiderunt, vt admirari potius fas fuerit, quam imitari. Leue id habebatur, quod non raro precationis, vel litterarum studio, ad plures subinde horas corporis refectionem reijceret. Eam de se victoriam retulerat, vt sensuum vis omnis obstupuisse, aut etiam emortua videretur. Cibos corruptione vitiatos, aut immunda animalculorum corrosione fę latos, qui alijs vel odore, vel aspectu solo nauseam prouocassent, etiam cum animi voluptate sumebat.

Silentij, solitudinisque amantissimus, omnem cum mortalibus sermocinationem non necessariam magno studio fugiebat, vt secum habitans expeditiorem in Diuina animum efferret. Hęc prima, assiduaque ei cura fuit: hę suauissimæ deliciæ. Meliorem sæpe diei partem, sępe & noctis precationi tribuebat. Monasticis sanctionibus non contentus, post decantatas preces nocturnas, ad quietem raro se referebat: Deo sæpe solidam noctem dabat: supra quotidianæ precationis pensum, omni ferme die vniuersum Dauidis psalterium recitabat. Sic anhelantem ad cælestia Dionysium Diuina pietas minime deseruit. Terrenarum rerum contagione abstractum, in sacrosancta Diuinorum adyta sic admittere cœpit, vt nonnumquam puriore cælestium commentatione mens abrepta, stupidum ad multas horas, & immobile corpus deseruisse videretur. & orationi totum dat.

CAPVT III.

Rei domesticæ procuratorem agit: sed magis Diuinæ. Ad Christum adducit Iudæum. Multis auxilio est.

SAnctum illum animi sui statum Dionysius quamquam pro summa, qua præditum fuisse diximus, modestia summopere hominibus occulere studeret, erumpebant tamen,

Digitized by Google

men, vt fere fit, splendidissimi virtutum radij, & in hominum, sed maxime sodalium oculos incurrebant. Rei ergo familiaris procurationem ei crediderunt, quod sine monasticæ asceseos periculo aliquo ad laicorum familiaritatem rediturum arbitrarentur. Suauem ille cum Deo, librisque suis consuetudinem præferebat: qui tamen ex aliorum imperio, aut nutu, non arbitrio suo vitam agere constituerat, imposito muneri ceruices lubens subjecit. Sed tacito quodam Numinis instinctu magis ad procurandam Diuini honoris amplificationem referebatur. Iudæum nactus paternorum sacrorum (quod fere gentis illius vitium est) pertinacem, ita validis ratiocinationibus conuicit, vt volentem, lætumque ad Christiani baptismatis aquas adduxerit. Ille in magistri, imo parentis sui memoriam, Dionysius Dionysij deinceps appellari voluit.

Celebrari incipit.

Generosum illum animum, & ad majora factum intellexerunt omnes indignum esse diutius retineri rerum vilium, ac caducarũ procuratione. Illa igitur ipsum expediri placuit, vt ijs se totum redderet, ad quæ majore totius ecclesiæ bono Deus vocabat. Eam quippe non virtutis modo, verũ & eruditionis famam longe, lateq; diffuderat, vt quamquam ingenti solitudinis, consuetudinisque Diuinæ studio teneretur, mortalium frequentiam nullo modo vitare posset. Rudes & imperiti rerum ad salutem necessariarum expositionem, mœsti solatium, dubij consilium, & lucem, animo fracti robur, ignaui calcar, generosi nouum ardorem, alij quicumque omnem, quæ magis e re singulorum esset, opem quærebant ab vno Dionysio, & magna sua voluptate referebant. Quos locorum distantia congressu arcebat, datis litteris eum consulebant; & respondebat ille singulari caritate. In his fuere Principes, ipsique adeo Pontifices. Eam porro fidem, modestiam, humanitatem exhibebat, vt eius consuetudine nemo non caperetur, aut ad eam lubens non rediret. Quo fiebat, vt bonas horas non paucas vel ijs, qui aduentabant, audiendis, docendisque; vel scribendis epistolis absumeret.

CAPVT IV.

A pontificio legato in comitem adscitus, vtilem dat operam. Diabolica tyrannide feminam expedit.

Legatum comitatus

Amica quiete multo magis abstraxit Nicolaus cardinalis Cusanus, qui pro pontifice per Germaniam legatus Cartusia Dionysium euocauit: nec a latere suo facile passus est longius abire. Non enim tanto munere sperabat se rite defuncturum, nisi illius iuuaretur consilijs, cujus eximiam virtutem, reconditamque doctrinam secunda late fama celebraret. Oblatam de ecclesia bene merendi occasionem lætus arripuit vir sanctus: legatique nixus autoritate asceteria nonnulla lustrauit, & priscæ disciplinæ corruptelas sustulit insigni integritate. Huic suo proposito consentanee scripsit, ac luci dedit librum de veteris disciplinæ puritate in sacra gynæcea reuocanda.

multa præclare gerit.

Impiam feminam

Inter hæc opimam dæmoni prędam eripuisse fertur. Femina fuit Gebula nomine, vitæ fœditate turpissima. Quid enim flagitiosius, quam pudicitiam impuro illi genio substernere; eique post ejuratum Deum impio jurejurando clientelam profiteri? Quod vt fixum magis ratumque haberet, inflicto sibi vulnere sanguinem eduxit, eoque schedulam perscripsit sceleratæ illius conuentionis testem, & dæmoni tradidit. Fidem vix obtinebit, quod de perdita illa muliere proditum est. Quo longius illam dæmon a voluendis animo de salute cogitationibus abduceret, mirabilibus pręstigijs, vanisque oblectationibus illudere, ac in cassibus suis detinere aggressus est. Si quæ militares ad speciem decursiones in exteris regionibus celebrarentur, illuc eam transferebat, in Africam vsque aliquando, atque adeo in Asiam: in arenam inducebat, ex equo, vel peditem (vt certaminis leges ferebant) hasta vel quocumque armorum genere cum viris congressuram; sed ad speciem nobili semper, & certa victoria.

miris a dæmone pręstigijs illusam

Illusam diu hisce fraudibus infelicem mulierem perire Diuina bonitas passa non est. Suaui eius prouidentia deducente, mulieri Dionysius occurrit: & tanta prudentia, caritate, ardoreque animi illam in omnem partem versauit; vt periculum ipsa suum, tum & impietatem intelligentia primum tangere, post odisse ac detestari cœperit; deinde optarit illis expediri. Neque peccatorum turpitudo, aut contractæ cum dæmone consuetudinis fœditas, aut fides sanguineo chirographo obstricta, deijcere potuerunt illa spe, ad quam animo concipiendam Dionysius illam erexerat.

Igitur

Digitized by Google

Igitur acerrimo dolore conflictatam, salutaribusque eximiæ pænitudinis lacrymis quodammodo colliquescentem adducit ad legatum. Vbi postquam omnem prȩteritæ vitȩ turpitudinem confessa fuisset; omni fæderi cum dȩmone icto primum renuntiauit: tum in pristinam Dei clientelam rescribi postulauit. Eximium hoc Dei fuit beneficium, prostitutam tantæ fœditati feminam tam facile in gratiam recipi. Iusto nihilominus Dei iudicio dȩmon illam infestare perseuerauit, has saltem pȩnas pro tantis criminibus daturam. Minis modo, modo varijs illecebris ad consueta flagitia reuocare, aut saltem a suscepto vitæ instituto, pijsque exercitationibus ad ludicra distrahere contendebat. ad meliora reducit;

Extortam Tartaro prædam, Deo rursum eripi cauit Dionysius. Qua vindicauerat in libertatem arte, eadem ne in seruitutem denuo abstraheretur, sedulo laborauit. Diuini iudicij terrorem, fœditatem simul & crudelitatem diabolicæ tyrannidis; felicitatem, dignitatemque adoptionis filiorum Dei, in quam recepta jam tum singulari Numinis beneficio conquiescebat, inculcare non desinebat: & quamdiu quidem apud legatum pontificium mansit, quoties per negotia liceret, ad eam non raro adibat, frendente nequicquam dæmone, & (cum aliud non posset) apud feminam ipsum irridente. Non enim semel, cum Dionysius veniret, ad Gebulam ille: *En tuus iterum ad te balbus, & vini potator.* Exile conuicium, imo integritatis argumentum illud erat, cum aliud nihil exprobraret, quam naturæ vitium ac stomachi infirmitatem longo senio grauibusque laboribus procreatam; cujus causa consilium apostoli secutus, modico vino vtebatur. nec iterum abduci patitur.

CAPVT V.

Angeli collocutione doctus, pacem facit inter Gueldriæ Duces patrem & filium.

VBi functus legatione cardinalis ad pontificem redijt, redijt & ad se Dionysius; non ita tamen vt operam publico nauare desineret. Acre, imo impium exarserat bellum inter Arnoldum Gueldriȩ ducem, & Adolfum filium. Hic parentis diuturnum imperium, & vitam cum ægre ferret, per factiones, quosdam e popularibus in arma traxit, & patri bellum palam fecit.

De euentu sollicitus pater, Dionysium per certum hominem rogat, e cælo quȩreret, quis bello finis: imo potius patri victoriam obtineret. Ea quippe de hominis virtute jam erat opinio, vt magnam illi cum cælitibus intercedere familiaritatem nemo dubitaret. At commissurum se vmquam hic negauit, vt quod inferi nefarium bellum excitarant, suis ipse precibus sustinere videretur. Proximam nihilominus noctem solidam precationibus traduxit, non ex ducis Arnoldi sententia, votoque; sed ex sincero Diuini honoris studio, Christianaque in rempublicam caritate. Rogabat nimirum, auerteret Deus imminentem Gueldriæ calamitatem, populationes, incendia, cȩdes: ne filij sanguine pater, aut paterno filius pollueretur. Oranti cælestis genius adfuit: monuitque, nisi pacem principes admitterent; & cum clero populus seria pȩnitudine corruptos mores dilueret, corrigeretque; fore vt grauis in vniuersam gentem Numinis vindicta incumberet. Orat pro republic, clademque nunciat, nisi praui mores corrigantur.

Non tacuit, quæ acceperat Dionysius. Litteras dedit gemino exemplo; ad patrem alteras alteras ad filium: Deique seueritatem aduersus pertinaces animos concitandam nuntiauit, si impio bello naturæ iura violare pergerent. Viribus interim & causa melior Arnoldus filium Venlonam compulerat, & obsidione clausum tenebat, quando acceptis a Dionysio litteris, pacem dedit, quam diu finitimi principes non pauci frustra tentarant. Magna fuit tota Gueldria omnium exultatio. Magnæ item admirationi fuit Dionysij sanctitas, cui tantum & principes viri tribuerent, & arcana sua superi aperirent.

Sed male cessit ijs, qui neglectis sancti viri monitionibus, in corruptorum morum emendationem non incubuerunt. Pax, inquam, fuit; sed infida. Non multo post a filio pater in vincula conjectus, & aliquot annos indignissima quæque sustinere coactus; libertatem, & principatum vix tandem recuperauit, quæ morte mox denuo tollerentur. Filius post occupatum impie principatum, breuemque fortunam, vincula patris induere compulsus est. Et vix post aliquot annos exuerat, quando dimicans occubuit. Ipsa Gueldria post varias clades, in alienam denique dominationem concessit. Eæ sunt pȩnæ mentium Dei comminationibus obsurdescentium. Ita euenit.

CAPVT

Digitized by

CAPVT VI.

Sancta libertate Episcopum arguit. Quod cum frustra fuisset, æternis damnatum supplicijs videt.

ALiud nihilo ignobilius exemplum profero. Ruremundam aliquando venit Ioannes Heinsbergius episcopus Leodiensis, vir principatui, quam ecclesiæ magis idoneus; & republica regenda, quam cupiditatibus edomandis melior. Causa fuere ludi celebres & militaris ad speciem decursio, ad quam e finitimis primam omnem nobilitatem inuitarat. Paucis ante diebus apparatum plane regium procurabat. Animum exspectatione suspensum tantisper laxaturus, ad Cartusiam diuertit; conuenitque Dionysium. Apud quem post varia, non erubuit multis extollere, quibus sumtibus equestres illos ludos apparasset.

Episcopi vanitatem

Ingemuit Dionysius auditis. Et: Vt hæc inquit a principe non sint aliena; te episcopum sane dedecent. Quid? Christi rem, & patrimonium in ludicros hos vsus tu profundas? Ad hęc Heinsbergius: Episcopũ me scio: scio sacros canones, quibus pręsuli profana hæc spectacula interdicuntur. At eumdem me negare non potes principem esse, ducem, marchionem, comitem; cui tractare militaria decorum sit. Cui Dionysius: Non eo tibi principatus dignitatem, gladium, opes ecclesia contulit, vt luxu diffluere, turgeres fastu, ecclesiæ vectigalia prodigeres: verum vt incusso malis terrore, Christi ecclesięque sacrosanctas leges fortius tuereris. Tuum itaque pastoris munus est Dominici gregis curam agere, oues tibi commissas Dei verbo pascere, aberrantes reducere, reluctantes ad ouile compellere, impeditas diaboli laqueis expedire, sanctioris vitæ exemplo rectam viam signare: atque vt paucis multa complectar, creditum tibi gregem non in interitum agere præcipitem, sed incolumem in cælum inducere. Christi quippe ipsius vicarius es, & animarum pastor; non mercenarius. Quæ cum insigni vigilantia, indefessoque studio perfeceris, inutilem te seruum ex Christi sententia dicere memento. Quod si de singularum ouium salute seuere rationem exiget ęternus paterfamilias; quomodo de ludis, & militaribus spectaculis cogitare audes? Supremo illi judici pro grege tuo quid respondebis, quem ejusmodi inanijs certum in exitium trahis? Qua fronte Christo pro tribunali adstabis, cujus oues proprij sanguinis pretio redemtas, in æternam inferorum abstrahis seruitutem? Gregem tuum misere perdis, cujus lacte, & lana in delicijs vitam agitas. Ecclesiæ bona, quæ pauperibus alendis, & Diuino cultui curando debes, in Christi opprobrium, ecclesiæ dispendium, animarum ruinam pro tua libidine profundis. Si tuę salutis te cura non tangit; tuorum saltem te misereat. Vide tu solus, & pretio minori, nec alieno pereas.

fortiter arguit:

Dionysium ista libere, fortiterque dicentem sui non satis compos, & propositi pertinax episcopus reliquit. Non siluit vir sanctus. Rogaui te, inquit, in animarũ tibi commissarum gratiam, noxijs hisce spectaculis te abstineres: & audire contemnis. Non contemnet alius, & potentior te princeps; cui subijci te quantumuis reluctantem oportet. Hic me exaudiet. Insipientiam tuam hic etiam te inuito retundet. His dictis abijt ad Deum suum Dionysius; a quo breui precum suarum ardore obtinuit, quod ab homine mortali non potuerat. Ad hospitium episcopus necdum redierat, quando podagrę doloribus vehementissimis corripitur: atque adeo torqueri cœpit, vt rejecta omni de spectaculis cogitatione, totus ad leniendos dolores conuerteretur.

precibus impedit.

Sed vide obstinatam in malum hominis mentem. Vt primum summa morbi vis se remisit, & ingrediendi facultatem reddidit; ad Cartusiam redijt episcopus, non religiosa confessione noxam expiaturus, aut deprecatorem apud Deum quæsiturus: nam acri oratione Dionysium corripuit autorem, & causam grauissimorum dolorum, quos sustinuerat, item & jacturæ tot sumtuum, quam nullo fructu, at non sine dedecore, & infamia se fecisse querebatur. Dionysium constantiæ suæ gradu minime dejecit illa episcopi indignatio; vt qui gauderet, *quod dignus habitus esset pro nomine IESV* vel ab episcopo *contumeliam pati*.

Act. 5. 41.

Faxit Deus plures hodie viuant Dionysij; quorum libertatem Christianam, virorum in vtroque ordine principum honores, potentia, dignitas non infringant. Euentus saltem in-

Digitized by Google

inspicite, si salutaria monentes non auditis, o quicumque gradu alios antecellitis. Ad episcopum hunc animos aduertite.

Aliquanto post tempore quam humanis excessisset, festo S. Catharinæ post mediam noctem pro eius salute Dionysius in preces incubuerat; ecce illum adduci in conspectum videt. Immanis ac giganteæ molis dæmones bini igneo clausum velut ergastulo tenebant; & ad Dionysium conuersi: En, inquiunt, pro quo Deum oras, dominum & episcopum tuum. Territus spectaculo vir sanctus, dum attentius objectum spectrum intuetur, circa ventrem, & genitalia serpentes innumeros, bufonesque videt conglomeratos, & miserum hominem crudelem in modum corrodentes. Cohorruit aspectu Dionysius, Deique judicis æquitatem intellexit, qui episcopum multa libidine infamem meritis supplicijs castigaret: eaque fore ęterna non dubitauit, quandoquidem nullam opem implorasset. Mox ęthiopes illi duo magna feritate abreptum oculis subduxerunt. Horrendam vide Lector catastrophen: breui labuntur, quæ seuerissimis supplicijs castigat æternitas. Vide Deum punientem, & time.

CAPVT VII.

Multos vita functos tormentis leuat.

AD animas corporibus solutas sermone dilabor: nec pedem refero. Cur enim taceam, quod & illis solatio possit esse, & ad commendandam Dionysij virtutem non parum faciat? Sępissime videndas illi se stiterunt, & cruciatibus suis leuamentum ab eius precibus flagitarunt. Audi quanti referat susceptas pro illis preces non negligere, aut differre.

Monasticæ tirocinium in Cartusia Ruremundana ponebat iuuenis quidam Dionysij popularis, non procul Trudonopoli natus. Ad extrema morbo deductus erat, quando illi Dionysius appromisit in eius gratiam secundo se perlecturum vniuersos regij vatis psalmos; quos ipse, si quidem in viuis diutius mansisset, e Cartusiæ legibus recitare tenebatur. Vita juuenis excesserat; Dionysium tanta negotiorum varietas, & propositę diuersis quęstiones interpellarunt, quibus ex tempore faciendum satis fuit, vt fidem suam liberare distulerit. Torquebatur interea juuenis: promissa subsidia repetiturus, ad Dionysium venit: & nimiæ tarditatis accusatum, acriter obiurgauit. Iustam sibi esse in promptu excusationem antea ratus ille, ad acerbam illam correptionem obmutuit, vt contra ne hiscere quidem auderet: ac promissione statim se exsoluit; decreuitque, nulla deinceps mora opem vita defunctis impendendam se dilaturum: atque vt ne alij differrent, semper autor fuit. Quam enim ab humanitate hoc alienum est, vt negligentia nostra relinquantur in tormentis, qui leui nostro conatu in ęternam felicitatem educi possunt?

Sane alias a precibus nocturnis ad conclaue suum reuersus; ecce eo medio hominem videt acerrimis flammis ardentem. Obstupefactus, quis esset, quærit; quidve peteret. Ego sum, inquit, tuus ille sodalis vestris donatis, dum vixi, adscriptus, quem vita nuper eductum ęquissimus judex Deus magnis addixit cruciatibus, donec cælesti gloria dignus inueniar. Et ingenti huic calamitati meę quam negligenter fratres mei subueniunt! Non modo sponte sua, & pietatis ductu ad aliquod malorum meorum leuamentum nihil conferunt; sed monasticis etiam constitutionibus imperatas preces legitima nulla ratione differunt. Atqui nisi damnata vecordia pensum exsoluere maturent, supra noxas, alias, hanc prætere a, ignauiam expiare compellentur. Suum hunc comminationi pondus fuit. Audito Dionysio debitum omnes (vt par erat) quam citissime pependerunt.

In eadem familia tironem agebat sacerdos quidam: cui nullam quietem relinqui. Ipsumque adeo somnum abrumpi ab aliquo genio, cum Dionysius accepisset: Tironi dicite, inquit, ad me genium illum, vbi venerit, ableget. Vt dictum erat, sic tiro effectum dedit. Et reuera tironi genius paruit. Quem ad se venientem Dionysius eo precum suarum excepit ardore, vt neque Dionysio deinceps, neque tironi visus ille, vel molestus fuerit. Pie crediderunt culpis suis leuatum ad cæli beatitudinem euolasse. Multum potest apud defunctos, & pro illis Dionysius.

Vixit sub eadem tempora vir multa virtute prædictus: Magistrum Ioannem Louaniensem appellarunt. Vitam agebat insigni temperantia, castitate, religione, iustitia, amore publici boni, quod suo studiose anteferebat. Verum has laudes obscurare putabatur

Digitized by Google

batur beneficiorum ecclesiasticorum multitudine, quæ possidebat. Eorum tamen fructus religiose admodum, & ad insignem Diuini nominis amplificationem expendebat. Nam Ruremundę Canonicis Regularibus cœnobium condidit, & justis instruxit vectigalibus; Coloniæque, ac Dauentriç Collegia ijs, qui se fratres bonæ voluntatis nuncupabant. Ægre nihilominus æternum effugisse interitum existimarunt. Annis sane pluribus grauia post mortem tormenta sustinuisse certum est. Cum enim in Cartusia Ruremundę sepultus fuisset, diem mortis anniuersarium ibidem in perpetuum celebrari institutum est. Primo igitur anno vertente, dum id officij persolueretur, jamque concineretur Zacharię carmen: vidit oculis suis Dionysius super Ioannis sepulcrum flammas in eum modum conglobatas, qui feretri speciem referret; sed fumi obscuritate, fœtoreque sulphuris horrendas. Grauiter Dionysium affecit triste hoc spectaculum, ac maxime de eius salute incertitudo, quem viuentem multarum virtutum fama celebrarat. Altero die anniuersariò idem se visum Dionysio obtulit, sed flamma nonnihil clariore, & minus acri. Post tertium denique annum cum idem dies recurreret, supra se raptus in Diuina Dionysius, arcana Dei iudicia didicit & alta mentis demissione veneratus, silentio occuluit pro sua prudentia, nisi quæ cognosceret accelerare posse defuncti hominis salutem. Quare datis quamprimum litteris ad quemdam, cui Ioannis testamentum procurare demandatum erat, serio monuit, vt rejecta omni mora, quod posset, demortuo dolorum leuamentum adferret.

Timendum Dei judicium.

Incessit aliquando Dionysium cupido cognoscendi quomodo se haberet pater postquam vita decesserat: idque forte ex Deo admodum studiose quærebat, quando vocem hanc ad se delapsam accepit: De parentis tui anima cognoscendi quo tu desiderio torqueris? Pium esse ignoras, pro mortuorum salute preces fundere? Ne dubita ergo: quidquid in tua positum est potestate, caue omittas. Nam si in tormentis est pater, sed in via ad salutem; tuis precibus magno eris illi solatio: sin autem; in vtilitatem tuam tua conuertetur pietas. Responsi hujus diuinitus accepti ea vis fuit, vt in orandi studio perseuerauerit Dionysius, non instigante jam cupiditate arcana Numinis consilia perscrutandi, sed opis alicujus patri ferendæ desiderio. Quadam ergo nocte leui depressus somno, parentem suum inter infelices duos genios Æthiope nigriores medium vidit, magnaque vocis contentione clamantem audiuit: Carissime fili, miserere mei parentis tui; mihique tuis precibus subueni. Vix illa dixerat; magna vi abstractum dęmones in caminum ardentem injiciunt ferreisque virgis cædunt. Quæ licet in somnis vidisset Dionysius, somniaque suspectæ fidei semper arbitraretur, hæç tamen in dubium reuocare numquam in mentem venit. Quapropter non prius pro patre destitit orare, quam ille miser esse desijt.

Patrem cælo asserit.

Alia huiusmodi multa præterire se, vitæ scriptor professus est, ne cui fastidium multitudine crearet. Ipse certe Dionysius, cum e sodalibus aliquis quęreret, num hominum vita functorum animę illi sępe se videndas sisterent: Sæpissime, respondit: plus centies, iterumque centies. Quid ab illo subsidij perceperint, nouit ille, qui hoc ad eum miseris perfugium pro sua pietate indulgebat.

CAPVT VIII.

Humanis animo sæpe in Diuina abripitur.

Altius orationem attollamus: & qua fas est, Dionysium in Diuina ipsa se penetrantem sequamur. Ea quippe mentis cælestia contemplantis puritas, & a rerum terrenarum contagione sejunctio fuit, vt corpus ipsum, quamquam nexu a natura tam valido constrictum animus in pręcipuo orationis æstu quodammodo deserere nonnumquam videretur. Tantam enim illi Deus lucem affundebat, vt minimarum rerum aspectu sæpe totus in illarum autorem Deum abriperetur; quem scilicet vnum præconditis vniuersis omni dignum amore, atque adeo his majorem intelligebat. Idem alias eueniebat, cum in templo sacra carmina inchoarentur *Veni Creator Spiritus*. *Suscepimus Deus misericordiam tuam*: atque id genus alia. Nonnumquam in turbis, & hominum frequentia, si quod de Deo verbum inferretur, ad illum animo mox abibat, stupente ac immobili corpore inter homines relicto. Musici concentus suauitate ad cælestium deliciarum desiderium sæpenumero sic erigebatur, vt nullus esset inferiorum sensus.

Psalm. 47. 10.

Siluæ

Siluæ-Ducis principem ædem ingressus aliquando sub rem Diuinam, organorum concentum vt primum audijt, oculi fixo intuitu hærere, vultus colore mutari, membra sensim obrigescere, mens tota collectis viribus in Deum ire cœpit. Sensit abeuntem abbas S. Martini Coloniæ, talium in eo minime nouus spectator; & in proximum sacellum abstraxit: vbi rigidus, & immobilis Dionysius horas ferme tres perseuerauit. Quod infrequens illi nequaquam erat. Cum sibi denique redderetur, magno suffundebatur pudore, si spectaculo se fuisse mortalibus intelligeret, apud quos latere maluisset, Dei vnius oculis contentus.

CAPVT IX.

Multa diuinitus edocetur, & prædicit.

HVmanis abstractus, quæ de cœlo arcana hauserit, quæ didicerit futura, quo omnem jactantiæ speciem, aut apud homines gloriam amoliretur, summo semper studio, pro sua modestia reticuit, nisi amplificandum Dei honorem speraret. Sed illa etiam tum cautione, vt neque pluribus, neque plura, quam esset ex vsu, aperiret. Anno supra millesimum & quadringentesimum quinquagesimo quarto, cum Occidentem vniuersum de occupata Turcicis armis Constantinopoli tristes nuntij perculissent, Dionysium in primis acri affecerunt dolore. Nam præter acceptum Christiani nominis dedecus, gemina potissimum clade mouebatur; Orientis altera, quę in omnem Græciam Mahometis impietatem victricem inueheret: altera Occidentis; quam admodum funestam in vtrumque ordinem sacrum simul & profanum infamis intulerat peccandi licentia; quam alia denique Bysantinæ calamitati similis ne consequeretur, animo valde anxio formidabat.

Vnicum his malis ad Deum sibi statuebat perfugium, ac solatium sperabat. Inter orandũ post multas preces magno ardore factas a Deo accepit aliquãdo, peccata populi Christiani, sed ecclesiæ præsulum maxime, clerique, ferri nullo modo diutius, aut dissimulari posse. Alterum igitur e duobus vt eueniret, esse necesse: aut expurgata morum corruptela, ad priscum ecclesiasticæ disciplinæ nitorem cum præsulibus suis reuocaretur clerus; aut ab eis indigna pateretur, qui nulla illius autoritate, nullaque reuerentia retinerentur. Intercessit quam suppliciter maxime & ardenter potuit Dionysius suis precibus, vt veniam mitior Deus resipiscentibus indulgeret. Ad hæc Deus: Pro pænitudinis modo, & ego sententiæ meę seueritatem temperabo. Verum ad resipiscentiam quod attinet, hoc habe: eam sanctissime licet promittant fidemque obstringant jurejurando: verba dabunt; nihil efficient. Non despondit animum: precibus, & votis Diuinæ justitię rigorem non tantum emollire contendebat; sed mortales ad pænitentiam, quoties occasio se daret, cohortari vehementer, & proposito imminentis calamitatis terrore a peccandi consuetudine reuocare instituit. Verum quãdo ex vitę instituto rarior est cum quibusuis congressus, litteras ad eos dare placuit, quos ad illum minime venturos constabat. In his fuere plerique principes, præsules, atque adeo Romanus ipse pontifex: quos vt autoritate, sic exemplo ad ceteros permouendos valere plurimum, nemo non intelligit. Boni publici studium in Dionysio nihil infringebat: non hominum in malo peruicacia; non temporis diuturnitas. Quę malorum causa

Octauo post anno, Dominica die, quam passionis appellamus, ad puriorem cęlestium rerum contemplationem animo abreptus, cum totis viribus adlaboraret, vt ad clementiam Deum inflecteret: respondit Deus: Clementię portam mortalibus numquam occludo, si penitẽtię prius ipsi non occluserint. A priore decreto nec latũ vnguem recedam. Quẽ suis ipsi turpitudinibus imposuerint modum, illum & ego seueritati meæ. Quę tibi aperueram justitiæ meæ arcana, & comminationes, omnia mortalibus explicasti: quę rerum ab illo immutatio? Quotusquisque ad meliora se conuertit? Nonne reuera sentis, ac dicere soles, Christiano nomini vniuerso salutarius futurum calamitatibus illis atteri, quæ rempublic. ad saniora referant; quam florenti quidem fortuna gaudere, sed in consueta peccatorum fæditate turpiter volutari, & in dies altius immergi? Non potuit negare Dionysius: At rogo, subjungit, o maxime Deus, Pater optime, da hoc pro immensa tua pietate, vt quam corruptissimorum morum correctionem in ecclesiam tuam inuehere constituisti, id fiat sine Diuinę tuæ Majestatis offensione. Contra Deus:

 Quando

Digitized by Google

DIE 12. Quando ij, in quos incumbit ea corruptelæ emendatio, suas desiderari tamdiu partes nihil pensi habent; non censes justo illius judicio relinqui, cui supremum est in omnes judicium & imperium, vt per eos ad correctionem compelli permittat, quibus alias nulla sit ad illud autoritas? Hæc tum Deus. Cujus minas minime vanas fuisse probauit euentus. Ac primum in Diœcesi hac Leodiensi non diu post respublica grauissimis perturbationibus Ludouico Borbonio principe concussa est, & tantum non vltimum perijt. Paucis post annis Germaniam pæne vniuersam, omnemque adeo Septemtrionem impietate sua Lutherus perdidit.

CAPVT X.

Sanctæ Sophiæ Cartusiam condit & regit. Desperationis periculo feminam educit. Reditum eius Ruremundam mira lux significat.

DIonysius inter hæc in senium vergebat: sed nouo in dies efflorescebat Diuini honoris studio. Didicerat jam pridem diuinitus, atque adeo vaticinatus fuerat, Vuchti ad vrbem Siluam-ducis Cartusiam aliquando condendam. Nata est occasio e calamitate Constantinopoleos a Turcis occupatæ. Incesserat omnes dolor ingens pro inflicta Christiano nomini ignominia. Accendebat eum dolorem vbi res ferret Dionysius ore, calamove. Sanctum ignem conceperunt Ludolfus Waëterus Canonicus, alijque nonnulli ciues Silueducenses: & pro templo, quod olim augusta magnitudine Iustinianus illi æternæ Sapientiæ posuerat, sed Mahometis impietatibus jam Turcę polluerant, aliud hic exstruere adjuncta Cartusia proposuerunt. Sed cum supra vires conatus esset; quod supererat liberaliter erogauit vir nobilis Arnoldus Herlaërius cum Adelheide Pickia conjuge sua. Quos omnes ad id sancti operis cum nihil validius excitasset, quam Dionysij conjuncta cum eruditione sanctitas; vna sententia postularunt ab ordinis pręsidibus, vt primus nouæ huic familiæ regendæ præficeretur. Obtinuerunt.

Conditam Cartusiam regit.

Aggressus eam prouinciam vir sanctus, nihil concepta de se opinione minus executus est. Philippo Bono Burgundioni Brabantiæ duci venerationi fuit; euocatusque non raro super rebus arduis, & magnis consulebatur. Sed cum ætate jam ingrauescente, mentis ardorem corporis infirmitas minime consequeretur; præsidibus suis potestatem facientibus, Ruremundam redijt.

Ex itinere Hornam diuertit. Castrum incolebat Godefridus Vlodorpius vir nobilis, & Cartusię Ruremundensis amicus. Eius vxor forte tum ad mortem prope deuenerat, & vt vitam egerat æquo solutiorem, mira intemperie, grauibusque perturbationibus agitabatur: dirisque clamoribus omnem salutis spem projectura videbatur. Vt primum ad eam ingressus est vir sanctus: Quid video? exclamat. Concurrite, amici; & quam potestis, precibus vestris opem conferte aduersus impuros illos genios, qui multitudine tanta cubiculum hoc oppleuere, quanta solis radios atomi peruolitant. Dixerat, & ad orandum secedebat ipse; apprehensum veste retinuit mulier; aitque: Ne me desere, Pater; & hoc meo discrimine ne vel vno passu auertere. Paret Dionysius: & notis sibi armis hostem haudquaquam ignotum aggreditur. Insigni Diuinę pietatis fiducia in preces aliquanto tempore incubuerat: sensere dęmones, & exclamauere: Heu quantam ab hoc cucullato sene vim patimur! Simulque scipionem, cui innitebatur, manibus excussere. Quibus Dionysij constantiam nullo modo concuti cum animaduerterent, ea vi colaphum incusserunt, vt aliqua semper nota inhæserit. Et quia nihil aliud poterant, relicta illi victoria tandem abcesserunt. Cum principibus tenebrarum abierunt & mulieri tristes illæ desperationis tenebræ. Amica lux Diuinę pietatis in eius animo exorta, sanctæ spei serenitatem reduxit. Prioris ergo vitę noxas omnes salutari pœnitudine detestata, cohortante ad fiduciam & Numinis amorem Dionysio, placida mentis quiete mox vitam abrupit.

Periclitantem feminam precibus liberat.

Sub hoc tempus aliquot noctibus mirum Ruremundæ prodigium spectarunt, & admirati sunt Cartusię monachi. Intempesta nocte dum canonicas preces concinunt, ingenti luce perfundi templum animaduerterunt. Egressi templo nonnulli studio cognoscendi vnde lux illa prodiret, nihil deprehendere potuerunt; sed neque conijcere, quid

eo por-

Digitized by Google

eo portenderetur. Vt vero rediJt Dionysius, suam hanc, totiusque ecclesię lucem non dubitarunt insolenti illa luce signatam.

CAPVT XI.

Mirabili diligentia, bonoque multa scribit.

ILlustre profectò Dionysius lumen fuit, non virtutibus modo, sed & magna Diuinarum rerum cognitione, quam mirabili diligentia comparauit. Ad sacras enim mentis exercitationes Cartusianis ascetis solemnes, si quas proprio Numinis instinctu solitus est vsurpare, addiderimus; si vniuersos Dauidis psalmos, quos diebus ferme omnibus recitabat; si plures horas, quibus abstractum humanis mentem sępissime Deus ad se rapiebat; quid temporis superfuisse rebus alijs animo pertractandis existimabimus?

At memoriam reuoca ad rem familiarem Ruremundæ procuratam; ad Cartusiam S. Sophiæ conditam, & administratam; ad operam Nicolao Cardinali Cusano pro pontifice per Germaniam Legato nauatam. Reputa tecum petita toties, & data consilia; datas frequentissime, redditasque litteras a pręsulibus, principibus, alijs cujuscumque conditionis mortalibus: exigui temporis illa fuisse credes?

Post hæc ad libros te conuerte, quos a se perlectos profitetur. Multitudinem vide, voluminumque magnitudinem: in his S. Augustinum, S. Chrysostomum, S. Hieronymi maximam partem, aliosque plurimos, & ferme præcipuos e sanctis Patribus: Ius omne, canonicum æque & ciuile: theologos omnes, quos illa ætate melior aliqua fama celebrabat: peritum ab ātiquitate philosophum non facile quemquam pręteritum. Laborem augebat instructa paucis libris Cartusiæ bibliotheca. Aliunde, nec e proximo quærendi fuerunt: quo animum a studijs non parum abstrahi necesse fuit. Hominis vitam his omnibus parem fuisse vix credideris.

Quid ergo de libris ab illo scriptis judicabis? Tam multi sunt, & tanta mole, vt ex eorum judicio, qui illos viderunt, (nec enim omnes adhuc publico donati sunt) nemo vnus, nec ipse Augustinus, tam multa (quæ quidem ad posteros peruenerint) vnquam scripserit. Addam, quo crescat admiratio. Quæcumque scripsit, sua ipse exarauit manu, nulla vnquam amanuensis vsus opera. Quanta vero felicitate? Quo judicio?

Audet affirmare Thomas Bozius res summas septem ab illo insigni sapientia confectas, quas a nemine Catholico hactenus videmus. Illum enumerantem audi. *Primo in singulos Diuinæ Scripturæ libros erudita composuit commentaria, quæ priscis haud cedant. Secundo singulas quæstione ad theologiam spectantes argumentis in vtramque partem doctissime propositis disputans, commentarijs editis in Sententiarum libros. Tertio quidquid pertinet ad excolendos mores omnium mortalium, cujuscumque sint illi conditionis, sexus, ac status, singulatim genera illorum distinguens, & informans, proprijs libris est complexus. Quarto quæcumque pertinentia ad contemplationem cælestium rerum varijs operibus est diligentissime, & latissime persecutus. Quinto aduersus Sarracenos, & alios quosuis fidei hostes volumina sua speciatim composuit. Sexto homilias (vt vocant) edidit in festos Sanctorum dies, Euangeliorumque occurrentium lectiones. Septimo Apocalypsim dedit in lucem, qua sibi plurima diuinitus ostensa enarrat: & in his Germaniæ, septemtrionisque, quem nunc lugemus infelicissimum casum. Quid igitur haud mirifice glorietur Germania tanto viro, quantum sanctimonia simul ornatum vix protulit vlla ætas, vlla gens ab orbis ipsius fabricatione?* Illa Bozius. Plurium instar vnus esto Eugenius IV. pontifex maximus; qui librum ab illo conscriptum vbi legisset, dixisse fertur: LÆTETVR MATER ECCLESIA, QVÆ TALEM HABET FILIVM.

Bozius l. 2. de signis ecclesiæ c. 4.

CAPVT XII.

Quæcumque scripsit, sincera, & religiosa mente scripsit: dæmone frustra obnitente.

QVam vero cum ipsa scriptione virtutem conjunxerit, operæ pretium est enarrare; quo videamus posteri, quo modo & felicem in litteris progressum, & æternam illis a Deo lauream mereamur. Quamquam enim improbum suum laborem commemorare

Digitized by Google

rare solitus sit, aiens ferreum sibi caput, & æneum esse stomachum; Numinis tamen beneficentiæ tribui malim & vires tantis laboribus pares, & partam vtrisque non inferiorem sapientiam. Tanta quippe animi demissio, tam sincerum, purumque Diuini honoris studium, quanto se ductum fuisse, profitetur Dionysius, ab immensa illa Dei benignitate quid non obtineant? Ipsius calamo potius quam meo, descriptum accipe.

Ego frater Dionysius toto corde profiteor, quod sacram Scripturam exponere, paruitatem meam omnino transcendit, tam quantum ad scientiam, & rationem professionis, (quia monachus sum, cujus est lugere, & illuminari potius, quam docere, & illuminare) quam ratione vitæ meæ tam imperfectæ, & miseræ. Sed in bonitate, & gratia Spiritus sancti, qui abiecta, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, infirma quoque, & stulta mundi eligere consueuit, confidens, huc vsque exercitium istud continuaui, & quantum in me est, paratus sum prosequi, dummodo sapientiæ vestræ judicio placitum fuerit: Cartusiæ suæ præsides alloquitur. *Deprecor autem bonitatem Spiritus sancti, vt in id, quod est magis ad gloriam suam, & meum, aliorumque profectum, mentem vestram inclinare dignetur. Præterea fateor, quod quantum meipsum pro viribus examinando deprehendere queo, non sum mihi conscius, quod ex aliqua vanitate, vel propter finem vilissimum, scilicet propter famam, vel aliquid tale priuatum, commodumue temporale, exercitium istud assumserim, vel prosequi optem: imo potius vt occupando me quotidie in Scripturis, secundum eas viuere valeam veniendo ad veram humilitatem, mansuetudinem, patientiam; quibus summe indigeo. Et si aliter est, vel alio fine hæc ago, tunc sum longe miserrimus; vtputa documentis sacræ Scripturæ tam inaniter, & insipienter abutens.* Post pauca alia, rursum. *Quo exercitium istud magis est spirituale, laboriosum studio, & negotio plenum, eo videtur mihi salubrius, siue accommodatius ad mortificationem sensualitatis, & carnalium desideriorum. Fecit etiam libentius me manere in solitudine.* Hæc de studiorum suorum ratione, propositoque illis fine Dionysius.

Turbare conatus est dæmon.

Quæ profecto vt amore, & beneuolentia non prosequi bonus Deus non poterat; ita dæmon oderat, & pro viribus impedire satagebat, quod suis aduersari quam maxime conatibus, dolisque intelligeret. Sæpe ergo cum litteris Dionysius operam daret, ad eum noctu ventitabat, & in superiore cubiculi parte, tristes gemitus, & suspiria ceu ægroti grauiter quiritantis edebat; majorem etiam alias strepitum excitabat. Credidit primo Dionysius vnam ex illis animabus esse, quæ ad vitam æternam noxis expiantur; & subsidium flagitare. Surgit igitur a musæo suo, & in orationem prouoluitur. Nihil deinde aliquantisper auditum est: sed minime diu. Mox audiri rursum cœpit, etiam frequentius, etiam fortius, imo jam non sine aliqua petulantia: & moleste Dionysij mentem a litteris auocabat. Dæmonis fraudes igitur hic intellexit, & nullas deinceps fundere preces animum obfirmauit. Irritos recidere conatus suos, adq; adeo negligi non tulit dæmō; horrendoque strepitu edito, per scalas vehementi impetu descendere visus est, & reducto ostij pessulo ingressus, in Dionysium minaciter incurrit. Nihil ille territus, in aduersum generose tetendit: &: Quid agis, inquit, teterrimum, inuisumque Deo monstrum? Tu Dei famulum petulanter lacessere? tu ab eius obsequio retrahere audeas? Abito hinc ocyus; & ejusmodi contra me conatibus te posthac abstineto. Ea dixit tanta Diuinæ virtutis fiducia, constantiaque animi, vt numquam postea dæmon redire, numquam aliquid contra moliri sustinuerit.

CAPVT XIII.

Ad mortem se comparat, & eam religiose obit.

IN illa virtutum, & litterarum exercitatione consumtis viribus, quo metæ propior erat, eo nobiliore palma Deus exornare velle visus est. Nam post toleratos tota vita labores grauissimos, senectutis incommoda, molestiasque non leues sentire cœpit. Assiduis e paralysi, calculo, vesicaque doloribus torquebatur. Vtrumque crus vlcera exedebant; quorum dolorem exacerbabat non parum medica manus, quoties admouebatur, ne serperet malum in perniciem.

Grauem senectam

generose sustinet.

Sed omnia hæc ea fortitudine, constantiaque, vt nullam vocem, gemitum nullum, aut gestum doloris indicem ederet, non multo aliter quam si fictum illi e marmore corpus fuisset; atque adeo litteris nihil, aut orationibus decedere patiebatur. Donec anno ante mortem, generosæ mentis impetum cum vires destituerent, calamum deniq; posuit;

ANNO 1470.

sed

ſed eo potiſſimum conſilio, vt quod virium, & vitæ ſupererat, eo ſe ad mortem compararet. Adeo certe ſe obfirmarat, vt in morborum cruciatibus non æquitatem modo, ſed magnam animi voluptatem præferret: imo Numini gratias haberet maximas, quod ſingulari beneficio in amicorum ſuorum ſortem adlegiſſet, quibus aduerſorum tolerantiam, ceu amoris teſſeram indulgere conſueuit.

Tria potiſſimum ore volutabat. Primum hoc: *Requiem æternam dona eis, Domine; & lux perpetua luceat eis*: vt ad quam nimirum proxime adſpirabat ipſe felicitatem, eamdem conſueta dudum pietate illis apprecaretur, qui purgantibus flammis torquebantur. Alterum erat illud: *Maria vnxit pedes IESV.* quo ſe ad peccatorum caſtigationem, ſuique demiſſionem, ac incenſum Dei amorem excitabat: Tertio denique id frequentiſſime vſurpabat: *Sancti, qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Ita rerum æternarum in ſe ſpem, ac deſiderium accendebat, quas ſuauiſſima animi ſui dulcedine quodammodo præcipere videbatur. Sic vltimum, quem vixit, annum peregit.

Religioſa ad mortem comparatio

Ioann. 12. 3.

Iſ. 40. 31.

Vbi mortem propius abeſſe ſenſit, Nonis Martijs (quibus Thomam Aquinatem eccleſia veneratur) in ſacram ædem ad eam aram deduci rogauit, in qua facere conſueuerat. Hic ſecundum rem Diuinam, cui egregio religionis ſenſu (vt ſolebat in rebus omnibus ſacris) interfuerat, ſacroſancta Myſteria in viaticum ad immortalitatem percepit. Ad cubiculum deinde reductus: Adeſt ecce, inquit, tempus, mihi nec improuiſum, nec inexſpectatum. Si dies vltima longius proferretur, corporis infirmitatem video fratribus meis moleſtiæ futuram. Quamquam enim perſpecta mihi ſit illorum caritas; ego tamen, ſi mei arbitrij ſit, importunus eſſe nolim. Matura igitur mihi mors incumbit. Quę cum dixiſſet, omnem cibum faſtidire cœpit. Ac tandem IV. Idus Martias (quem S. Gregorio conſecramus) ſub meridiem animam exhalauit, anno ſalutis poſt milleſimum & quadringenteſimum ſeptuageſimo primo.

Annos vixit omnino vndeſeptuaginta: e quibus in Cartuſia egit octo & quadraginta. Vt vixerat, ita mortuus eſt relicta omnibus eximiæ virtutis admiratione. Anno hujus ſæculi octauo corpus alte ruderibus effoſſum, honeſtiore loco cum reſtituit Reuerendiſſimus Ruremundæ epiſcopus Henricus Cuickius, integrum, & apte membris cohærens inuenit, ſed pollicem dexteræ, indicemque a corruptione magis alienos admirati ſunt omnes. Manifeſtum Dei teſtimonium eſſe creditum fuit, de opera ſcribendo vtiliter ab illo nauata.

II. GREGORIVS
prior Villarienſis. *Aſſignies e Manuſcript. Villar.*

RElgioſam aſceſim Villarij complexus, tanto illam ſtudio coluit, vt inſigni publicæ rei bono alijs præeſſe poſſe creditus ſit. Priorem igitur agere juſſus, propoſitum prius nequaquam dimiſit: ſed potius S. Benedictum parentem ſuum audiuit docentem: *Quo magis es alijs prælatus, eo magis regulam cuſtodi.* Nec latum vnguem a Benedictinę legis pręſcriptionibus receſſit, quo liberius impoſitum munus impleret, & ſodales ad accuratam obſeruantiam vrgeret. Vſus quam maxima ſinceritate & prudentia. Quos inueniebat monaſticę diſciplinæ ſtudioſos, his vel digito legem oſtendiſſe ſatis habebat. At quos religioſi inſtituti negligentiores, vel etiam contemptores videbat, hos caſtigabat acrius; numquam tamen caritatis immemor, paterna ſuauitate ſeueritatem temperabat. Sed omnem ſacrorum ritum, & ſub ſacra cantum e regula diligentiſſime obſeruari præcipiebat: obtinuitque ſacra omnia peragi tanta grauitate & reuerentia, vt optime vel hoc nomine Villarienſes audirent; aduenientque e populo frequentes, qui vel ceremoniarum decoro, vel ſuauitate cantus, ad Diuinorum amorem prouocarentur.

Diſciplinam tuetur

Inter hæc porro, quæ pleriſque duriora non poterant ſubinde non accidere, ea ſe prudentia tractandorumque animorum peritia moderabatur, vt earum omnes haberent; ſuſpicerent etiam ordinis præſides, & hominis integritatem amarent.

Vt a laboribus conuerſi non abhorrerent, ſuo ipſe exemplo cohortabatur, ac potiſſimum in meſſe perlubenter oneri humeros ſupponeba. Sed ne quid detrimenti, quod fere fit, diſciplina pateretur, linguam arcto ſilentio cohibebat; vt ſcilicet gemens ſub onere corpus, ſolidis reficeretur delicijs, quas interea cęleſtium intentus commentationi animus a Deo infuſas perciperet.

exemplo maxime

Quę

Die 12. Quæ humanas ſubolerent delicias, & a monaſticarum legum ſeueritate viderentur alieniora, vel a Ciſtercienſibus non vſurpata, (talem arbitrabatur chirothecarum vſum) quamdiu prioris muneris functus eſt, numquam probare voluit.

& humanorum omniũ contemptu.

Rei familiaris cura ſollicitari ſe numquam paſſus eſt; ſed illa in alios rejecta, multo meliorem Diuinarum rerum portionem elegit, cujus ab illo numquam tolli præmium poſſet.

Ita res tulit. Poſt actam religioſe vitam, cum vltimum denique brauium exſpectaret, hilari vultu voceque: Eia, ſodales, inquit, video ſalutare meum. Et cum his animam exhalauit, fruituram nimirum mercede, ad quam dudum anhelarat.

III. CORNELIVS CORNELII A LAPIDE.

e Societate IESV. *Phil. Alegambe.*

BVcoldiæ non procul Haſſeleto natus eſt honeſtis parentibus ſub annum ſeſquimilleſimum ſexageſimum ſeptimum. A primo rationis vſu rebus Diuinis deditus, adoleſcens ſe in Societatem dedit. In ea ad bonam ſenectutem vixit, inſigni religioſarum virtutum exemplo clarus. Eluxit in primis in illo gratiſſima morum ſuauitas, ſui demiſſio, cæleſtiumque rerum incenſus amor. Hic ſe prodebat ore tum familiaribus colloquijs, tum maxime cum e loco ſuperiore Louanij diceret ad parthenios ſodales philoſophos.

Vitæ ſcopus.

Ab ipſo ſtatim (inquit Philippus Alegambus) *in Societatem ingreſſu, beatæ æternitatis perenni conſideratione, ita eſt ad humanarum rerum contemptum & cæleſtium deſiderium incitatus, vt ex eo nihil aliud, præter Chriſti perennem voluptatem, laudem & gloriam in vita & in morte, in tempore & in æternitate intenderet; eam vnam celebrare, & promouere omnibus votis & ſtudijs, omnibuſque corporis & animæ viribus intenderet & ſatageret. Nihil in hoc mundo a quoquam mortalium exſpectaret, nihil deſideraret. Hominum judicia aut plauſus non moraretur; ſoli Deo placere cupiens, & diſplicere timens. Hoc vnum ſpectaret, vnum hoc poſtularet: huc omnis eius lectio & ſcriptio, huc omnis labor deſudaret, vt ſanctum nomen ſanctificaretur, eiuſque ſancta voluntas fieret ſicut in cælo & in terra.*

Mortis periculum Aſpricollis Virginis ope euadit.

Ardentiſſimum martyrij ſubeundi deſiderium ab ipſo primo tirocinio diuinitus hauſtum adeo ſemper retinuit, vt omnibus votis eam ſibi lauream aſſidue efflagitaret. Eam pæne jam manibus aliquando complexus eſt anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, cum degens apud ædem Deiparæ Aſpricollem, aduentantes turmatim religionis cauſa mortales per confeſſiones, conciones, aliaque ſacra officia adjuuaret. Ab Hollandico equitatu improuiſo in eam incurrente ipſo feſto Natiuitatis Deiparæ die, cunctaque ferro & flamma vaſtante circumſeptus eſt, tantumque non captus & trucidatus. Verum ſacroſanctæ EVCHARISTIÆ, *quam ex æde ſacra, ne ab hæreticis violaretur, efferebat, ac Deiparæ ope, quam voto nuncupato implorabat, periculum non ſine miraculi opinione diſcuſſum eſt; ipſe mira prouidentia ſeruatus incolumis.*

Martyrij deſiderium.

Ceterum quam numquam illi exciderit cupido martyrij ſatis ea verba declarant, quibus ſanctos quatuor prophetas, abſoluto in eorum vaticinia commentario, ita compellat: O prophetæ Domini, feciſtis me prophetiæ veſtræ & doctoralis laureæ participẽ; facite quæſo & martyrij: vt & ego veritatem quam a vobis hauſi, alioſque docui & conſcripſi, ſanguine meo obſignem. Nec enim ante perfectus & conſummatus erit doctoratus hic meus, niſi hoc ſigillo pariter claudatur. A triginta prope annis vobiſcum & pro vobis lubens volenſque continuum ſubeo martyrium religioſæ vitæ, martyrium ægritudinum, martyrium ſtudiorum & ſcriptionis; impetrate mihi obſecro pro coronide quartum martyrium ſanguinis. Exhauſi pro vobis ſpiritus vitales & animales; exhauriam & ſanguinem. Omnis laboris mei per tot annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illuſtraui, & nouo ſermone loquentes & prophetantes effeci, ac vobiſcum quaſi prophetaui, veſtrum mihi quaſi prophetæ ſtipendium, martyrium dico a Patre luminum æque ac miſericordiarum obtinete. Mox ad beatiſſimam Dei matrem conuerſus, cui ſe ſuaque omnia deberet, a qua fuiſſet indignus ad ſanctam filij eius Societatem vocatus, in ea miro modo directus, adjutus, inſtructus, martyrij ſe per eam fieri compotem poſtulat. Deinde Dominum IESVM amorem ſuum per genitricis & prophetarum promerita obnixe efflagitat, ne inertem agat vitam, ne inertem obeat in lecto mortem, ſed ligno illatam aut ferro.

His conſentaneam fuiſſe reliquam vitam teſtantur, qui familiarius nouerunt. Louanij ſacram linguam, Diuinaſque litteras plus annis viginti cum publice docuiſſet; Romam a moderatoribus accerſitus, eaſdem ibi ſumma cum nominis celebritate complures annos

nos interpretatus est. Donec labori cedens, totum se ad priuatam scriptionem conuertit publicoque dedit commentarios in omnes sacros libros, excepto Iobo, psalmisque; quos explicare adorsum mors viuis eripuit. Ea porro scripsit doctrinæ grauitate, varietateque, ac suauitate religionis, quam omnes agnoscunt, admirantur, amant.

De se vero quid senserit vir tantus, audi Alegambum. *Nihil illo videri potuit mitius, nihil modestius, nihil temperantius. Tam humili erat de se sensu in tanta doctrinæ, atque omnis humanæ Diuinæque sapientiæ vastitate, vt affirmaret: Vere & in conscientia mea stultissimus virorum ego sum, & sapientia hominum non est mecum. Sum puer paruulus, nesciens introitum & exitum meum. Alibi quoque ita pronuntiat. Iam pæne a quadraginta annis sacro huic studio incumbo, a triginta annis nihil aliud ago, quin & continuo sacras litteras doceo; & tamen sentio quam parum profecerim.* Sui demissio.

Religiosæ seueritatis adeo tenax fuit, vt ne quid illa caperet sua causa detrimenti, nollet sibi quidpiam eximium ad victum proponi, tametsi valetudine semper esset imbecillima, annis impedita, studijs ecclesiæ Dei profuturis impensa; nec posset edulia quæ ceteris apponebantur conficere. Obedientia illi semper, & veritatis amor præ vita fuit. Hanc in omni scriptione primam habuit; illam vero ductricem ad proferendas scriptiones in publicam lucem, quas alioqui fuerat æterno damnaturus silentio. Hæc Alegambus.

Sed quid magnus ille vir de se loquatur, iuuat audire. *Tuus o sacrosancta Trinitas, sum ab vtero, vbi me formasti ad imaginem & similitudinem tuam. Tuus ab ortu, vbi in nomine tuo baptisatus, & renatus sum. Tuus a primo rationis vsu; vbi te fide, spe & caritate, quas mihi in baptismo indideras, colere cœpi. Tuus ab adolescentia; vbi tuo instinctu tribus religionis votis, me tibi volens lubensque adstrinxi. Tuus a iuuentute, vbi sacerdos tuo munere consecratus, vnam trinamque Christi victimam tibi quotidie ad hanc vsq; diem quasi iuge sacrificium immolaui. Tuus a viro; vbi hosce meos labores & fructus quos mihi donasti, tibi dicaui; omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem tuæ gloriæ consecraui, optauique vt omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud, quam continua laus tua.* Et post pauca subdit. *Tu menti meæ ab olim te reuelasti, vt te vnum æstimarem & quærerem; cetera omnia velut exilia, inania & fugacia flocci ducerem, & fastidirem.* Paucisque interjectis ait: *Quocirca aulas & auras fugio, silentium & secessum mihi jucundum, alijsque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo; cujus sanctam Bethleem ab eo in Palæstina sollicite quæsitam, ego Romæ inueni. Olim junior egi Martham, nunc in deuexa ætate magis Magdalenam ago, & adamo, memor breuis æui, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida amica, tota terra est carior, adeoque cælum terrestre videtur, quale S. Bernardo visa est) silentij & solius sum incola: cellicola, & musæi sacri assecla, cælicola esse contendo; sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis otium, imo negotium persequor; Deo vni & trino, eiusque oraculis & inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo; ad Christi pedes sedeo, vt ab ore eius pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. Quid enim dignius, quid salubrius, quid sapientius, quid Diuinius, quam illi vni intendere, a quo omnia?* Animi cum Deo conjunctio. Secessus amor.

Suos ille hos conatus, sua totius vitæ studia sic explicauit. At Mutius Vitellescus Societatis IESV præpositus generalis nuper vita defunctus cuidam e Belgio Romam aduenienti affirmauit, inter cætera Romæ visenda vnum in primis spectandum & amandum esse Cornelium. Ego quidem, subjunxit, quoties illum intueor, angelum Domini videor mihi videre. In illa igitur morum puritate cum septuaginta superasset ætatis annos, debitum tandem naturę soluit Romæ, vbi semper optarat sanctorum ossibus sua miscere, die duodecimo Martij anni millesimi sexcentesimi tricesimi septimi. Corpus autoritate moderatorum proprio inclusum loculo, vt olim internosci posset, humatum est. ANN. 1637. Insigne de illo testimonium.

Epitaphium hominis sane gloriosum esse potest, quod de illo Romanum Societatis collegium emintentissimo principi Francisco Cardinali Barberino testatur: *Non aliam haberi posse imaginem expressiorem viri, quam eius libros. Iure enim de illo affirmari posse, vt multa suos in libros incluserit documenta viuendi, prius ipsum ea omnia, quæ ad se poterant pertinere, viuendo expressisse. Neque eius vitæ historiam posse scribi luculentiorem ea, quam suis ipse commentarijs tradidit, norma viuendi.*

Die decimo sexto

I. IOANNES NIVELLENSIS
e decano Leodiensi monachus Oegniacensis. *Cantiprat. de apibus. Vitriac. historia Occidentali.*

CAPVT I.

Factus e decano monachus, magna caritate salutem hominum curat.

E decano Leodiensi

HVgone Petrapontio Leodiensem ecclesiam regente in illustri collegio S. Lamberti decanum egit Ioannes Niuellensis: atque vt morum integritate doctrinaque pollebat, sedulam ac perutilem posuit operam in excolendis omni virtutum honestate mortalibus. Adeo vt illi iure ascribenda sit optima pars admirabilis illius sanctimoniæ, quam Leodij sub annum millesimum ducentesimum decimum floruisse, alio loco narramus. Nihilominus vt ad meliora semper germana virtus anhelat, clariore luce mentem e cælo Ioannes perfusus, cum intellexisset humanum omnem splendorem, nigrarum tenebrarum loco habendum esse, nisi a virtute, propagataque Dei gloria claritudinem acciperet; suam dignitatem abdicare constituit, vt sinceros honores consequeretur.

Oriebatur Oegniaci Christianæ sapientiæ lyceum, S. Augustini legibus informatum, & magna sanctitatis opinione celebrabatur. Augebat famam sanctissima femina nomine Maria, quæ nuper Deo ducente huc Niuellis migrauerat: vt suus erit dicendi locus. Cuius suæ fortassis exemplum secuturus Ioannes Oegniacum elegerit; & amplissima dignitate contempta, in has se latebras inglorius abdiderit.

monachus Oegniaci

Hic ergo viuere Deo cœpit Ioannes, qui sibi, qui conditis omnibus rebus mori voluerat. Quam vitam secum plurimis mortalibus communem vt faceret, non raro pro Christiana sua qua preditus erat eloquentia, prodibat in frequentissimas conciones, ingenti ecclesiæ bono. Pauci quippe non permouebantur exemplo tanti viri, qui magnanimitate vere Christiana humana omnia proculcarat. Sed euincebantur maxime, manusque dabant incenso illo desiderio, quo in hæc caritatis officia ferebatur, salutemque hominum curabat.

in salutem proximi incumbit

etiam valetudine neglecta.

Cum aliquando celeberrimus quidam medicus ex vlteriore Gallia aduenisset, vi suorum medicamentorum sedaturus acutissimos, quibus conflictabatur, prodagræ dolores: vbi accepit Ioannes futuram quatuor mensium curationem; tibiam manu percutiens, ait, O me insipientem, si hujus corporis gratia, quod Deus nutu suo mox in saniem & vermes resoluet, vel tribus hebdomadis sepósuero salutem animorum immortalium, quam opella mea promouendam, Sanguinis sui pretio Dei Filius comparauit. Tuæ quidem pietati premium Deus rependat: ego tanta jactura valetudinem tantillam non emo. Ita locutus est: vt facile iudices non immerito appellatum a Vitriaco *Virum humilem, & timoratum, & omnium virtutum margaritis ornatum*, annumeratumque præcipuis suæ ætatis oratoribus.

CAPVT II.

Sancte moritur: atque vt olim viuens, sic mortuus alijs prodest.

Etiam moriens proximum juuat:

POst actam sanctissime vitam in Christianæ caritatis officijs, quę omnibus strenuę, sed potissimum pauperibus impenderat, ad vltima vi morbi deductus est. Sub primas tenebras noctis illius, quę ipsi fuit vltima, vir quidam pannosus, & incerti laris ad eius colloquium admitti postulauit, quo peccata sua confessus absolueretur. Cumque accepisset per morbum non licere, mœstus abibat. Iussit reuocari Ioannes, audijt noxas suas confitentem, absoluit. Eo dimisso, conuersus ad adstantes: Malim, inquit, homini huic factum a me satis, quam auri millenas marcas mihi appensas. Et certe passus mille nondum inde digressus vir ille mendicus, repentina morte concidit, sed, vt spes est, felici.

Eadem

Digitized by Google

Eadem pariter nocte Ioannes mortem obijt; quam feliciter, ostendit Deus illustri testimonio in Anglia. Illic ad populum de rebus Diuinis verba habebat vir quidam sanctus: orantem interpellauit secundo voce magna & lacrymis consurgens e media concione mulier non honestæ famæ: secundo jussit ille perorationem exspectaret. Sed illa tertio consurgens cum horrendo clamore exanimis in faciem concidit. Valde affecit oratorem tam acerbus casus. Solutusque in lacrymas, rogata concione vt mulieri mortuæ Numen propitiaret, ipse in conclaue se totos tres dies abdidit & nulla cibi somnique habita ratione, totum in preces ad Deum fundendas se dedit. Tertia nox labebatur, quando illi stitit femina se videndam sole splendidiorem, & ait, Adsum illa pro qua sollicitus oras. Omni supplicio libera ad æternam beatitatem transeo. Cumque hic hæreret: Ne dubites, subijcit illa: hac ipsa hora in Oegniacensi monasterio dioecesis Leodiensis in Brabantia e mortali vita transijt ad immortalem magister Ioannes. Is qua vixit in afflictos pietate, jam mortuus cum a beatis genijs duceretur ante carceres, quibus præteritas noxas eluunt, qui ad celeste brauium destinantur, non paucos agnouit eorum, quos e peccati statu ad meliorem eduxerat; Deumque suppliciter rogauit, vt duris illis vinculis emitterentur ad beatam libertatem. Et amplius quam voluerat impetrauit. Nam præter eos multi, in quibus & ego, ad cælum abimus. Quo dicto sublimis abijt. Orator autem datis Oegniacum litteris, a vero nihil abesse comperit.

Ioannes mortuus.

Mira vis pœnitentiæ.

II. S. HERIBERTVS

Eremita in Marlania.

SAcrum B. Heriberti corpus seruatur in ædicula, quam in Marlania silua constructam, & curę suę creditam regunt Molinienses monachi. Porro Heribertum hunc volunt quidam fuisse Coloniensem archiepiscopum: qua fide, viderint. Nam sacras hujus exuuias Tuitij seruari ambigi non potest. Affirmant alij vero similius hunc Heribertum anachoresim in Marlania coluisse: sed quo æuo incertum; quamquam nonnullis placeat tempus, quo Namurcum tenebat Philippus Nobilis, hoc est sub annum millesimum ducentesimum. De rebus autem a S. Heriberto gestis altum omnino silentium. Hoc certum est, sacrum corpus illic coli magna concurrentis populi religione, plurimaque olim edita fuisse miracula.

III. GVMARVS

monachus Villariensis. *Henriques menologium, d'Assignies.*

PAucis vsurpato sanctitatis genere floruisse fertur, & spiritui corpus acriter subjecisse, quo puriori cælestium contemplationi se totum daret. Post longa asceticæ perfectionis experimenta præstantem adeptus virtutem, in Cameram B. Mariæ missus, sacris virginibus a confessionibus præfuit; easque religiosis monastices institutionibus magna prudentia felicique successu imbuit. Aleidem Scarembecanam hic nactus est præstanti sanctitudine virginem, cui optimam omnis virtutis sementem felicissime credidit: animoque tantum addidit robur, vt acerbissimos morborum cruciatus, hoc est familiares cælesti suo sponso delicias, inuicta fortitudine sancta virgo tolerauerit. Elephantiasi infecta, sic omnibus artubus exesa est, vt fœda quasi cujusdam monstri specie spectantium animos horrore percelleret. Alterum oculum cum mali vis extinxisset, eam jacturam æquo animo ferre se professa est, vt Guilielmum Hollandum nuper Romanorum regem electum, tum Aquas obsidentem salutari cognitione ac intelligentia Deus pater luminum collustraret. Pari præterea pietate Deum obtestata est cum altero oculo se sentiret orbari, vt mentem regis Franciæ sacrum bellum in Syria gerentis Diuino lumine perfunderet. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo (qui vitæ fuit vltimus) a III. ante Idus Martias ad IV. ante Idus Iunias tantam dolorum experta est acerbitatem, vt modo purgantium flammarum ardorem, modo reproborum tormenta sustinere se affirmaret. Id autem totum eo referebat vt vel ijs esset solatio, qui post mortem purgantur, vel peccantibus resipiscentiam obtineret. Biduo denique postquam

DIE 16. nonnihil remisit ea malorum atrocitas, sanctissime vita decessit. Iuuit salutaribus consilijs inuictam Amazonem in tanto certamine Gumarus: nec imparem ab ea fructum retulit præclarissimorum exemplorum: & tandem post edita pulcherrima eximię virtutis facinora religiose mortuus est.

Die decimo septimo

I. S. GERTRVDIS

prima antistita & patrona Niuellensis, *Hugbaldus*, *officium Leodiense*, *Molanus*.

CAPVT I.

Religiose educata, splendidas nuptias reijcit.

REligiosissimis nata est parentibus Gertrudis. De Pipino patre diximus vigesimo primo Februarij die. Matrem habuit Ittam siue Idubergam, genere Aquitanam, non illustriorem matronam, quam sanctiorem. Cum indole sua ad omnem virtutis honestatem velut efficta esset, sanctæ parentis pręceptionibus non paruos fecit progressus: sed agnati Bauonis illustri exemplo, qui Amandi episcopi ductu ad egregiam sanctitudinem generose assurgebat, meditari cœpit ipsa nobilius aliquod vitę institutum. Terrenorum omnium contemptrix animosa, nihil nisi cælum, nisi castos Numinis amores spirabat.

Excitatur Bauonis exemplo.

Forte sub annum sexcentesimum tricesimum secundum Dagobertus rex ad Pipinum diuerterat; Gertrudem intuitus ætate, forma, moribus spectatissimam, inuitauit vt nobilissimum juuenem opibus, annis, gratiaque in paucis apud se florentem, in virum reciperet. Nuptias illas nemo non probabat. Regis commendationem suspiciebant omnes, jamque amplectebatur Pipinus ipse. Verum Gertrudis ad altiora mentem generosam erigens, non dubitauit in nobilissimo illo cœtu, palam sancto jurejurando affirmare, vni se Christo desponsam, nullius vmquam mortalis inituram conjugium. Infractam virginis libertatem admirati omnes, satis intellexerunt, nulla vi a proposito diuellendam, postquam nihil mouerat regia majestas. Virgini firmius, quam patri pectus fuit. Sic affusæ diuinitus vires naturam superant. Gradu dejecit Pipinum regis reuerentia, quem rerum humanarum splendore excœcatum, Diuina non satis mouebant. Heu mortalium cæcitatem! Purior e cęlo lux affulsit Gertrudi. Sordere prę cælo terram, graueolentem esse fimum omnes hujus vitę delicias, sceptra regum ac diademata calcari a Deo, & cum vellet diffrngi intellexit.

Rejectis illustribus nuptijs

Paternæ tamen autoritatis pondus adhibiturus videbatur Pipinus, ob regis in illas nuptias propensionem. Filiæ præsidio fuit mater: cujus consilio & voluntate fugam arripuit fortissima virgo; relictisque parentibus, & patria, longam viam emensa, in Franciam orientalem se abdidit: vbi ob votum tuendæ castitatis condito sacrario, religiosissime vixit annos complures, sacra illi ministrantibus Atalongo presbytero, & Bernardo diacono. Toto aberras cælo, miseram si exulem dicis. Ibi patria est, vbi optimus pater Deus inuenitur. Ibi deesse non possunt delicię, vbi se sponsus dat in purissimos amplexus. Beata fuga, quæ e seruitute in libertatem, in regiam abducit e pistrino.

paterna domo profugit.

CAPVT II.

Conditum Niuellis a matre cænobium ingreditur, attondetur, velatur.

GErtrudis fortitudinem haudquaquam infregit exilij diuturnitas, sed patris offensionem sedauit. Niuellas igitur conniuente Pipino (diem scilicet objerat juuenis ille princeps) reuersa, magna jam parte victrix, eluso aduersantium inferorum machinamento, in egregio colendæ virginitatis proposito constantiam retinuit illibatam.

Sed

Sed tum maxime, cum viuere desijt pater anno quadragesimo sexto, velut omni soluta metu, calcatis ceteris humanis, libero mentis volatu efferri cœpit ad cælestia, in vnum intenta Christum sponsum. Probabat maximopere sancta filiæ studia, ijsque delectabatur mater Iduberga, & toto animi conatu in eadem se ferebat. Superueniens Amandus Tungrorum episcopus, qua pollebat sacra dicendi facultate, ad virtutis apicem superandum illam non aliter impulit, quam secundo rapidi fluminis cursu delatam nauim vehemens a puppi propellit ventus. Sancti ergo præsulis adhortatione, fortunas omnes Deo consecratura, cœnobium condere cœpit matrona, in quo repudiata rerum omnium conditarum inanitate, Diuino se Numini virgines dedicarent: & sacrum ipsa velamen de præsulis dextera accepit.

Patre mortuo sanctũ propositum palam profitetur

Illuxit mox oraculi Diuini veritas: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Nam dirum bello aduersus matrem & filiam classicum insonuit ab ijs, qui terrena sectantem coluerant omnibus officijs, & ad æterna conuersam vniuersis opibus protegere debuerant.

Ioan. 15. 19. *multis aduersantibus*

Filiæ suæ ne qua vis fieret, prouidit pia mater. Eius cæsariem sua ipsa manu totondit. Ea vero fuit Idubergæ sincera pietas, non omnibus matribus nota; quæ filias ad cælestis agni thalamum conuolantes non aliter deplorant, quam ruentes in funus: contra ad mortalem sponsum cum plausu & triumpho deducunt. Peruersa mortalium iudicia! Perspicacior fuit Idubergę mentis oculus: fuit & Gertrudi; cui nullum attonso capillo potuit acceptius esse diadema.

Ipsa mater eam attondet.

Sed tum denique desideriorum summam attigit, quando IV. nonas Decembris anni quadragesimi septimi sacrum illi imposuit velum Amandus. Breui post hęc tempore, virginibus pręposita in sequentes ætates viuendi normam præscripsit: ætate quidem adolescens, at sapientia nullis matronis impar, patientia longanimis, abstinentia fortis, ardens caritate, mansuetissima pietate, in miseros & egenos benigna, læta felicibus aliorum successibus, materno exemplo hospitalitatis perstudiosa: ita canit ecclesia Niuellensis.

velat Amandus.

CAPVT III.

Foillano Fossas attribuit. Matre orbatur.

EGregia virtute spectabilis, cum sancta parente Iduberga sacrarum virginum sodalitatem religiosam alebat, regebatque magna laude; quando certa Numinis prouidentia venit ad eam Foillanus cum Vltano fratre, alijsque sodalibus. In Gallias ex Ibernia veniebant sacram euangelij sementem sparsuri. Ita narrabimus prid. Kal. Nou.

Insignem hospitum integritatem mox agnouit Gertrudis: & in Foillano sacrum episcopi ordinem venerata, omni humanitate, & Christianæ caritatis officijs peregrinos suscepit: ijsque cœpit vti familiariter; quorum consilio præceptionibusque ad altius virtutis culmen eniti speraret. Sed vbi sedem illos in vicinia statuere velle accepit; autore quidem parente Iduberga Fossas eis donauit exstruendo monasterio; Foillanum tamen apud se retinuit, sanctis eius consilijs adjuuanda.

Aduenienti Foillano *condit Fossas*

Ad extrema deuenit Iduberga anno post conditum Niuellis parthenonem decimo: erat is post Christum natum sexcentesimus quinquagesimus octauus. Primę matris deliciæ fuerat Gertrudis. Hanc in sinu educatã, intactãque virginem, cum totis viribus ad altissimum virtutis fastigiũ, quoad licuerat prouexisset, prefecissetq; cœnobio, ac adhortatione, consilio, exemplis, precibusque ad Deum fusis collaborasset non inutiliter; diues præclare factis annorum sexaginta, & cælo matura diem obijt. Sita est in æde quam Niuellis S. Petro struxerat. In ferculum illata est deinde, quo supplicationibus illis, quas Rogationes appellamus, hodie circumfertur, vna cum Pipino conjuge, & nutrice S. Gertrudis. Ait Molanus vidisse se eius vitam in nouem sectiones descriptam eo plane modo quo solent res a sanctis gestę ab ecclesia eorum festis diebus legi: sed nullam superesse memoriam, earum aliquando lectionum quempiam vsum fuisse.

Sancte mater illius obit.

CAPVT IV.

Insigni sanctitate pergit familiam regere.

QVam deinceps vitam orba parẽte Gertrudis traduxerit indubitata fide prodidit in hunc modum, qui res ipsas oculis vsurpauit. Matre defuncta totius domus administra-

nistrationem in se primum recepit. At verita ne rei familiaris cura strepituque auocaretur a sanctioris contemplationis quiete, eam curandam foris quidem commendauit viris gnauis ac religiosis, qui in proximo sectabantur ascesim; canonici hodie sunt: domi vero id oneris susceperunt, quæ e sodalibus aptissimæ videbantur.

Omnibus inuigilabat Gertrudis, sed curis minutioribus soluta, dies ac noctes in cælestia liberius tollebatur. Iejunijs vigilijsque corpus domabat, animum pascebat rerum sacrarum studio, succendebatque Diuini amoris facibus, dum precationi se daret ardentius. Illa porro luce perfudit mentem Deus, vt cum vniuersam pæne scripturam sacram memoriæ commisisset, adeo peruaserit obscuriora allegoriæ mysteria, vt non pauci concurrerent auiditate magna, qui arcana Christianæ sapientiæ explanantem audirent.

Insignis eius sapientia.

Templa, aliaque sacra exstruebat. Annonam perliberaliter præbebat pupillis, viduis, captiuis, peregrinantibus, clericis. Cum ad aram S. Sixti martyris preces aliquando funderet, sphæram igneam multa luce splendentem delabi cælo vidit, & capiti suo imminentem, quæ media ferme hora totam basilicam ingenti splendore perfudit; & sensim euanescens eo se recepit, vnde prodierat.

Quæ cum ita narrasset scriptor vitę synchronus, subijcit quod ex eo se habere ait, qui præsens viderat, illustre miraculum: quo vltimo periculo exemit sancta virgo quosdam in mari nauigantes. Quorum vnus, alijs inania deorum numina inclamantibus, cum S. Gertrudis præsidium tertium implorasset, eadem nocte nauis portum tenuit.

Periclitantes in mari liberat.

Ad Dei gloriam propagandam illustrius porro fuit, quod apud se velut in fecundissimo seminario sanctis institutionibus imbueret nobiles virgines, quæ sanctimoniam proferrent in posteritatem. Ea scilicet est castitatis, & virtutis omnis beata fertilitas, quæ multo vberius, quam humana connubia, sanctum germen in multas ętates producat. Gertrudem gloriosior immortalitas a posteritatis sanctitudine, quam a fecunditate nuptiarum Pipinos omnes consecuta est.

Vtiliter adolescentes virgines instituit.

In his excelluerunt Wlfetrudis, atque Agnes eius neptes, quæ Niuellanum deinde parthenonem administrarunt magna Numinis gloria. Gudulam etiam & Faraildem sanctorum Witgeri & Amelbergæ filias, quas e sacro fonte susceperat, domi suæ quoad vixit, integerrimis præceptionibus informauit adeo feliciter, vt omnem deinde vitam exegerint ad absolutissimam totius sanctitatis normam. Illa est Gudula, quam posita insigni basilica, præsidem suam ac tutelarem venerantur Bruxellenses.

CAPVT V.

S. Foillanum martyrio coronatum Niuellas defert, deinde Fossas. Ad mortem se ipsa comparat.

IN clero, quem quotidiana sua munificentia Gertrudis sustentabat, postremum Foillanus locum non tenuit. Suis quippe consilijs, miraque prudentia sanctimoniæ juncta, pios religiosissimæ virginis conatus & studia promouebat. Sed aliquando Fossensem familiam lustraturus cum Niuellis abijsset, nec ad dictum diem reuerteretur, crebris insomnijs sollicitata Gertrudis, ad Vltanum Fossas misit, quęsitum de morę causis. De fratre nihil audisse, respondit Vltanus; sibi tamen in æde sacra preces fundenti, visam esse columbam candidissimam alas cruentatam, qua fratris mortem designari sibi persuaderet.

Edocta S. Foillani martyrium

Nec dubitauit accepto nuntio Gertrudis. In diuersa misit, qui cæsi corpus saltem referrent. Sed cum id frustra fuisset, tridui jejunio sibi, suisque imperato, censuit a Deo quærendum. Et ecce post triduum, ingentem eminus ipsa columnam igneam prospicit ad cęlum vsque a terra pertingentem. Locum in quo martyr jaceret, designari arbitrata, conuocato clero, ac populi multitudine, eo contendit. Triste sanguinis vulnerumque spectaculum piæ virgini nouas lacrymas exciuit. Sed dolorem lenierunt obuersantes animis martyrij palmæ cælo partæ. Sublatum ergo sacrum corpus, qua potuit reuerentia & religione Niuellas in suum cœnobium deuexit; & aliquanto post tempore Fossas ad fratrem Vltanum.

sacrum eius corpus quęrit,

Niuellas refert.

Et suum generosissimę Amazoni triumphum Deus decreuit: postquam nimirum frequen-

quentibus inclyta victorijs, ad easdem pari armorum genere reportandas multos annos sodales sibi creditas accendisset. Beatum hunc e cęlo nuntium vbi accepit, cum jam diuturnioribus fatigatum laboribus corpus fatisceret; vt majore conatu, quod animo superetat virium, sursum erigeret ad cælestia; e sapientiorum consilio, munus prefecturæ, qua rei familiaris administrationem maxime spectabat, abdicare statuit. In Wilfetrudem neptem suam id oneris rejecit. Suffragante sanguine nequaquam facta est ea cooptatio. A Gertrudis integritate nimis hoc alienum fuisset, cui sola Numinis gloria pro scopo erat. Illi carior fuit, quę virtute clarior. Vnam hanc illa cognationem amauit. Hac vna sodales suas omnes inter se jungi: hujus vnius haberi rationem peroptabat. Ea Wilfetrudem multo magis quam sanguine sibi propinquam cum amaret; neque felicius aliam deprehendisset in virtutis adyta penetrare, illam potius sibi substituit.

De sua morte certior,

Wilfetrudem sibi substituit.

CAPVT VI.

Sanctissime moritur.

POsito liberior onere Gertrudis, quam incenso studio se compararit, lubet audire scriptorem, cujus oculis fidem detrahere non licet. Trimestri ferme spatio, inquit, vel suauissimas cum Deo sponso suo sermocinationes miscebat, vel Diuinarum rerum se dabat commentationi: qua non animum modo suum, verum sodales sibi creditas roboraret; quas frequentius nunc quam alias, ad omnem honestatem cohortabatur.

Ad mortem se studiose parat

In rebus duris inuicta, æternorum spe se sustentabat. Sereno & placido vultu, menteque immota, ad vitæ diem supremum anhelabat, non aliter quam e tenebris ad lucem, e vinculis ad regiam, ad vitam a morte transitura. Corpusculum quamquam tenerius mira domabat abstinentia, cilicijque asperitate afflictabat, nullo illi permisso solatio, vel malorum leuamento. Inter mortales solo corpore degebat, cum ita desiderio ferretur ad æterna, vt in cælo jam agere potius dicenda videretur.

& seuere.

Vbi vltima meta se propius abesse sensit, laneum nihil omnino, lineumue capiti tegendo passa est adhiberi, pręter velum quoddam pæne nullius pretij, quod peregrina quædam virgo nuper amicitiæ Christianæ pignus dono dederat. Reliquum corpus cilicio, rudique super panno voluit operiri; atque ita in sepulcrum inferri. Reliqua quippe superuacanea, non morientibus magis, quam viuentibus prodesse affirmabat. In hunc modum scriptor ille.

Si vero his præsidijs integerrima virgo muniendam sibi vitam esse duxerit alias sanctissime traductam; qua denique fiducia nos, post vitam plurimis flagitijs contaminatam, in torpore, otio, delicijs, ne dicam nouis peccatis mortem exspectamus?

Postquam ejuscemodi studijs ad immortalitatem sibi viam parasset Gertrudis: speque ac metu in diuersum agitata, cum profectionis signum exspectaret, Fossas ad Vltanum misit, qui id ipsi nuntiaret, sciscitareturque, quando denique e viuis migraret. Respondit sanctus abbas migraturam postero mane sub rem Diuinam. Omnem porro metum poneret. Sanctum enim Patricium, cui sacer esset is dies, obuiam cum angelicis choris proditurum, recepturumque in æterna tabernacula. Ita scilicet repensurum quęcumque caritatis euangelicæ officia popularibus suis sciret exhibita.

Diem edocta

Quo delibuta gaudio fuerit Gertrudis, accepto hoc nuntio, non facile quisquam explicauerit. Noctem totam cum sodalibus inter psalmos & preces duxit insomnem. Altero die, qui fuit XVI. ante Kal. Apriles, horam circiter sextam, sumto in Christianum viaticum sanctissimo EVCHARISTIÆ mysterio, sub sacrum beatam efflauit animam, æternis amantissimi sponsi fruituram amplexibus.

sanctissime moritur.

Hoc testatum voluit Deus plurimis miraculis in eius honorem editis. Primum sensit & descripsit autor ipse vitæ: Suauissimus, inquit, erupit odor, tamquam fragrantium vnguentorum, totum complens cubile, vbi sacrum virginis corpus jacebat: inhæsitque diu illa miri odoris suauitas nostris naribus, etiam posteaquam cubili digressi eramus. Sic ille testatur. Sepulta est in S. Petri: & vrbis præsidem post tot sæcula veneratur omnis posteritas. Eius cœnobium hodie est perillustre nobilium canonicarum collegium.

Euangelici porro hujus seminis fertilitatem ad nostram hanc ętatem educarunt feliciter ac propagarunt, quæ sequuntur abbatissæ, quamquam interrupto propter temporum iniqui-

Digitized by Google

 iniquitatem ordine: atque ideo qui numerus ad marginem additur, earum tantum est, quæ ad cognitionem nostram deuenerunt.

ABBATISSÆ NIVELLENSES.

1. SANCTÆ GERTRVDI mortalitatem exuenti anno 664. aut potius ãno superiore extremo tribus ante eius mortem mensibus
2. WILFETRVDIS illius neptis successit de qua suo loco diximus. Obijt autem anno 675.
3. AGVLTIS siue AGNES Gertrudis item neptis sub annum 685. in cujus etiam laudes suo tempore excurrimus.
4. DOMINICA.
5. EGBVRGIS.
6. ROTRVDIS.
7. IDVBERGA.
8. TAVPERGA.
9. GIESSA: quam neptem suam appellat Lotharingiæ Rex S. Zuentiboldus. Vixit autem circiter annum 897. Ergo nonnullarum hic, vti & postea, intercidisse nomina mihi verosimile est: nisi quis malit septem abbatissas expleuisse annos 222.
10. ADALBERNIA vt plerisque placet.
11. GODA alijs ODA circiter 992.
12. ATHAIS.
13. REKESA vel RICHETA.
14. IDA.
15. RIKESA circiter 1040.
16. ODA II. viuebat 1126. Ergo ante illam est etiam hiatus.
17. ODA III. viuebat 1158.
18. ADA.
19. BERTHA.
20. BERTHA II.
21. HELWIDIS.
22. EGBVRGIS II.
23. BERTHA III. neptis Frederici imperatoris obijt anno 1182.
24. IDVBERGA siue IGEBVRGA 1227.
25. ODA DE LVYS 1265.
26. ÆYDIS DE BEERBEKE 1277.
27. ELISABETHA DE BRVGGELETTE 1278.
28. ELISABETHA DE BARBVIS 1293.
29. IOLENTA DE STEYNE 1340.
30. ELISABETHA DE LIDEKERKE 1350.
31. MECHTILDIS DE LEVVWENBERG. 1380.
32. ALEIDIS DE LIGNE 1381.
33. CATHARINA DE HALEWIN 1418.
34. BELA DE FRANCKEMBERG.
35. CHRISTINA DE FRANCKEMBERG Nizellam condidit aut instaurauit 1441. Cisterciensibusque tradidit.
36. MARGARETA DESCORNAIS 1462.
37. AGNES DE FRANCKEMBERG 1474.
38. MARGARETA DE HAVCHIN filia domini de Longastre 1490.
39. GVILIELMA DE FRANCKEMBERG 1494.
40. ELISABETHA DE HEIZELLES 1519.
41. MARGARETA DESNE 1522.
42. ADRIANA DE S. OMER dicta DE MARBEECK 1548.
43. MARGARETA DESTOVRMEL 1560.
44. MARGARETA DE NOYELLE 1569.
45. MARIA DE HOENSBROVCH 1600.
46. ANNA DE NAMVR 1604.
47. MARGARETA DE HAYNIN orphanorum domum insigni munificentia condidit & mortua est 1623.
48. ISABELLA SCOVTETE dicta VAN ZVGHEN sed frequentius D'ERPE collegium Societatis IESV liberaliter promouit. Obijt 1630.
49. Successit illustris ac generosa D. ADRIANA DE LANNOY; pergit Societatem IESV fouere. Sui templi æs cãpanum fulmine tactum magnifice suo ære restituit, & illustris collegij nobilitatem simul & religionem magna laude sustentat.

II. GRIMELOTA
virgo Niuellensis. *Manuscript. Villar. Cantipratanus.*

EIus natalem hodie nonnulli ponunt: quos ego tametsi certo nullo existimem argumento niti, sequor tamen, cum certius aliquid statuere non potuerim. Spectata vitæ innocentia Niuellis ea tempestate illã floruisse certum est, qua plurimarum virginum ea in vrbe

Digitized by Google

in vrbe ac vicinia degentium præclaram virtutem grauissimis encomijs scriptores plerique celebrarunt. Aureum vere Niuellis fuit hoc sæculum, deuotis Deo virginibus feminisque mira sanctitate celebratissimis. Inter quas non infima vixit Grimelota. Et fortasse illa ipsa est, quam eximia virtute conspicuam, Beguinisque bis mille præpositam se nosse Cantipratanus testatur. Id ego quidem ita conjicio; nec enim aliter asserere possum. At de hoc dubitare fas non est: adeo secunda eius fama in vicinas late regiones spargebatur, vt Gobertum Asprimontis in Lotharingia comitem Niuellas ad ipsam adduxerit, ex qua veluti quodam oraculo Diuinæ voluntatis arbitrium intelligeret: eiusque persuasione Villarij monachum induit. Quam feliciter, habebit lector vigesimo Augusti. Neque de illa veteres plura prodidere.

III. DIEDELA.
virgo Niuellensis. *Chronicon Villarij.*

NEsciremus hanc virginẽ, si non a perpetua obliuione vindicasset Villariense chronicon, paucis quidem de illa relatis, sed quæ memoriam omnino mereantur, cum mirabilem Diuinæ pietatis in humanas mentes beneuolẽtiam veluti digito tractandam commonstrent. Fidem vero illi nulla ratione derogandam arbitror, quod eo tempore conscripta fuerit hæc historia, quo præcipua quadam sanctitate (eius suo loco meminimus) clarescebat præstantissima illa virtutis omnis schola.

Seruatoris nostri natali nocte contemplando illius tẽporis mysterio dabat operam Diedela; ecce tibi speciosus forma præ filijs hominum homo IESVS CHRISTVS eadem nocte de Virgine matre natus quasi sponsus denuo procedens de thalamo suo, non in oculos modo, sed in vlnas se dat religiosæ illi virgini. Quem illa suauissimo religionis sensu complexa cum pectori apprimeret, & tenerrimo amore oscularetur; derepente venit in mentem illi cujusdam cœnobitæ Villariensis, quicum eximiæ virtutis gratia Christianæ caritatis glutine conjuncta pridem erat. Atque vt amicorum omnia solent esse communia: Absit, inquit, vt vllum tantis his a te, mi IESV, delicijs in animum meum permittam aditum, nisi amicum illum meum in illarum partem aduocem. Sinceram illam virginis caritatem amauit Diuinus puer, & voti compotem mox fecit. Illam enim, seque in eius brachijs Villarij stitit huic monacho sacris ad aram operanti: ac deinde Niuellis restituit. Is vero miram adeo rem secum reputans cum satis mirari non posset, post paucos dies de sui antistitis voluntate ad illam venit, de tantæ rei causa modoque quæsiturus. Verum noua hic illum subijt admiratio. Primam quippe salutem necdum dixerat, quando notam Diedelæ accepit aduentus sui causam. Ceterum tot illa mira satis produnt insignem virginis hujus sanctitatem. Atque ego ex libertate flagitandi rem adeo insolentem non temere videar colligere suauem eius, ac sæpius iteratam cum cælitibus familiaritatem. Sed conjectura est, inquam: nam plura veteres de illa reticuere.

Die decimo nono

I. S. LANDOALDVS
archiprésbyter cum socijs SS. AMANTIO diacono, ADRIANO martyre, IVLIANO, & ADELTRVDE virgine. *Notgerus, Molanus.*

LAndoaldus ob insignem Diuinarum rerum cognitionem & incensum fidei propagandæ studium Romę pontifici carissimus, archipresbyter creatus est. Qua de causa, nonnullis existimantibus illum fuisse cardinalem, ejusce dignitatis insignia pictores illi apponunt.

Sub annum a partu Virginis sexcentesimum tricesimum quartum Romam ierat S. Amandus, vt ad Dei verbum inter gentes seminandum a pontifice socios obtineret. Designauit pontifex, quos huic muneri credidit peridoneos Landoaldum, Amantium diaconum, Socius S. Amando datus

diaconum, Adrianum, Iulianum, & alios sex, quorum nomina oblitterauit antiquitas. Adjunxit se comitem Vinciana virgo Landoaldi soror; quæ fraternæ pietatis æmula, patriam simul relinquens, in Gallias venit, cultum Numinis pro sua conditione propagatura.

Quid hoc auctus supplemento perfecerit Amandus, non inuenio. Certum est, viros tantos nullam rei bene gerendæ occasionem dimisisse. Cum anno tricesimo septimo Tungrẽsem cathedram inscendisset Amandus, & triennio post discederet ad spargendum in mortalium animos euangelium, suam ecclesiam Landoaldo commendauit. Suscepit ille sedulo prouinciam, suamque adeo probauit operam, vt Aper comes Lamberti filij sui pueritiam illi commiserit Christianę vitæ rudimentis imbuendam.

eius vice Tungrensem ecclesiam regit.

Agebat fere Wintershouij apud Adeltrudem Bauonis filiam sanctissimam virginem: quam jam tum a prima ætate in omnem honesti dignitatem miro desiderio propendisse habemus: eamque non minus quam eius patrem cum melioribus disciplinis instituisset Amandus, Landoaldo discedens commendauerat. Ideoque in illa solitudine, quando per episcopatus administrationem licebat, sibi Deoque cum religiosa sua familia vacabat. Ibi Lamberti pueritiam optimis artibus exercuit: eaque perpetrata sunt prodigia, quę ante narrauimus. Cum episcopatum denique posuit Amandus anno quinquagesimo, tum denique in beato illo se tenuit secessu, omnemque honestationem plurimis annis sectatus est. Angelicam cum sodalibus egit vitam, non aliter, quam si ab omni rerum terrenarum concretione fuissent alienissimi. Tantam sanctitatem non potuit e vicino non amare Childericus rex, postquam Sigeberto patruo successit anno quinquagesimo quinto. Sua munificentia sanctum hunc cœtum aluit, quamdiu Trajecti sedem habuit. Sed Adrianum quotidianam ad Landoaldum a rege ferentem annonam contigit aliquando latronum excipi insidijs, & crudeliter obtruncari. Ita prodidere veteres: martyrum tamen tabulis inscripsere. Quo certe mihi persuasum est, corruptum ad nos deuenisse antiquitatis testimonium: alias martyrij laurea illi neganda esset.

S Lambertum erudit.

Primus hic e Landoaldi socijs hujusce stadij metam videtur attigisse. Neque multis annis sejuncta est Vinciana, aut Adeltrudis, virgines eximia sanctitate insignes. Secutus est Landoaldus: tum ceteri Amantius, Iulianus; quamquam de ordine annoque nihil traditum sit ab antiquis.

His tot sacris pignoribus nobilitatum fuit multis annis Wintershouium. Et cum Normannicę vastitatis metu in terram defossa fuissent, jacerentque diutius sine honore; multis manifestata prodigijs, in priorem locum & honorem restituta sunt. Donec tandem anno nongentesimo octogesimo quarto Gandauum ad S. Bauonis aucta sunt.

II. B. ABVNDVS

monachus Villariensis. *D'Assignies e Manuscript. Villar.*

CAPVT I.

Sanctam agit pueritiam.

HOij natus est Abundus sub annum millesimum centesimum octogesimum patre Abundo, homine ad rem familiarem attentiore, quam ad Diuinam; matre Maria sacrorum omnium peramante. Christiane hæc liberos sic educauit, vt Ioannes & Iacobus, reluctante quamquam patre, Cisterciensem disciplinam in Valle S. Lamberti professi sint. Fratribus nihil sorores cessere. Gela Vallem nostræ Dominæ, Ramciam Maria ingressę sunt. Tertia Wiburgis cælibatum amplexata, illustrem insigni virtute vitam apud parentes egit, patre nequicquam improbante.

Ingressus pueritiam Abundus, ad litteras applicatus est, eo patris consilio, vt mox ijs instructus rerum domesticarum rationes tractare inciperet. Sed factam ad majora filij indolem mater intelligens, cum diutius in scholis retinuit, & ad sacra studiose efformauit. Emicuerunt a primis annis in illo mira morum suauitas, pudor virgineus, columbina simplicitas, quæ illum omnibus carum facerent.

Sancta pueritia.

In religionem singulari ferebatur studio. Cum duodecim dumtaxat annorum esset, sodalibus

ſodalibus ad ludos procurrentibus, ad principem ipſe baſilicam itabat, obibat aras, ſuffixum cruci ſeruatorem de genibus ſalutabat, ſacraque eius vulnera contemplabatur. Illa etiam ætate Dei parētem religioſius colere cœpit. Poſt quotidianas ſcholarum exercitationes in templum ſe referebat, & aliquot horas dabat fundendis ad Deum precibus. Atque vt mortalium fugiebat oculos, poſt columnas dum latitaret, ſi deprehenderetur, ingenuo ſuffundebatur rubore. Inter hæc ſuum Deus tironem ad altiora mirabilibus illicijs trahebat. Suaui illum imbre lacrymarum ſub preces perfundebat, quibus veluti colliqueſcens animus, omnes humanarum rerum illecebras reſpueret.

CAPVT II.

Villarij monaſticen amplexus, Chriſti, ejuſque parentis colloquijs fruitur.

CREſcebat vna cum annis Diuini cultus amor, quem acri hortatu, ſed magis innocentis vitæ exemplis accendebat ſoror Wiburgis virgo religioſiſſima. Villarij monaſticen profiteri placebat. Sed cum in ſuburbano mira virtutis opinione celebraretur S. Iuetta, cujus ſuo loco meminimus, eius mentem exquirere prius conſtituit. Saniſſimum illa conſilium affirmauit. Villario tamen Tres fontes vel Auream vallem cenſuit præferendam. At juuenis, ſi res quidem probaretur, nolle ſe de loco dubitare reſpondit. *Villarium ingreditur*

Paucis ergo poſt diebus obuius Leodij Conrado Priori Villarienſi, deſiderium ſuum aperuit. Amauit ille mox juuenis indolem: omnemque ſuam opem pollicitus, ad Carolum abbatem remiſi. Paruit Abundus: & facta ſibi poteſtate, veterem exutus hominem, nouum in Chriſto induere tota virium contentione laborauit. Tironem inuadere & ſanctis cœptis abſtrahere dæmon minime dubitauit, objectis illi turpiſſimis feminarum inuerecunde nudatarum formis. Quas oculorum ludificationes oppoſito religioſe ſigno crucis ille eluſit. *frendente fruſtra dæmone.*

Annum egerat ab edita profeſſione ſeptimum, quando humanis cupiditatibus expeditus, hoſteque debellato victor, ad cęleſtia puris ſe deſiderijs efferens, efflagitare cœpit omnibus votis, illud vt intueri daretur quod ſupra vniuerſam naturam Deus *præparauit diligentibus ſe*: has quippe ſuas omnes delicias cenſebat. Quindecim dies tenuerat hoc deſiderium, cum viſum eſt cælum diſcedere, & ipſe ſuper omnia condita mente raptus, Chriſtum Dominum ad Patris æterni dexteram vidit conſidentem, & ad ſe propius accedere jubentem audiuit. Acceſſiſſe videbatur: en iterum audit: Quod tantopere deſideraſti, vides; id nimirum, quod *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*; *at præparaui diligentibus me*. Reſtitutus ſibi Abundus, hoc eſt in miſeriarum relapſus vallem, memoria repetens quas viderat delicias, plurimos dies vberrimas effudit lacrymas, nec vllam e conditis rebus percipere potuit voluptatem. Primus Abundo hic fuit ingreſſus in adyta Diuinæ pietatis. Redijt ad eadem alias ſępenumero, liquidiore etiam animi voluptate. Verum Dei parentem ſenſit potiſſimum beneuolam. Quam vt tenerius amabat, ita ſæpius ac ferme quotidie ipſius conſpectu & alloquio fruebatur. Ita litteris conſignatum ad poſteros tranſmiſit, qui ex ipſius ore ſe habere affirmat. Et fidem facit multarum rerum euentus, quas Dei parentis indicio vir ſanctus prædixerat. *Magno cæleſtium deſiderio capitur, 1. Cor. 2. 9.* *& Dei matris amore.*

CAPVT III.

Multorum, ſororis in primis, ac nepotis ſalutem curat ope Virginis.

VTilia multis fuere, quæ de cælo accepit beneficia. Inter eas, quas cum ipſo ſuauiſſime Dei parens ſermocinationes miſcebat, animarum ſtatum illi non ſemel explicauit, vt nonnulli de occultis peccatis commoniti reſipiſcerent; alias vt pro illis, qui purgantibus flammis puniebantur, ad Deum preces funderentur.

Pro parentibus & ſanguine junctis orabat aliquando: diuinitus accepit ſororem ſuam Mariam nuptui mox tradendam: ita patrem conſtituiſſe. Indoluit Abundus; atque vt impediret; facta a præſidibus ſuis poteſtate, Rameiam primum venit (Ciſtercienſis parthenon eſt haud procul Villario) & a ſacratis Deo virginibus obtinuit, vt in *Sororem adducit ad monaſticen*

 ſacrum

Digitized by Google

sacrum illum cœtum sororem cooptarent. Tum profectus Huum breui sanctaque adhortatione sorori persuasit, vt rejectis nuptijs, & omni fluxarum rerum inanitate, ad monasticen & cælestium amorem animum applicaret. Excanduit primum pater, id vbi accepit: sed filij qua precibus, qua rationibus sedatior, consensum denique præbuit. Profecta Rameiam Maria vitam egit præcipua morum honestate insignem.

& nepotem graui periculo eximit.

Abundi nepos in matrimonio vitam agebat parum Christianam. Subita phrenesi correptus horrendis torqueri & agitari modis cœpit, & identidem exclamare, apud inferos se esse. Post aliquot horas quieti redditus. Bonum factum, inquit: recessere, qui me perditum volebant: & procul dubio secum traxissent in exitium, nisi vir quidam sanctus (ita mihi significatum videtur) suppetias tulisset. Dum igitur inducias concessit Deus, aduocetur sacerdos, cui mea peccata confitear. Confessus erat vitæ totius peccata omnia, & paulo post vita defunctus est. Cum in phrenesim primum incideret (ita collatis temporibus postea compertum est) jussit Villarij Dei parens Abundum orare pro amico grauiter periclitante: nec aliter periculum explicauit. Cum orasset Abundus, significauit illi eadem sancta virgo, cum amico mitius agi. Qui postquam denique diem illum obijsse accepit, magna sollicitudine Deum ei propitiare studuit. Post ardentiores preces, in leuem aliquando delapsus somnum, nepotem videre visus est per pontem aliquem perangustum transmittere amnem, in quem prius decidit, quam pontis medium attigisset; & in aquis præfocatus est. Recurrit ad suum asylum Dei matrem Abundus, & multis precibus obtinuit, vt ad vitam nepos reuocaretur. In somnis hæc quidem agebantur; neque intelligebat, quid ei significaret Deus. Adfuit optima parens; & docuit eius nepotem moribus deprauatum, mũdi vorticibus interijsse: sed flexum ipsius Abundi precibus Deum, salutari confessione vitam reddidisse: atque adeo feliciter illum animam exhalasse.

CAPVT IV.

Multos alios juuat, ac tandem sancte moritur.

Tironem retinet in monasterio

NIhilo inferiorem a Virgine Matre domesticis suis sodalibus opem impetrauit. Impudicitia grauiter impugnatus quidem juuenis, cum Abundo periculum suum aperuisset, eius precibus per sanctissimam omnis puritatis præsidem virginem Mariam e pacem consecutus est. Tiro dæmonis fraude prope prostratus, de statione deserenda bis cogitarat: bis auxilio Virginis Abundi precibus impetrato hostem debellauit, & nuncupatis votis ad mortem perseuerauit.

item alium: cui etiam B. Virginis conspectum obtinet.

Alius post simile certamen, simili quoque beneficio victor, grati animi ductu in sanctissimæ matris amorem, eamque videndi desiderium exarsit. Et vero constantem sibi de hostibus victoriam pollicebatur, si frueretur optatis. Abundo suam spem exponit. Virginem ille rogat, & obtinet. Tantam sanctissimo illo aspectu concepit animo bonus ille vir voluptatem, vt par nihil in humanis existimaret. Solaque eius memoria mirabilem quoad vixit expertus est inter orandum suauitatem; & ex illa lacrymas vberrimas eximia dulcedine profudit.

Multa passus

sancte moritur.

Ad easdem delicias sed æternas euocatus est Abundus, & eadem via, cui quamdiu vixit, institerat. Nam etsi Christus Dominus sanctimaque mater sæpissime suo clienti solatia miræ suauitatis affuderint, minime defuerunt permolestæ cruces tota vita tolerandæ. Et vero ad mortem deductus est diuturna paralysi. Ad cujus molestias sancte perferendas animatus est dulcissimo viso Christi Seruatoris e cruce pendentis. Morbi diuturnitate molestijsque fatigatus, qui illi ministrabat, eum deserere cogitabat, quo claustri potius religiosa quiete frueretur. Sed consilium Deus improbauit, illique significauit vberiorem ex infirmi cura vnico die messem collecturum, quam e ceteris monasterij functionibus totis quadraginta diebus. Cõstanter igitur ad vsque paralysis & vitæ finem perseuerauit. Abundus autem post vitæ hujus ærumnas Christiana fortitudine superatas ad immortales triumphos euocatus est XI. Kalendas Martias anni supra millesimum & ducentesimum vndequadragesimi.

HVGO

Digitized by Google

III. HVGO DE S. CARO e Dominicano cardinalis. *Vita S. Iulianæ, Theophilus Rainaudus, Bzouius.*

NAtus est non Barcinone (vt quibusdam placet) quæ Catalaniæ ciuitas est in Hispania, sed Barchinonetæ, quod oppidum est veteris Burgundiæ. Cum insigni clareret eruditione, discipulum habuit magnum illum Vmbertum Romanensem ordinis Prędicatorum postea V. magistrum generalem, cujus vicissim in spiritus schola discipulus fuit. Salutari quippe illius persuasione cum omnibus humanis rebus nuntium remittere constituisset, ab eodem in S.Dominici disciplinam receptus est.

Cum insigni sapientia floreret, moderatorum suorum imperio S. theologię doctor renuntiatus est, primus omnium e suo ordine: atque anno post millesimum & ducentesimum tricesimo tertio profectus est Constantinopolim cum Petro quodam item Dominicano, adjunctis e minorum ordine Aimone, & Rodolfo. A Gregorio IX. mittebantur ad Germanum II. patriarcham, vt ad sanam doctrinam & conjunctionem cum ecclesia Latina reducerent. Vbi validissimis argumentis, autoritateque SS. patrum cum e Græcis, tum e Latio petitorum, demonstrarunt id, quod erat caput legationis & controuersiæ, *ex Patre Filioque Spiritum sanctum procedere.* Eaque dogmata rectissime confirmata, vniuerso Orienti reliquerunt. Constantinopolim a pontifice mittitur.

Reuersus in Occidentem cum magna sapientiæ gloria Hugo, cum virtute nequaquam inferiore polleret, inferioris Germaniæ prouinciæ præpositus est. Quo in munere dum versatur, Leodium venit sub annum tricesimum quintum, adolescentem sodalium familiam inspecturus: nam ibi triennio ante sedem statuerant. Grauis hic controuersia tum disceptabatur, mouente illam S.Iuliana: catholicæne doctrinę consentaneum esset, atque e Dei gloria futurum videretur, vt proprio festo Sacrosanctam Eucharistiam ecclesia veneraretur. Rogatus sententiam Hugo, ità videri pronuntiauit. Inferioris Germaniæ prouinciaris Leodij festū Corporis Christi

Plerique nihilominus, ijque etiam clariores doctrina, sed illa quæ inflat, vt loquitur apostolus, nescio qua nominis autoritate secum alios in diuersa rapiebant: adeo vt passim vrbe tota muliérculæ somnia (ita loquebantur) acrioribus sannis riderentur. Vnus Hugo Diuini honoris studio inductus, palam rem audebat probare, asserereque esse cælestis consilij. Et cum aduersantes pręfracti mente plurimos videret, in concionem prodibat, atque acerrime pro sua facundia Dei gloriam propugnabat; paruo vt tum quidem videbatur operę pretio: at sementis jaciebatur, quæ in terra lateret aliquamdiu, & vberem suo tempore frugem proferret. Probat & publice tuetur.

Post decennium ad œcumenicam synodum Lugduni indictam vocatus, quo grauius suæ sententię momentum adderet, ab Innocentio IV. in cardinalium collegium primus e suo ordine adlectus est addito titulo, vt loquuntur, S.Sabinæ. Sed āno duodequinquagesimo missus summa cum autoritate legatus a latere ad inaugurationē Guilielmi Hollandi Cęsaris designati, cum occlusis portis Aquenses illum non reciperent, vrbisque obsidio institueretur, ipse vitato castrorum tumultu, se Leodium recepit, quo veteres illum necessitudines inuitabant. ANN 1245. Creatus cardinalis

Conuenerunt salutatum dignitate doctrinaque præcipui: atque inter varia, vt fit, incidit sermo de collegio canonicorum S. Martini, quod vnum in tota diœcesi, sancitum imperatumque ab episcopo Roberto festum Ven. Sacramenti suscepisset, adhucque retineret non religiose minus quam constanter: simulque vbi de ritu quæsitum est, *officium* quod S.Iulianæ prouisu & auspicijs conscriptum fuerat, eius censuræ oblatum est. Non attente modo legit cardinalis, approbauitque summopere singula; verum etiam quod ex Numinis honore fieri posse olim judicauerat, pro illa, qua modo instructus erat, autoritate confirmauit. Diem ergo dicit, quo in S.Martini solemni ritu sacra celebraret. idem Leodij celebrat

Deis aderat: concursus fit omnium ordinum frequentissimus, inuitante vel rei nouitate, vel autoritate legati. Ipse ritu pontificio facit: atque sub ipsa Mysteria suggestum conscendens, ad confertissimam concionem dicit. Festi primum dignitatem proponit ab amplificato Diuini nominis honore; tum gloriam immortalem, quam sperare posset ecclesia Leodiensis ob augustum illud festum sine vllo cujusquam exemplo vsurpatum:

DIE 19. omnium denique illorum vtilitatem, qui religiosa mentis affectione, constitutum his sacris diem venerarentur; in quos nimirum e munifica Diuinæ benignitatis manu largissimi gratiarum imbres olim depluerent. Contenderent igitur omnes qua sacri ordinis, qua profani homines debitum cultum & venerationem pro festi majestate conferre: cultum vero magis consentaneum esse non posse, quam si Angelico pane quamplurimi reficerentur. Cumque ita perorasset, sacrificium peregit. Obtinuit autem sua oratione, vt annuum vectigal legaret canonicus quidam Martinianus, quo pares summis festis sumtus in sequentes ætates suppeditarentur.

Quo autem festum hoc proprium perpetuumque esset, & quamplurimis commune populis, idem scripto ad omnes suæ legationis ecclesias diplomate imperauit. Hæc Leodij vir ille clarissimus.

Varijs præterea sapientię monumentis nomen suum immortalitati consecrauit. Scriptores hagiographos omnes dictione quidem non admodum culta, at magna eruditione explicauit. Sed quod laboris propemodum immensi, æterna dignum est gloria ob maximam vtilitatem illud est, quod Concordantias bibliorum appellant.

Honorum horror. Hoc tamen multo gloriosius, quod ad tantum dignitatis apicem elatus, de perfectioris asceticæ disciplina rigoreque nihil remisisse fertur. Impositi oneris grauitatem sentiens, agnoscensque subinde salutis periculum, suam infelicitatem non raro deplorauit: extremaque vita dixisse fertur: Mallem elephantiasi toto corpore tectus in monastica humilitate vitam egisse, quam purpureo isto galero mihi caput oneratum fuisse.

Lugduni mortuus est sexagesimo illius sęculi anno, & in æde Prædicatorum conditus.

Die vigesimo primo

I. HENRICVS
e priori Villariensi abbas Loci S. Bernardi. *Manuscr. ejusdem monasterij.*

VIllarij monachus ea morum se probauit integritate, vt prioris munus sustinere jussus fuerit. Sustinuit autem tanta animi fortitudine cum mirabili suauitate conjuncta, vt qui tum in sancta illa familia religiosæ disciplinæ splendor pulcherrimus emicabat, noua in dies luce claresceret. Quamobrem cum spes esset non inferioris fructus in Loco S. Bernardi sub eius pręfectura producendi, anno post Virginis partum millesimo ducentesimo septuagesimo secundo illius monasterij abbas renuntiatus est. Neque aliorum de se exspectationi cessit. Nam quod acerrimum sibi jam pridem indixerat bellum, inuicta constantia gerere perrexit, mirabili ac pæne supra fidem cibi abstinentia, asperitateque cilicij: quibus expeditiorem mentem indefesso studio sustulit ad cælestium contemplationem.

Ipsius Iongelini verbis malo quam meis encomium addere. Fuit, inquit, *vir profecto dignißimus, qui adhuc recentem plantationem virtutibus suis commendatiorem, quamquam alioqui commendatißimam, redderet. Erat enim religione, pietate, ac omnigenis virtutibus tantum non ad superstitionem vsque præditus. Nam vt cetera taceamus jejunia ac abstinentiam fere incredibilem, tam rigidus castigator sui corporis fuit, vt cilicio carnem numquam non conficeret attereretque. Et quod magis mirandum, quamquam sic pietati per se intentus esset, negotia domus propterea non remisit. Nam insigniter ipso abbate monastici merito & numero multiplicati sunt, & censibus ac latifundijs ipsius industria domus ditata est ac locupletata. Igitur quandoquidem Saluatoris nostri denuntiatione impoßibile est ciuitatem in monte positam abscondi, fama pietatis ac virtutis eius celebratur sic, vt anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto a Villariensis conuentus parte vna in abbatem eligeretur. Variatibus enim suffragijs duos abbates elegerant, hunc nostrum & D. Robertum de Blokeri. Sed Domino non placuit domum istam tam feliciter sobolescentem tam digno ac commodo pastore spoliari. Omnibus plebeijs juxta ac nobilibus suspiciendus ac carus habebatur. Quo factum est vt dignus reputaretur insignem illam legationem nomine ducis Ioannis I. obire, qua scilicet cum rege Angliæ agebatur de matrimonio conficiendo inter ducis filium & Margaretam regis filiam. Quo negotio prospere & ex animo ducis confecto, eximijs regalibusque muneribus donatus est: ac prospere redijt ad sua.* Hęc ille.

Eodem

Digitized by Google

Eodem anno, qui fuit nonagesimus sextus, non diu postquam redierat, suo munere laudabiliter defunctus, religiose diem obijt.

II. ADAMVS SASBOLDVS Minor. *Raissius.*

DElfij natus in Hollandia, quemadmodum liberalem & ad omnem honesti rationem quasi fictam a natura nactus est indolem, ita habuit parentes rectæ institutionis perquam studiosos. Puer igitur eam morum recte compositorum præ se tulit suauitatem; vt inter ęquales vnus potissimum emineret, & omnium sibi conciliaret gratiam & amorem. Cum adolesceret, Vltrajectum missus a parentibus, litteris humanioribus daturus operam, insignia dedit ingenij sui specimina. Tanta valuit memoriæ tenacitate, vt vniuersam Maronis Æneidem complexus, illam sine monitore recitare posset. Louanium profectus, in pædagogio Castri philosophicis primum disciplinis, tum etiam theologicis pontificij collegij alumnus non parua laude imbutus est. Hic etiam sacerdotio consecratus, vitam instituere tanto gradui consentaneam sedulo contendit. Vitam & res gestas S. Francisci Assisiatis cum legere amaret, sanctas concepit animo flammas, quæ terrenarum inanitatum omnes cupiditates extinguerent, cęlestiumque accenderent desiderium. Bonorum scilicet librorum ea fere vis est, vt legentium mentes ad meliora sanctis aculeis exstimulent. Sasboldum certe cupido incessit sequendi illum, cujus sanctitudinem non poterat satis admirari. Neque suæ in hominum genus maleuolentię defuit cacodæmon. Familiaribus sibi technis nonnullos opposuit, qui amicitię obtentu objectis nescio quibus rationibus juuenem pijs consilijs auocarent. Ea scilicet proponebantur, quæ magni solet æstimare mundus: atque inter alia opimum in Vltrajectensi ecclesia sacerdotium. Verum in sancto proposito perstitit inuictus: eademque in vrbe S. Francisci disciplinam amplexus est. Tirocinium religiosæ vitæ vix posuerat, moderatorum suorum imperio theologiam explicare jussus est. Paruit magno auditorum emolumento. Nam præter eximiam altioris illius disciplinæ cognitionem, Latinam in paucis linguam, Grecamque ac Hebræam callebat. Frequentes insuper e loco superiore habebat orationes, quibus ad ineundas Christianæ vitæ rationes populum excitaret: expedita quippe valebat dicendi facultate; cujus hodieque monumenta minime obscura publico edita sunt. Præclara molientem immatura morte lenta tabes absumsit, cum annum ætatis ageret trigesimum octauum. Mortuus est anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, relicta in hominum animis insigni suę virtutis opinione. Quam merito firmauit vere Franciscana cubiculi paupertas; in quo præter effictam in chartula Christi e cruce pendentis imaginem, breuiarium, biblia, & eius scripta, nihil inuentum.

Die vigesimo secundo

GENTA antistita Floridæ vallis. *D'Assignies, Cantipratanus, & Manuscr. monasterij.*

GEnere formaque nobilis, omnes mortalium illicias inuicta animi fortitudine contemnens, S. Benedicti disciplinam primum amplexata est: sed ad Cistercienses leges postea in Floridam vallem migrauit. Vbi sic virtutibus claruit, vt ceteris sodalibus præposita fuerit.

Excelluit in primis mirabili sui contemptu. Totis annis triginta, quibus abbatissam egit, quinque solidos foris numquam expendisse fertur. Vbi cum sodalibus iter fecerat, vię laboribus fatigata, ipsa quidem ad communem cum ceteris cenationem se conferebat, sodales vero mittebat ad infirmorum cubicula, vt ibi corpora reficerent. Paupertas Charitas

Cum illas mitteret alias ad vicina monasterio loca, ipsa si quidem negotia ferrent, magna humanitate sociam se adjungebat, & vel inter ambulandum vel inter illas confidens, Pia colloquia

Die 22. sidens, suauissimos de rebus cælestibus sermones miscebat cum ingenti omnium bono, parique voluptate: quarum animos sua illa comitate, hilaritateque religiosa ita sibi deuinciebat, vt eius absentiam non nisi ægre ferrent.

Patientia. Diuturniore inualetudine deducta est ad vitæ finem, aut certe principium immortalitatis. Ea quippe mentis æquitate diuturnos languores sustinuit, vt nemo dubitaret omnes in illa næuos purgari, quo in cælum expeditior & ad nobiliorem palmam eueheretur. Ad eam morti viciniorem venerat Cantipratanus: ei modeste confessa est dulcissima se frui animi tranquillitate, magnaque Diuinę bonitatis fiducia vltimum se diem præstolari, quo transiret ad æternos cælestis sponsi amplexus, cujus aspectu non raro se, dum viueret, recreatam affirmabat. Tum assurgens e lectulo, proximum fenestræ locum demonstrauit, qui toto triduo mirabili luce coruscauerat. Et cum paulo post animam exhalaret, eodem loco magni splendoris noua lux visa est, index procul dubio æternę lucis & gloriæ, quam inibat beata anima.

Pax animi.

Die vigesimo quinto

SANCTIMONIALIS ANONYMA.

conuersa Argenton. *Ex ijs quæ ad me scripserunt, & coram testatæ sunt R. D. Catharina Malinæa abbatissa, & aliæ virgines ejusdem cænobij.*

VIxit Argentoni religiosa quędam virgo e conuersarum (vt appellant) genere, & coquinæ pręposita; Deo notior, quam hominibus. Eximiæ virtutis aiunt illam fuisse; sed ætatem æque ac nomen ignorant: Neque de eius vita (quam in paucis fuisse religiosam affirmant se a majoribus accepisse) quidquam addunt præter insigne vnum aduersus illam Diuinæ pietatis monumentum. Die Veneris sancto (quo Christi Domini cruciatus & mortem veneramur) ab ęde sacra redibat ad suam coquinam prandium paratura: puellum offendit eleganti forma, sed veste plurimo luto sordidata. Sublatum in vlnas puerum in culinam defert, & studiose vestes lauat, lotasque igni admouet siccandas. Interea prandij nihil erat paratum: & imminebat hora. Opus ergo præcipitat: & quæ pisa habebat, in illam multo luto turbidam aquam, qua pueri vestem lauerat, immittit, coquitque. Sed ad puerum ab opere deinde conuersa, nullum videt; nec qua euasisset, deprehendere potuit. Dato ad prandium signo inferuntur in mensam pisa: edunt sanctimoniales, sed numquam deliciosius. Mirata lautitiam sacro illo tempore antistita, remotis mensis expostulat cum coqua de delicijs illo die paratis, quo maxime par erat in Dominicę mortis memoriam de castiganda gula cogitari. Sed fatente, quod erat, coqua, eo facilius fidem habuerunt omnes, quod aliquid suauitatis supra humanum in eo cibo fuisse agnoscerent. De alijs ab ea virgine perpetratis nihil pręterea proditur. Hoc vnum: acta religiose vita fides est in æternas pueri Iesv nuptiales epulas receptam fuisse.

Die vigesimo octauo

B. EILBERTVS

comes & conditor Walciodorensis. *Quæ R. D. Florentius Danthine S. theol. licentiatus & monachus VValciodorensis collegit e sui monasterij Manuscr.*

VIxit Eilbertus comes cum Heresinde conjuge circiter annum a nato Christo nongentesimum quadragesimum: & cum e conjuge liberos non speraret, conditis monasterijs suas facultates Numini consecrare proposuit. Sena illum construxisse in Teorascia plerique prodiderunt. Septimumque jam meditabatur: quando ambigenti quibus auspicijs suum consilium exequeretur, ecce adest e Scotia cum duodecim sodalibus

libus Forannanus virtute non minus, quam archiepiscopi dignitate venerabilis: affirmatque a Deo se jussum venire, vt Eilberto comiti cœnobium in Valle decora ponere cogitanti adesset. Eilbertum recreauit admodum ea Numinis prouidentia. Vnoque omnes consilio Romam proficiscuntur, vt apprecante fausta omnia Dei vicario, religiosum illud propositum aggrederentur. S. Forannanum excepit. It Romam

In reditu visum est monastices rudimentis e S. Benedicti disciplina imbui Gorziæ: monasterium erat in Lotharingia Mosellana multa sanctitate celeberrimum. Hic cum suis dum exercetur Forannanus, redit ad Vallem decoram Eilbertus, cœnobium exstructurus.

Leodium forte venerat Otto Cæsar, cujus venia cœnobium condi debebat. Eo se contulit Eilbertus: & per præsules Fredericum Moguntinum, & Hugonem Leodiensem obtinuit, vt quod meditabatur opus, perficere per Cæsarem liceret. Quod denique postquam perfecit, Gorzia Forannanum cum suis in Vallem decoram aduocauit, quam hodie Walciodorum appellamus. ANNO 946. Walcidorum condit

Ne securius e cælo præsidium nouis ascetis deesset, S. Eloquij sacrum corpus in monasterium intulit Eilbertus. Olim hic e S. Fursei sodalibus strenuam Christianę rei propagandæ operam dederat in Nouiomensi diœcesi. Verum a Normannica vastatione, cum inhonorum eius sepulcrum haberetur, Walciodorum aduexit Eilbertus, vbi & majorem acciperet venerationem, & incolis esset præsidio. Quibus feliciter peractis anno nongentesimo quinquagesimo tertio, qui septimus erat a condito monasterio, actam insigni sanctitate vitam Fleruci feliciter clausit. Walciodorum Forannanus retulit, ac terræ condidit: hodieque sepulcrum visitur. eo defert S. Eloquij corpus. Fleruci moritur.

Die vigesimo nono

I. STEPHANVS X. PAPA

ex archidiacono Leodiensi. *Leo Ostiensis, Lamb. Schafnaburgensis, VVasseburgus, Baronius, Molanus.*

CAPVT I.

Archidiaconus Leod. in Italiam a pontifice abducitur. Constantinopoli legatus rem prospere gerit.

PRius quam ad pontificatum eueheretur, Fredericus dictus est. Patrem habuit Gozilonem regni Lothariensis siue Lotharingiæ protegem, vel, vt illis temporibus loquebantur, ducem, & simul Bullioni toparcham. Canonicus in ecclesia Leodiensi fuit & archidiaconus. Illustrem suæ gentis nobilitatem insigni sapientia virtuteque ornauit. S. Albani templum restaurarat Albertus Namurci comes, qui Idam eius sororem in conjugem habebat. Nouam basilicam Fredericus suis facultatibus, libris, sacrisque reliquijs, quas a patre acceperat, locupletauit. Alias rursum S. Albani reliquias a B. Bardone archiepiscopo Moguntino, sancti vero Gerardi Tullensis episcopi impetrauit a Bruno episcopo (quem pontificem paulo post creatum, Leonem nonum appellarunt) & in ejusdem ædis sacrario reposuit anno supra millesimum quadragesimo sexto. Hoc ab illo gestum in patria commemorat posteritas. Namurcum ornat reliquijs.

Abduxit in Italiam Leo IX. anno vndequinquagesimo. Fuit illi hic ad summa gradus: sed ea abducendi causa. Godefridus Frederici frater Lotharingiam diro bello fatigarat: & quamquam Cæsari jam illum Leo reconciliasset, minime diu quieturus videbatur. Cum magni vir animi, militiæque peritissimus esset, opportunum illum credidit Leo reprimendis Normannis, qui per Italiam justo plus inualescentes, grauiter Romanam ecclesiam vexabant. Cui facilius tantum iter vt persuaderet, Fredericum eius fratrem, cujus eximiam virtutem alias habebat perspectam, in suam familiam adsciuit. In Italiam abductus.

Vtilem ecclesiæ Frederici operam sensit Leo; & ea de causa creatum apostolicæ sedis diaconum, bibliothecarium, & cancellarium, rebus grauissimis admouere solitus est. Gloriosam prǣsertim anno quinquagesimo quarto legationem imperauit in Orientem, mittitur in Orientem

ad

ad conciliandos Latinis Græcos jam diu dissidentes. Imperatorem & patriarcham ecclesiæ suæ majestatem pertinacius retinentes cum ad officium, & Romanæ sedis venerationem sapientissima disputatione frustra tentasset reducere Fredericus, abire constituit. Regia pedem efferebat, quando apostolorum morem secutus, e Domini præcepto de pedibus suis in eos puluerem excussit. Vniuersos terruit ea legati fortitudo. Postero mane imperator & patriarcha cum omni clero, populoque Constantinopolitano, obuoluti sacco, cinereque aspersi, ad illum redierunt, & in terram abjecti, in eo apostolicam Romani pontificis majestatem adorarunt.

& Græcos ad officium reducit.

CAPVT II.

Fit monachus, tum abbas Cassinensis, & cardinalis.

In Italiam reuersus

LEgatione feliciter in Oriente fungebatur Fredericus, quando nuntiata pontificis morte, cum collegis in Italiam iter maturauit. Verum cum magnam auri vim secum detulisse rumor esset, Henrico Cæsari suspectus esse cœpit propter fratris Godefridi potentiam. Normannicis enim hic bellis eximiam militari fortitudine gloriam consecutus, Beatricem Italiæ marchionem acceperat conjugem: ac Mathildem Beatricis filiam, & paternarum ditionum vnicam heredem Godefridus Gibbosus Godefridi filius.

Auctum his opibus æmulum verebatur imperator. At Godefridus quidem cum Italiam ipse sine periculo deserere non posset, Gibbosum filium cum Mathilde conjuge Bullionum remisit, qui præsens auitas ditiones curaret, & si qua vis vrgeret, tueretur. Alia Fredericus inijt consilia, magis e religionis & Christianæ modestiæ ductu. Nam lætus e maximorum negotiorum strepitu in amicæ solitudinis quietem se recipiendi occasionem dari: quo omnem de se suspicionem quam longissime remoueret, videntibus Augusti legatis, & jussis Henrico referre, quod suis vsurpabant oculis, in Cassino monasticen amplexus est. Ibi felici necessitate delituit.

fit in Cassino monachus

Sed anno denique quinquagesimo sexto cum diem obijsset imperator, solutus metu Fredericus, anno proximo Romam venit, ne Trasimundi comitis Theatini impietatem præterire sineret impunitam: a quo nuper ex Oriente rediens cum ceteris legationis collegis captus, omnibusque fuerat spoliatus. Obtinuit apud pontificem (erat is Victor II.) quod æquitas postulabat.

Excessit interim vita Richerius abbas Cassinensis: & successoris electionem vitio factam cum rescidisset pontifex, omnium suffragijs creatus est Fredericus. Consecrauit mense Iunio pontifex, fecitque presbyterum cardinalem titulo S. Chrysogoni.

tum abbas.

CAPVT III.

Creatus pontifex, multaque præclara aggressus moritur.

CAssinum Roma necdum redierat Fredericus, quando perfertur e Tuscia de morte Victoris pontificis nuntius. Quo grauiter affectus, cum in vrbe constitisset, illum consuluere Romani, vt erat vitæ integritate, sapientiaque clarissimus, quem tanto dignum fastigio judicaret. Quinos ille proposuit, Humbertum S. Rufinæ episcopum, episcopum Velitrensem, Perusinum, Tusculanum, & Hildebrandum ecclesiæ Romanæ subdiaconum; quos tanto munere nequaquam impares censebat. Sed in illos Romani parum ferebantur. Hildebrandum tamen e Tuscia nonnulli putabant euocandum. Vir erat sanctitate, litteris, vsuque rerum celebratissimus; quem postea pontificem creatum, Gregorium VII. appellarunt. At ceteri mox abbatem Cassinensem Fredericum pontificem Romanum conclamarunt, Stephanumque dixerunt, quod is dies quartus ante nonas Augusti, S. Stephano pontifici & martyri sacer esset. Ad patriarchium ergo Lateranense plaudente Roma deductus est, & altero die supremus ecclesiæ pater inauguratus in Vaticano. Hic omnium primus est, qui ecclesiæ Leodiensis alumnus ad supremum illud, Deoque proximum in ecclesia fastigium elatus est.

Factus pontifex

Ad tantum munus strenue implendum conuersus, frequentes, inquit Leo Ostiensis, Romæ synodos habuit, in quibus sacerdotum maxime incontinentiam, aliasque morum corru-

Digitized by Google

corruptelas castigaret corrigeretque. Collabantem etiam in Cassino disciplinam magno molimine confirmauit. Sed hoc in publicam ecclesiæ vtilitatem memoria dignum, quod Petrum Damianum virum illa ętate sapientia, sanctitate, studioque Diuinæ gloriæ clarissimum, sua eremo abstractum creauerit cardinalem, vt grauius deinceps monitis eius, factisque pondus esset. DIE 29. Petrum Damianum creat cardinalem.

Suæ præterea adolescentiæ nequaquam oblitus, sacro munere Leodiensem ecclesiam exornauit. Sanctæ Crucis illius, quam morte sua Seruator noster consecrauit, insignem portionem misit per Godefridum ad S. Petri præpositum. Ex itinere Bullionum hic diuertit ad Godefridum pontificis nepotem: qui hoc patrui munus Leodium comitari voluit. Hoij Theoduinum episcopum inuenerunt, vbi forte tum Marianæ basilicæ constructionem vrgebat. Tanto ecclesiæ suæ honore lætatus pręsul, clero Leodiensi mox significauit, jussitque vt supplicatione ad S. Iacobi instituta, deuecta secundo amne pontificis munera, quo decebat honore susciperet. Paruit omnis clerus & sacrum illum thesaurum nobili pompa in ædem principem inuexit V. nonas Maias. quem S. Cruci ab Helena Augusta inuentæ consecrauit ecclesia. Verum triumphabat illo suo alumno Legia, qui desierat in viuis esse IV. Kal. Aprilis. S. Crucis partem Leodium mittit. ANN. 1057.

Affecta fuerat valetudine, quæ longioris vitę spem non relinqueret. Florentiam venerat quando ingrauescente morbo, mortem imminere intellexit. Forte ibi erat Hugo Cluniacensis abbas, quem postea sanctorum fastis adscripsit ecclesia. Suis hic precibus dæmonem pontifici horrorem & minas intentantem abegit. Sed cum redeuntem secundo tertioque Stephanus vidisset, quando nimirum semel iterumque discedebat Hugo, hunc vt se non desereret, rogauit. Obtinuit, sanctique abbatis se precibus commendans, in eius complexu, magnaque tranquillitate vitam conclusit. Florentiæ sepultus est: ad cujus sacrum corpus prodigia plurima Christus perpetrauit. Ita Leo Ostiensis. Auxiliante Hugone Cluniac. moritur.

II. GODERANVS

conditor S. Ægidij. *Transmosanus, Manuscr. Leod.*

ÆTas nulla, nulla conditio a persequenda virtute repellitur: & pauperem cum voluerit Dei bonitas honestabit. Goderanus e Gallia Narbonensi oppido S. Ægidij oriundus, vir humili sorte, circumductis per varias prouincias vrso simiaque, histrionicam exercens, victum quæritabat. Affecta jam ętate, meliorem Deus illi mentem indidit. Sanctius sui ipse spectaculum cælitibus exhibere cogitauit. A vili conditione

Theatrum illi fuit Publicus mons Leodio imminens, inter siluas latrocinijs infestas: vbi pro melioris vitæ tirocinio, iter facientes si quando forte decrrarent, in viam primum reducere instituit, Notgero Leodiensem ecclesiam regente. Quid enim altius moliretur ejuscemodi homo conditionis? Tum casas & tuguriola cœpit erigere conuehente vrso materiam; quo viatoribus, sed maxime pauperibus hospitalitatem exhiberet. circiter annum 1000. assurgit ad magnam sanctitatem.

Clariores inter hæc Diuinæ lucis radios in animum sentiebat illabi; quos & in hospites suos arrepta occasione cępit immittere. Proxima quæque solet ignis corripere. Is porro fructus exstitit, vt non ex itinere modo, verum solo audiendi studio confluerent plurimi, sacri ęque ordinis ac profani homines: plerique etiam in eius disciplinam transirent.

Ædem ergo sacram exstruxit S. Ægidio, cujus nimirum clientem ortu se meminerat. Casas adjunxit includendis pijs mulieribus, quæ sanctis eius exemplis & hortatu, rejecta fluxarum rerum fallacia, in vnius Dei se tradebant obsequium. Sanctimonia & piæ mentis ardore inter ceteras eminuit Iudila quædam, quam venerabilem mulierem, & Deo dilectam appellat Ægidius. Exstruit templum S. Ægidij.

Feliciter & magna sanctitatis opinione vitam clausit Goderanus. Sepultus est ante aram SS. Dionysij & Lamberti: & Iudila proxime sita.

Isti sunt Ægidiani cœnobij incunabula. Nam episcopus Albero circiter annum millesimum centesimum decimum septimum, postquam nouis operibus templum instaurasset, adjecit cœnobium, attribuitque canonicis regularibus disciplinæ Augustinianæ.

Digitized by Google

ABBATES S. ÆGIDII.

SVnt qui toto sæculo posteriorem ponunt Goderanum, ita vt ab eius morte vnicum statuant eremitam Petrum vsque ad Alberonem, qui sub annum 1117. inducta canonicorum regularium S. Augustini disciplina abbates in posterum ibidem esse jussit.

1. Azo primus fuit & mortuus est 1120.
2. Marsilivs obijt 1172.
3. Brvno 1182.
4. Bartholomævs 1190.
5. Adam 1232.
6. Baldvinvs Pilart, ante præpositus S. Lamberti, obijt 1249.
7. Lambertvs Broncart 1259.
8. Simon 1299.
9. Gofridvs d'Oxhem 1302.
10. Theodoricvs Panvens 1310.
11. Baldvinvs de Haneche 1343.
12. Waltervs d'Oxhem 1382.
13. Warnervs de Wartenge 1396.
14. Baldvinvs de Haneche II. 1414.
15. Gvilielmvs d'Anthinne 1436.
16. Gerardvs de Canistrata 1460.
17. Ioannes Darivs 1503.
18. Ioannes de Palvde 1515.
19. Waltervs de Breda 1526.
20. Franciscvs Wislez 1541.
21. Ægidivs Dorio 1549.
22. Ægidivs de Lint alias Bayonville 1597.
23. Ægidivs Sprimont 1607.
24. Aloysivs a Lymbovrg varia posteritati scripsit. 1630.
25. Successit anno 1636. adm. R. ac nobilis D. Ioannes Nollet, hodieque viuit magno sui monasterij bono: & diu viuat ad Dei opt. max. gloriam, precor.

Die trigesimo

HENRICVS SOMMALIVS

e societate Iesv. *Alegambe Biblioth. Societ.*

PAtria Dionantensis fuit, in Societatem a S. Ignatio receptus anno post millesimum & quingentesimum quinquagesimo primo; eique percarus fuit ob morum candorem. Lauretum Roma primum est missus, vt Græcas litteras doceret, tum in Germaniam ad persequenda litterarum studia. In Belgium denique reuersus, varijs locis magna cum laude, parique auditorum bono de superiore loco verba habuit. Sed in patriam prima cura fuit caritatem exerere. Dionanti cum aliquot socijs sedem fixit, ac primus rector fuit anno sexagesimo quarto. Primus item Duacense collegium rexit: atque alijs subinde collegijs non semel præfuit.

Semper inter hæc sui memor, sanctum parentem Ignatium moribus referre summopere studuit. Paupertatem adeo coluit, vt ne extrema quidem senectute, singulare quidquam admitteret: & moriens præter rosarium, & nullius pretij lipsanothecam nihil haberet. Illud spiritualium collocutionum studium semper prætulit, vt in sodalium conuentum ad colloquia non se daret, nisi ante meditatus quem inferret ipse sermonem.

Quo tempore Lumæus, ille Gorcomiensium martyrum impia cæde infamis, aduersus catholicos sæuiebat, in quoddam monasterium occaso jam sole venit, quo Sommalius ante venerat, & pridem ad quietem decubuerat. Ille pro suo in catholicos, sed maxime in sacerdotes odio, extrahi hunc lecto, nudarique jussit, ac verendis mutilari. Pro nomine Iesv contumeliam exspectabat Henricus inuicta fortitudine: nec aliud illi grauius erat, quam corporis nudatio, cum tota vita pudorem maxima diligentia coluerit. Sed cum tamquam re peracta, infectum alieno sanguine cultrum quidam ostentasset, suum ille odium expleuisse ratus abijt.

Senio magis, & quadam vitæ satietate, quam morbo victus occubuit Henricus Valentianis anno Christi post millesimum & sexcentesimum vndeuicesimo, postquam annos octoginta quinque magna morum innocentia vixisset.

FLO-

Digitized by Google

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
APRILIS.

Die quinto
S. IVLIANA
virgo Corneliana, autor festi Corporis CHRISTI.

Scriptor vitæ synchronus, Manuscr. Corneliani, Blærus, Fanius.

CAPVT I.

Sancte educatur, magnaque humilitate boues curat.

VIXIT Retinnę haud procul Leodio par conjugum insigne non virtute minus, quam genere ac fortunis; at sine liberis diu. Donec post multas preces genita est filia, quam Agnetem dixerunt. Neque hic stetit cælitum beneficentia. Annus vertebatur a Virginis partu centesimus nonagesimus tertius supra millesimum, cum nata est altera, de qua nobis hic est sermo, Iuliana. Non diu post obiere suum diem parentes.

Quintum ætatis annum agebat Iuliana, quando in nosocomium Cornelianum illam cum sorore tutores induxerunt, vt a sacris Deo virginibus, quę infirmis operam dabant, sanctioribus vitæ Christianæ pręceptionibus instituerentur. Eos ambæ sorores virtutum fructus produxerunt, vt adultæ cœnobiticam ibidem professæ sint, attributis illi familiæ fortunis omnibus. In domo Corneliana educatur.

Sed jam inde a primis annis præcipuo quodam piæ mentis impetu in sacra omnia ferebatur Iuliana. Per sanctorum flosculos primum & recte facta, velut apicula quædam studiosissima volitabat, selectumque pro sua conditione mel suauissimum in memoriæ ceu aluearis cujuspiam cellulas recondebat, in imitationem deinde promptura, cum res tulisset. Sed viribus deinde firmior, escam animæ firmiorem conquirebat. Sanctorum patrum monumenta, non secus ac quasdam eorum imagines ad viuum expressas accuratissime, summo desiderio sumebat in manus, mentis oculis obijciebat, ardentissimoque studio ad eas se conformabat. Capiebatur in primis scriptis B. Augustini, cjusque flammis suum ipsa animum succendere nitebatur. In animum tamen magis influebat S. Bernardus; sed tum maxime cum Canticum canticorum explanaret: cujus capita vicenis plura memorię firmiter impresserat. His magistris insignem primum sui contemptum, & mundi victoriam didicit. Boum curam sibi committi flagitauit non minus studiose, quam nobilissimum magistratum quispiam candidatus. Obtinuit, sed ægre: cum nobilem virginem ad ancillare munus demittere præsides tergiuersarentur. At laborem illa, sordes, odoremque grauem in delicijs Christi causa reponebat; sui vero laboris fructum, si quis esset, domesticis vniuersis solatio futurum sibi gratulabatur. Boum a pascuis luxuriantium sterni pedibus ac proteri arbitrabatur deliciosum; nisi doleret velut

E Sanctorum vitis & scriptis valde proficit.

Boum curã deposcit & diligẽter exequitur.

ignauia

ignauia sua factum, quod effusi lactis quantulamcumque jacturam fecisset familia. Quod vbi euenerat, non impunitum patiebatur, sed quasi vindicatura, palam erratum fatebatur, sibique condonari supplex rogabat. Nihil enim tegi sustinebat, quod præferret aliquam erroris speciem: erubescebat autem retegi, vbi recte quid fecerat, aut grauius aliquid ab officio pati deprehendebatur.

Quo fiebat vt boum pedibus quandoque conculcata, omnem comprimeret gemitum: verita ne præter vnum Deum, cui soli totam se dicabat, testem alium quempiam, & fortassis vna mercedem haberet.

Cum aliquando soror Agnes inter boum pedes prostratam, totamque lacte perfusam deprehendisset, & increpuisset fortassis acrius, non aliter ipsa quam virgineo se rubore purgauit; eo satis testata sibi grauius accidisse, vel a germana sorore deprehendi, quam prosterni pedibus animalium.

CAPVT II.

Mariæ Martham insigni nexu conjungit.

PArua hæc erant generosæ virgini. Quoties cœnobij res familiaris, aut in ægros humanitas, caritasve in sodales eius operam postulare videbatur, nihil arduum illi poterat accidere. Præcipientis aut in opem aduocantis voce nihil opus erat: vltro prouolabat, & operi subjiciebat humeros. Laborem vero non corporis, sed animi metiebatur viribus: qui licet supra virginis ætatem sexumq; ingens sæpe esset, nihil tamen non leue ducebat, aut a se non perficiendum sibi persuadebat. At mentis alacritatem grauior corporis sarcina consequi non valebat: atterebanturque sensim vires, vt reliqua deinde vita admodum imminutę, tenerum virginis corpus afflixerint. Assurgebat tamen in dies animus viuidior, & veluti fracto hoste victor, ad cęlestia se liberius efferebat. Diuinarum quippe rerum contemplationi recte facta, Christianique hominis officia, vel vt in hac re loquimur, Mariæ Martham, aut practicam theoricę sic adjungebat, vt a Maria suum pretium acciperet Martha, & amorem Marię sincerum fortemque testaretur Martha & quandoque suscitaret.

Eum vero, cum labore corpus exerceret, sibi finem statuebat, vt primum corpus Deo retineret rationique subjectum; deinde euangelicæ caritatis legibus pareret, ac demum tertio vt Christi nomine tam atrocia pro nobis passi saltem aliquid in se sustineret. Cum defectis subinde viribus opus interjungere cogebatur; in Marthæ subsidium ita opportune Mariam aduocabat, subitoque Diuinorum meditatione reficiebat animum, vt mora breuissima vires in integrum restitueret, certissimoque comprobaret indicio, non corporis, sed animi, atque adeo Diuinis stare se viribus, & perficere quidquid tentaret. Vbi denique receptui post labores signum dabatur, nulla quies aut solatium ita fatigatam recreabat, atque suauiores cum sponso IESV sermocinationes.

Si qua necessitas ad hominum colloquium adigeret, (alioqui mirum in modum solitudine delectabatur, & frequenter vbi se conueniendam intellexerat, subterfugiebat latebris congressum) si qua necessitas inquam adigeret, promicantes ex ore Diuini amoris scintillæ, satis indicabant quis in pectore hospes, & quantos æstus succenderet.

CAPVT III.

Incenso diuinitus amore fertur in VEN. SACRAMENTVM; *& viso quodam turbatur.*

IAm tum a pueritia sanctam virginem sibi Deus in sponsam adornabat, & ad eximiam destinabat sanctitatem. Sed tum maxime cælestibus fruebatur ipsa delicijs, & animæ rorem miræ suauitatis infundi sentiebat, vbi augustissimo Missę sacrificio præsens aderat. Illius hoc fuit initium. Prima aliquando ætate cum sub Missam sensus pietatis & religionis tanto sacrificio dignos in sese studeret elicere, delectatus pio conatu Deus eam veluti possidere cœpit, tantaque supernæ dulcedinis ambrosia perfudit animulam illam, vt sui vix satis compos, id vnum tamen intelligeret, nullas hominum esse

In Missam incipit affici religione.

esse posse delicias, quę cum his vel minimum conferrentur: eum vero amore flagrantissimo prorsus dignum, qui tantæ voluptatis autor, sui amatores posset æternum beare.

Ex eo in singulos dies, miro sanctioris amoris incremento semper aucta, vehementi sub sacrum abripiebatur æstu: sed eo potissimum tempore, quo arcanis verbis in altari sistitur Christus, ad vsque eius sumtionem. Nihilominus ne supra ceteras extollere se, vel legem omnibus communem dedignari videretur, Missæ quotidie non intererat, quod insolens id esset ætate illa Cornelianis virginibus. Verum quis flammam algente sinu contineat? Quacumque corporis exercitatione detenta, quouis sejuncta loco, cum sanctissimo sacrificio dari signum audijsset, æstuantem animum compescere non poterat: sed manus dare compulsa, loco vt poterat opportuno, sponso suo suauissime illabenti se permittebat. *etiam absens:*

Hęc fuere prima veluti rudimenta, quibus ad destinata Iulianam Deus præparabat. Et jam apta videbatur, cum adhuc adolescens, precibus ad Deum fundendis aliquando intenta, objectam sibi lunam videre visa est clara luce splendentem, sed quasi orbe fracto, nigra per diametrum linea deformem. Turbauit hoc visum Iulianam; sed eo magis, quod secundo repetitum tertioque ac sæpius, semper obijceretur Deum oranti; neque quid portenderet, vlla conjectura posset assequi. Ergo ne temere hostilibus fortasse telis nudum latus præberet, suis præsidibus rem totam, cordatisque alijs hominibus, quos doctrina sanctitasque commendaret, aperuit. Omnes vno animo, oreque responderunt: ancipitem esse rem, magni periculi plenam. Si in tuto se vellet, non facile quidquam tribueret eiusmodi visis. Paruit Iuliana monentibus. Sed magno quantumuis studio oculos animumque auertenti, idem semper obuium recurrebat. Neque plus perfecit multis suis aliorumque precibus. *sed mirabili viso turbatur.*

CAPVT IV.

Crescente in sacram EVCHARISTIAM *religione Dei decretum illi significatur de festo Corporis* CHRISTI.

PErgebat virgo sancta magno animi sensu, fructuque mirabili sub horam sacrificij, signo dato vbi locus tempusve tulerant, colligere animũ, & veluti præsentem Missæ sistere. Id vero eximium, neque communi ceteris lege coërcendum rata, quæ toti cœnobio pręerat, sacrarium exstruxit, quo se arbitrio suo reciperet Iuliana. Tum demum visa est cælestibus tota delicijs imbui. Dato quippe ad sacrificium signo, illum sponsi sui velut thalamum ingressa, cum tam libere Deo se daret, quam ab hominum aberat conspectu, tanta in eius animam vi Deus influebat, vt totam singulari quodam modo sui juris fecisse videretur. Adeo vt jam non in illo dumtaxat suo penetrali, a Deo ageretur; verum etiam publice tandem in æde, cum sacro adesse permittebatur, animum igne cęlesti æstuantem prodere cogeretur. Tam validis quippe suauitatis plusquam humanæ illicijs deuinciebatur, vt pedem mouere loco nequiret: donec sodales vi facta domum reducerent, ne anima in Deum violente rapta virginis corpusculum tanta rerum cælestium mole obrueret. *Crescit ei religio in Ven. Sacrament.*

At vero animi quis ardor fuit, quando sponsum illum suum in medium pectus receptum purissimis amoris licebat vlnis amplecti? Has eius scintillas accipe. Post admissum in pectoris penetrale Deum suum IESVM, vt pro ejus majestate, suoque amore illum retineret, indignum arbitrata in cujusquam alterius colloquium venire, ad octo dies solidos sibi silentium imperabat, numquam infractura, nisi bonum aliquod ingens, aut grauis necessitas postularet. Æquo longius, atque adeo periculosum cum judicarent sodales, ad communem viuendi rationem reducere tentabant. Contra obnixe rogabat Iuliana mensem sibi saltem indulgeri; quo toto neque cibi terreni quidquam ad se inferretur, vbi tam liberaliter afflueret cælestis; neque præterea cuipiam ad se aditum permitterent, imo nec adirent ipsæ; quod indignum videretur sponsi cælestis suauissimos sermones hominum colloquijs abrumpi. Habes ex his non quotidie refectam fuisse Angelico pane Iulianam, non quothebdomadis; atque adeo menses totos jejunam mansisse. Nimirum non quam sæpe, sed qua puritate, reuerentia, amore cælestis hicce panis sumatur, nostra multum interest. *maxime sub Communionem* *etsi raram*

Cæterum

Digitized by Google

Ceterum inter hęc læta, nescio quid subtriste Iuliana verebatur; cum eo maxime tempore, quo optatissimi sponsi amplexibus frui se sentiebat, illud diffractæ lunæ visum adhuc obijceretur. At in mentem aliquando venit cogitare, quidpiam eo fortassis a Deo nuntiari. Illuc ergo mentis omnes conatus conuertit, vt ostenti explicationem obtineret. Nec euentu falsa est. Post altam Diuinorum mysteriorum contemplationem, in amicum aliquando soporem suauiter soluta, diuinitus didicit, militantem Christi ecclesiam illustri lunæ globo significari; cui ad splendorem integrum solemne VEN. EVCHARISTIÆ festum deesset: quod ceteris addi posthac statuisset Deus tribus potissimum ex causis. Primum vt sincerę in Deum fidei confirmaretur integritas, quæ posterioribus alias ætatibus plurimum labefieret. Deinde vt mortalibus instructissimum esset ad persequendam omnem honesti dignitatem præsidium. Ac denique vt quod hominum quotidianis erratis contra sacrosanctam Mysterij hujus majestatem peccatum fuisset, puriore aliquando cultu expiaretur. Porro sanciendi hujus festi nuntiam & autorem primam se comperit esse designatam.

Audit festũ Corporis Christi sanciendum se procurante.

Perculit hoc extremum modestissimam virginem: nec animum inducere poterat vt crederet rem tantam a se peragi posse vel debere. Plurimosque adeo annos munus hoc deprecari cœpit.

CAPVT V.

Mirum in se seuera est: a Deo plurima impetrat. Patientis CHRISTI *miserta; vt peccata luxerit.*

Annos 30. jejunat

VItam interim egit admirabilem. Ab ipsa statim adolescentia, communi ceteris sodalibus lege non contenta, magna seueritate multa sibi jejunia indicebat. Ac tandem eo processit, vt totos triginta annos, eoque plures ad vsque mortem nullo die excepto jejunarit. Corpus autem reficere solita est sub noctem cibo tam parco, vt quicumque viderent, sibi persuaderent vitam non posse esse diuturnam, nisi alio, qui non videretur, cibo Deus pasceret. Quamobrem importunis familiarium sollicitata precibus vt secundam corporis refectionem admitteret, reijcere non potuit, ne suæ sententiæ tenacior videretur. Ac cibum quidem in os receptum dentibus comminuere potuit, in stomachum vero numquam trajicere. Neque mirum hoc adeo sit, quando hoc a Deo precibus multis euincere debuit, vt parcissimum illum cibum sumere valeret, ne præter naturæ leges animantibus omnibus communes, nullo viuere cibo deprehenderetur. Ceterum familiaribus sæpe confessa est, edere, bibere, colloqui sibi permolestum esse ac graue. Terrena quippe humanaque omnia cui non desipiant, cum adeo liberaliter cælestes delicię promuntur?

cibo parcissimo

item somno

Cibo non absimilis erat somnus, breuissimus nimirum, & qui viribus vllis reparandis par esse non videretur. At nocte quę festum aliquod pręcederet, persæpe nullus fuit. Vigilias porro ducebat negotiosissimas. Aut enim in sanctarum rerum meditationem lectionemve incumbebat, aut fundebat ad Deum preces.

& sermone,

Sermonis item fuit parcissimi. Sed quemadmodum eo viuidior erumpit flamma, quo pertinacius obtecta latuerit: ita si quando conceptos animo Diuinos ignes familiari sermone in homines profunderet, mirum quanto animarum bono, sanctos in illis æstus accenderet, mœrorem abstergeret, excuteret torporem. Sed pręcipuus operę fructus emicuit in Eua virgine Leodiensi: quæ propositis a dæmone difficultatibus cum absterreretur a sanctiore vita, illam Iulianę adhortatione, promissoque pręsidio intrepide aggressa est, tenuitque constantissime, turguriolo ad S. Martini clausa.

eoque pio.

A Deo multa obtinuit,

Apud Deum præterea suis precibus plurimum valebat. Plerosque varijs malis, hunc graui capitis dolore, illum horrendo oculi malo, alium infestante dæmone, quemdam inter abrupta viarum præsenti periculo, alijs alios sic liberauit, vt digitum Dei nemo non agnosceret. Virginem quamdam capitis dolore liberauit, alteram horrendo oculi malo. Infirmæ in extremis laboranti vires obtinuit ad sumendum sacrosanctum viaticum. Animorum interiora perspexit, absentia vidit ceu pręsens, præsciuit futura. Etiam post mortem plerosque juuit, quibus ex ignis purgatorij vinculis libertatem obtinuit.

Graue dæmonibus bellum indixit, nobilesque retulit victorias, extorta illis opima præda.

Digitized by Google

præda. Audita est nonnumquam illos sub pedibus prostratos tenere, lorisque cædere. Sic etiam de inferis virtus in imbelli virgine triumphat. Sed hęc quamquam mirabilia breuitatis amore prætereo. Libentius ea narro, quę ad imitationem accendant.

Qua religione ferretur in venerabilem EVCHARISTIAM diximus. Proximus huic & simillimus ardor fuit in Christum patientem. Profecto cum illius vel minima fieret mentio in æde sacra, grauissimo confecta dolore, tantam lacrymarum vim, & velut imbrem oculis profundebat, vt non genas, aut vestes modo, sed ipsam cui insisteret terram perfunderet. At vbi carmen *Vexilla regis prodeunt* audiebat concini, tam acri derepente dolore corripiebatur, vt contenta voce cogeretur exclamare; temploque esset educenda. Incessit animum subinde desiderium ardens crucis, vt ei confixa, toto spectante hominum genere, animam ei poneret, qui pro nobis prior posuit. Animum certe cruci tam valido amoris nexu, dolorisque clauis configebat, vt si menti habenas laxasset, Diuini amoris æstu abrepta, numquam deinde ad corpus reditura videretur. In Christũ patientem mirus ardor.

Ex hac causa mirum animo conceperat peccati horrorem; & quamquam omnes intenderet vires, numquam eum in se de culpis alienis dolorem potuit excitare, vt sibi faceret satis. Quare sese grauiter incusabat, vti ream omnium, quæ vbiuis terrarum perpetrarentur peccatorum, quod ea pari pro merito dolore non expiaret. Heu! quam dissimiles sanctissimę virgini viuimus, qui quæ quotidie designamus ipsi nos, vna lacrymula vix possumus eluere!

CAPVT VI.

Cænobio præfecta religiose regit, non sine improborum odio.

EA virtutum exercitatione suis se sodalibus probarat Iuliana, vt ipsa, decedente cœnobij pręfecta, substitueretur. Prætulisset ipsa secum & Deo viuere, si sua potius, quam aliorum sententia duci voluisset. Præesse vero non prius statuit aut cœpit, quam prodesse. Labores enim, sollicitudinem, vigilias pro suscepto munere fortiter sustinuit: at honores, dominationem, commoda non æque admisit. Imperauit nihil, quod non ipsa prior exequeretur. Itaque dominantis partes in illa nemo notabat: sed ancillæ humilitatem, sollicitudinem nutricis, matris amorem agnoscebant omnes & amabant. Verbis eius pondus, vimque pręcipuam indidisse visus est Deus, cum admirabili facilitate recrearet afflictas, pusillanimes erigeret, instrueret tirones, nutantes confirmaret, constantibus gratularetur, dirigeret progredientes, currentes incitaret. Omnis sermo seu publicus seu priuatus de monasticæ disciplinę integritate: ac in primis de caritate mutua. Sed cordi maxime erat castissimæ virgini, sorores suas omnes sincera mentis corporisque puritate *virgines castas exhibere Christo.* Sodalibus præest magna earum bono, 2.Cor.11.2.

Verum hinc aduersus illam coortę sunt tempestates. Neque omnibus proderat, neque placebat sollicita Iulianę vigilantia. Vulnus enim alioqui jam alte inflictum, fœdaque inueteratæ consuetudinis sanie corruptum, plerisque tamen leuius videbatur, quam vt eius curatione, quamquam alias suauissima, indigeret. Quamobrem prouida Iulianæ sagacitate deprehendi, vel medica contrectari manu grauissimum accidebat. His ergo se jungunt virine, an lenones? quorum illæ consuetudine capiebantur: quibuscum quia communis erat fœditas, injuriam, vt scelerate interpretabantur ipsi, communem esse ducebant, ideoque junctis studijs vindicandam. Quapropter res eius omnes explorare, actionesque singulas exorsi sunt, vt alicujus culpæ ream suis accusationibus plures obruerent. Sed nihil in arcano publicove, domi nihil, nihil foris, quod in sanctissima virgine carperent (ea fuit eius integritas) inquisitione longa diligentique inuenire potuerunt. Vbi ergo maledicentię veritas defuit, ministrauit arma mendacium, vt illam lacerata fama ab instituto deterrerent. Iulianæ pręsidio fuit vir integritate vitæ spectabilis Godefridus nomine, Cornelianus prior, vt tum loquebantur; hodie vicarium appellamus. Hunc quoad vita tenuit, frustra in Iulianam intumuerunt procellę. Sed mox vbi obierit, denuo turbas instaurabit impietas nouo machinamento: quo jam narrationem conuertimus. multis tamen grauiter aduersantibus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

Festo nouo jubetur initium dare, probantibus illud viris grauissimis.

AB ætate prima diximus admirabili viso Iulianæ significatum esse diuinitus, ad integrum militantis ecclesiæ splendorem festum deesse, quo singularem cultum Christianus orbis primæ VEN. SACRAMENTI origini deferret: ipsamque eius autorem futuram. Modestissimæ virgini grauius nihil incumbebat, quam cum altissimum silentium, tenebrasque altissimas maximopere sectaretur, in tantam se lucem dare. Perstabat nihilominus post plurium annorum tergiuersationes Dei decretum, vt ab ipsa primum hoc festum orbi preponeretur, quod ab alijs deinde illustri virtute, sed euangelica potissimum modestia conspicuis ad finem perduceretur. Et ardentius in dies ipsa precibus insistebat, quo Deum alio flecteret. Frustra: nam aliquando vocem hujusmodi cælo delapsam inter preces audijt: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Cumque his necdum permoueretur, iterum admonita de cælo est: *Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi: non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam a concilio multo.*

Iubetur festum nouũ proponere. Matth. 11. 25. Ps. 39. 4. & 11.

Quibus tandem cum certa Dei voluntas, & aperta jussio videretur denuntiata, post detrectatam hanc prouinciam annis plus vicenis, post preces & suspiria, post lacrymas tam copiose profusas, vt exhausti jam oculi puro sanguine quandoque manarent (rem mirandam, & nisi probatus esset testis, non admittendam!) parituram se recepit.

Ergo rem totam serio commendat precibus Euę primum carissimę sodalis, tum & Isabellę. Hoiēsis hæc virgo fuit præstanti virtute prædita, eoque nomine carissima Iulianæ. Cum deinde negotium hoc non aliter quam hominum consultationibus ad exitum perducendum intelligeret Iuliana, totum ordine refert ad venerabilem morum integritate virum Ioannem Lausanensem. Erat is hac tempestate Leodij canonicus ad S. Martini, natione Gallus, virtutis gratia Iulianę conjunctissimus. Ad eum multi doctrina religioneque pręclari sępe ventitabant, suis rebus precationũ eius subsidium rogaturi. Optimum factu huic visum est, viros sapientes vel ad se venientes, vel alia junctos necessitudine consulere, remque totam permittere explorandam.

Consulti sunt Iacobus Pantaleon in ecclesia Leodiensi archidiaconus sanctimonia non minus quam eruditione illustris, & ad supremum deinde pontificatum euectus: de quo dicemus postea. Frater Hugo de S. Charo Burgundus Dominicanorum prior, vt vocant, & prouincialis, ac postea creatus ab Innocentio IV. cardinalis S. Sabinæ in Auentino. Guido Cameracensis episcopus, virtutibus litterisque nobilissimus. Ex eodem sacro B. Dominici ordine sententiam dixerunt theologica sapientia & virtute conspicui Ægidius, Ioannes, & Gerardus. Alij denique plures vitę integritate, & humana Diuinaque sapientia præclari, rogati quid sentirent, edixerunt. Suam præterea sententiam rogatus est cancellarius Parisiensis, eo majus momentum habituram, quo celebrius, & velut vnicum orbe toto Christiano in hac academia domicilium aliquot jam ætatibus sapientia fixisse videretur.

Consulti viri grauissimi 30. Sep.

Re tota grauiter in omnem partem disputata, omnium mens & vox vna fuit: Non modo nihil catholicæ doctrinæ aduersari; verum publicę rei Christianæ videri conducere tum ad gratias, vt par est habendas, tum ad excitandam subinde in hominum animis religionem alioqui senescentem, vt in posterum propria quadam celebritate venerandum sacrosancti Sacramenti festum ecclesia proponeret.

rem probāt.

Quo cœpta feliciter vrgeret Iuliana, officium quod vocant canonicum futuro festo proprium conscribendũ procurauit. Iuuenem e domestico clero delegit Ioannē nomine, quamquam ab humana doctrina sciret mediocriter paratum. Æternam quippe sapientiam minime defuturam sibi persuadebat, quæ mirabili consilio per totam hanc historiam ministris vsa est imbecillioribus. Et vero Ioannes suæ tenuitatis haud ignarus, non aliter id in se recepit, quam pollicente Iuliana, vt quoties ad scriptionem abiret ille, ad precationem illa toties secederet. Ita factum est, sed adeo feliciter, vt nihil censura corrigendum

Conscribitur officiũ

Digitized by Google

gendum inuenerit. Illustrium quippe theologorum, cum eorum qui paucis ante diebus totam hanc causam perpenderant, tum aliorum judicio subjecit. Sed nihil illi non probare potuerunt: & qui juuenem norant, Deo potius quam illi scriptionem hanc tribuendam existimarunt. non fine Numinis ope.

CAPVT VIII.

Exploduntur passim Julianæ conatus. Opem a cælitibus illa flagitat.

TRanquillo hactenus cursu vecta est Iuliana: sæuas mox procellas dæmon excitabit. Inauditam antea novi festi sanctionem quo promoueret sancta virgo, ventitare cœpit ad viros Leodiensis ecclesię principes, quos & autoritate valere, & rei totius autores esse debere probe intelligebat. Sed aniles fabulas loqui visa est. Itaque primum inter se ipsi, mox passim in circulis, interque pocula, risum e mulierculæ somnijs (ita loquebantur) captant. Breuique per totam qua patet diœcesim vulgatur, feminam quampiam nouum aliquod festum proponere, cujus in mentem somnianti venisset. Multi Iulianæ aduersantur.

Secus aliqui sentiebant; sed rari, ijque quos humilitas, sinceraque modestia cælo probasset, & cælesti clarioris intelligentię radio dignos reddidisset. Vnus Hugo in Dominicana familia prouinciæ præpositus, Diuini honoris inductus studio, palam rem audebat probare, atque adeo ad concionem prodiens, acerrime pro sua facundia festi sanctitatem propugnare. Frustra: ceteri in transuersum acti, Iulianæ nomen vbique proscindebant, eamque somniatricis cognomento celebrabant.

Hominum destituta pręsidijs, cum se Dei causam suscepisse generosa virgo non ignoraret, de mentis ardore, studioque rei promouendę nihil remissura, ab ipso Deo statuit opem esse quęrendam. Coloniam profecta est, vrbem sacrosanctis cælitum reliquijs venerandam, gloriosoque vndecies millęnarum virginum certamine nobilem. Iter facientem nequaquam deseruit dæmon; & currui, quo vehebatur illa, visus est imminere. Verum quæ ad eius fraudes erat exercitatissima, orationis obtecta scuto, omnes eius conatus repressit. Hoste nequicquam frendente Coloniam appulsa, ad principis apostolorum basilicam deduci postulauit, cui causam hanc debere esse commendatissimam existimabat, ob vniuersum orbem Christianum in fidem ac clientelam receptum. In orationem hic vi tanta mentis incubuit, vt terris in cælos animo prorsus erepta, diutissime perstiterit immota. Tandem ingruentibus tenebris, vi a sodalibus abducta, cum ad se redijsset: Hei, inquit, cur ante messem me retrahitis? Ita cęlestes delicias in hac vita *qui edunt, adhuc esuriunt: qui bibunt, adhuc sitiunt; donec apparuerit gloria tua Domine.* Pari religione diebus alijs cum ad alia templa supplicationes instituisset, Leodium redijt incolumis. Coloniam it supplicatum. *Eccli. 24. 29. Ps. 16. 15.*

Nequaquam hic stetit sanctæ virginis prensatio. Tungros abijt ad Virginis Matris basilicam multa populi religione; & miraculis eximiam, celebremque in paucis sacrarum reliquiarum varietate. Abijt & Trajectum ad S. Seruatij sepulcrum, plurimaque variorum sanctorum lipsana. Consuetam vtrimque Iulianę religionem solitis artibus obturbare dæmon contendit. Nam aperta facilique via, quo fraudes eius paterent, currum, quo Iuliana cum sodalibus vehebatur, susque deque vertit. Sed protegente Diuina pietate; frustra. Illæsæ prorsus & integræ surrexerunt omnes a lapsu. Tungrosque ac Trajectum.

CAPVT IX.

Prior Cornelianus sæuam tempestatem in Julianam mouet.

NOua in Iulianam bella insurgunt, haudquaquam improuisa. quippe quę Euæ omnia prædixerat: inferorum scilicet nullum jam comparere; quasi victi formidarēt vel conspectum. Verum, aiebat, qui in hominum animis velut imposito vitiorum pręsidio sedent impij genij, immanius posthac inferent bellum: neque me dumtaxat, sed communem omnium parentem ecclesiam petent. Hæc & alia dixerat secutura, non aliter ac si præsentia vsurpasset oculis.

Domi tempestates insurgunt

Eodem igitur anno decurrente, quemadmodum vaticinata erat Iuliana, diem obijt Godefridus prior, vir eo munere dignissimus, & potissimum inter mortales Iulianæ præsidium. Subrogatus est sacrilegis artibus quidam alius, quam virtuti, tam Iulianæ infensus ob scelera, quibus inquinatissimam agebat vitam. Et cum salubres virginis accusationes, stimulosque ad meliora ferre non posset, implacabili odio in illam agebatur. Quare seu probabilem aliquam speciem inimicitiarum cum Iuliana exercendarum, seu perditæ vitæ sumtus quæreret necessarios, sibi tradi voluit atque in posterum committi tabulas & commentarios totius rei familiaris. Audita prudentiorum sententia, negauit Iuliana se facturam.

Irritatus repulsa prior, non aliter ac justissimam nactus accusationem, cum familiaribus illis, qui scelerum socij infensis dudum animis Iulianę castigationes acceperant, in vnius virginis caput conjurat. In vrbem ergo magnis clamoribus irrumpunt: in priuatos passim conuentus, publicosve dant sese, subeunt popinas, vnam feminam declamitant, toti populo jus omne in Cornelianam domum adimere, episcopo totum transcribere, rationum tabulas vi retinere in sua potestate: magnam pecunię vim jam episcopo dedisse, quo nescio quę sua somnia festo quopiā nouo celebrari impetraret. Iacta in vulgus ejusmodi mendacia eo magis credita sunt, quod summū populi jus prodiuideretur.

Sæuit plebecula

Nullo maturiore consilio, temere collecta tumultuantium manu, ad Cornelianam domum concurritur: & velut insanorum hominum turba, pars aduersarij Iulianæ domestici, pars e plebecula turbulentissimi quique, magno impetu clamoreque in virginis innocentis oratorium rapiuntur, irrumpunt effractis foribus, sursum deorsum cursitant, Iulianam inclamant: sed non multo ante a sodalibus tutiorem in locum erat recepta. Quare ad conquirendos rationum libellos conuertuntur. Excutiunt omnem angulum, intactum nihil relinquunt præter ipsam arculam, qua continebantur, patenti nihilominus expositam loco, & cuilibet intranti primum obuiam, nisi vel furor, vel Deus (quod certe crediderim) excæcasset.

Deo tamen protegente.

Irrita cœpta rabiem magis inflammabant; quam effuderunt deinde tum ore sacrilego in binas Iulianæ sodales, quas in oratorio deprehenderant, tum impijs manibus obuia quæque spargentes in terram, lacerantes, diffringentes. Denique totam illam habitationem breui spatio dirutam solo æquarunt.

Vbi tandem immanis illa posuit tempestas, & ad sua homines sacrilegi se receperunt: redeunt ad ruinas Cornelianæ virgines, & quasi ab hostili vastitate, effracta disiectave dum colligunt, infractam atque adeo intactam rationum arculam inueniunt, & admirantur. Dei hoc esse beneficium, quo sana Iulianæ consilia probarentur, omnes intellexerunt.

CAPVT X.

Domo cedere compulsa, judicis sententia restituitur.

IRriti conatus prioris odium nihil infregere. Qui cum plebeculę furorem accendere non cessaret, atque adeo cresceret periculum; domo cedendum esse ex amicorum consilio credidit Iuliana. Consultę sodales, eæ nimirum quæ sanctioris disciplinæ retinentes, vt ęquitati causæ, ita præsidi suæ adhærebant, approbarunt in primis consilium, & secuturas quocumque duceret, affirmarunt. Admisit in comitatum Iuliana; relictaque domo, ceu miseranda exul venit ad clausam Martinianam.

Secedit ad S. Martini.

Excepit hospitaliter Eua, & quibus potuit officijs profugas recreare studuit. Sed cum cellæ angustijs non commode profugarum turba caperetur, Ioannes Lausanensis, quem S. Martini Canonicum, & Iulianæ peramantem fuisse meminimus, in laxiores suas ædes deduxit, quibus interea cedebat ipse, & de suo victum præbuit. Agnouit & amplexa est Iuliana apostolici oraculi veritatem: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13.

Opem pollicetur episcopus.

Amicam Numinis prouidentiam magis demonstrant, quæ subjicio. Innocentiam impune vexari non tulerunt viri quidam sanctiores, & accusationem in improbum priorem apud principem instituerunt. Grauiter mouere principem proposita accusationis capita. Robertus is dicebatur, non ita pridem ex episcopo Lingonensi creatus Leodiensis; & de Iulianæ virtutibus multa jam tum inaudierat. Ad illam igitur ad S. Martini venit.

Digitized by Google

venit. Ex qua cum injuriarum seriem aliquam didicisset, bono animo jussit illam esse,& loco se tenere, dum inquisitione facta, partibusque auditis ferretur sententia.

Inter hæc rumoribus non parcebatur. Erant etiamnum qui Iulianam inani religionis specie fucum episcopo facere susurrarent, innocentemque priorem iniquis accusationibus obrui. Quod aliquando cum nostræ virgini familiariter quidam inter colloquendum amice indicasset, adderetque nonnulla hanc in rem de vulgi rumoribus: At vero, inquit ipsa, quandoquidem ita de me loqui compellar, hoc tibi persuadeas omnino velim, numquam vllam vel grauissimam irrogatam a factionis aduersariç sectatoribus injuriam tantum in me potuisse, vt (quod quidem deprehendere potuerim) ab euangelicæ institutionis recto tramite vel minimum abduxerit. Et certe rei cujuscumque humanæ pretium vel splendorem maximum fingas licet, illum tanti non æstimo, vt eius consequendi vel retinendi spe adducta, mendacium in priorem confictum ore mihi velim excidere; nedum sustineam in ipsum id moliri, cujus conscientia sollicitari deinde, turbarique possit animus. Mira Iulianæ innocentia.

Tantam mentis æquitatem honoris sui causa seruatam Diuina justitia non potuit indefensam relinquere. Quæstionem judices instituerunt auditis omnibus, qui asceticam in Corneliana domo profiterentur, cum fidem solemniter prius ab eis accepissent:& extra noxam esse Iulianam; contra, turpissimis teneri priorem criminibus liquido compererunt. Pronuntiauit ergo sententiam episcopus: Iulianam cum sodalibus in Corneliana domo jussit esse: eum qui se priorem dixerat, sacro magistratu abrogato, ad Hoiense nosocomium ablegauit. Damnantur aduersarij.

CAPVT XI.

Frequentatur a viris magnis, etiam principibus, ex virtutis admiratione.

POst obscuriores tenebras nescio quid insolentis, gratiorisque fulgoris prçferre sol videtur. Et virtus postquam hominum maleuolorum scelere labefactari visa est, victrix aliquando tandem gratior emicat, atque in sui admirationem simul & amorem omnium animos potentius rapit. Ita Iulianam altius extulerunt, quam depresserint tempestates.

Atque primum omnium eius oratorium, quod aduersariorum diruerat furor, amœniore loco princeps çre suo restitui jussit. Verum Ioannes Lausanensis & Eua officium hoc amicitiæ sibi non sustinuerunt prçripi, sumtuque priuato construxerunt. Sed latius quam vmquam eius fama spargi cœpta est. Effecerunt enim aduersarij, vt quæ domi fere suis, paucisque alijs nota erat, ab imperita quidem multitudine primum impeteretur probris; sed episcopi sententia cum veritas eluxit, plerisque jam aliter sentientibus, opinione virtutis esset admirationi. Profecto quicumque virginem nosset, mentisque oculo affectione praua non occupato inspiceret, ante omne judicis pronuntiatum, nihil non honore, nihil in illa non amore dignum censeret. Celebrior euadit Iuliana

Serena facies & quasi luce quadam cælesti corusca, aliquid supra humanum præferebat. Emicabat ex oculis modestia simplicitasque columbina, & nescio quis puritatis angelicæ candor. Gestus erat ad omnem honestatem compositus & adeo rarus, vt eximius quidam amator virtutis solitus sit asserere, totos triginta annos eoque amplius, quibus contractam cum Iuliana necessitudinem fouerat, corporis eius partem aliquam nisi justa de causa motam notare numquam potuisse. Incessus non mollitie fractus, non leuitate præceps, sed suaui grauitate minimeque affectata temperatus. Corpus totum aspectu solo sui venerationem & amorem sed castum, sed Christianum excitabat. Si vero etiam audires, non minor erat linguæ gratia. Sermo rarus & ad justam rationis lancem expensus, Diuina semper, sed pari propemodum facundia tractabat. Admirabilem denique in omnibus constantiam sine vllo pertinaciæ nçuo, sui semper similis composque retinebat. merito suæ virtutis

E quibus omnibus certissimo quiuis conjectaret, quanta esset sanctimoniæ vis in virgine, quæ notis adeo manifestis in hominum oculos incurreret. Sed clarissime præsertim intelligebant ij, quos arctior cum illa consuetudo conjunxisset. Atque vbi præcipuam

 illam

Digitized by Google

illam omnium virtutum in illa dignitatem, & admirandos in dies progressus animaduerterant, aut etiam ad honestum amplectendum eius exemplis se senserant exardescere; tum demum ad eam ventitare, colloqui, disserentem audire, de præstantia virtutis, vtilitateque, ac modo eam consequendi quærere, discere, nec vnquam fatigari: vt plerumque non jam virginis conclaue, at celeberrimum juxta ac sanctissimum Christiani alicujus philosophi Lyceum diceres. Neque puderet viros Diuinorum humanorumque cognitione claros esse virginis vnius auditores.

& cognitionis rerum Diuinarum.

Post magnũ honorem

Quod ad famam & admirationem majorem faceret non parum, accidit vt a nobilissimis præsulibus Roberto Leodiensi, & Guidone Cameracensi conueniretur. Quorum modestiam & sui demissionem hoc ipso facto cum illa miraretur & amaret: ægre nihilominus tulit hanc in se humanitatem, e qua honorem videretur in vulgus consecutura. Eu æ commendationibus id factum esse suspicata, cum ad eam forte adesset: Nisi vetaret, inquit, Diuina lex, idque pateretur arctior inter nos necessitudo, odissem ego te, quæ ad principum aures meum immerentis nomen profers. Sed vniuersorum Dominum, atque adeo totius mundi principem obtestor, vt quantum apud homines venerationis & gloriæ hoc congressu videor consecuta; dedecoris & infamiæ tantumdem ante diem extremum inuratur.

magnum optat dedecus.

Impetrauit: nouas belli faces non multo post accendit dæmon, sanctæque eius cupiditati materiam subministrauit vberrimam. Inuictam porro virginis magnanimitatem admirare lector, ama, imitare.

CAPVT XII.

Festum Corporis CHRISTI *decernit Robertus episc. quod toto orbe celebrandum vaticinatur Juliana.*

IVlianam non raro visebat Robertus episcopus ob eximiæ sanctitatis opinionem, & de rebus Diuinis disserentem audiebat magna animi voluptate. Cum tamen vel ipsa, vel alias etiam nonnulli alij sapientia, dignitate, virtuteque præcipui sanciendum commendarent festum VEN. SACRAMENTI, non admodum initio mouebatur Robertus, quod res adeo noua non temere decernenda videretur, præsertim quæ feminam autorem præferret. Sed factum est denique vt totam hanc causam adhuc dubiam erigeret admodum & confirmaret singulare quoddam in Robertum Dei beneficium. Quod illud fuerit, nemo prodidit. Hoc satis constat, reuersum alias ad Iulianam principem, vltro vultu voceque sereniori dixisse: Quod in me, Iuliana, Deus beneficium contulit, quo sanctissimam suam voluntatem & decretum de indicendo sacrosanctæ EVCHARISTIÆ nouo festo aperiret, in aliam a priore me sententiam abduxit. Omnino mihi jam persuadeo, animumque prorsus induco credere, ad Diuini nominis gloriam, hominumque rationes conducere plurimum, vt annuo solemnique festo augustissima Dominici CORPORIS mysteria veneremur.

In festum sanciendum propendet episcopus,

Incredibili gaudio Iulianam hæc principis oratio perfudit. Et in Christianæ gratitudinis testimonium, modestissime rogauit episcopum sancta virgo, supersederet ipse petitione Rhemensis archiepiscopatus. Superuacaneum esse de illo cogitare, quem numquam esset adepturus: ad vtiliora igitur animum conuerteret. Vaticinatam fuisse Iulianam, probauit euentus.

& decernit,

Ceterum animo diutius nequijt Robertus sanctum suum ardorem continere. Indicto ecclesiastici ordinis conuentu, proposuit edictum, quo diem Iouis proximum post octauum a Pentecoste diem sanctissimo CHRISTI CORPORI consecrari decernebat. Atque vt nemo vsquam de eius mente dubitaret, litteras conscripsit; quæ multis in locis in hunc diem asseruantur. Officij præterea, quod Iuliana conscribendum curauerat, exempla quam plurima per diœcesim spargi imperauit. Huc vsque Robertus, nec vltra tendere potuit. Religiosam eius voluntatem in cælo a Deo compensatam sperare fas est. Non diu post hęc Fossis vita decessit. Cum ipso tota vis eius decreti corruit, quod plurimorum saltem primatum ab ea re alieniores adhuc essent animi.

breui post moritur.

Celebratur festum ad S. Martini

Eua tamen pro autoritate, quam apud Martinianos canonicos jam dudum sanctitatis nomine collegerat, obtinuit vt anno proximo, qui fuit illius sæculi quadragesimus septimus,

Digitized by Google

primus, primum omnium in S. Martini basilica festum CORPORIS CHRISTI religiosissime celebraretur, sanctarum virginum Iulianæ & Euę incredibili cum voluptate. Sollicitus tamen aliquis timor Euæ gaudium obturbabat, ne scilicet pauci illi qui cœperant, ceterorum exemplo postea abducerentur a sanctioribus illis cœptis. Hæsitantem Iuliana confirmauit: &, Inanem illum, inquit, Eua mea, timorem pone: solidiora sunt, quæ semel Numinis prouidentia statuit, quam vt homulorum arbitrio conuelli valeant. Erit aliquando, ne dubites, erit tempus, quo non vnum S. Martini collegium, non hæc vna ciuitas aut diœcesis, sed vniuersus qua patet orbis Christianus Diuinum hoc institutum amplectetur, dæmone nequicquam renitente. Quam illa vere dixerit, testamur omnes.

toto que orbe celebrandum prædicit Iuliana.

Profiteri porro solita est, præcipuo quodam amore S. Martinum se venerari quatuor potissimum ob causas. Primum quod in sacra ipsi æde dies festus sacratissimę EVCHARISTIÆ honori decretus publice primum celebratus sit. Alterum est, quod sancto eidem antistiti sacrum facienti de cælo visus sit illabi Spiritus sanctus per igneæ sphæræ speciem. Tertio, quod Eua sodalis eius suauissima ad ejusdem sancti episcopi templum quasi sub eius fide ac tutela sedem haberet. Ac denique quod ipsamet in suis calamitatibus vnicum ibidem asylum inuenerit. Quibus omnibus vti facibus inflammatum Iulianæ pectus has aliquando voces emisit: S. Martinus, Eua mea, mihi tam carus est ac suauis, vt vniuersus orbis eius perfundi ac condiri suauitate videatur.

Cur præcipue S. Martinum coluerit.

CAPVT XIII.

Reuiuiscente sceleratorum factione, indigna patitur.

RAra est in humanis diuturna tranquillitas. Domestici sanctæ virginis aduersarij, quos in officio præsulis metus continuerat, eo sublato sceleratas spes erigere cœperunt, sed hoc ardentius ac turbulentius, quo diutius, vique majore sibi facta odium animis compresserant. Laxatis itaque jam repagulis, primum omnium Hoio reuocant eum, cui prioris munus episcopi sententia meminimus abrogatum: pulsoque per summam injuriam priore, improbum illum restituunt.

Tempestatem in se præsentiebat Iuliana: sodalesque æquitatis & suarum partium sequaces, quo venturos turbines generosius exciperent; intelligerentque sitam in arduis esse virtutem, quę vnius Dei amorem pręmiaque exspectat; egregie fortiterque, dictis te, & factis sanctorum confirmabat. Restituto interim suo priore triumphantes aduersarij, ad eam indigna petulantia concurrunt, rident, insultant: hunc eius esse præsidem, hujus illam dictis audientem esse debere contendunt. Pernegauit hoc fortiter modesteque Iuliana. Id vero sceleratis furorem accendit; qui mox lapidatione facta in virginis oratorium sæuire cœperunt. Eius enim autoritatem nouerant non paruam apud optimates plerosque, qui virtutem illius nescire non poterant, & venerabantur. Atque quemadmodum eius gratia factum meminerant, vt qui sacrilegis artibus supremam sacræ domus administrationem coëmerat, in exilium priuatus ageretur: ita modo intelligebant loco illum non esse tutissimo, quamdiu hæc vel manus non daret, neque illi se parituram profiteretur; vel in communi cum ceteris habitatione constaret. Verum fortissimam virginem suo gradu dimouendam cum desperarent, eius experti jam constantiam, domo quam longissime pellendam censuerunt.

Noua tempestate in illam oriente.

Plebs ad manum erat, eo facilius se concitari passura, quod e priore scelere, communis jam & publica causa videretur; cum maxime respublic. Leodiensis vniuersa tum temporis ciuilibus dissidijs arderet. Emicuit flamma primo afflatu. Incondito clamore sublato, lapidatione primum aggrediuntur: & cum lentius id procederet, veniunt ad manus. Clauis, malleis, securibus effringunt omnia, euertunt, diruunt, solo æquant. Vix tempori fuerat erepta periculo Iuliana, & a sodalibus in communem omnibus dormitorium locum recepta. Eo mox suam rabiem conuertunt furiosi illi homines; & disjectis ruderibus, dissipatæque materiæ fragmentis, quanta vi possunt, aggrediuntur. Vindicem Numinis manum sensit, qui se prębuerat ducem, & vim primus fecerat. Vulnus enim accepit, quod curare quoad vixit deinde, numquam potuit. Stitit furorem eo die hic casus.

domus illius diruitur.

Iulianæ fortitudinem vere Christianam non fregit illa calamitas. Cum atrocius sęuiebant aduersarij, omniaque diruebant, tum ipsa maxime supplex apud Diuinam majestatem,

Digitized by Google

ſtatem, meritam omnem pro eorum ſcelere pęnam deprecabatur; nec auditum ex ea verbum, quod euangelicę manſuetudini minus conſentaneum videri poſſet.

CAPVT XIV.

Domo pulſa nuſquam tota patria conſiſtere ſinitur. Fert ipſa patientiſſime.

Domo cedere coacta

INualeſcebat aduerſariorum flamma, non ante extinguenda, quam in cineres redegiſſet, quidquid eorum libidini obſtaret. Et Iulianæ vel latum vnguem ab honeſto non diſcedere certum erat: eumque recipere præſidem omnino detrectabat, qui contra fas in id muneris irrupiſſet, illo turpiſſime pulſo, cui ſecundum leges commiſſa erat cœnobij præfectura. Statuit igitur loco cedere, quandoquidem de odio nihil remitterent aduerſarij: ſed quocumque pergeret ipſa, graui lapidatione perſequerentur.

Audito hoc eius conſilio, nulla fuit e ſodalibus virtutis paulo ſtudioſior, quæ Iulianam, ejuſque cauſam veluti juſtiorem, quocumque duceret, ſequi dubitaret. Illa cum tantam turbam non exiſtimaret in incertum trahendam (quo namque ſe reciperet, ignorabat) paucas ſelegit, ad omnia Chriſti nomine fortiter toleranda prius adhortata: ceteras quaſi animis paratiores domi manere juſſit. Diuellitur ergo a cariſſimis ſodalibus magno doloris ſenſu, fortiter latura Numinis amore quaſcumque calamitates. Cumque omni deſtituta commeatu proficiſceretur, ac quæſitum eſſet ex ea, qua demum ſpe hoc conſilij capeſſeret: ſuas omnes in vno Deo ſpes habere ſitas aiebat; quo juuante ſi res ferret, binæ e comitibus validiores, oſtiatim ceteris victum emendicarent.

Relinquit etiam Robertimontem tum Vallem benedictam

Primum ei refugium fuit in proximum Robertimontanum Ciſtercienſis diſciplinæ cœnobium. Breuis hic illi quies conceſſa eſt. Adfuit mox aduerſarius, is qui ſe priorem ferebat: & qua impudenter oblatrando, qua fingendo mendacia, qua minas jactando, turbandoque pacem, abire compulit in Vallem benedictam, Ciſtercienſium item virginum familiam. Sedem hoc erat mutare dumtaxat, vix e conſpectu abire. Verum e propinquo non minus timebatur, quam domi. Omnibus igitur machinis etiam inde miſerandam virginem homo perditiſſimus exturbat. Ciſtercium Iulianæ cordi fuit. Tertium

& Vallem noſtræ Dominæ.

ejuſdem inſtituti gynæceum adit, quod propter vrbem Hoium Vallem noſtræ Dominæ nuncupant. Vide quo beneuolentiæ genere ſuos Deus proſequatur. En homo ſacrilegus innocentiſſimam Chriſti ſponſam, quam propria domo ſe proripere compulit, quam ſecundo ejecit aliena, en tertio ſolitis artibus hac domo ſimul & patria exterminat.

Hæ fuerunt ætatis illius calamitates. Eccleſiæ Leodienſi præerat Henricus Gelder, imperitus juuenis & ad epiſcopatum parum idoneus. Quo principe orta inter Leodienſes diſſidia, ſceleratiſſimis quibuſque, vt fere fit, omnem licentiam permiſere, & eorum terrorem bonis omnibus injecere.

Vide eius caritatem.

Ceterum his in calamitatibus ęquam non modo Iuliana mentem ſeruauit, verum eo germanæ caritatis etiam progreſſa eſt, vt mortem ſibi vehementer optaret, ſi vel minimum ad æternam ſuorum aduerſariorum ſalutem conduceret: atque adeo cuipiam aliquando quęrenti, qui fieret, vt ita ſtudioſe apud Deum cauſam eorum ageret, a quibus tam indigna pateretur, reſpondit: Ego vero vt ad cæleſtem beatitudinem olim ipſi pertingant, perlubenter mortem obibo, quamquam nullum mihi commodum, nullamve gratiam apud Deum eſſem comparatura; redituraque deinde ad vitam, vt tum demum mea cauſa, communi omnibus mortalibus lege perfungerer. Sane fuit is animus in virgine non dicam virilis, ſed heroicus, omninoque Chriſtianus.

Injuriam Deus vlciſcitur.

Inultam Deus non reliquit injuriam. Sub idem tempus cum forte ſurſum aliquis in nubes oculos intenderet, ingentem aduertit imminentem vrbi clauam, quæ horrende in ictus repetitos ſæpius vibrata, funeſtam minitari cladem videretur. Territus is hoc portento & quodam perculſus horrore, ſupplex ad Deum ſe conuertit, vt quid hoc viſo portenderetur, aperiret. Extemplo vocem hanc ad ſe demitti ſenſit: Propter irrogatas Iulianæ injurias duro flagro Leodium vniuerſum cędetur. Non fefellit euentus. Affirmat diſerte ſcriptor illius temporis in hunc ferme modum. Adeo communem omnibus cladem vindex Dei manus inflixit, vt immunem quempiam fuiſſe non facile crediderim. Nemo cujuſuis ordinis ſacri aut profani, nullus melioris infimęque conditionis, non vir, non femina, ex ampliſſima ciuitate omne malum euaſit. Vbique domus euerſæ;

Digitized by Google

læ; diuites ad humilia, ad incitas redacti mediocres; direptiones, latrocinia, populationes, cædes, strages. Hæc ille. Nulla scilicet est sceleratis impunitas: & justis aduersa cedunt in gloriam.

CAPVT XV.

Namurci in magna viuit egestate. Salsiniam tandem se recipit.

INnocentissimæ virgini acerba incumbebat necessitas. E patria fugiendum erat. Rerum ad fugam exiliumque necessariarum suppetebat nihil. Tres secum e sodalibus trahebat, Isabellam, Agnetem sororem, Ozilam. Quo fugeret, nihil potissimum occurrebat. Proximum placuit Namurcum. Hic primum extorres, ignotas, inopesque virgines vix quisquam recepit: donec tandem apud se pauperes quędam Deo sacræ virgines hospitium certe dederunt; sed inopiam leuare non poterant. Aliquanto igitur tempore illas rerum omnium egestas afflixit. Recreabat nihilominus animos humanis omnibus altiores exemplum Christi Domini sponsi amantissimi, qui *Propter nos egenus factus est cum esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus.* Diu vitam tolerarunt victu emendicato. Donec tandem ægre obtinuit Himana Salsiniæ abbatissa, vt quæ sua omnia Cornelianæ domui addixerant, ab illa quoad viuerent, annui vectigalis aliquid acciperent. Namurcum se recipit. 2. Cor. 8. 9.

Inter tantam rerum vicissitudinem, perturbationemque omnium serena mentis tranquillitate nihilominus fruebatur Iuliana, dulcissimum suum sponsum vbique nacta presentem; cujus puro amore succendebatur adeo, vt ignescere tota dici posset. Certe vir fidei probatissimæ sub rem Diuinam post recitatum euangelium, ex eius vertice magnum exstitisse fumum, sursumque tetendisse vidit. Ex ardentissima nimirum illa Diuini amoris fornace (Iulianæ pectus intelligo) prorumpebat. semper sibi similis

Plura de eius sanctitate prodidissent, quæ integerrima fide per tantas angustias illam secutæ sodales erant, & arctissima familiaritate diu vitam in vnum egerant, si superfuissent. Sed ante suum singulæ diem obierunt, quemadmodum edocta diuinitus Iuliana prędixerat. Priores vita defunctæ sunt Agnes & Ozila. Corpora Salsiniam ad decentius sepulcrum deducta sunt.

Tum denique sibi ab Isabella persuaderi passa est, quamquam ægre, futuri nimirum haudquaquam ignara, Salsiniam vt migraret Iuliana: quo sæpe insigni humanitate inuitauerat Himana. Et vero officiose sinceraque caritate, venientes excepit, spatiosamque ac ornatam addixit habitationem, tantæ virtuti rata nihil non debitum. Erubuit eo honore modestissima virgo, plurimisque cum rationibus tum precibus euincere contendit, vt humilis aliqua casa attribueretur. Frustra fuere omnia apud abbatissam; quæ quam admirabatur Iulianæ virtutem, tam pro viribus illam ornare amabat. Salsiniam secedit.

CAPVT XVI.

In Dei parentem singulari amore fertur.

DVm agit Salsinię Iuliana, antistitæ carior in dies euadebat admiratione virtutum, quas in ea non pulcherrimas deprehendere non poterat, quisquis illa familiariter vteretur. Suauissimos aliquando miscebant de Diuinis rebus sermones, vt alias sępe: & forte tum euenerat vt agerent de elegantia Diuini illius cantici, quod Virgo Mater olim apud Elisabetham afflata Numine cecinerat. Vidit Himana quidpiam solito majus sancto pectore latere. Rogauit ergo pro mutua necessitudine, vt aperire ne grauaretur, quid e cęlo suauitatis animo persentisceret vel e meditatione, vel e modulamine sancti hujus carminis. Erupitque subito pręter mentem ex ore Iulianæ, quod animo claudere diutius non poterat: Quantulumcumque sit illud cælestis dulcedinis, quod ex admirabilis hujus cantici meditatione, suauissima virgo MARIA immerenti mihi impertitur, numquam equidem auro tanto permutarim, quantum amplissimus asceterij totius ambitus contineret. E dicendi ratione satis intellexit antistita majora quædam sanctissimæ virginis pectore claudi, quam quæ explicari sermone possent. Insignis illius amor in Dei matrem.

At

Digitized by Google

At vero Iuliana, quæ quidquid ore promeret, librata prudentię lance consueuisset expendere, cum ad se deinde redijsset, & ad rationis trutinam secum verba sua reuocaret, ipsam sui puduit pro solita modestia; nimiæque libertatis, vt vocabat, pænituit: neque potuit conquiescere, dum sequenti die suppliciter Himanam rogasset, hanc sibi condonaret noxiam: obtestataque esset per sacra omnia, ne quod per imprudentiam excidisset ore, vulgaret.

Suadebat recitari canticum Magnificat,

Porro quod Dei parenti gratissimum esse hoc carmen sibi persuaderet, diebus singulis optimæ suæ Matri magna voluptate toties recitare solita est, quot illa mensibus Dei filium vtero gestasset. Atque vt idem pręstarent, suos omnes necessarios ac familiares hortabatur, rationemque addebat, quod numquam futurum existimaret, vt repulsam pateretur, qui quid Deum rogaret interposita MARIÆ virginis autoritate, si prius illi scilicet & gaudium, quo erupit olim in hoc vaticinium, diebus singulis renouasset toties, quot mensibus vtero Deum tulit. Toto igitur animo desiderabat, vt idem vsurparent quamplurimi, sed potissimum virgines Deo sacratæ; certa maximam inde frugem nascituram omnibus, quæ id factitarent.

Luc. 1.38. & consensum a Virgine angelo datum.

Non absimili prætereą voluptate efferuescebat, cum attentiore animo singula perpenderet verba salutantis angeli, virginisque respondentis: sed tum maxime cum aperto consensu *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, æternę majestatis parentem esse cœpisse intelligeret. Qua de causa quoties angelicam salutem legebat, datum his verbis consensum, lubentissime ipsa magnoque voluptatis sensu subjungere semper solita est. Familiaribusque omnibus vt idem facerent, autor erat. Affirmabat quippe ita quodammodo renouari gaudium, quo delibuta fuit B. Virgo, cum prolatis hisce verbis, Dei mater effecta est.

CAPVT XVII.

Salsinia fugere compulsa; Fossas se recipit.

Constantia Iulianæ gaudia sponsus in cælis parabat, quæ profecto rarenter in terris indulsit. Noui ecce luctus, noua funera exiliaque illam circumstant. Carissima eius sodalis Isabella, fidissima in omnibus calamitatibus comes & solatium, Salsinię vita decessit, magno illius dolore. Ne sola vero ageret Iuliana, e Cornelianis sodalibus Leodio Ermentrudem aduocat. Quæ vt Iulianæ semper fuerat amantissima, mox adfuit, fidissimamque se exhibuit comitem ad vsque vltimum eius spiritum.

Bellico tumultu

Acerbius afflixit, quod in ipsam Salsiniam incubuit malum. Concitati aduersus Augustam principem suam Namurcenses bellum meditabantur, illud a Salsiniensi cœnobio auspicaturi, quod antistitæ consilijs Augustam vti crederent. Nequę vanas esse minas visum fuit. Misit Augusta, qui suo nomine Himanam moneant, atque adeo imperent, vt mature rebellium furori se suasque omnes subducat & recipiat in tutum. Dudum hoc Iuliana diuinitus præsenserat, & omnibus precibus cladem studuerat auertere: sed frustra.

Incredibili ergo conflictata est dolore: sed tum maxime cum submissum ex arce militem vidit, qui cœnobium (vt aiebant) ab omni injuria vindicaret. Nam vnde lacrymis ceteræ solatium, calamitatem inde Iuliana crescere sensit. Præuidebat scilicet militum insolentiam, qui non tantum damna potius inferrent, quam propulsarent; verum sacra etiam loca comessationibus, libidinibusque polluerent.

Salsinia cedens

Vbi denique discedendi tempus aduenit, tum demum perturbata rerum facięs acrem adeo ipsi commouit dolorem, vt cum animo primum comprimere niteretur, sui deinde impos in altos clamores eiulatusque prorumperet ea contentione, vt venam perfregisse credita sit. Mox etenim ore magnam vim sanguinis eiecit, & reliquo quod superuixit tempore solita est rejcere. Circumstabant aliæ virgines, quas acerbissimus Iulianæ dolor sui cogebat obliuisci, multisque afflictam leuare laborabant. At solatium ipsa non admittebat, quæ malorum seriem e cælo didicerat. Nam & mali videbat diuturnitatem, contra quam illæ sperarent; & peccatorum grauitatem deplorabat; & ex hospitalitatis lege non poterat non earum calamitatem sentire, quarum insignem in se humanitatem erat experta.

Discedendum denique fuit, miseranda omnium comploratione. Suas Himana pro tempo-

Digitized by Google

temporum infelicitate magis quam dignitate conditionis, quam maxime potuit prouide dimisit in diuersa loca: Iulianam (quam in dies virtutis nomine magis suspiciebat) sibi comitem adjunxit, perduxitque Fossas ad virum insigni morum integritate præditum, eodem in oppido canonicum, musicæque pręfectum, quem cantorem appellamus. Fossas adit.

Hic lætus ad se diuertisse talem hospitem, sibi sanctimoniæ fama dudum notissimam, domo cum sodali Ermentrude recepit, & omnia quę potuit Christianę humanitatis officia peramanter exhibuit. Non multos ab hinc dies viuere desierat eius soror, femina in paucis studiosa honesti, & ex earum genere, quas clausas appellamus. Huic olim erexerat tuguriolum de more adhærens ædi sacræ, quod jam post sororis mortem deijcere meditabatur: sed hac abductus sententia, aduenienti Iulianæ obtulit in habitationem.

Admisit illa perlubenter, quod eius vitæ instituto videretur accommodum. Solatijque nonnihil etiam ex eo accipiebat, quod collatis temporibus e cantoris sermone compererat ipsius sororem in illud eodem se die inclusisse, quo in suum Eua Leodij ad S. Martini. Hoc ergo subijt Iuliana, sextum jam exul nullo suo crimine. Ex hoc transibit ad immortalitatem. Nulla nimirum est in cælum via certior & magis trita, quam per ærumnas & crucem.

CAPVT XVIII.

Ad mortem se magna sanctitate comparat.

Diuturniores ærumnas, quibus exercita, colluctataque totius vitæ decursu, suum quam proxime secuta sponsum semper fuerat Iuliana, concludere tandem, promeritaque donare palma statuit justus judex. In eam ipsa incidit ægritudinem, quę debitam cęlo animam paulo post terris eripuit. Futuri non ignara, Ioannis Lausanensis sibi fieri copiam ante extremum diem summis votis expetebat; quærebatque identidem ex assidentibus, nullone pacto fieri posset vt adesset. Verum neque Ioannes, neque familiarium alius toto morbo Leodio adfuit, vel quod eadem, quæ sępe alias corporis inualetudo crederetur; vel etiam itinerum pericula deterrerent. Sane olim cuidam e necessarijs asseruerat, sub vltimum vitę nullam sibi futuram amicorum eorum potestatem, quibus mentis arcana familiarius crediderat. Creditum est voluisse singulari quadam Numinis impulsione, ad eius gloriam vtilitatemque hominum, pandere mentis arcana, si quos desiderabat, nacta fuisset interpretes rerum suarum non imperitos. ANN. 1258. Ægrota.

Cum adueniret nemo, sodalem suam Ermentrudem aliquando remotis arbitris ad se propius aduocauit, secreta quædam ei creditura. Illa vero cum ad primam de morte vocem animo molliore muliebriter in lacrymas prorumperet: Animum, inquit, mihi concussisti importunis istis lacrymis. Ego vero in posterum hac de rē nullum tibi verbum.

Acerbitate interim diuturnitateque morbi consumebantur corporis vires. Sed animum confirmabant Diuina: quorum meditationi tanto insistebat studio, quantum integra sanitas vix ferre potuisset. Quemadmodum scilicet eo concitatior est rerum naturalium impetus, quo fini propior: ita non aliter atque si naturæ quædam vis Iulianam in cęlestia tulisset, cælo jam proxima viuidiores pectore faces euibrabat. Quos profecto quondam ardores, quamdiu vixit, studiose semper pro sua modestia compressit: at modo animus velut strato corpore fortior, solitisque legibus teneri dedignatus, erumpentibus crebro vocibus se prodebat: Domine *quando liberabis me de corpore mortis hujus?* Quando gratum illud aderit tempus mihi tamdiu optatum? *Quando desiderium cordis mei mihi tribues?* Cumque inter hęc subjecissent aliquando, qui aderant, forti lætoque esset animo; breui enim morituram. *Non moriar, non moriar, sed viuam;* inquiebat. ad cælum adspirat. Rom. 7. 24. Ps. 20. 3. Ps. 117. 17.

Itaque quamquam in terra corpore jaceret, in cælo mente spatiabatur, & delicias prælibabat, quibus mox erat fruitura. Tota cum sponso erat: neque acutissimus quo vexabatur, oris dolor a quotidiano canonicarum precum penso absterrebat. Hisce mentis exercitationibus toto verni jejunij tempore collectum seuero silentio retinuit animum: vt frui jam Deo suo videri posset, nisi mortalitatis admonuisset corporis infirmitas.

Dies Paschatis aderat. Primo mane lectulo erepsit, vt vltimum (ita pridie monuerat Ermentrudem) ad ædem sacram adiret. Afflicto corpori vires animus jam ferme ad mortem se comparat.

cælestis addebat. Constanter nulloque signo fatigationis edito, vniuersas preces ex ecclesię more concini solitas audijt. Augustissimum CORPORIS CHRISTI Sacramentum in viaticum ad iter immortalitatis, ex hospitis sui cantoris manu suscepit, ea veneratione ardoreque mentis, qui verbis non facile queat explicari. Vel ex hoc aliquid collige. Indignum rata si Deum suum ad se deferri sineret; ad aram languidum corpus trahere maluit. Ac priori deinde loco restituta, omnem lassitudinem vel dissimulans, vel superans, infracta animi fortitudine perstitit ad occidentem vsque solem, eodem semper vestigio.

Tum demum reducta domum, sacro voluit Oleo inungi. Factum est: sed tanto in illa pietatis sensu, vt in lacrymas tota diffluere videretur, obstupescente admodum sacerdote: sed tum maxime cum singulas vnctiones aptissimis votis precibusque conceptis ipsa prosequeretur.

CAPVT XIX.

Sancte moritur, deferturque Villarium.

CHristiano omni instructa commeatu Iuliana, profectionis signum auidissime expectabat, quando die Mercurij proximo sub noctem, deficientibus subito, quę supererant, viribus, visa est animam agere. Aderat antistita Salsiniensis, magna sollicitudine in omnes intenta casus vt morientem videret, quam adhuc sanctitatis nomine tantopere suspexerat. Quamobrem hanc ei supremam esse noctem rata, totam vigilijs apud ęgram traducere parabat. At Iuliana serio pronuntiauit, neque illum, neque alterum diem sibi fore vltimum. Sancte hoc dictum accepit Himana, eademque fide qua pleraque alia, quæ comprobauerat euentus. Pedem ergo extulit.

Deficiebat sensim Iuliana: & jam dies Iouis illuxerat, quando vires deesse sensit, quibus precum canonicarum pensum exsolueret, quod diligenter hactenus confecerat. Et ne quidquam vltimo vitæ articulo de suo in Diuinas laudes studio remittere videretur, voluit esse qui legendo præirent; ipsa qua posset, sequeretur. Cum tandem neque id ipsum toto virium conatu assequeretur, identidem iterabat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* (*Apoc. 14.13.*)

Die Veneris prima luce cum aliquot e suis virginibus aduenit Himana, aderat Ermentrudis, Cantor, paucique alij. Visa est diutius vitam non posse prorogare. Ergo sub nonam ante meridiem horam, Himana volente, (cum aliquamdiu repugnasset Iuliana) illatum est VEN. SACRAMENTVM, more illis temporibus vsurpato, adorandi tantum gratia, quando per morbum sumere non liceret. Deferente sacrosanctam Hostiam cantore, vt audijt sancta virgo pulsum cymbali, quod Christiano more præferri solitum est, derepente velut vna de numero prudentum obuiam sponso exitura, animo supra semianimis corporis vires assurgente, super lectulum in pedes se dedit, ac statim resedit ad omnem venerationem composita. Ingressus cantor sacra pixide aperta, VEN. EVCHARISTIAM ostentans hortatus est vt extremum sub tenui velo sponsum suum veneraretur, quem retecta facie mox ęternum esset contemplatura. Iuliana defixis amantissime in carissimum sponsum oculis respondit: Ita mihi, dominæque meæ bonus Deus faueat: Vltimo etiam spiritu acceptorum ab antistita beneficiorum gratam memoriam testata. Quo dicto suauiter in subjectum puluinar caput reclinans *obdormiuit in Domino*, nonis Aprilis anni supra millesimum & ducentesimum duodesexagesimi. Sexagesimum sextum ætatis attigerat. (Mortua)

Villarij sepulcrum elegerat: Gobertumque illic monachum, & sibi virtutis nomine conjunctissimum statim a morte aduocari voluerat, vt sepulcri curam susciperet. Adfuit sabbato Gobertus, & sanctas felicis animę exuuias Villarium auexit.

(Villarij sepelitur.) Obuiam egressi Villarienses cœnobitę, singulari studio ac veneratione sacrum depositum exceperunt, intulerunt domum, totamque noctem religiose circumfusi, sacris hymnis, psalmisque decantandis consumserunt. Vt illuxit, justa Christiano ritu persoluta sunt. Sub hęc sacerdos quispiam inuocatus, atque inexspectatus, sed Deo ita prouidente, aduenit: qui ne quid ad funeris deesset celebritatem, verba habuit, vt facundus erat, disertissime de sacrosancto VEN. EVCHARISTIÆ mysterio, quod scilicet præcipuo semper amore prosecuta sancta virgo nouis in ecclesia honoribus exornare tota vita contenderat. Ejus

Digitized by Google

Eius porro in cælo gloriam, & apud se autoritatem, pluribus prodigijs supra naturæ leges perpetratis Deus testatus est.

Die septimo
HERMANNVS
conuersus Villariensis. *D'Assignies e Manuscr. Villar.*

QVod ex humanis deesse Hermanno videbatur, perliberaliter e cęlo compensatum est. Seruilia conuersorum munia Villarij peragebat; sed virtutem assecutus est nobilioribus asceticis non imparem. Magnus in primis sui omnisque honoris contemptor fuit: diligenterque illorum declinauit congressum, etiam virorum nobilium, apud quos in aliquo se honore futurum vereretur. Non pauci quippe ex virtutis admiratione eius colloquium & amicitiam amabant. Suauiorem scilicet pręferebat cum Deo familiaritatem, cujus est sermocinatio cum simplicibus. Et vero ad arcana Deus induxit. A terrenis rebus ad Diuina non raro sic abstractus est, vt nec videret corpori præsentia, nec sentiret; mentis autem oculo clarissime peruaderet Diuinę sapientiæ secreta. *Humilis* *ad alta euectus est.*

Futuri certe non fuit ignarus. Graui ægrotatione dejectus decumbebat aliquando, & abiturus vita credebatur. Non tenuit lacrymas quidam e sodalibus, & quam imminentem putabat, cum illius mortem deploraret: Dolorem pone, inquit Hermannus; ego quidem ex hoc morbo conualescam: tu vero de tua morte cogita, quam instare tibi denuntio. Ita factum est. *Vaticinatur.*

Mirabilius illud est, quod intimos mortalium animos intelligentia penetraret; ijsque ipsis, quæ credebant occulta, vel pro grauitate non satis ęstimabant, in claram lucem producebat, quo suis rebus prospicerent. Alienum quippe bonum cordi habuit quam maxime. *Inspicit animorum intima.*

Nihil illi gratius fuit, quam de rebus Diuinis sermones cum sodalibus habere. Quos proferre si quandoque ipse rogaretur, sanctorum dicta factaque in promptu habebat, quibus ad cordis puritatem auditores permoueret. Suos vero laudatores cum fastidio reijciebat: illos autem cum indignatione, qui alienæ famæ detraherent. Insigni fuit in omnes, pręsertim miseros humanitate: neque suam opem, si cui esset vsui, desiderari passus est. Aliorum etenim dolores semper magis sensit, quam suos, quos non aliter contempsit, quam si ad ipsum non spectassent, imo amplexus est. Cum enim carne vinoque semper abstineret, ne tum quidem sibi putauit indulgendum, cum morbo laboraret. Denique post actos in sanctis hisce religiosæ asceseos exercitationibus annos quinquaginta, hydrope ad vitæ finem deductus est. A Dei parente solatij plurimum vt tota vita, sic etiam in morte accepit, eius colloquio persæpe recreatus, quam teneriore quodam amore singularem sui ordinis præsidem fuerat veneratus. *Insignis eius caritas.*

Cum proxime videretur moriturus, sacro ad vltimam pugnam inungi oleo rogauit. Et quærenti alicui an non cruciatus post mortem reformidaret, quibus ad beatam immortalitatem pararetur: negauit intrepide. Affirmauit vero sperare se ab æterna Dei bonitate, quę promissa sunt illum timentibus pręmia. Ingentem fiduciam, æternęque vitæ desiderium omnibus adstantibus accendit hęc responsio: sed magis hominis jam morientis vltima vox, asserentis optimam Dei parentem aduenisse, suum clientem ad æterna gaudia deducturam. Quibus magna animi jucunditate prolatis, suauiter animam exhalauit, in illius scilicet complexum, quam ducem sibi ad beatam immortalitatem aduenisse dixerat. *Plenus sancta fiducia moritur.*

Digitized by Google

Die octauo

ARNOLDVS DE SOLBRECQ

abbas primum Iardineti, tum Gemblaci. *Manuscr. Iardineti, & quæ ad me misit e sui monasterij monumẽtis R. D. Carolus Gaillet monachus Gemblacensis.*

PRimum monasticæ vitæ tirocinium in Hortulo B. MARIÆ posuit preceptore peritissimo Ioanne Eustachio primo abbate: & illa suæ virtutis edidit specimina, vt tertius abbas designatus fuerit. Creditam prouinciam administrauit insigni vigilantia, parique successu. Quare postquam annos duodecim in eo munere sapienter posuisset, magno suæ integritatis argumento, euocatus est anno post sesquimillesimum primo Gemblacum, vt venerandum illud sancta antiquitate monasterium regeret: perfecitque magno complurium emolumento. Ad veterem S. patriarchæ Benedicti normam cum suos sodales reducere peroptaret; eamque inolitæ libertati aduersantem, atque permolestam fore non ignoraret, suauiorem suis ipsius exemplis reddendam existimauit. Igitur ad monasticæ leges ea seueritate vitam suam exegit, vt de earum vltimo rigore nihil vmquam remitteret, etiam tum quando aliquam conniuentiam admittit sanctus legislator. Nam si quos mensæ suæ hospites admouisset, tractabat quidem illos religiosa humanitate; vsurpata tamen monasticis legibus jejunia ipse constanti cura obseruabat. Magno quippe studio temperantiam in victu, & quę illam fere consequitur, purissimam castitatem semper coluit. Carnium etiam esu religiose admodum sese abstinebat, ceterisque pariter interdictum omnino volebat, nisi quid aliud subinde religiosa disciplina pateretur. Euangelicam paupertatem in primis amabat, vt quam firmissimum omnis religionis munimentum esse haudquaquam ignoraret: eaque de causa sedulo inuigilabat, ne quid irreperet, quod illi vel minimum aduersaretur: eius vero incommoda ipse quandoque ambire videbatur. Certe non raro accidit, vt pauperioribus adolescentibus tirocinium ingredientibus suum ipse lectum relinqueret, atque interea in solo stramine somnum caperet. Optimo euentu in asceticam dum totus incumbit, multis difficultatibus implicitas ac pæne inuersas rei domesticę rationes nullo modo negligendas existimabat. Villas aut vetustate collapsas, aut dirutas bellorum injurijs, nouis ædificijs instaurauit. Agros, decimas, vectigalia, ipsamque adeo sacram supellectilem oppignerata multo auro redemit. Aliud jam erat Arnoldo abbate Gemblacum: magnę erat omnibus venerationi. Ipse Tornacensis episcopus Ioannes Desbois datis Gemblacum litteris abbatem rogauit, aliquot e suis monachos mitteret, qui compositis inter quædam illius diœcesis monasteria dissidijs, disciplinam primæuo nitori restituerent. Obtinuit magno ecclesiæ suæ bono. His rebus præclare gestis, potius quam dignitatis diuturnitate inclytus Arnoldus, cum plus decennio non rexerit, anno supra millesimum quingentesimum vndecimo, magna gloria vitam clausit.

Die decimo

NOTGERVS

episc. XLVI. *Anselmus, Trithemius, Bruschus, Manuscr. S. Ioannis euangelistæ Leodij, & quæ addiderunt adm. RR. DD. Paulus Simonis S. Pauli decanus, & Leonardus Lintermans S. Crucis decanus.*

CAPVT I.

Creatus episcopus egregiam sacrorum curam suscipit.

NOtgerus gente Sueuus, domo nobilis, sed nobilior litteris, viteque integritate, rebus in episcopatu Leodiensi præclare gestis vix vlli antecessorum secundus, immortalem

mortalem gloriam consecutus est. Monasticen ad S. Galli in Heluetijs professum fuisse aiunt, vbi tantam eruditionis opinionem collegerit, vt Stabuletum scholis ea tempestate celeberrimum euocatus fuerit ad altiores disciplinas auditoribus eo concurrentibus tradendas. A Sangallensibus deinde monachis abbas creatus, annos octo sic eo munere functus est, vt magnis quidem operibus ipsam vrbem firmarit, exornaritque cœnobium, sed majore etiam gloria religiosam asceticæ vitæ normam excoluerit. ANN. 963. Abbas Sangallensis

His igitur argumentis spectata Notgeri virtus sapientiaque, cleri ac populi Leodiensis in se conuertit animos, vt vna omnes sententia pastorem eum postularent, juberetque Cæsar. Consecrauit S. Geron Coloniensis archiepiscopus. fit episcopus Leod. ANNO 971.

Collocatus in eo rerum fastigio nouus presul prospectare cœpit in omnem partem, quibus expeditissimis rationibus reipublicæ consuleret. Nihil ad eam fulciendam existimauit firmius ipsa in Deum religione, rerumque sacrarum cultu. Quod adeo cordi habuit, vt erectis Leodij tot arcibus munitissimis, quot templa condidisse mox narrabimus, tutissimam ab hostibus, & æternam vrbem facere voluisse videatur: sed eo majore gloria, quod non tam habuit exemplum, quam alijs reliquit. Nec enim fortassis immerito dixerit aliquis, excitatum ipsius æmulatione illum inter Christianos ardorem, quem affecta ætate vidit, magna animi sui letitia; describitque Rodulfus Glaber post annum millesimum. Tum enim ferme vbique, presertim in Italia & Gallijs, restauratæ sunt ædes sacræ, quamquam pleræque non indigerent: non aliter ac si vniuersus orbis Christianus excussa vetustate, candida se templorum quasi veste renouaret. Arbitratur Baronius assurrexisse Christianos omnes ad spem æui noui, quos dejecerant vaticinia nescio quæ, constanti plurimorum assertione jactata, & passim credita de interitu mundi anno post Christum natum millesimo. Nouam ergo veluti vitam exorsi, ad ędes sacras restaurandas, vel erigendas animos adjecerunt. Incensus flagranti studio Diuinæ gloriæ Notgerus anteuertit ceteros eo tempore, quo maxime vltimi exitij metu pęne desperabant. Mira eius in sacris magnificentia licet alieno vt videbatur tempore

Initium duxit ab ęde principe, quæ Diuæ Virgini, sanctoque Lamberto posita quondam a B. Huberto, nondum annos trecentos steterat. Nihilominus seu quod reuera collabasceret, siue Leodiensis ecclesiæ jam adultæ dignitati par haudquaquam videretur, dirutam ab imis fundamentis augustiori mole suscitauit. Quoque magis hominis magnificentiam mirere, totum eodem tempore collegium, atque etiam episcopium nouis operibus instaurauit. Ædemque condidit S. MARIÆ, quam majori proximam ad fontes nuncupant, propter Christiani baptismatis aquas ibi collocatas. S. Lamberti templum instaurat.

CAPVT II.

S. Cruci templum condit, item S. Joanni, diruto Caprimonte.

SIc vrbem religione vel ornatu sibi sumsit augendam, vt ab injurijs seruare immunem magna vigilantia studuerit. Locus erat in Publico monte medius inter SS. Petri, & Martini collegia, loci ingenio munitus: quem dynasta quidam opibus armisque potens, dono Cæsaris obtentum, vt quidam aiunt; vel vt alijs placet, ab ipso præsule postulatum, operibus munitionibusque cingere proposuerat. Malunt nonnulli jam arcem fuisse, Siluestrem a situ dictam. Suspecta fuit Notgero vicinitas, e qua jugum non leue vrbis ceruicibus timeri posset. Graue metum discutit

Clam ergo negotium dat Roberto S. Lāberti præposito, œconomoque suę familiæ, vt se dynastaque illo absente, templum eo loco statuere maturaret. Paruit ille, & pio astu locum vindicauit. Suam spem ægre tulit delusam satrapa. Sed factum erat, quod infectum fieri nequiret sine turpi nota Christianæ pietatis. Acquieuit ergo receptis in vicem ab episcopo pratis quibusdam Transmosanis Quę diu possedisse ferunt vna cum aduocatia Leodiensi nobilissimam illam gentem, quæ fortassis ex eo Pratanorum dicta est. condito S. Crucis templo:

Templum porro S. Cruci dicauit Notgerus: exstructoque cœnobio, censum constituit, qui satis esset denis & quinis sodalibus cum dignitate alendis. Opibus deinde auctum est: vt hodie sit nobile collegium triginta canonicorum.

Securam hac parte vrbem fecerat Notgerus. Sed jugum ab arce Caprimontana longe grauissimum ferre cogebatur. Nec eius excutiendi spes erat Leodiensibus, quandoquidem imperatoris Ottonis Magni, Caroli Simplicis regis, & S. Brunonis (quem archi- grauissimū jugum excutit

ducem

ducem dixerunt) irriti conatus cecidissent. Arx erat intra secundum ab vrbe lapidem, accessu tam difficilis, tanta murorum turriumque firmitate, vt nullam oppugnantium vim timeret. Munimentorum fiducia, late præsidij miles latrociniјs grassabatur, tutumque eo habebat receptum. Arcis dominus erat quidam e Francica nobilitate: cui anno nongentesimo octogesimo prolem genuit conjux. Episcopum rogauit pater vt infantem sacro fonte lustraret. Addixit operam Notgerus, diemque dixit; quem tamen anteuertere placuit, ne quam se nactum sperabat, ecclesiæ in libertatem asserendæ imprudenter dimitteret occasionem.

euerso Caprimonte.

Longo cleri agmine Caprimontem proficiscitur. Quod vbi accepit toparcha, venienti procedit obuiam, comiterque exceptum in arcem inducit cum vniuerso comitatu. Tum ab episcopo signum datur. Et ecce mira metamorphosi, qui creditus fuerat clerus, apparet armatus miles. Rejecto enim clericorum habitu, galeas induunt: subitoque visa est in arce intima militum cohors instructissima. Inermis erat cum paucis toparcha, prorsusq; ad pugnā imparatus. Nullo igitur vel certe leui certamine, potitus arce munitissima Notgerus, euerti totā imperauit, ne quod esset deinceps latrocinantibus perfugium. Quo perpetrato Leodium cum victrice cohorte redijt, lætissima prouincialium omnium exceptus gratulatione. Infestissimam tyrannidē dissipatam omnes prędicabant.

Opes addictæ B. Virgini Aquensi,

Creuit illa ruina Leodium & Aquensis ecclesia. Nam euersa Dei parentis basilica, presbyteros duodecim, qui in illa vixerant, cum omnibus vectigalibus Aquensi collegio conjunxit: additisque de suo facultatibus, alios præterea denos instituit, vt vniuersum jam quadrageni numerentur, dignum vrbe regia collegium.

Leodij S. Paulo

Alterum fuit Caprimonte S. Caprasij templum cum cœtu decem canonicorum. Hos ad S. Pauli Leodium transtulit, vt eo supplemento jam triginta censeantur. Ex eo S. Caprasium venerantur Paulini canonici; diemque eius natalem per omnes annos ritu celeberrimo colunt.

& S. Ioanni euang.

Tertium denique habuit Caprimons S. Ioannis euāgelistæ templum, quod Ægidio teste, nec igne nec alia vi vlla destrui prius potuit, quam basilicam eidem euangelistæ Leodij ponendam episcopus voueret. Voti se religione liberauit anno sequenti, quando templum exstruxit adinstar Aquensis rotundum: adjunxitque ędificia cetera collegio necessaria, suppellectilem omnem sacram, & vectigalia canonicis triginta alendis.

CAPVT III.

Leodium, Thudinium, Fossas munit. Restaurat Mechliniam.

S. Martini templū vrbi jungit;

EVerterat Notgerus, quæ perniciem vrbi poterant creare: ea præter hæc statuere placuit, quibus illam sustineret ac tueretur. S. Martini collegium loco erat ita natura sua munito, vt facile videretur non magnis operibus arcem ciuitati exitio futuram collocare. Cauit prouidus antistes, primusque prolati pomœrij laudem tulit. Incisum quippe Publici montis jugum triplici vallo & muro cum propugnaculis & pręcelsis turribus communiuit: eademque muri ac turrium munitione reliquum vrbis ambitum cinxit.

efficit insulam Leodij;

Tum rem aggressus est se dignam, incredibili ciuitatis commodo. Ducta ingenti fossa Mosę portionem deriuauit ad S. Pauli. Circumflexo deinde alueo Publicum montem inter & collegium S. Ioannis, deduxit ad S. Lamberti: & postquam alluisset, quod tum exstruebatur S. Dionysij templum, alueo majori reddidit, effecta insigni insula, quæ hodie pars est ornatissima ciuitatis.

Thudinium muris cingit

Non vrbe se tenuit præsulis prouidentia. Thudinium vrbem condidit, firmisque cinxit operibus, loco natura munito, & ex omni ferme parte abrupto, quod Lobio, simul & diœceseos finibus validum esset præsidium. Arcem prius eodem fine constituerant abbates Lobienses: quæ propter angustias cum paucis perfugium præbere posset, meliorem montis partem complexus munimentis Notgerus, vrbem statuit.

item Fossas:

Fossensem præterea ecclesiam ornauit adjecta vrbe. Ipsum quippe collegium ædificijs non modo instaurauit; verum circumducto muro, & erectis in defensionem turribus, intus religione, foris valida munimentorum complexione sepsit. Vtque opibus & multitudine oppidum augeretur, negotiatoribus mercatum, coquendæque cereuisiæ, ac monetæ cudendæ tabernam constituit, & indixit portorium ex Augusti voluntate.

Mechli-

Digitized by Google

Mechliniam cum templis Normanni deformauerant: restaurandam sibi sumsit Notgerus; ad Leodiensem enim ditionem jam tum pertinebat. Duodecim canonicorum collegium condidit addita præpositi dignitate. Binos deinde canonicos adjecit comitissa Gerledis. Metropoleos honore nuper auctum est illud collegium. Mechliniã instaurat.

CAPVT IV.

Notgeri exemplo cœnobia plura ædificantur.

MOrum integritas, in suscepto munere vigilantia, prudentia in rebus agendis, animi magnitudo, ceteræque virtutes episcopo dignæ Notgeri nomen summis quibusque principibus commendarunt. Rexit ecclesiam Leodiensem imperantibus tribus Ottonibus & S. Henrico. Quibus omnibus adeo carus vixit, vt ecclesiæ suæ libertatem, opes, prædia, omnesque præcipui juris prerogatiuas Cæsarea ipsorum autoritate probari obtinuerit. Sed gratia potissimum valuit apud Ottonem III. cujus pueritiam rexerat. Cum enim ille annum vitæ ingressus dumtaxat vndecimum, parenti successisset, quæsierunt Germaniæ principes eius pueritiæ moderatorem, dum regno maturesceret; aptioremque Notgero neminem existimarunt. Illustre profecto regni totius testimonium de eius sapientia, religione, fide, vigilantia. Ottonem III. puerum rexit.

Super hec magnam apud alios principes collegit autoritatem, magno etiam ecclesiæ suæ incremento. Ansfridum Hoij comitem adeo conciliauit, vt ille spretis humanis omnibus religiosiorem aggressurus vitam, in perpetuum Leodiensi ecclesiæ suam illam nobilem toparchiam addixerit. Hoium S. Lamberto datum:

Alij vero non pauci Christianam & episcopo dignam ipsius magnificentiam sequi gestierunt: nobiliaque monasteria vel perliberaliter condiderunt, vel ante condita nobilibus prædijs auxerunt. Ne longius Hilsuindem a suo viro Ansfrido disiungam: virgines illa religiosioris vitæ amantes collegit e S. Benedicti disciplina victuras, quibus cœnobium autore Notgero Thoræ non procul Maseca condidit: illustre est hodie nobilium canonicarum collegium. conditum Thoræ cœnobium.

Ipse Otto Magnus episcopi nostri rogatu vel certe exemplo, Aquensem ecclesiam subjecta illi Caprimontana abbatia ornauit. At Theophaniæ eius nurus frater Gregorius, vir eximiæ sanctitatis, quasi diuinitus ex Oriente missus ad illustrandam hanc diœcesim, Porzetani cœnobij proxime Aquas autor fuit. & Porceti,

Florinis templum vna cum canonicorum collegio in S. Gengulfi memoriam posuit Arnulfus loci toparcha: aliudque inchoauit, quod liberi perfecerunt in S. Ioannis Baptistę honorem, & adjunctum Benedictinæ asceseos monasterium. Florinisque

Leodij Nithardus principis ecclesiæ custos cum duobus fratribus basilicam, collegiumque S. Dionysio construxit, attribuitque vectigalia vicenis canonicis alendis, quibus additi postea sunt Notgeri munificentia alij deni. Sub eadem tempora in vertice Publici montis ędem S. Ægidio posuit Goderanus quidam sanctitatis nomine celeberrimus, & habitationes circum ædificauit excolendis ijs, qui se ad virtutem ducendos ipsi credidissent. Illa fuerunt insignis monasterij exordia, a quo totus mons deinde nomen accepit. & Leodij collegium S. Dionysij.

Minus est, nec tamen silentio prætereundum, quod pręter S. Mariæ ad fontes (de quo antea) alia duo pręterea condiderit curialia templa S. Michaëlis, & S. Remacli in eodem Publico monte: quibus additum mox quartum S. Adalberti narrabimus.

CAPVT V.

Sanctitatis exercitationes imprimis amauit.

INter pręclara tot Notgeri facinora, jure mirabitur aliquis hominem vnum tam multis suffecisse perpetrandis. Neque tamen ita se in externa diffundebat, vt sui obliuisceretur. Prima certe fuit hæc illi cura, in quam sepositis ceteris quandoque totus incumberet. Quoties enim a grauioribus negotijs ad quietem aliquam euadere poterat, ad S. Ioannis se recipiebat. Hic potissimum sancte deliciari solitus est religiosus præsul; seu quod singulari studio exstruxisset ecclesiam illam, ornassetque; atque ita Sancto secessu ad S. Ioãnis fruitur.

proprio

proprio quodam jure suum veluti fetum amaret: seu quod locus ipse ab vrbano strepitu magis semotus, atque sacro secessui aptior in paucis arrideret. Ibi quippe in domo, quam in interiore claustro sibi ędificauerat, domi erat: ibi tamquam in familiari sinu operis sui orationi & lectioni vacabat: ibi tabellarijs & scriptoribus dictabat.

Ps. 75. 3. *3. Reg. 19. 12.* Nimirum ab humanorum negotiorum æstu illi secedendum est, qui in arctiorem admitti familiaritatem ab illo postulat, *cujus in pace locus est, & in sibilo auræ tenuis.* Ita familiare fuit, imo necessarium magnis omnibus viris, qui inter publicarum rerum tractationes, sui curam, vt sane par est, non censuerunt esse deponendam.

S. Adalberto templum ponit. Cum toto orbe Christiano gloriose celebraretur martyrium S. Adalberti Pragensis episcopi, qui ante bienniuni annuntiata Prussis Christiana religiōne, vitam fortissime posuerat; famam admodum auxit Otto imperator, ad sacrum eius corpus in Poloniam religionis gratia profectus anno nonagesimo nono. Ab auditore suo non dedignatus religionem edoceri Notgerus, libens eius exemplo sanctissimum præsulem admirari cœpit & colere. Atque vt imitari facilius esset, oculis suis quoad licuit semper voluit objectum, ne vmquam a memoria recederet. Nam proxime suum illum religiosum ad S. Ioannis secessum inuictissimo martyri Adalberto curialem ædem posuit.

Hæreses persequitur. Inuictus & ipse fuit pro Christi grege pugil. Hæreses fortissime fertur profligasse: nec tamen earum nomen quisquam edidit. Insigni vero qua pollebat facundia frequenter pro concione recti honestatem commendabat, insectabaturque vitij turpitudinem acerrime. Vbi verbis non cedebant obstinati in malum animi, tum demum anathemate percutiebat: sed ictu tam certo, vt nisi resipisceret reus, vindicem supremi judicis manum mox sentiret. Alios enim notarunt nonnulli vel in rabiem actos, vel turpi deformatos scabie, vel casu infregisse ceruices, vel improuiso alio malo mactatos. Non irritum patiebatur Deus, quidquid decreuisset tantæ virtutis pręsul.

ANN. 989. Miraculum. Neque minor in gregis bonum fuit eius apud Deum gratia. Agrorum frugem omnem perdiderat cæli intemperies: ex quo fames ingruebat, dirumque miseris mortalibus exitium minabatur. Subsidium ab autore naturæ quęsijt prouidus antistes, quando deserebat natura. Imperato suis jejunio, Deum ardentibus votis instituit propitiare. Instaurata sunt priscorum sæculorum prodigia. Annonam atque adeo pisciculos de cęlo pluisse ferunt in Hasbania. Miraculum ipsum certe Sigebertus adstruit: Notgeri sanctimoniæ nostrates adscribunt.

Commemorationem defunctorũ Leodij instituit. Item eius pietatem in vita defunctos prædicant. Anno quippe nonagesimo octauo Cluniaci S. Odilo sanxit vt in ordine suo præter creberrima alia subsidia, quæ totius anni decursu animabus expiatorio ergastulo detentis liberaliter impendebantur, alter a Kalendis Nouembris dies proprio quodam ritu deinceps consecraretur. Quod quamquam pie jam ab olim vsuparent nonnulli; pleræque tamen ecclesię totæ facto decreto Odilonis exemplum cœperunt amplecti, ipsaque tandem ecclesia vniuersa. Id in hanc diœcesim a Notgero receptum esse, nostri passim affirmant, insigni profecto illius gloria, quandoquidem, vix annos nouem solidos post Odilonis decretum vixerit.

Odilonem porro quamquam annis minorem, sanctitatis nomine carum ac venerabilem Notgero fuisse testatur Ægidius.

CAPVT VI.

Juuentutis eruditionem cordi habuit, eximio fructu.

FEcunda est, multaque prole felix virtus, in magnis potissimum viris. Ita reipubl. prosunt, etiam a morte longo annorum lapsu. Videbat hoc perspicace mentis oculo Notgerus. Atque tam optandæ frugis auidus, teneriorem ætatem excolebat studiosissime. Isthanc nimirum terram sapienter judicabat aptam producendę olim vberrimæ segeti, si bonam exciperet sementem.

Iuuentutis institutionem sedulo curat Ea fuit ergo cura non postrema, vt juuentuti moderatores proponeret, quos multa litterarum cognitio, diligentia, morumque pręsertim probitas commendaret; ne virtutem traderent segnius, quam ceteras disciplinas. Cohortationibus accedebat ipse, factisq;. Nam & sacræ paginæ quæstiones difficiliores excutiebat non raro cum ipsis magistris, alijsque e clero doctissimis quibusque: & adolescentes vel explorabat propositis quęstionibus pro cujusq; gradu, vel obscurioribus illustratis instruebat. Non poterat auelli a schola-

Digitized by Google

scholasticis adolescentiæ exercitationibus, vt a quibus speraret eximium suo gregi fructum. Quoties iter faceret circumducebat veluti scholam cum omni libraria supellectile, doctissimoque aliquo præceptore. Atque ita curabat exerceri toto itinere, quos in viæ comites adsciuerat, vt ad sodales redirent litteris non leuiter imbuti: atque adeo subinde nihilo illis inferiores, quos ante magistros habuerant.

Si porro dignam illa sollicitudine Notgeri gloriam, oraculo Diuino metiri voluerimus, atque a fructibus cognoscere; aliud tanti præsulis nobilius decus reperiemus nullum. Affirmat enim Anselmus viros non paucos ex illa Notgeri disciplina prodijsse, qui religione sapientiaque inclyti finitimis prouincijs impertiere liberaliter, magnoque fructu, quod saluberrima tanti præsulis educatione collegerant.

In his Otbertum quemdam memorant, qui cum aliquot ejusdem propositi sodalibus Aquas profectus, cleri disciplinam pudenda corruptela labefactatam primæuo nitori restituit. Longius Parisios vsque & Pragim nobilissimas vrbes doctrinæ virtutisque splendorem protulit Huboldus. Pietate artibusque liberalibus illustrauit Durandus Bambergensem ecclesiam: qui postea ex humili fortuna propter insignem sapientiam euectus ad episcopatum Leodiensem, quam vniuersæ ecclesiç nauarit operam, jam diximus. Non pinguior fuerat Wasonis conditio; quem pariter suum episcopum vidit Legia, paucosque alios habuit majores: ita suo loco narrabimus. *vberrimo fructu.*

Eosdem percepere fructus insignes aliç ecclesiæ. Rothardum & Erluinum alterum alteri succedentem e Notgeri schola habuere Cameracenses: vt suus est mihi dicendi locus. Gonthero gloriari Salsburgum, Tullum Hezelone, ait Anselmus. Haimonem Virdunenses, Vltrajectenses Adelboldum deprædicant. Et nos suo tempore meminerimus.

Efficiam profecto ex his admirabiles tota diœcesi pullulasse fructus ex illis Notgeri scholis veluti fecundissimis seminarijs, quandoquidem etiam externum solum illa fecunditate compleuerint.

CAPVT VII.

Clarus inter mortales, donatur immortali corona.

TAntorum bonorum autor Notgerus, ipse in primis omnis honesti sapientiæque germen feliciter edebat. Princeps, inquit Ægidius, per omnia magnus erat, seu ingenium spectes, aut disciplinarum cognitionem amoremque, seu magnificentiam in ædificando, rerumque gerendarum non in sacris minus, quam politicis peritiam singularem, seu denique eximiam omnium virtutum complexionem. Vt verissime cecinerit quidam vates ad Legiam: *Notgerum Christo, Notgero cetera debes.* Nam vix præclari quidquam tota ciuitate fuit, quod non autorem jactaret Notgerum. *Optime de Leodijs meritus*

Quibus omnibus factum est, vt Christiani orbis supremi principes plurimum eius fidei, prudentięque tribuerent. Sane pontifex in disceptationibus Cisalpinorum pręsulum, suas ei vices demandauit: imperator vero in disponendis regni negotijs præcipuum habuit procuratorem & consiliarium. Sunt qui existiment ipsum autorem esse eorum rhythmorum siue sequentiarum, quorum sub rem Diuinam vsa fuit ecclesia.

Verum vt suis in rempublic. Christianam meritis ipse, ita eius glorię nullos terminos Deus volebat constitutos: & qui æternis labentia compensare consueuit, cælestibus honoribus Notgeri benefacta statuit exornare. Ea quam diximus laude annos sex & triginta Leodiensem ecclesiam tenuerat magnus pręsul, quando ad æternum brauium justus agonetheta Christus euocauit IV. idus Aprilis, quo ipso vltimam Christi cenam ecclesią celebrabat. Deplorarunt orbitatem suam vniuersæ diœcesis ordines omnes, & quo par erat dolore patrię patri justa persoluerunt. In vrbe dies singulos sibi sumserunt singula canonicorum collegia, quę illius senserant munificentiam. Primum sibi diem vindicarunt principes canonici. Alter in S. Crucis peractus est. Tertio justa persoluerunt Martiniani. Quartus S. Pauli canonicis datus est. Vltimo denique parentatum est in S. Ioannis: atque ibi, quemadmodum supremæ voluntatis suæ tabulis sanxerat, sepultus est ad aram S. Hilarij. Sancti nomen illi adscribunt Arnoldus Wion in Ligno vitæ & in martyrologio Benedictino, Philippus Ferrarius in noua topographia, martyrologium Petri Canisij, & martyrologium Gallicanum Andreæ Saussæi. *Laudabiliter vita defungitur.*

Digitized by Google

Die duodecimo

HVGO PETRAPONTIVS episcopus LXV. *Ægidius Aureæ vallis, Scriptor triumphi Steppeani.*

CAPVT I.

Creatus episcopus, condit Vallem S. Lamberti.

ORtus est illustri gente in Gallica Campania; maternum genus a Namurci comitibus olim duxisse ferebatur. Virtute litterisque nobilitatem ornauit. Quibus in ecclesia Leodiensi archidiaconus cum magnam autoritatem collegisset, post mortem S. Alberti martyris episcopatum magna spe petierat anno millesimo centesimo nonagesimo tertio. Euicit Albertus Cuickius.

Quo denique mortuo, suffragiorum meliorem partem tulit III. nonas Aprilis anni millesimi ducentesimi, non sine plurium intercessione. Scisso quippe in factiones imperio, cum Ottonis partes Hugo fuisset amplexus, alij plerique qui Philippo fauebant, Romæ diem illi dixerunt. Profectus Hugo Montem Pessulanum attigerat, quando obuium habuit Guidonem cardinalem, quem pontifex summa cum potestate legatum in Germaniam mittebat. Hanc causam ille pro credita potestate judicaturus, Leodium Hugonem reduxit. Coloniam inde profectus, suprema summi pontificis autoritate Philippum Sueuum omnemque eius factionem a sacris remouit. Commodum Hugoni erat hoc præjudicium, quod in Ottonianas partes transisset.

Electus episcopus

citatus tamẽ Romam

Eum nihilominus metus non leuis incessit, ab aduersariorum exultatione: qui Roma reuersi pontificium ostentabant diploma, quo Hugonis contumacia castigabatur. Eius omnem vim elisit legatus, partibus Coloniam euocatis ad dicendam causam. Potentissimum ab aduersarijs telum jactabatur, quod in cædem Alberti episcopi Petrapontius conjurasset. Sed in celeberrimo cleri Coloniensis cœtu, admota sacrosanctis euangelijs manu, objectum crimen diluit. Quare legitimam eius lectionem pronuntiauit legatus; proximoque sabbato sacerdotem, nono post die episcopum consecrauit. Qui Leodium reuersus ad rempublicam animum applicauit.

causam euicit.

Atque vt a Deo principatum auspicaretur, Cisterciensi ordini cœnobium exstruxit Hoium inter & Leodium ad dextrum Mosæ latus. Illud ante annos ferme viginti in Plana valle Ægidius Claromontis comes inchoauerat: sed monachi habitationis incommoda causati, cum locum deseruissent, aptiorem alium quærebant. Maurorum campum obtulit Hugo, agrosque præterea alios addixit alendis monachis. Felicibus ergo auspicijs ædificatum est insigne monasterium: & posito Campi Maurorum nomine, Vallem S. Lamberti appellarunt.

Condit Vallem S. Lamberti.

CAPVT II.

Hoc episcopo multa loca Deo consecrantur.

VAluit ad imitationem tota diœcesi præsulis exemplum. Albertus comes Mohanus tristi casu liberis orbatus, fortunas suas cum in posteros transmittere non posset, Deo constituit consecrare. Aduocatis Cisterciensibus virginibus, quæ in magna egestate Hochti viuebant, insigne monasterium exstruxit in agro suo, opimisque ditauit vectigalibus. Exstructum dicauit Hugo in honorem Dei parentis; & quæ Vallis Rodumi dicebatur, Vallem nostræ Dominæ indigitauit. Hanc posteritatem principe Christiano dignam consecutus est comes Albertus.

In Valle nostræ Dominæ

Wericus Kannetius decanus Leodiensis conditum superiore sæculo intra septa collegij Lambertini nosocomium addixit ascetis vtriusque sexus regulam Augustinianam sectantibus. Qui tanta morum innocentia vixerunt, vt eos in coloniam deducere constituerit

Leodij ad Catenam

Digitized by Google

stituerit Otto S. Pauli decanus ad monasterium, quod secundum Mosam construxerat eo loco, quem ad sinistram ripam Sartum tunc appellabant: postea Cisterciensibus virginibus donatum, Vallem benedictam dixerunt. Secutus exemplum Henricus Brabantiæ dux, Louanij S. Gertrudis monasterium ædificauit, regularibusque canonicis attribuit. Louanij

Philippus Nobilis Namurci marchio ædem in summa arce apostolorum principi posuit; tredecimque instruxit canonicis: ratus nimirum certius nullum firmiusque præsidium quam e cęlo. Namurci

Affirmat Vitriacus vidisse se in hac diœcesi intra breue temporis spatium septena construi Cisterciensibus virginibus cœnobia. Sacrum bellum meditabatur Theodorus Cellensis, & exercendis palæstritis arenam quęrebat: dedit ipse Petrapontius Clarum locum ad portas Hoienses. Ibi celebris illa domus a Theodoro condita fuit, quæ totius ordinis Cruciferorum hodie caput est. Hoij

Qui Kerchumi non procul Thenis jacuerat Cisterciensis parthenon sine spe assurgendi, ob necessariarum rerum egestatem; in alteram Brabantiæ partem Niuellas versus migrauit in locum quem a ramorum multitudine Rameiam appellarunt. Ejusdem instituti sacrum gynæceum Ruremundæ posuit Richardis Geldriæ comitis mater, & in eo se Deo consecrauit. Leodij Ioannes Gauorius homo plebeius initium dedit xenodochio S. Abrahami. Rameiæ

Nosocomiũ suum Hoij B. Iuetta sic ædificijs opibusq; auxit, vt condidisse dici possit.

In Iuncis dicata Spiritui Sancto in honorem Virginis Matris basilica, ob sedata diuinitus cruenta accolarum dissidia, & Teutonicis postea equitibus concessa est. Illustre perseuerat in nostram hanc ętatem illius ordinis cœnobium. in Iuncis.

Etiam Petrapontio præsule prouinciam hanc ingressi sunt Minores B. Francisci sodales, & Trudonopoli primum, tum Leodij, sed postea plurimis alijs locis sedes fixerunt insigni Christianæ reipublicæ emolumento.

CAPVT III.

Totius diœceseos mira sanctitas his temporibus.

A Leodio condito nullum aliud sæculum sanctitate fecundius fuit hoc, quo vixit Petrapontius.

In templo S. Lamberti proxime B. martyris sepulcrum, Ioannes Abbatulus ex eius clero, vitam egit magna sanctitate, vaticinijsque illustrem, eo nomine carus in paucis ipsi Petrapontio. Matrem habuit nihilo inferiorem B. Odiliam. B. Ioan. Abbatulus B. Odilia

E S. Benedicti regula ad S. Catharinæ proxime Trudonopolim omnem honesti dignitatem eximio studio coluit B. Lutgardis, donec Aquiriam ad Cistercienses jussa est diuinitus migrare. Florebant hi maxime: in primis Villarij; quod præclarum omnis virtutis domicilium jure appellaueris. Quicumque tum incolebant, pręclara videntur omnes floruisse integritate. Per capita non censebo: quotquot inuenerit hic lector e Villario flores, horum temporum pæne sunt omnes. S. Lutgardis & alij quã plurimi.

Alnæ florebat Wericus prior, & B. Simon. In Rameia geminę Idę, Niuellensis scilicet & Leuiana; Aquiriæ Elisabetha Wansia; alijs in locis alię tanto numero, sanctitateq; tanta, vt propter illas totam Leodiensem prouinciam instar horti liliorum, & paradisi deliciarum Deo amabilem pronuntiare non vereatur Vitriacus. Quamquam in hujus encomij partem veniant plurimę monasticen non professæ, sed vel e Beguinarum numero, vel in sæculo cælibatum sectantes: quarum virtutem non satis prædicare posse videtur grauissimus ille scriptor. Et Cantipratanus vnam Niuellis commemorat, quæ duo Beguinarum millia regeret.

Mariam Ogniacensem, Iulianam, Christinam Admirabilem, Iuettam, Euam Martinianam, Margaretulam Louaniensem, alias longe plurimas hic commemorasse satis sit, quas suis temporibus reddimus.

Neque viros putet quispiam excludendos. Iacobum Vitriacum, Thomam Cantipratanum, Ioannem Niuellensem, Ioannem Liranum, Ioannem Dionantium, Ottonem ad S. Pauli decanum, Heribertum in Marlania silua eremitam, alios hęc eadem ætas ostentat. Theodori Cellensis jam meminimus.

Philippo Namurci comite hæc etiamtempora gloriantur. Suumque insuper præconium meriti sunt Ludouicus comes Lossensis, Albertus Mohanus, & Ægidius Claromontanus.

Qui omnes quamquam propria claruerunt virtute, ad Hugonem tamen vt episcopum aliquo modo pertinuerunt. Eos sane si vigilantia, consilio, exemplis, vt episcopum decet, ad eam sanctitudinem prouexerit, immortalem promeritus est gloriam. At si vernantem ijs floribus inuenit diœcesim, Diuinum de eius virtute testimonium habemus. Nec enim facile persuadebitur, tantam sanctitatem alteri, quam sancto præsuli fuisse a Deo commendatam: aut certe Deus illi quam optime voluit, quando eximiam illam virtutem, quam imitaretur, ante illius oculos collocauit.

CAPVT IV.

Magnis opibus suam ecclesiam auget.

FOrtunas tametsi dicamus, non semper fortunæ dona sunt opes. Illas sæpe virtuti Deus substernit, etsi melius in cælo præmium parauerit. Ita sane triumphantem tota diœcesi videtur Deus ornare voluisse.

Ecclesiæ Leod. accedit comitatus Mohanus & Lossensis

Albertus comes Mohanus cum nullum speraret heredem (quemadmodum jam narratum est.) Vallem nostrę Dominę cōdiderat, magnisque instruxerat opibus: at suam ipsam dynastiam cum reliquis facultatibus adhortāte Petrapontio, donauit S. martyri Lāberto.

In ecclesiæ Leodiensis clientelam pridem transierat comitatus Lossensis. De quo vt ne propter antiquitatem & labentia jam aliquot sæcula fortassis olim ambigeretur, aut etiam infitias ire quispiam vellet: denuo tradidit Ludouicus comes suam omnem dynastiam S. Lamberto in conspectu Hugonis episcopi, Henrici Arduennæ ducis, Alberti comitis Mohani, cleri totius, ac populi Leodiensis. Tum dicto ecclesiæ sacramento, ab episcopo ditionem eamdem beneficiario mancipio recepit.

item Trudonopolis.

Vtriusque hujus donationis fructum erat perceptura serius ecclesia: sed præsens fuit alterius conuentionis emolumentum. Habebat S. Lambertus in agro Metensi binas villas Magderam & Bertchemum, aliaque prædia, quibus ob locorum distantiam ægre frui dabatur. Habebant & Metenses in Hasbania pari cum abbate dominatione Trudonopolim, & duo ad Mosam monasteria Walciodorum & Hasteriam: at leui pariter aut nulla vtilitate. Commutari placuit, vt quæque ecclesia suis in suo sinu frueretur. Mutuam pactionem probauere rescriptis pontifex & imperator.

Sua hęc incrementa debet ecclesia Leodiensis virtuti, sagacique prouidentię episcopi sui Hugonis.

CAPVT V.

Clara victoria suam ecclesiam propugnat.

PEtrapontij virtutem comitabatur gloria felicitasque: has vt solet, consecuta est inuidia: & cladem illis conata est inferre, sed turpiore sua clade.

Sperauerat Brabantiæ dux affinitate vel alia ratione suo principatui Mohanum comitatum adjungere. Facta ecclesiæ Leodiensi donatione spem tolli cum iniquo ferret animo, malum Hugoni machinari cœpit, & opportunam nancisci visus est occasionem.

Ob defensam sedem apostolicam

Ottonem imperatorem Romanæ ecclesiæ infensum, anathemate percusserat pontifex; suamque sententiam qua pateret Romanum imperium iusserat enuntiari. Paruit Petrapontius pro sua in apostolicam sedem veneratione: eoque facto grauiter Ottonem irritauit, inflammauitque ad vltionem.

ANN. 1212. captū Leodium

Brabantus ergo specie Cæsareæ majestatis ab injuria vindicandæ, Leodios aggreditur, hostile nihil ab illo metuentes. Nimiæ tarditatis ac fiduciæ arguitur hujus belli principio Petrapontius. Agrum ergo dux, atque adeo vrbem Leodiensem inuadit, irrumpit, diripit, ciuesque ad dandam profano Cęsari fidem adigit. Cladis atrocitatem solabatur causæ religio pro tuenda sedis apostolicæ autoritate: quam nobili victoria Deus compensauit.

Illatam ecclesiæ Deoque injuriam castigaturus Hugo, ducem ecclesiæ gremio pri-

Digitized by Google

mum rejecit, omnique Brabantia, quæ quidem ad hanc diœcesim pertineret, sacris interdixit: tum aduocatis quæ potuit auxilijs e Francia, Flandria, Namurco, florentissimas copias in Brabantiam duxit. At S. Lamberti præsidio, non hominum viribus victoriam Deus parabat. Simulata quippe facti pœnitentia, pollicitus dux injuriarum compensationem, inducias obtinuit. Sed fidem cum non liberaret, anno proximo copias denuo contraxit episcopus, at suas dumtaxat, vt tota S. Lamberti esset victoria. ANN. 1213.

In campis Steppeanis concursum est. Eximia gloria vicit Lambertus: in quo suam omnem spem Hugo reposuerat, imperatis in vrbe imbelli multitudini supplicationibus. Dubitationem omnem exemere plura prodigia. recreatur nobili victoria

Sub ipsum pugnæ tempus non procul Dionanto in æde Hasteriensi vir erat ab impuris genijs insessus: qui omnibus ignaris quid in exercitu ageretur, totus subito fremere, & horrendis modis agitari cœpit, terribilique voce exclamare: Hodie, hodie victoriam obtinebit Lambertus. Interjecto deinde spatio, vocem attollens clamat: Modo fortiter pugnat Lambertus. Denique cum aliquid præterea temporis abijsset, extremum hunc edidit clamorem: Eia illustri prælio vicit B. Lambertus. Collatis postea temporibus compertum est, certaminis euentui voces omnino conuenisse. Dei munere concessa.

In vrbe ad episcopi mandatum in preces incubuerant ciues duo, vitæ ac fidei probatæ. Alteri victoriam polliceri visa est Dei parens, alteri ipse Lambertus. Vidit vtrumque B. Odilia: martyrem quidem Lambertum a capite in pedes armis fulgentem aureis, auream dextra hastam quatientem, scutum aureum sinistra, candidoque inuectum equo, tendentem ad exercitum: sed præcedentem in venerando habitu Dei matrem. Et ne ludibrium oculorum putes: fuit in acie ciuis, qui inuictum martyrem Lambertum eadem specie in hostes ducentem se vidisse affirmauit.

At ambigi non potest, quod vniuersi exercitus oculis objectum est. Vbi signa cecinere, coloris niuei columba, nihil territa vel sonitu signorum, vel tantæ multitudinis concurrentis strepitu, tranquillo volatu vniuersas Leodiorum copias circumuecta, ingentes omnibus animos addidit; quasi ab vno cælestium geniorum in hostem se duci crederent. Creditum est & hoc Dei beneficium. Suam aciem ita Henricus dux instruxerat, vt objectus sol pugnantium Leodiensium oculos nimia luce confunderet. Sed ecce interposita, dum concurritur, nubecula, radiorum vim fregit, ac temperauit, vt nullum illi senserint incommodum.

Vt cetera Diuini auxilij desint argumenta, vel hoc vnum satis sit. Recensitis post prælium copijs desiderauit Petrapontius e suis viginti septem. Quos tamen omnes crediderunt a suis obtruncatos e confusione Gallici idiomatis, & Teutonici. Tam leui dispendio stetit adeo celebris victoria: qua ter mille Brabantos, non annumeratis externis ferint auxilijs, perijsse compertum est: capta quatuor millia.

CAPVT VI.

Consecrata in posteritatem victoriæ memoria, a duce injuriarum compensationem accepit.

LEodium Petrapontius victorem exercitum insigni triumpho reduxit: cælitumque beneficentiæ suum honorem habendum esse censuit: Quare vt nulla in omnem olim venturam posteritatem tanti muneris esset obliuio, sua totiusque collegij autoritate communiter sanxit, vt singulis deinceps annis diem III. ante idus Octobris, quo pugnatum est in campis Steppeanis, inuictissimo martyri Lamberto consecratum, maxima celebritate colat ecclesia Leodiensis: lamonesque pro opera reipubl. fortiter illo prælio nauata, æs omne campanum modo quam maxime festiuo pulsent in principe basilica. Nec id esse satis visum est pro tanto beneficio. Quapropter additum est sanctioni, vt quo ritu Dei parentem sabbatis omnibus ecclesia veneratur, eodem in sequentes ætates vno hebdomadæ die S. Lambertus Leodij coleretur. Vtramque decreti partem longo sæculorum lapsu continuatus in hodiernum diem vsus confirmat. Victoria decreto festo celebratur.

Ingentem auri vim & injuriarum compensationem promiserat Brabantus, vt pacem impetraret. Ferrandus Flandriæ comes sine ferro, cum filios eius haberet obsides, ad præstanda promissa compulit. Pro illatis ecclesiæ damnis librarum quindena millia, contenas frustraque impeditur.

Digitized by Google

tenas item libras in opus Lambertianę basilicę, quæ tum instaurabatur, episcopo appendit. Tum Ferrandus Flandrię, & Reginaldus Bononiæ comites illum adduxere Leodium. Brabantis intra portas suum ducem deducere non est permissum. Ille templum ingressus spectante nobilitatis populique multitudine, quam templi vastitas vix caperet, præsulem canonicosque supplex e genibus offensarum condonationem rogauit, impetrauitque. Nam episcopus eum anathemate, quo fuerat constrictus, cum ceteris noxę participibus soluit, sacrorumque liberum vsum subditis omnibus restituit: ac tum denique ducem Deo conciliatum, ad osculum pacis admisit. Ita sanctissimi martyris Lamberti injurias vlcisci studuit.

It episcopus Romam. Ad concilium Lateranense anno decimo quinto profectum esse Hugonem nostrates prodidere: ibique ab Innocentio III. pontifice linteolum accepisse, quod olim Christi Domini lacrymis perfusum credebatur: item articulum e digitis S. Pauli. Vtrumque hoc munus dedit ipse Ottoni abbati S. Laurentij itineris socio: qui postea Leodium reuersus, vnum in S. Pauli, in S. Laurentij aliud collocauit. Innocentio contra dedit Petrapontius bonam capitis S. Lamberti portionem: quam hodieque seruant in Vaticano canonici S. Petri. Hugonem Roma Compostellam petijsse voti reum ex pręlio Steppeano, scripsit Transmosanus.

CAPVT VII.

Oblatæ Rhemensi cathedræ renuntiat, vt retineat Leodiensem.

Electus in archiepiscopum Rhem. VIcesimum septimum in episcopatu annum agebat Petrapontius, quando ad Rhemensem archiepiscopatum inuitatus est. Concussit animum inopinatus hic nuntius, & in varia distraxit consilia. Quid potius sequeretur dubius, adijt ad Ioannem Abbatulum: cujus vt virtutem venerabatur, ita illo vtebatur perlubenter: solebatque quoties Leodij ageret, post nocturnas preces, reliquum noctis cum illo agere. Eum ergo rogauit, suam hanc deliberationem vt superis commendaret, quo ipse Diuina collustratus luce dispiceret, quid ad Dei gloriam promouendam magis faceret.

dubius aliquamdiu. Constituerat Rhemis diem, quo Dionantum conuenirent, vbi alterutram ipse partem eligeret. Eodem & Leodiensium primores proficisci voluerunt, quod ægre paterentur tanto se viro destitui. Vltima ante discessum nocte, post antelucanas preces, Hugo more suo ceteris abeuntibus, prouolutus ad sepulcrum S. Lamberti, eo mentis ardore Deum orare cœpit, vt solutus in lacrymas totus diffluere videretur. Quamquam enim tractatione grauiorum negotiorum in varia sæpe distraheretur, quod euenire necesse est principi episcopoque tam amplæ diœceseos; ipsi tamen in preces incumbenti Diuina bonitas eam spiritualis dulcedinis suauitatem impertiebatur, vt vberrimo sæpe perfunderetur lacrymarum imbre. At extrema hac nocte, siue quod ægre desereret antiquam sedem, seu potius quod S. martyr abiturientem omnino retinere vellet, tanta fuit Hugoni lacrymarum abundantia, vt post factas preces, receptum cum pararet, conuersus ad Ioannem Abbatulum propter assidentem, vt suum iter, ac deliberationis euentum rursus ei commendaret, præpedito vocis meatu, nullum potuerit verbum effari: solo supplicis gestu, intercisisque singultibus, ac oculis vbertim scaturientibus, animum aperiens, orto sole Dionantum abijt.

Hic Rhemi Leodiensesque pro se quique multis disseruerunt, quibus in suas partes episcopum pertraherent. Qui cum adhuc animo penderet, nec quid sequeretur statueret; ecce dum circumspicit, quorum præterea sententiam exquireret, Simonem videt Alnensem virū sanctitatis apud omnes celebratissimæ. Ad eum se conuertit Petrapontius, vt cui arcana multa Deus sæpe credidisset, quo Diuini consilij se redderet certiorem. Cumque ille pro sua modestia tergiuersaretur, dicere tamen jussus, serio affirmauit, Dei consilium ac voluntatem esse, priori vt sponsę fidem constanter seruaret. Dedit manus Hugo: statimque Leodienses, Deo gratias habituri, festis vocibus hymnum *Te Deum* cecinerunt. Petrapontius dimissis cum honore Rhemis, lætos victoria Leodienses domum reduxit.

Mauult Leodij manere.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Religiose moritur, & tamen expiari debuit.

DIuturna non fuit Leodiensibus hæc victoria. Tertio post anno Hoij lethalem morbum incurrit, qui breui ad extrema illum deduxit. Laboranti adfuit Iacobus Vitriacus Acconensis episcopus, paulo post Tusculanus: cumque juuit non mediocriter in disponendis non animę dumtaxat, sed & totius diœceseos negotijs, quemadmodum par erat ab eo fieri, qui de tanti episcopatus administratione rationem æquissimo judici redditum ibat. Adjutus a Vitriaco

In primis autor inter alia ipsi fuit, vt si minus fortasse dum viueret, suum episcopi munus impleuisset, ita moriens saltem expiaret, vt suo gregi prospiceret pastor, aduocatis in eius culturam S. Dominici discipulis, qui vberrimos toto orbe Christiano fructus edebant. Quare scripto diplomate III. idus Apriles fecit episcopus Dominicanis potestatem Leodij familiam habendi. At quando diem vltimum sibi sentiebat imminere, id negotij commendauit Acconensi episcopo, præpositoque Ioanni Apiano, ne religiosa eius voluntas cum vita concideret.

Postero die, quo vltimam Christi Domini cenam recolebat ecclesia, sub horam sextam deseruit mortalem hanc vitam, Christianis armis ad extremum agonem munitus opera episcopi Acconensis: ipsoque Parasceues die, secundo Mosa Leodium deuectus est. Clerus, nobilitas, populusque vniuersus a S. Iacobi ęde extulit ad S. Lamberti: vbi jacuit in pompa funebri ad decimum sextum diem ante Kal. Maias: quo terrę conditus est ante aram SS. Cosmæ & Damiani, ita volente jubente canonicorum collegio, cum sibi delegisset ipse sepulcrum in Valle S. Lamberti, quam Deo dicatam attribuerat Cisterciensibus. religiose moritur.

Ante duos annos scripto testamento, Cisterciensibus aliquot abbatibus crediderat triginta duo marcarum millia, eoque amplius; quæ post mortem erogarent primum in eos, quibus injuriam fecisse probaretur, aut vero teneretur quocumque alio nomine: in ędes deinde sacras, asceteria, egenos, viduas, pupillos per totam diœcesim. Fide magna executi sunt abbates. Annos igitur viginti nouem ecclesia feliciter administrata, bonis omnibus acre sui desiderium reliquit.

Sed vide, quanto humanę rationes interuallo dissideant a Diuinis. Non diu vita decesserat Hugo, quando se cuidam videndum exhibuit (B. Odiliam fuisse putat Transmosanus) affirmans se quidem inferorum æternos cruciatus euasisse; alijs tamen longe acerbissimis purgari, donec cælitum choris inseri mereretur. At cum sensim, vt humana fere sunt omnia, orantium pro illo studium se remitteret, pridie pentecostes sacerdoti (cum item Transmosanus ait fuisse Ioannem Abbatulum) suo quondam necessario in lectulo quiescenti, horrendo ejulatu somnum excussit. Euoluto deinde annorum quinque spatio, redijt ad sacerdotem eumdem, questusque grauiter a cęteris omnibus in durissima se necessitate deseri, eius saltem quam maxime suppliciter opem implorauit. Suam omnem operam ille liberaliter promisit: nec impendit segnius. Factumque est, vt post breue tempus idem ille sacerdos Hugonem viderit cęlum intrantem, deducente clarissimo frequentium episcoporum agmine. Heu! quam seuerum est pastoribus animarum Dei tribunal! Diu torquetur purgantibus flammis.

Die decimo tertio

VEN. IDA

Louaniensis, in Rosarum valle sanctimonialis.

D'Assignies ex Hagiologio SS. Brabantiæ.

LOuanij nata, statim a primis annis magnæ virtutis specimen edidit: & prodigio Deus ipse confirmauit. Ad templum a matre deducta, sub rem diuinam tum quando consecratam hostiam in altum sacerdos tollit, stellam aliquando vidit luce quasi purpurea

purea coruscantem, & per ipsam aram radios spargentem. Virginis sanctitatem præcipuo quodam Numinis amore succendendam significari crediderunt.

Sancte viuens.

Insigni morum innocentia cum pueritiam egisset, & annum jam attigisset ętatis decimum octauum, certo maturoque consilio constituit per rerum humanarum contemptum erigere mentem ad cœlestia. Atque vt omnibus machinis dolisque dæmon illam auertere tentauit, contra generose ipsa viribus omnibus reniti non dubitauit. Validius nullum illi præsidium fuit, quam a religiosa cruciatuum meditatione, quos Christus illius sponsus nostri causa sustinuit. Eos autem tanto amore secum recolere solita est, vt ipsi corpori notas illorũ ac stigmata voluerit Deus impressa, quos animo medullitus infixos ipsa habebat. Lateri quippe, manibus ac pedibus quædam vulnerum signa ceu amoris sui tesseram, & alias veluti spinarum punctiones in serti modum capiti Christus impressit: & suis oculis videre multi mortales. Quorum nimiam admirationem ne incurreret, obtinuit a sponso vt euanescerent.

Sacris stigmatibus insignitur.

Dure corpus habet

Acrius nullum diuturniusque bellum habuit, quam secum. Hirsuto cilicio carnem asperabat. Non aliter quam in substratis virgultis & sarmentis somnum capiebat. Spinis vel aquifolijs nudum corpus adeo quotidie diuerberabat, vt vndatim ad pedes vsque profflueret sanguis, & calceos compleret. Famem, sitim, frigus, & alia quæcumque corpori aduersa inuicta animi fortitudine perferebat. Cum cibum aliquem admittebat, ita corpori faciebat satis, vt voluptati nihil relinqueret. Si quando diuersa inferrentur fercula, in vnum omnia permiscebat, ne quam singulorum suauitatem perciperet. Mucidum vero corruptumque panem, & alia quæcumq; stomacho nauseam mouere consueuerunt, quasi dulcissimas delicias sumebat. Æstate sępius totos duodecim dies nullum alium admittebat cibum, quam tiliarum flores. Quo certe suam non magis commendabat temperantiam, quam nostram damnabat ingluuiem, qui cibos exquisitiores nescio qua condimentorum varietate perfundere laboramus, vt naturam paucis alias contentam irritemus. Corpori inter hęc nequaquam parcebat: sed vt animo ad cælestia assurgenti seruiret, compellebat. Diuturno spatio omnibus diebus vndecies centies in genua prouoluta precationem Dominicam, aut angeli salutationem recitabat.

Quo seuerius autem corpori escam interdicebat, hoc magis accendebatur angelici panis fames & desiderium. Quod confessario cum indicare non auderet; nec tamen vellet nisi de eius consilio sacra frequentare, cruciabatur animo mirum in modum, ac pæne Diuina illa fame conficiebatur. Sanctæ cupiditati sponsæ suæ prospexit Deus. Non raro quippe factum est, vt sub rem Diuinam illo ipso temporis articulo quo sacram Hostiam sumeret sacerdos, eodem illo Pane manu angeli delato reficeretur. Aliquando ad primum conspectum calicis in ara ad sacrificium collocati, cupiditate sic exarsit, vt ore naribusque magnam vim sanguinis ejectaret. Illius desiderium sacerdos edoctus, cum jam sacrum calicem hausturus esset, eam ad communionem inuitauit. Verum quando necdum steterat sanguinis fluxus, desiderium suum ipsa sedare nequijt. Sacra linea, quæ in sancto missæ sacrificio VEN. EVCHARISTIÆ substernuntur, abluebat Virgo quędam; Idæ id spectanti venit in mentem sacrorum mysteriorum, & subito cælestis ignis ardore succensa mens est. Et reuera promicantem ex illa flammam non vidit solum quæ abluebat virgo, sed etiam animo sensit ardorem. Afflicta morbo decumbebat Ida, sacramque detulerat hostiam presbyter, & jam porrigebat; illa mirabili mentis æstu abrepta, porrigentis dextram corripuit & amplexa est. Insanum phrenesis impetum exhorruit primum ille; sed Diuinæ flammę vim haudquaquam insolentem vbi didicit ex adstantibus, illi cælestem escam impertijt. Ante sacram ædem iter habebat; insalutato sponso transire noluit: salutem reddere visus est sponsus edito ex ipsa hierotheca suaui sono. Et vero plus vice simplici alias ibi præsentem agnouit, vbi nulla illum indicia prodebant. Sacerdotem aliquando rogarat, vt postridie faceret: negauit ille deterritus importunis nescio quibus animi perturbationibus. At ipsa fusis ad Deum noctu precibus, eam illi pacem obtinuit, vt & mane sacris operaretur, & illam, quod summopere desiderarat, sacro epulo reficeret.

Prætereo, ne longior sim, mirabiles mentis excessus, quibus ad arcanorum cælestium contemplationem euecta est. Hoc vnum accipe, quod te humanis auocatum, ad Dei amorem transferat. Vitæ hujus tædio cum ad æterna suspiraret, faciem suam illi videndam exibuit speciosus forma pręfilijs hominum Christus Dominus: ejusque pulchritudine sic affecta est, vt si quæcumque acerba mortales omnes perpessi sunt ad illum vs-

que

Digitized by Google

quę diem jam inde ab orbe condito, ipsa breui suę vitæ curriculo collecta sustinuisset, vnico suauissimæ illius pulchritudinis aspectu majus se omnibus meritis præmium accepisse crederet.

Aduersis tamen subinde sponsam suam Deus probabat; sed nec tutela sua destituebat. Domi grauiter toto die soror illam afflixerat; & vix dormitum se receperat, quando pulcherrimus puer talarem indutus tunicam in illam insilijt & grauiter pugnis pedibusque cecidit aiens: Qua tu fiducia sororem molestijs ausa es vexare, nulla mei vel illius habita ratione? Quare tam indigne habuisti venerabilem meam sponsam, quæ quotidie tanta mentis alacritate me in membris meis reficit? Ignoras in me redire, quęcumque illi irrogatur, injuriam? aut me eius causam sustinere? Quibus cum territa soror, meliora polliceretur: Quid spondes, reponit puer, quod minime factura es? scio quippe non alia te mente polliceri, quam vt manus meas euadas. Atqui certum habe, te non impune laturã. Quibus dictis illam denique reliquit. Sed etiam ab externis Ida sustinuit grauiora. Fuerunt, qui fucata virtutis specie illam honorem aucupari crederent; qui illam a monacho sacerdote spargerent imprægnatam esse. Calumniæ impudentiam confutauit Deus, & sponsę suæ intaminatam pudicitiam probauit; ipsamque virginem hujusmodi accusationibus subtristiorem jucundo hoc viso consolari dignatus est. Preces ipsa fundebat, quando pulcherrima forma puerulum in vlnis sensit; cujus primo statim aspectu dissipata est omnis mœroris nebula, placidissimaque successit animo serenitas cum tantis conjuncta delicijs, vt se ipsa non caperet: dieque illo toto atque adeo sequenti, quocumque progrederetur, gratissima semper hæsit in complexu sarcina.

Sed in vulgus etiam adepta est quantumuis inuita gloriam, perpetratis diuina virtute supra omnem naturæ legem prodigijs. Virgo quædam res mundi fluxas exosa, cælestium desiderio vitam instituerat, e Beguinarum instituto; sed ardore primo paulatim frigescente, alia omnia cogitabat. Audijt Ida, & qua pollebat dicendi facultate, nutantem in sanctiore proposito retinere studuit & confirmare. Domum aliquando forte illam inuitarat; & post multa in eam rem apposite allata, jam aderat cœnæ hora, eam ad communem mensam inuitauit: & cum vinum deesset, vultu subridens cereuisiam propinauit aiens: Iam profecto videretur æquum, vt cælestis sponsus pauculo vino suas sponsas recrearet, quæ eius nomine ad illius nuptias conuenerunt. Bibit virgo, & conuersam reuera in suauissimum vinum cereuisiam admirata, mentem item conuertit, & constanter in suscepto vitæ genere perseuerauit. A brutis etiam animantibus Ida venerationem consecuta est. Lineas aliquando vestes in stagno lauabat, confluere ad illam visa est magna piscium multitudo, illius digitis alludere, eosque in os admittere. Sub rem diuinam alias extra ædis sacræ ambitum secesserat, quo mentem in Deum nullo arbitro liberius efferret: e vicino gallinæ fortassis obstrepebant, (aliud certe proditum non inuenio) ijs vt sibi adessent, Dei nomine mandauit. Mox paruerunt omnes, & immobiles taciteque circumsteterunt oculis in illam conuersis; donec peracto sacro ab illa abire jussæ, capite prius demisso ceu venerabundę recesserunt. Quod vero majorem habet admirationem, sororem etiam ad vitam a morte reuocasse credita est. Sed famam magis auxit, quia gestum in plurium oculis, quod narratum eo. Domi sola cum Deo sermocinabatur, quando impulsu indubie Diuino, se foras derepente proripuit, & ignara quo tenderet, delata est ad ędes, in quibus carbunculo grauiter affectus decumbebat vir quidam, sacroque jam inunctus oleo proxime mortem exspectabat. Ab illa interrogatus, vt se haberet, nudato corpore pestilens vlcus ostentat: quo statim ad primum Idæ aspectum disrupto; effluenteque purulenta sanie, ille integrę sanitati redditus, vna cum omnibus adstantibus in Dei laudes erupit. Facti fama per omnem primo viciniam, tum ex ea per vniuersam ciuitatem sparsa, miram Idæ conciliauit sanctitudinis opinionem.

Grauissime hoc doluit prudentissimę virgini, vt quæ sui depressionem amabat quam maxime: a qua ne discederet, quærere consilium fuit, in quas se abderet latebras. Haud ita pridem conditus erat ad Netham fl. non procul Mechlinia Cisterciensis parthenon, Rosarum vallis dictus: in quo cum primæua religiosissimi illius instituti sanctimonia a primis eius incunabulis (vt fere amant omnium rerum exordia) magna sedulitate coleretur, inter selectas illas Dei sponsas & facilius latere sperabat, & pulcherrima exspectabat omnium virtutum exempla. Nec opinione falsa est: consilij quippe Deum sequebatur autorem: qui vt pollicitus erat, liquidissimis cælestium voluptatum delicijs in

Multa patitur, sed protegit Deus.

Latendi desiderio

Rosarum vallem ingreditur.

amœno illo roseto sanctam tironem perfudit. Spinas tamẽ inuenit permolestas, cum domus illius consuetudine prohiberetur toto tirocinij tempore sæpius quam tertio panem angelicum percipere. At illam recreauit aliquando sponsus, in os immisso per angelum, quod tantopere semper esurierat, diuino animæ pabulo. Quamquam enim incredibilem animo perciperet suauitatem in assidua supernorum contemplatione, intimaque cum Christo consuetudine frueretur; pręcipuæ tamen semper illi fuerunt a VEN. EVCHARISTIA deliciæ: ad quas aliquando a sanctissima Dei parente, carissimoque Christi discipulo B. Ioanne latus vtrumque stipantibus se deduci sensit. Tantam porro sacræ illę epulæ in animum infundebant voluptatem, vt in corpus nonnumquam exundaret: & plerique sæpius splendidissimam lucem viderunt emicantem: dulcissimum alij senserunt exhalantem ex illa odorem, quem etiam altera luce perpetuo secum deportare viderentur.

Sacræ deliciæ.

Moritur.

Quanto tempore vitam e monasticæ legibus hic egerit, non prodidere veteres. Hoc certum: post edita a primis annis plurima præstantissimarum virtutum specimina, Idibus Aprilis anno salutis Christianæ millesimo ducentesimo, vt vixerat, ita sancte mortua est.

Die decimo quarto

ANTONIVS GAVDERIVS

e Societate IESV. *Elogium eius operibus posthumis præfixum.*

NAtus est in vrbe Campaniæ Gallicæ, quam Castrum Theodorici nuncupant, sub annum Christi sesquimillesimum septuagesimum secundum. In Belgio adolescens Societati IESV se inscripsit: positoque feliciter tirocinio, postquam in varijs collegijs litteras humaniores primum docuisset, ac altiores deinde disciplinas didicisset, Leodium venit. Moralem hic theologiam insigni auditorum approbatione diutius explicauit. Verum præstantem tractandorum animorum peritiam cum præ se ferret, procurandam domi religiosam asceticam volentibus moderatoribus suscepit euentu adeo commodo, vt omnibus ab illo majora exspectantibus, vniuersum denique collegium regere jussus fuerit. Rexit longo tempore: donec anno hujus sæculi duodecimo redijt in Galliam. Ibi qua laude cœptum in Belgio pręclaræ virtutis iter persecutus sit, habemus ex elogio posthumis eius asceticis operibus præfixo; quod ijsdem verbis hic transcribimus.

Hoc in summa dici potest; sapientissimum vitæ spiritualis magistrum exstitisse, doctrinam apprime calluisse, qua fit homo cum suo molitore conjunctior. Quæ cum doctorem postulet Deum & exemplo potius, quam verbo in discipulos transfundatur, non potuit esse magister eximius, quin summo magistro percarus esset, & absolutissimum doctrinæ, quam profitebatur, exemplar in suis moribus efformaret.

Enituit illud maxime Musiponti; vbi publice sacros codices enarrabat, & domi nostrorum fingebat mores. Illos quoniam visus erat ita perpolire, vt singularis in Dei gloriam, proximique commodum redundaret fructus, moderatoribus placuit reliquis academijs communicare tantum decus; nec hominem vni constringere loco, ex cujus aspectu & magisterio nostrorum virtus tantum caperet incrementi. Flexiensem academiam celebrem reddebat Henrici IV. regis christianissimi Conditoris nomen & magnificentia. Illam jussus est illustrare; & dum quæstiones de moribus accurate dissolvit in schola, nostrorum moribus domi sapienter inuigilare. Cessit optime præpositorum consilium. Ita se foris priuatimque gessit, vt illum accederet nemo, quin melior rediret; nullus loquentem audiret, quin nouis facibus arderet amoris Diuini. Quam peritus animorum medicus esset, nouerunt qui ejus vsi sunt opera: vsi sunt autem quotquot agnouerunt. In ægritudinibus persanandis maxima pars remedij ducitur, vidisse pestem ac vulnus. Ex primo colloquio & aspectu internam faciem hominis nouerat. Itaque vbi primum se ad retegendos animæ defectus parabat æger, medicum jam scientem agnoscebat; plura proponentem, quam ipse percepisset intelligentia; quia nouam lucem singula verba conscientiæ latebris admouebant. Deprehendebat illico quid in vnumquemque natura posset, quis vsibus gratiæ pateret magis, quem efferret ambitio, quem cupiditas emolliret, quis staret in præcipiti, quis jam cecidisset, quis primo titubaret ex casu, quem iteratus lapsus gravius allisisset. Sufficiebat statim remedia singulis, eadem qua malum perceperat facilitate. Apud illum quisquis sanari voluit, breui conualuit.

Cum

Cum igitur spiritalis vitæ doctrina emineret in Antonio, tironibus instituendis admotus est, ne cuiquam nostrorum defuisse videretur: sed ijs maxime refingendis adhibitus, qui emenso studiorum curriculo extremum probantur in Societate nostra, jamque robustioris virtutis compotes, ad magna ferenda, agendaque comparantur. Apud illos quid gesserit, tota Societas nouit: viuit enim hactenus in omnium ore cari parentis memoria; estque aliqua etiamnum apud nos gloria, sub tali magistro rudimenta virtutis illa posuisse.

Porro cum in illo fuerint omnia singularia, tum illud maxime, quod amore suauissimo prosequeretur Christum Dominum; cujus vitam in se, ejusque summa animi contentione nitebatur exprimere. Hinc enata illa summa sui despicientia, qua laudes suas cum rubore semper audiuit doluitque membrum Christi laudari, dum caput maledictis incesseretur. Hinc sancta crudelitas, qua desæuiebat in sese, qua voluptatibus aditum omnem precludebat ad sensus, qua dolorum spinas jucundas putabat, quarum aculeos amantissimus Dominus patiendo retuderat. Hinc exquisita denique in morbis propemodum assiduis tolerantia, quæ valenti & firmo semper reddidit similem, vultu, verbis, morum suauitate: acerbitatis in eo vmbra ne minima quidem; quam tamen morborum comitem perpetuam experimur. Sed sui potens Antonius dolere didicerat occultando dolorem, & Christo in agone Oliuetano suppar, hilaris omnibus erat, sibi vni acerbus & tristis.

At enim parum fuit sacras amoris in Christum faces in suo pectore dumtaxat accendisse: hoc igne mortales omnes ardere voluit, ideoque codices duos prælo commisit, vnum de Amore Christi, alterum de ejusdem imitatione; euulgauitque Latine, ne Galliæ finibus continerentur, quos descriptos volebat in omnium pectoribus. Quid ex ijs fructus collegerit Christiana religio, vitæ spiritus magistri sciunt: imo & tu, si hos attente perlegeris, de alijs facere conjecturam poteris.

Mirum itaque non fuit, si Christi peramantem Antonium dæmon odisset pessime, si laruarum objiceret territamenta sæpe; quæ magni instar Antonij deridebat, ne sanctum hominem tantum referret ex nomine. Ex multis exemplis pauca delibabimus. Flexia Parisios venientem, Cœnomanum vsque deduxit collegij primarius honoris causa, secumque ne incomitatus rediret deduxerat seruum conuictorum. Is adolescens obuium habuit dæmonem, vel magum monachi cultu, ex quo nouit arcana, quæ mortales latere solent: addidit inter cetera, se cum patre Antonio denuntiatas exercere inimicitias. Pupugerunt hæc verba famulum, comitem importunum deserere voluit: sed admouit festinantis humero manum monachus ementitus, & pauca præfatus, tactu verbisque minacibus torporem injecit & moras adolescenti. Ambulauit ægerrime primo; mox jacere coactus pernoctasset sub dio, nisi monuisset Antonius frustra exspectari juuenem; & nisi prouideatur, non visurum eo die stabulum. Et vero submissus cum jumento rusticus vix reportauit exanimem. Ibi tamen cum nonnihil quieuisset æger, rediere paulatim vires, & magicus ille torpor cum repentinis doloribus abscessit. Sic operam Patri nauasse, dæmoni stygijsque fautoribus ingratissimum accidit.

Certum id quidem, sed longe certius quod ipse narrauit pater. Leodiense collegium administrabat rector, euocatusque vt adesset peregrino nobili periculose laboranti, confitenti dedit aures: sed exomologesim imperfectam esse sensit. Itaque hominem rogauit vt accuratius excuteret conscientiæ latebras, professus sibi nondum esse factum satis. Hoc verbo miser rediit ad se, euomuitque quod pridem latebat sceleris virus: nempe adesse sibi sub famuli specie dæmonem, quo vtebatur a pedibus, Ioannem nomine. Pater bono animo pœnitentem imperauit esse, & importunus comes vnico verbo facessere jussus, repente paruit & euanuit: ægerque ex dæmonis vngue subductus feliciter animam Deo reddidit.

Abijt tum dæmon innoxius, sed distulit vindictam. Ex eodem collegio pergebat Antonius Luxemburgum in equo vegeto, via percommoda, sine periculo casus; derepente tamen prolapsus est quadrupes, implicitamque sessoris tibiam oppressit & fregit. Eodem tempore Leodij apud energumenam subsilire dæmon cœpit, cachinnari, in iocos effundi, neque desistere, dum tandem excussum lepide Iesuitarum rectorem garriuit, effractum ex casu tibiam; per se non stetisse, quo minus idem ceruicibus accideret. Tempus obseruatum diligenter: mendaciorum pater hac vice deprehensus est verax. Ex hoc casu claudicauit semper Antonius, ita Deo permittente, vt quoties gradum figeret, meminisset aduersarij; vel melius, vt quem moribus expressisset Ignatium, claudicatione referret; & filius non tantum animo, sed etiam corpore parentis repræsentaret imaginem.

Vixit annis quinquaginta varijs in locis, omnibus carus, omnibus vtilis. Tandem Parisijs in nouitiatu ingenti cum pietatis sensu fato functus, in professorum domo XVIII. Kal. Maij anno hujus sæculi vigesimo secundo magno cum nostrorum dolore sepultus est.

Digitized by Google

Die decimo ſeptimo
RADBODO
Parcenſis religioſus. *Raiſſius.*

GOdefridus Barbatus Louanij comes anno poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo vndetrigeſimo ferarum ſeptum in amœno nemore ad ipſas vrbis portas principum olim delicias ædificando aſceterio Præmonſtratenſibus conceſſerat. Hic inter primos magna virtutis opinione vixit Radbodo. Toleratos a Chriſto Domino pro hominum ſalute cruciatus præcipua religione coluiſſe fertur. Omni die Veneris cujuſque hebdomadę aqua pura modicoque pane contentus, omni alio obſonio ſe abſtinuit. Quod ſuperis adeo gratum fuiſſe creditum eſt, vt frigidam in vinum conuerſam plus ſemel ipſe deprehenderit. Hoc vnum, præter conſtantem ſanctimoniæ famam ab antiquo habemus. Interijt, ſi quid fortaſſe (quod ſane tanto viro debitum fuit) litteris mandatum eſt. Res ab illo geſtas in ſacris monaſterij porticibus depictas fuiſſe ferunt; ſed calce jam obducta deliteſcere. In antiquis tamen eorum tabulis, qui in hoc cœnobio vita defuncti ſunt, Radbodonis nomen majoribus, ijſque miniatis litteris exaratum etiam hodie oſtenditur, certum egregiæ alicujus virtutis argumentum.

Die decimo octauo
I. S. VRSMARVS
epiſcopus & abbas Lobienſis, apoſtolus Menapiorum & Teoraſcenſium. *Ratherius, Manuſcr. Lob. Molanus, VVauldeus, &c.*

De illo vaticinia.

FLeoni natus eſt B. Vrſmarus in Hannonia non procul Aueſnis. Quem ad magna deſtinari per viſum eius parenti diuinitus eſſe ſignificatum ferunt. Vterum gerebat illa, quando venerabilem ſenem vidit, qui quem brachijs ferebat puerum, illi offerebat, alique mandabat. At illa: Rem difficilem, inquit, præcipis, quando ægre nos hoc famis tempore victum inuenimus. Candidum ille panem porrexit. Infans in manus ab illa ſumtus in ingentem magnitudinem excreuit. Stupefacta mulier, quid eo portenderetur, quęſijt. Reſpondit ſenex: Quem paritura es filium, in virum magnum euadet, & Chriſtianæ ſapientiæ pabulo multos populos reficiet.

Alias viſa eſt eadem mater videre quem pariebat filium, confeſtim ad ſcalas tendere, quæ cęlo demitti videbantur, & per eas alacriter conſcendere. Mirata mulier puerulum inſequi conſtituit: at citatiore gradu pręeuntem aſſequi nequijt. Sibi reddita, præſtantem aliquam filij ſanctitatem his ſignificari credidit.

Quæ mira cum magnam de puero exſpectationem conflaſſent, nobilis quædam femina, quę illum e ſacro fonte ſuſceperat, accepit educandum & in filium adoptauit: & quod illum egregia ſanctitate ſperaret ornandum, ſtudioſe jam tum ſeruare cœpit eos dentes, qui prima ætate pueris defluere ſolent. Et vero in varia deinde templa diſtributi, multis ad vſque noſtram hanc ætatem miraculis celebrari feruntur.

Recte educatus

Vt primum adoleuit, rejectis illius ætatis oblectamentis, in omnem adeo virtutem totus incubuit, vt qui omnibus propter inſignia naturę ornamenta percarus erat, ob eximiam morum innocentiam etiam eſſet venerationi. Quibus vbi præſtantem ſapientiam adjunxit, S. Amandi magiſterio (apoſtolico munere is tum maxime celebrabatur) magnum propagandi Diuini nominis deſiderium animo concepit atque adeo per Teoraſciam vicinaſque alias regiones cœpit exerere ſucceſſu omnibus admirando.

Inuitatus ſecunda illius fama Hidulfus dux, Pipino Heriſtallio Galliarum prætorio præfecto autor fuit, vt Lobium illi commendaret. Landelinus id ante plures annos condiderat, ſanctiſſimaque inſtruxerat diſciplina: ſed eo velut in cunis relicto, Criſpinium ſeceſſerat. Annuit Pipinus, obtinuitque vt Sergius pontifex Romanus anno ſexcenteſi-

centesimo nonagesimo primo creatum Lobij abbatem episcopatu inaugurari mandaret: id quippe viris apostolicis docuimus alias priscis temporibus concedi consuetum fuisse. Et cum clarissima jam tum sanctitudinis luce Lobium fulgeret, illustri eius testimonio sacras principis apostolorum reliquias illuc pontifex misit. DIE 18. Præfectus Lobio

Nobilem illam prouinciam inijt Vrsmarus animo haudquaquam impari. Ædificia primum quæ pendebant interrupta, perficienda curauit, ipsumque templum in memoriam apostolorum principis. Verum quia in sacrarum eius reliquiarum venerationem nolebat illud occupari cujusquam alius sepulcro, alterum in imminente monte templum Virgini matri ædificauit, adjecitque canonicorum collegium, quod monasterium superius, & postea SS. Vrsmari & Ermini nuncuparunt: quo soliti sunt efferri & terræ mandari, quotquot in inferiore monasterio vita defungerentur. præclare regit.

Inter has constructiones potior cura fuit disciplinæ illius confirmandæ perficiendęque, cujus ibi fundamenta jecerat Landelinus. Cui cum illam, quam rei dignitas postulare videbatur, operam nauasset, in omnem late Teorascium, Menapiorumque regionem incenso Diuinæ gloriæ studio excurrit. Et qua præditus erat mirabili arte dicendi, Christianam sapientiam populis illis tum rudioribus adeo feliciter, tantoque fructu explicauit, vt vtriusque gentis apostolum celebrarit posteritas. Late viciniã excolit.

Sancti præsulis virtutem multis prodigijs supra naturæ leges perpetratis Deus ornauit; inferisque præsertim fecit terribilem. Verum gloriosius in eo nihil, & dignius admiratione, quam accuratissima mentis illius ad omnem recti honestatem compositio. Eminuit inter cetera mirabilis temperantia, & in ferendis doloribus inuicta animi fortitudo. Annis nouem, decemque hebdomadis ante mortem ea fuit victus parcitas, vt sustentandæ vitæ crederent omnes imparem. Aquam bibebat & subinde siceram, sed rarius; vinum omnino numquam: panem vero toto illo tempore non gustauit. Qui tamen audiebant ad populum dicentem, vires eius & latera mirabantur: vires nimirum addebat Diuini honoris amor. Acerrimis interea torquebatur dentium doloribus, sed ea semper mentis æquitate, vt facile intelligeret, quisquis eo familiariter vteretur, illum ambulare in fortitudine cibi & Panis illius, qui viuus de cęlo descendit. Mira temperantia & patientia

Deficientibus denique viribus cum integra de credito sibi grege perstaret sollicitudo, successorem designauit Erminum virum tanto munere dignissimum. Cui postquam peramanter commendasset sodales; omnibusque e cælo faustissima quæque precatus esset, vita decessit XIV. Kalen. Maias. Celebratissimis claruit miraculis: sed tum maxime, quando sacrum eius corpus per Flandriam deportatum est, vt bona recuperarentur, quæ bello illo perdita fuerant, quod gesserant inter se Henricus imperator & Flandriæ comes Balduinus. Fuit enim solemne quondam eo sanctorum corpora deferre, vbi fiebat injuria his, qui sub illorum fide tutelaque vitam agebant. Sed antiquior & clarior est ea victoria, quam anno nongentesimo quinquagesimo quarto fusis Hungaris Lobienses singulari eius pręsidio IV. Nonas Apriles reportarunt. Sacrum denique corpus anno post millesimum quadringentesimo nono Binchium in Hannoniam translatum, magna religione seruatur. Post mortem miraculis celebratur.

ABBATES LOBIENSES.

SVbijcere animus est B. Vrsmari sanctam posteritatem in abbatibus Lobiensibus jam inde per tot sæcula propagatam: hoc enim ad eius gloriam facere censeo.

Sancto igitur patriarchæ morienti anno septingentesimo decimo tertio successit S. ERMINVS & mortuus est anno ejusdem sæculi trigesimo septimo.

Illi substitutus est S. THEODVLFVS. Quo viuente Lobium venit Rhemensi archiepiscopatu pulsus S. ABEL, & S. Theodulfo collega additus anno quinquagesimo octauo, ibidem obijt 764. Mortuus est autem S. Theodulfus anno 766. De his omnibus suo loco meminimus.

ANSO successit vir sanctus & doctus obijtque anno 79?.

HILDERICVS e canonico factus abbas obijt 804.

REINERICVS substitutus est.

Tum FVLRADVS. qui anno 823. eduxit sepulcro ad venerationem corpus S. Vrsmari, & vita decessit anno 826.

ERARDVS autem anno 835.

Subrogatus est e Corbeiensi monacho HARBERTVS.

Quem Corbeiam relegauit, Lobiũque facta vi occu-

vi occupauit HVCBERTVS anno 864. vir magnæ nobilitatis parisque improbitatis. Nam & monasterium spoliauit, & cum in Lotharium regem insurgeret, a Conrado duce occisus est anno 868.

In suam fidem Lobium recepit LOTHARIVS rex, ideoque abbatibus accensetur. Regendis autem monachis præfecit ANSEGISVM, quem nonnulli abbatem appellant. Virtutis eruditionisque gratia ad Senonensem archiepiscopatum euectus est.

Anno 870. CAROLVS CALVVS rex se Lobij protectorem, filium autem CAROLOMANNVM dixit abbatem: quem postea licet diaconum, arma tamen contra se mouentē oculis orbauit.

Caluo successit LVDOVICVS BALBVS rex annis duobus.

Balbo LVDOVICVS rex Germaniæ, qui cum duobus item annis Lobium tenuisset, illud anno 881. tradidit HVGONI Lotharij regis filio, qui a prima ætate monasticen ibidem professus fuerat. Sed & hic Lotharingiam occupare conatus, captus est, erutisque oculis Pruuinum in Campaniam relegatus, ibidem obijt anno 887.

Anno proximo ARNVLFVS rex Lobiensem abbatem creauit FRANCONEM Leodiensem episcopum, ejusque deinde successores. Erat episcopus Frāco jam inde ab anno 856. obijt autem anno 903. de hoc suo loco.

Successit STEPHANVS episcopus: qui conditum a S. Vrsmaro templum destruxit, nouumque & augustius ædificatum cum Dodilone episcopo Cameracensi dicauit. Obijt autem anno 920. Hujus alias meminimus.

RICHARIO episcopo floruerunt Lobij litterę, docentibus Squanio, Theoduino, & Ratherio viris doctissimis. Decessit episcopus anno 945. De hoc alias.

HVGO episcopus duobus tantum annis vixit.

FARABERTVS ex abbate Prumiensi episcopus, rem Lobiensem negligentius rexit, & mortuus est anno 953.

RATHERIVS episcopus, olim monachus Lobiensis. Anno proximo Hungari vastata omni Lotharingia Lobium aggressi, singulari SS. Vrsmari & Ermini pręsidio repulsi sunt. Anno 956. cessit episcopatu Ratherius.

Excepit BALDRICVS & vita functus anno 959.

ERACLIVS episcopus proprios abbates anno 61. Lobio restituit, attributa Leodiensi ecclesiæ magna parte bonorum, sed aucto in vicem eximijs honoribus Lobio.

ALTERANNVS ab Eraclio renuntiatus abbas, & mortuus est anno 965.

FVLCVINVS (de quo suo loco narramus) mortuus est anno 990.

HARIGERVS, qui & a nobis alibi memoratur, obijt anno 1007.

INGROBANDVS suis antecessoribus dissimilis, ob pessumdatam disciplinam spoliatus est sua dignitate anno 1020. ab episcopo Leodiensi B. Wolbodone, & Stabuletum ablegatus, ibidem anno 1030. defunctus est.

B. RICHARDVS abbas S. Vitoni Virduni Ingrobandi locum obtinuit autoritate Wolbodonis, & postquam disciplinam restituisset, anno 1033. Lobium reliquit.

HVGO e monacho Lobiensi abbas, instauratum denuo templum obtinuit vt dicaretur anno 1037. ab episcopis Reginardo Leod. & Gerardo Cameracensi: obijtque anno 1053.

ADELARDVS inuenit monasterium grauia passum ob bella inter Henricum imperatorem, & Balduinum Flandrię comitem. Quo bona per Flandriam recuperaret, eo deferendum curauit S. Vrsmari corpus, optimo successu: obijtque anno 1077.

ARNVLFVS obijt anno 1094.

FVLCARDVS a nobis alias memoratus obijt anno 1107.

WALTERVS in Rhemensi concilio anno 1129. cessit.

LEONIVS (hujus etiam alio loco meminimus) e priore S. Georgij Hesdinij abbas Lobiensis, & deinde anno 1137. Bertinianus.

LAMBERTVS item alibi memoratus dignitatem & vitam reliquit anno 1149.

FRANCO obijt anno 1163.

IOANNES abdicauit anno 1179. De vtroque suis locis narramus.

LAMBERTVS S. Ghisleni abbas Lobium occupauit, & post septem menses relinquere jussus est a Guilielmo Rhemorum archiepiscopo.

WERRICVS Rhemis Lobium attulit anulum & vestes S. Alberti episcopi Leod. & martyris sanguine perfusas: vbi in hunc diem religiose seruantur. Ipse obijt anno 1209.

ROBER-

Digitized by Google

ROBERTVS e Broniensi Lobiensis abbas multa bona dissipata recuperauit. Senio fractus dignitatem abdicauit in manibus Hugonis Petrapontij episcopi Leodiensis anno 1222.

HVBERTVS e præposito S. Ghisleni fuit abbas Lobiensis 15. mensibus.

RADVLFVS e monacho Lobiensi abbas obijt anno 1227.

Successit WALTERVS abbas Mariliacensis: sed post quinque menses rejectus est, quod vtramq; dignitatem retineret.

THOMAS e præposito Lobiensi factus est abbas. Et vsque ad annum 1281. Successerunt

BARTHOLOMÆVS,

THOMAS,

PHILIPPVS.

IACOBVS Binchiēsis electus anno 1281. mortuus est anno 1314.

IOANNES obijt 1319.

NICASIVS anno 1344.

GVILIELMVS anno 1359.

PETRVS anno 1365.

PETRVS anno 1372.

NICOLAVS 1374.

IOANNES Lotharingius 1389.

BERTRANDVS de Montignies anno 1409.

ÆGIDIVS successit. Eodem anno translata sunt Binchium sanctorum corpora. Ipse postea creatus abbas Alti montis proxime Malbodium, retinuit vtrumque monasterium, & obijt anno 1447.

IOANNES e monacho Altimontis abbas Lob.

IOANNES DE HESSEN successit e monasterio Affligheniensi. Abdicauit anno 1496.

GVILIELMVS CORDIER ante monachus S. Ghisleni obijt anno 1523.

GVILIELMVS CAVLIER e monacho Vedastino Broniensis primum abbas: tum Lobiensis. Vniuersum monasterium cum insigni bibliotheca fortuito incendio absumtum anno 1546. ipse restaurauit: & positis anno 1550. noui templi fundamentis mortuus est.

DOMINICVS CAPRON S. Theologiæ doctor, & Atrebati prior Dominicanorum electus est abbas probante Clemente VII. pontifice, & jubente vestem sumeret, nuncuparetque vota e lege S. Benedicti. Magnificum illud quod hodie stat, templum exstruxit: obijtque anno 1570.

ERMINVS FRANÇOIS Atrebas e monacho Lobiensi primum prior S. Bartoli Rentiaci, tum Lobij abbas fuit, & mortuus est anno 1598.

MICHAEL GVILIELMI obijt anno 1600.

GVILIELMVS GILBART Binchiensis multa in villis bellorum injurijs vastata restaurauit, obijt anno 1628.

RAPHAEL BACCART e priore abbas, mortuus est XV. Kal. Apr. anni 1640.

Substitutus adm. R. D. BARTHOLOMÆVS BOSSVT religiose in hunc diem regit nobile illud monasterium sanctitate magis & antiquitate, quam regia munificentia venerandum.

II. GVILIELMVS IVLEMONTIVS XXII. abbas S. Iacobi. *Formicarium Nider, Cornelius Zanfliet, & quæ collegit e veteribus ejusdem monasterij monumentis R. D. Ægidius Gryte prior.*

GVilielmus Iulemontius gente nobilis, Leodij monasticam in S. Iacobi professus, juuentutem egit non admodum laudabilem: robusta quippe sit mens necesse est, quæ possit ibi stare, vbi ceteri collabascunt. Defloruerat in eo cœnobio disciplinę integritas, quæ gratissimos olim cœlo terrisque fructus admirabili fecunditate protulerat. Ita nihil in humanis certum ac constans: nec ipsa virtus. *Vitæ solutioris*

Forte sub annum millesimum ducentesimum octogesimum quartum, diem obierat abbas, quando e senioribus ascetis pauci, quos istius corruptelæ pigebat, pudebatque, collatis inter se capitibus, eum cœnobiarcham legere constituerant, a quo pristinum asceticæ splendorem restituendum sperarent. Contra reclamarunt vehementissime ceteri, qui vt annis minores erant, sic & plures numero: prioris que libertatis capti dulcedine, ignotæ virtutis austeritatem exhorrebant: factaque conspiratione legerunt omnes Guilielmum Iulemontium, leuiculum juuenem, & ejusdem secum propositi. Exultauerunt omnes seu parta insigni victoria. *eligitur in abbatem.*

Verum

Mox in alterum virum mutatus

Verum ille designatus abbas, cum ad se forte vesperi se recepisset, delatę dignitatis honore vix se capiens: ecce præter mentem incidit in animum cogitatio, quam ęterno judici rationem olim esset redditurus pro tot monachis, quos profecto curæ suę committi jam intelligebat: at in licentiam ordini monastico parum consentaneam ita sciebat ruere præcipites, vt vllas audituros habenas spes non esset. Sancto igitur horrore percelli sensit pectus: impositumque jugum excutere primum placuit. Mox robore diuinitus affuso confirmatus, delatum sacrę præfecturę munus amplecti, & disciplinam instaurare, secum decreuit.

Aduocatis igitur in consilium cordatis quibusdam hominibus, maxime Godefrido de Fontibus viro sapientissimo juxta ac doctissimo, mature in sanctiore otio normam animo concepit, secundum quam sublatis legum monasticarum corruptelis, omnem asceseos repararet honestatem.

disciplinam restituit.

Religiosis consilijs fauit Deus. Cum monachos omnes nihil tale suspicantes in vnum coëgisset, proposuissetque nouas leges; sanctius Christi jugum detrectarunt plerique omnes. Ille vero ostentata vi & amicorum clientumque multitudine, per quos injectis catenis repugnantes in custodiam conijceret, vniuersos absterruit. Beata ergo necessitate Christi seruitutem & jugum subierunt. Factumque est breui, vt quæ turpi veterno torpuerat disciplina, sancto jam ardore ferueret, & *a Domino factum esse, mirabileque in oculis suis* cum approbatione maxima faterentur vniuersi.

Eo statu religiosam illam familiam ad meliora semper in dies prouexit Guilielmus abbas vsque ad annum alterius sæculi primum; quo depositis mortalitatis exuuijs ad immortale præmium pro sanctissimis suis consilijs transijt. Sed mansit firmo subnixa fundamento, quam in suo monasterio statuerat disciplinæ integritatem: lapsuque annorum centum quadraginta partum decus ea constantia retinuit, vt Philippus Bonus Burgundiæ Brabantiæq; dux anno post millesimum quadringentesimum vndequadragesimo binos e S. Iacobi cœnobio monachos mitti Gemblacum rogauerit, & magna animi voluptate obtinuerit, qui religiosiorem viuendi normam illuc inueherent. Quod feliciter præstiterunt egregio Gemblacensium bono gloriaque. Leodium anno proximo venit abbas S. Pauli Vltrajectensis, precibusque apud abbatem S. Iacobi vehementer institit, quo binos e suis Vltrajectum ad restituendum religioni splendorem mitteret. Idem caritatis officium Treuiris præstitum ad S. Matthiæ, pari vbique Diuini honoris incremento. Nam ex eo certe ait Ægidius Grytius Ioannem Rodanum S. Matthiæ abbatem (cui inspiciendam corrigendamque sui ordinis disciplinam mandarat concilium Constantiense) constitutiones Bursfeldienses conscripsisse, & solutum religionis statum in sanctiorem ordinem vertisse. Vide, quantò plurimorum mortalium bono, quandoque pauci serio conatu virtutem amplectuntur, ejusque lucem & amorem late diffundunt. Prima illius gloria Iulemontio debita est.

Die vigesimo primo

S. WOLBODO

episcopus XLVIII. *Anselmus, Renerus, Molanus, & quæ dedit e commentarijs sui monasterij admodum* R. D. *Gerardus Sany abbas S. Laurentij.*

CAPVT I.

Magna claret sanctitate, præsertim creatus episcopus.

Illustri generi adjunctis litteris & virtute

WOlbodonem Godefridi ducis Montâni filium facit Meierus ex Ioanna filiâ comitis Flandriæ Balduini junioris. Tanta generis claritudo vita & eruditione illustrata est. A puero quippe virtutem studiose sectatus, Stabuleti professus est monasticen; vt vult Meierus: Anselmus mauult Vltrajecti adolcuisse in claustralis vitæ disciplina, sub religiosis admodum magistris: quos adeo feliciter imitatus fuerit, vt eos ipsos habere potuerit discipulos, factus longe peritissimus agendarum rerum præceptor.

Eru-

Digitized by Google

Erudienda quippe juuentus ei credita est. Aureæ illius ætatis merito amaueris felicitatem, qua ejusce muneris molestias & humilitatem non dedignaretur juuenis istiusmodi nobilitatis. Creatus deinde præpositus, cum œconomia pari studio disciplinam excoluit.

Eximiam hominis virtutem amplexus sanctus imperator Henricus, piam vim fecit, & religiosa quiete abstractum, suo sacrario præfecit. Cum anno supra millesimum decimo septimo Godefridum regni Lothariensis ducem bello cepisset Theodoricus Frisiorum comes, insignem nauauit operam pro ducis libertate Wolbodo. Autoritatem enim conciliabat tum cognatio, qua Theodoricum proxime contingebat; tum virtus qua dudum & apud Cęsarem, & Vltrajecti prope in oculis Frisiorum, venerationem consecutus erat. Rem igitur eo deduxit, vt magno publicæ quietis bono, libertas Godefrido duci, Theodorico comiti Cæsaris gratia restitueretur.

Spectatam arduo illo negotio Wolbodonis prudentiam episcopatu Leodiensi donandam censuit approbante Cæsare Godefridus: obierat quippe belli illius principio Baldricus episcopus. Wolbodonem consecrauit Heribertus archiepiscopus Agrippinensis: at Leodium jubente Cęsare Gerardus Cameraci episcopus deduxit. ANN. 1018. creatur episcopus.

Priore mentis statu non dejecit illum addita dignitas: erexit potius ad altiorem. Conantem ne retineret deorsum corporis grauitas, jejunijs illud instituit edomare, vigilijsque, ac seuerioribus alijs castigationibus. Algoris adeo patiens fuit, vt dormientibus ceteris adiret sæpissime nudis pedibus sacras ædes atque in illis pernoctaret: vt eo quod de S. Iacobo Minore legimus, callum obduxisse genua camelorum adinstar ob crebras inflexiones; frigore pariter induruisse pedes ferant. Temperantiam ita coluit, vt post jejunium, famem primum proritaret aspectu, tum contrectatione odoreque ciborum lautiorum, quos apparabant pro dignitate domestici. Tum aqua, pane, vilioribusque cibis contentus, in pauperes cetera jubebat erogari: tenera quippe ferebatur in eos pietate. Quo fiebat vt liberalibus eleemosynis eorum egestatem subleuaret: & sæpe cum ad manum nihil esset, peristromata ipsa, ipsamque sacram suppellectilem profundebat, donec a familiæ prefecto redimerentur. Insignes eius virtutes.

Hos caritatis ignes succendebat in pectore amor Numinis flagrantissimus: cui alendo veluti ligna quotidie subijciebat, dum rem Diuinam perageret magno animi apparatu. Solitum enim pręmittere ferunt recitationem Dauidici totius psalterij; thymiama scilicet Christo acceptabile in odorem suauitatis.

CAPVT II.

Magno Diuini honoris studio & integritate vitam agit.

VEnerat anno proximo Leodium imperator: audijt hærere interruptum opus, quod in S. Iacobi honorem aggressus erat Baldricus: Wolbodoni præcepit cœnobium vt absolueret. Strenue pro sua pietate rem ille suscepit, tum operis mercede conductis, tum Olberto Gemblaci abbati commendata cura cogendi religiosi cœtus, & sanctis legibus informandi. Perfectumque est magno Leodiensis vrbis in hunc diem ornamento. Perficit monasterium S. Iacobi.

Non inferiorem suæ diœcesi gloriam peperit, aduocato Richardo S. Vitoni abbate Virduni: quem magna perficiendæ religionis peritia celeberrimum, eoque nomine plurimis monasterijs præfectum, Lobio præesse voluit, vt labantem disciplinam firmaret. Et reuera firmauit magna bonorum omnium gratulatione.

Ejuscemodi artibus sanctum imperatorem arctius Wolbodo sibi deuinciebat. Quamquam enim suorum ille archiepiscoporum sapientię consilijsque tribueret plurimum: certum tamen nihil, aut ratum erat, inquit Renerus, nisi Wolbodonis probaretur autoritate.

Factum est nihilominus vt culpa nescio qua Cęsarem offenderet: ita res ferunt humanæ. Quocum in gratiam redire cum satageret, amicorum consilio pecuniam collegit, qua Cæsarem leniret. Verum proxima ante iter nocte, quod Coloniam suscepturus erat ad Augustum, desubito venit in mentem, collectam omnem pecuniam cælesti regi multo sapientius offerendam, quam terreno, cujus cor in manu teneret ille cælestis; placaretque vel concitaret arbitrio suo, si placatus ipse prior fuisset, vel concitatus. Cæsarem sibi infensum

sua integritate placat.

tatus. Eadem ergo nocte vniuersam omnino pecuniam religiose Christi causa in pauperes erogauit. Illam interim Coloniæ Henricus exspectabat, cujus aliquid inaudierat. Ac post longiorem opinione moram, vbi factum accepit, suam ipse spem risit elusam, sanctum episcopi consilium collaudauit, & arctiore quam prius beneuolentia illum complexus est.

Audiant hoc episcopi (exclamat Anselmus) *qui creditas sibi spoliantes ecclesias, mimos, ceterosque palatinos canes ditare contendunt, ipsique scurrilibus vaniloquijs, & turpibus circa reges adulationibus inseruire non erubescunt. Ecce magis celebre in regali aula pontificis nomen nil tribuendo effectum est, quam multorum cum suis adulationibus ceteri collatores munerum. Hujus itaque veteris, semperque recentis morbi noster hic antistes prorsus immunis, male blandientis sæculi lenocinia fortiter calcabat, ad cælestia toto desiderio suspirabat.* Sic Anselmus.

Eidem conciliat S. Heribertum.

Qua porro valebat apud Cæsarem gratia, suam illa minime passus est infringi libertatem: nec ipsi Cæsareæ majestati parcere voluit, quando æquitas postulare visa est. Heriberto Coloniensi archiepiscopo infensiorem reddiderant imperatorem, improborum aliquorum hominum obtrectationes & calumniæ. Nimirum etiam ipsi sanctitati & faciunt fucum; & virus inspergunt. Sed vtriusque innocentiam Deus seruauit. Tanta libertate simul & ardore sycophantias imperatori Wolbodo detexit, Heribertique sanctimoniam & fidem probauit, vt Augustum admodum perculerit. Sed immutauit omnino Deus ipse, minis per quietem intentatis, ni sancto præsuli reconciliaretur. Paruit imperator proximo mane, insigni animi simplicitate.

CAPVT III.

Religiose mortem obit.

Ann. 1021.

NOn diu post adinstar veteris illius Simeonis, placide diem obierunt in pace sancti duo antistites Heribertus & Wolbodo. Ille quidem XVII. Kal. Aprilis: post solidum mensem Wolbodo. Qui cum ingrauescente jam morbo decumbere cogeretur, intentam cælo mentem psalmodia & precatione roborabat, vilibus stramentis, & superjecto nudus incumbens cilicio, adstantes sibi familiares saluberrima contestabatur exhortatione, vt imminentem omnibus mortis horam exemplo suo formidare discerent. Omnibus aditum ad se patere voluit, quo salutari illo suæ mortis spectaculo, tanto cuique corpus suum in puluerem redigendum magis vilesceret, quanto id abjectius in episcopo emori viderent. Sic ille sui securus, alios timorem edocebat.

Ad mortem se comparat:

Inuidit publicus humanæ salutis hostis: & si nullam referre prædam, at terrorem saltem incutere tentauit. Nihil recte factorum conscientia, vel Dei ipsius præsidio securi is. Precatione breui & aquæ lustricæ aspersione abegit infame monstrum inuictus athleta.

multis S. Laurentio legatis,

Tum incredibili gloria conspicuus adfuit B. Laurentius; promissoque futurum, vt die, quem nominabat, ejusdem secum gloriæ particeps fieret, mirum in modum illum recreauit. Qui pro tam beato nuntio, gratitudinis ergo de sua re mancipi S. Laurentium scripsit heredem; trecentas insuper argenti marchas, siue selibras perficiendo illius templo destinauit, quod in Publico monte cœperat Eraclius episcopus. Septem denique quas vocant matrices ecclesias contulit, opulentamque majorum in Flandria hereditatem: quam hominum parum religiosorum impia cupiditate post ereptam, queritur Renerus.

suaque aliqua leuitate acriter castigata

Lætam S. martyris denuntiationem sinu continere nequijt episcopus: in omnes ad se venientes illam effudit, magna animi exultatione. Adfuit dies dictus, & acri desiderio exspectatus; sed & præterijt episcopo viuente: seu hebdomadis istius diem non signasset B. Laurentius, seu quod temere Diuinum arcanum promiscuæ multitudini vulgasset. Certe peccatum a se confessus est sanctus præsul, & acerbas exegit pœnas, seuerus sui judex. Accersitum enim sacerdotem quemdam familiarem suum obtestatus est per omnia sacra, vt se funibus constrictum seuere loris cæderet. Vt jam cum propheta Iobo

Iob. 42. 6. liceret dicere: *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

sancte mortuus

Vbi denique hebdomade altera dies dictus illuxit, qui fuit Veneris & XI. ante Kalendas Maias, inter religiosissimas Christianæ mentis exercitationes, sancte vitam clausit. Elatum est corpus ad S. Laurentij, & in crypta humatum; vbi hodieque visitur, & mira-

miraculis claret. Quorum tanta fuit olim frequentia, vt Stephanus abbas veritus ne multitudinis ad opem a S. episcopo referendam concursus obturbaret religiosam monachorum solitudinem, & a Diuinarum rerum contemplatione reuocaret, sanctum præsulem rogarit, vt crebrioribus supersederet miraculis: & obtinuit. In hunc diem nihilominus fertur supplicibus opitulari. miraculis claret.

Sanctorum honores ipsi delatos aliquando fuisse, magnamque apud majores venerationem olim esse consecutum, colligere se credit Molanus verosimiliter, ex variarum ecclesiarum fastis plus triginta, quibus Wolbodonis natalem repererit inscriptum; cum non facile cuiquam in illis locus esset, qui nusquam festo die coleretur.

Die vigesimo quinto

I. S. FLOREBERTVS

episcopus XXX. *Anselmus, Ægid. Aureæ vallis, Molanus.*

PArentem, sed & præceptorem habuit S. Hubertum: quamquam nonnulli malint præceptorem illum dumtaxat fuisse. Eius sane institutionibus adeo felices fecit progressus, vt Huberto vita decedente, cum ecclesiæ Leodiensi pastor quæreretur, potior occurrerit nullus illo, quem parenti natura substituerat filium. Animo quippe, virtutumque imitatione patri propior, quam sanguine fuit: vt non tam episcopum mutasse, quam alterum nacta Hubertum dici posset ecclesia Leodiensis. Ergo quem constituerat clerum parens, non numero tantum aut vectigalibus auxit; verum & canonicæ disciplinæ ab Huberto traditæ integritate seruata, coluit & ornauit. ANNO 727. Patri S. Huberto succedit

Eximiam eius in cęlites fuisse religionem prodiderunt. Primum illius in patrem dedit argumentum: quem majoribus dignum honoribus affirmabant plerique, sibi e cælo nuntiatum fuisse. E sepulcro sacrum corpus protulit ad populi venerationem Florebertus, quod ab omni putredine inuenit intaminatum; innumerisque Deus miraculis celebrauit. ANNO 743. quem educit sepulcro

Eumdem B. Odę eius amitæ Amanij honorem habuit. Cum enim pluribus in dies prodigijs clarescerct, populique præcipua ferueret in eam religio, sacras ipsius reliquias celeberrima pompa in aram extulit, cælitum ritu colendas. item S. Odam,

Illum pariter decreuit ac detulit cultum Wintershouij B. Landoaldo, sanctisque eius sodalibus: quorum sanctitatem & miraculorum frequentia celebrabat, & majoribus dignam honoribus non semel Deus nuntiarat. & S. Landoaldum sociosque.

Pari præterea religione plures alios, olim sanctitate, nunc miraculis illustres veneratum esse testatur ecclesia Leodiensis: verum nomina obliterauit antiquitas.

Eosdem ipse sibi honores tum sua illa religione, tum plerisque alijs virtutibus promerebatur beatus antistes; & paucis adeptus est post mortem diebus. Postquam enim administrata sapientissime ecclesia, eximiaque illustris virtute, vitam integerrimam cum beata morte commutasset VII. Kal. Maias anni septingentesimi quadragesimi sexti, tanta miraculorum luce mox cœpit inclarescere, vt obscuri sepulcri tenebris teneri censerent omnes indignum sacras tanti antistitis exuuias. Hoc eius honore suum episcopatum auspicatus est successor Fulcarius.

II. S. ERMINVS

episcopus & abbas Lobiensis. *Manuscr. vetustissimum Bertinianum autoris synchroni, & S. Saluatoris Vltrajecti, Molanus, VValdeus.*

NAtus est Erminus Ercliaci in agro Laudunensi honestis parentibus: genere tamen nobiles fuisse, colligi vult Molanus ex amplitudine patrimonij, quod in hoc tempus Lobiensibus remansit. Litteras feliciter edoctus, magna insuper claruit morum innocentia. Quæ duo potissimum complexus in eo Madelgarius episcopus, sacerdotio illum consecrauit. Secunda honestissimæ vitę fama permotus, Lobium inuitauit ad colloquium Virtute clarus

Digitized by Google

loquium Vrsmarus: ejusque consuetudine sic delectatus est, vt illum obnixe rogarit, sæpius ad se rediret.

Lauduno iter faciebat Hidulfus dux illis tēporibus clarissimus; exceptusque a Madelgario pro dignitate, Erminum sibi dari summis precibus vix tandem obtinuit; & cum in delicijs Lobium haberet, eo misit illum, non aliter ac rem pretiosissimam. Monasticen ille mox amplexus, tantam Vrsmaro præceptore virtutis dignitatem attigit, vt illi quam simillimus euaderet, atque adeo morienti successor omnibus suffragijs & ipsius Vrsmari voluntate daretur. Nobilissimum illud est præstantis sanctimoniæ testimonium in celeberrima illa omnis religionis academia. Plura tamen non inuenio ad posteritatem transmissa. Qui scripsit res ab illo gestas, professus illas se didicisse a Flacberto Ermini discipulo (vide scriptoris antiquitatem) spiritu prophetiæ illum fuisse afflatum, pluribus exemplis demonstrasse satis habuit. Ex his reliquam eius virtutem lector accipe.

Lobium venit

ANNO 713. succeditque S. Vrsmaro

Digressis templo sodalibus, solus in oratione perseuerabat aliquādo Erminus: cumque somno reluctaretur, hāc ad se ferri tertio vocē audiuit: Caroli est victoria. Quod redeuntibus ad preces deinde monachis narrauit. Illo ipso die cōmissam pugnā inter Carolum Martellum & Raginfredum, insignem victoriam a Carolo stetisse, postea compertum est.

ANNO 717. & multis vaticinijs celebratur.

Alias Lobio Fleonum proficiscebatur Erminus; subito substitit, & ad comites: Certum hoc, inquit, accipite: modo cecidit terrena & sublimis altitudo. Intellexere postea socij eodem temporis articulo Radbodum Frisiorum principem obijsse, cum alteram in Francos pararet expeditionem, qui priore victoria insolescens magnum omnibus suorum armorum incutiebat terrorem.

Non procul Lobio Martellus alias iter habebat, quādo dixit, velle se Lobium diuertere: statimque eo cōuertit iter omnis comitatus. Lobiensibus sollicitudinem injecit hic nuntius & tanti principis exspectatio. Apparādis necessarijs dum intendit cœnobij præpositus, misit qui abbatem moneret, videri obuiam esse procedendum Carolo. Incubuerat in orationem Erminus: neque primo illo nuntio quidquam mutauit; sed neq; postea secundo, nec etiam denique tertio. Miratus abbatis tarditatem præpositus, mox adfuit ipsemet: cui placide abbas: Illisqui aduenerunt, vide necessaria ne desint. De principe autem sollicitus ne esto: neque hodie, neque toto hoc anno Lobium videbit. Nec aliter euenit.

Lobium a Carolo quidam venerāt, agebatque cum Ermino: quando hic derepente: Natus est (inquit) Carolo filius. Ille vero: Quod ei nomen? Pipinus, respondet Erminus; eoque digresso subdit familiaribus: Puer hic Francorum monarchiam potentius tenebit, quam tenuerit vllus majorum. E principe nimirum rex ille factus est.

Elnonem Erminus aliquando venerat, quemdam e suis monachum vita defunctum esse, diuinitus accepit, commendauitque precibus Elnonensium.

Magna dicendi libertate, apostolicaque constantia præditus, dicenda numquam tacuisse fertur. Annis denique, & recte factorum gloria grauis, post administratum illustri sanctitudine monasterium, ad laborum præmium abijt VII. Kal. Maias anni septingentesimi tricesimi septimi. Propter S. Vrsmarum situs est in superiore monasterio, quod ab illis postea SS. Vrsmari & Ermini nūcupatum est. Et hic auectus est Binchium.

Sancte moritur.

Die vigesimo sexto

LÆVINVS TORRENTIVS

ex archidiacono Leod. episcopus Antuerpiensis, designatusque Mechliniensis archiepiscopus.

PAtria Gandensis fuit: & Louanij litteris operam dabat, quando Martinus Rossemius Geldrofrancicis armis Brabantiam infestabat. Præstantem quidem legum peritiam pro judicij grauitate consecutus est, in politiores tamen litteras propensior, lyricæ poëseos facile princeps posterioribus his temporibus, eruditissimorum quorumque sententia euasit. In Italiam profectus, sancto cardinali Borromæo percarus fuit ob litterarum juxta & innocentium morum opinionem.

In patriam reuersus, Leodij canonicus fuit, & in illa ecclesia Brabantiæ archidiaconus, atque adeo principis in regenda diœcesi vicarius generalis. Inter ea vero munera litteris

Digitized by Google

ris ac varijs legationibus domi forisque ſpectabilem ſe præbuit. Altiora merebatur illius virtus. Sub annum ſeſquimilleſimum ſeptuageſimum ſeptimum datus eſt Antuerpienſibus ſecundus præſul. Quam dignitatem cum paribus virtutibus impleret, propagandęque Diuinæ glorię deſiderio ageretur collegium Societati Iesv Louanij condidit, quod toti Belgio tum quidem, at modo Flandrobelgicis potiſſimum prouincijs fecundiſſimum eſt virtutis ac eruditionis ſeminarium. Nihil quippe fuit antiquius vigilantiſſimo pręſuli, quam intaminatam tueri ac promouere religionis puritatem. Ad rerum ſtatus Belgij concilium a rege Catholico adlectus, pręcipitantem funeſtis motibus rempub. fractus viribus, animo infracto conſilijs diu ſuſtentauit. Nullis tamen functionibus cum impar videretur, (mirare vaſtum magni hujus antiſtitis animum, qui tam diuerſa & a ſe tantopere veluti diſſita complexus, nuſquam deſiderari ſe patiebatur) quamquam jam ſeptuagenarius, deſignatus eſt Mechlinienſis archiepiſcopus. Verum VI. Kal. Maias anno nonageſimo quinto ad meliores honores ex hac vita Deus illum eduxit.

Die vigeſimo ſeptimo

I. GVILIELMVS GRIMBERGANVS e decano Leod. epiſcopus Antuerp. tum archiepiſcopus Cameracenſis.

ILluſtri Grimbergiorum genere procreatus, nouam ab eruditione claritudinem ſtudioſe quæſiuit. Louanij primum philoſophiam audiuit, tum legibus Dolæ dedit operam, Paduæque; ac Bononię doctor creatus eſt. His ornamentis cum eximiam virtutem addidiſſet, Romam profectus, Gregorio XIII. carus in paucis fuit atque adeo a cubiculis. Ab eo juſſus eſt anno poſt milleſimum & quingenteſimum ſeptuageſimo octauo galerum cardinalis inſigne deferre ad Gerardum Grosbecanum Leodienſem epiſcopum. Is vt erat ingenio perſpicace, & omnis virtutis ſtudioſus, hominis ſapientiam quamprimum agnouit, eum in S. Lamberti collegium cooptauit, illiuſque conſilijs perlibenter vſus eſt: & ſi quam grauiorem adornaret legationem, eam fere Grimbergio committebat. Et ſane totos vndecim menſes orator manſit apud principem Parmenſem in obſidione Antuerpienſi. Quibus velut experimentis probatus, ad altiora ſurrexit. Decanus Leodienſis primum deſignatus eſt. Tum Antuerpiæ Læuino Torrentio ſucceſſit in epiſcopatum; ac denique Cameraci poſt Ioannem Sarazinum ad archiepiſcopatum conſcendit. Vbique conſiliorum ſapientia, & claritate factorum enituit: cauitque ſemper vt ne multitudine negotiorum diſtractus, ſui ipſe obliuiſceretur, nec ea ſe qua par eſt diligentia curaret. Quocirca diebus omnibus primo mane ſacris operari ſolitus eſt, vt nec ſibi deeſſet, neque publicam rem deſerere videretur. Vbique domus Dei decorem cordi habuit. Leodij, Antuerpiæ, Cameraci ſplendida reliquit templorum ornamenta: Cameraci nouis ædificijs epiſcopium auxit. Verum pręcipuam promeritus eſt laudem ijs maxime virtutibus quas tanta dignitas exigit, & ſingulari prouidentia in adminiſtranda diœceſi. Sed hanc ne ſimul cum eius vita concideret, coacta ſynodo transfudit in ſaluberrima decreta, litteriſque conſignata miſit in poſteros. Annis circiter tribus Antuerpiæ ſedit, Cameraci vndecim. V. Kal. Maias anno poſt natum Chriſtum milleſimo ſexcenteſimo nono vita defunctus eſt.

II. PETRVS STEVARTIVS canonicus & vicarius Leod. *Ex ijs quæ ſubmiſit R. D. Bartholomæus Jamart paſtor S. VValburgis.*

NVmquam latere poteſt virtus: etiam ex obſcuro tenebriſque ſuam diffundens lucem, illam omnibus conſpicuam offert: eamque neceſſe eſt robuſtiorem eſſe, quæ nullo alterius vel majorum adminiculo, ſuis ipſius viribus aſſurgit. Circiter annum ſuperioris ſæculi quadrageſimum ſextum Leodij natus eſt humili loco Petrus Steuartius; & ſuis quæ larga manu natura dederat, præſidijs ad magnos honores gradum ſtruxit. Cum magno polleret ingenio, doctiſſimum & toto orbe celebrem nactus eſt Ingoſtaldij in

Digitized by Google

DIE 27. dij in Bauaria theologicarum disciplinarum magistrum Gregorium de Valentia e Societate I E S V. Cujus ducatu tantam assecutus est eruditionem, vt ad illustre illius testimonium post seuerum examen doctor ab eodem fuerit renuntiatus. Tum ne terra defossum id bonum comprimeret, cathedram inscendit, & magna celeberrimæ illius academię gloria totos quadraginta annos docuit sacram theologiam. Atque vt proprius perpetuusque consisteret ille reconditioris sapientię fructus, ac proflueret ad posterorum vtilitatem, præclara ingenij doctrinęque monumenta publico dedit.

Prudentiæ laude, eximiaque tractandarum rerum peritia sic claruit, vt academiam illam vigesimo tertio rector magnificus gubernarit; ac tandem procancellarius fuerit designatus. Quibus in muneribus cum insignem eius prudentiam omnes venerarentur, serenissimus ipse Bauariæ dux etiam amauit, & eum sibi voluit esse a consilijs.

Cordi in primis illi fuit Diuini nominis gloria, salusque mortalium. Eius enim vsque eo incensum fuit desiderium, vt inter grauissimas tot occupationes curiam S. Mauritij Ingolstadij susceperit administrandam. Illam vero tanta sollicitudine constantiaque rexit, vt ante annos quadraginta non dimiserit. Emicuit clarius sacri illius studij flamma, quando in illustre Leodiensis ecclesię collegium cooptatus, eo redijt affecta jam ætate, vitam ibi positurus, vbi primum hauserat; sed non ante scilicet, quam insignem patriæ nauasset operam, quam sibi perutilem fuisse plurimis annis exteri pr̨dicabant.

Leodium ergo reuersus anno hujus sæculi decimo tertio, fundamenta nouo templo posuit in monte, cui a S. Walburge nomen est ob templum (vt fertur) illi diuæ quondam in eo positum: sed jam nulla supersunt eius vestigia. Hoc autem templum eo loco (ita pie creditum est) exstruxit Steuartius, quo ante multas ætates recente adhuc S. Lamberti martyrio, veniens ad ejus sepulcrum sancta virgo Oda, sibi senserat oculos aperiri, quos ad id temporis clausos habuerat: & in accepti beneficij memoriam erexerat sacram ædem: sed etiam hæc tot sęculorum vitio collapsa erat. Ædificatum igitur templum voluit esse curiale, quo illius suburbij incolis commodaret, ne longa perdifficilique via deinceps in vrbem ad S. Seruatij descendere cogerentur, aut inde sacra magno incommodo exspectare: adjunxitque parthenonē ordinis S. Sepulcri eximiæ religionis dignitate florentem. Alterā pręterea S. Saluatoris in Glano curiam eodem consilio condidit: alijsque nonnullis alibi religionem ac sacrorum cultum amplificauit.

Notam dudum hominis virtutem, sed clarius in dies Leodij nitentem, nouis functionibus quamquam extremo jam senio constituit exercere serenissimus princeps & episcopus Leod. Ferdinandus Bauarus, suasque vices in regenda hac amplissima diœcesi in ijs quæ spiritalia spectant, demandauit. Eximia fide, vigilantia, religioneque annos octo Steuartius tantum munus cum feliciter gessisset; optime de patria meritus, maturusque cælo transijt ad immortalitatem V. Kalendas Maias anno salutis humanæ millesimo sexcentesimo vigesimo quarto. Ante aram in S. Walburgis sepultus est.

Die trigesimo

I. S. FORANNANVS

episcopus & abbas Walciodorensis. *Molanus, & quæ R. D. Florentius Danthine S. Theol. licentiatus & monachus VValciodorensis collegit e Manuscr. sui monasterij & ad me misit.*

E Scotia

VIxit Forannanus nobili inter Scotos gente, & virtute, clarusq; archiepiscopi dignitate. Quod munus insigni laude postquam impleuisset annos plurimos, jussus est diuinitus in Austrasiam se conferre ad Eilbertum comitem; ipsique monasterium aliquod molienti operam nauare, loco ad Mosam qui Vallis decora diceretur: hodie Walciodorum est.

mito prodigio transfretat.

Adscitis duodecim ejusdem propositi sodalibus, profectus ad mare Forannanus, cum nulla nauis esset copia, binas trabes, quas forte vidit in littore, in decussem formatas cum socijs inscendit. Et hoc veluti nauigio feruntur in continentem transijsse.

Ad Eilbertum cum deuenissent, aperuissentque viæ causas, magno eum gaudio affecerunt.

Digitized by Google

cerunt. Certus enim jam de Numinis voluntate, cōmuni consilio simul cum aduenis religiosam profectionem instituit ad apostolorum limina, tum vt illorum fidem & patrocinium implorarent, tum vt pontificis autoritate sua consilia stabilirent. Pium omnium propositum collaudauit pontifex: factaque potestate exstruendi cœnobij, Forannanum eius esse voluit abbatem. *Romam profectus*

In reditu Gorziam diuerterunt. Monasterium erat in Mediomatricibus sub S. Benedicti disciplina. Religiosæ disciplinæ tirocinium hic posuerunt; donec anno post nongentesimum quadragesimo septimo cum in Valle decora monasterium ædificasset Eilbertus, eo cum sodalibus Forannanus redijt, & illa religionis fundamenta posuit, quæ ad ætatem vsque nostram, altam honesti molem magna firmitate sustinuerūnt. *posito Gorziæ tirocinio* *Walciodorum regit*

Religiosam hanc monastices scholam postquam annis duodecim sapienter rexisset, ad beatam immortalitatem euocatus est anno duodesexagesimo, multisque prodigijs exornatus. Etiam hodie multi mirabiliter curantur a morsionibus rabidarum animantium per stolam, qua sanctus vir eamdem pestem curasse fertur. *a morte miraculis claret.*

ABBATES WALCIODORENSES.

1. SAnctissimum patrem FORANNANVM secuti sunt religiose posteri in hunc diem ductu & sapientia horum abbatum.
2. S. MACALANVS a nobis suo loco memoratus obijt 990.
3. S. KADROE cujus etiam meminimus: eumque aliqui 2. abbatem collocant, sed cum mortuus sit abbas anno 998. non potuit illi succedere Macalanus, qui obijt 990.
4. IVINIO simul abbas S. Michaëlis in Teorascia, inter vtrumque monasterium societatem junxit.
5. GODEFRIDVS.
6. THEODORICVS incensum suo tempore monasterium restaurauit 1008.
7. EREMBERTVS obijt 1033.
8. RODVLFVS obijt 1035.
9. S. POPPO abbas Stabulensis & plurimorum aliorum monasteriorum obijt 1048. Eius vitam alias dedimus.
10. LAMBERTVS a S. Poppone substitutus obijt 1050.
11. GODESCALCVS obijt 1101.
12. WIDRICVS magna vigilantia disciplinam coluit. Obijt 1129.
13. THEODORICVS II. eius tempore translata sunt Sanctorum corpora. Mortuus est 1148.
14. ROBERTVS e decano Stabulensi. obijt 1174.
15. PETRVS e cœnobio Haster. obijt 1189.
16. LIBERTVS obijt 1203.
17. WARNERVS DE ROSERIIS obijt 1216.
18. WALCHERVS obijt 1228.
19. NICOLAVS e monacho S. Vitoni Virdun. post vnum annum recessit.
20. HENRICVS DE GRAVX obijt 1251.
21. GERARDVS DE HIERGE obijt 1260.
22. ALARDVS DE HIERGE nouum chorum Hasteriensem construxit. Obijt 1264.
23. PHILIPPVS DE NOVA VILLA obijt 1270.
24. NICOLAVS II. obijt 1276.
25. IACOBVS e monacho S. Nicasij Rhemensis obijt 1284.
26. WALTERVS DE NOVA VILLA obijt 1326.
27. IOANNES TVNGRENSIS ob. 1337.
28. BALDRICVS DE WILLEZ obijt 1352.
29. THOMAS CORBEAVX altare majus Walciodori erexit. Obijt 1358.
30. IOANNES D'AROCHE vel AKOCHE obijt 1375.
31. WALTERVS DE BOSSV ob. 1384.
32. ÆGIDIVS DE BENEE obijt 1430.
33. IOANNES HENRART de Falmaigne obijt 1461.
34. IOANNES DE CHERNON ob. 1489.
35. IOANNES FAING obijt 1492.
36. ANDREAS DE FERAIGE ob. 1505.
37. IOANNES MOVCHEZ obijt 1527.
38. ÆGIDIVS HENRART insigni opere claustrum & dormitorium Walciodori condidit & mortuus est 1551.
39. NICOLAVS SARTIAV obijt 1562.

40. FRAN-

40. FRANCISCVS ROMIGNON obijt 1578.
41. THEODORICVS DE SOMMALE obijt 1590.
42. WARNERVS DE ROSIER II. obijt 1601.
43. IOANNES SCAILLET obijt 1610.
44. PETRVS POILLEVACHE obijt 1629.
45. CAROLVS BRISBOIS obijt 1641.
46. Hodie regit insigni prudentia religionisque studio adm. R. D. BENEDICTVS DV PONT. Sanctis eius desiderijs Diuina pietas faueat.

II. S. MACALANVS

abbas VValciodorensis. *Vita S. Kadroënis missa a R. D. Romualdo Hancart monacho Hubert. de voluntate adm. R. D. Nicolai de Fanson abbatis: & quæ collegit e sui monasterij manuscr. R. D. Florentius Danthinne S. theol. licentiatus & monachus VValciodor.*

SAncti Forannani peregrinationum socius, cum illo pariter Walciodori substitit, & sub tanto magistro eximiam virtutis dignitatem didicit & amplexus est. Quare cum Eilbertus comes prẹter Walciodorum, aliud in Teorascia cœnobium S. Michaëli posuisset, illud a S. Forannano jussus est administrare Macalanus. Eaque asceticę disciplinę fundamenta posuit, vt magna Dei gloria steterit insigne monasterium. Sed optimo magistro Walciodori morienti successit discipulus nequaquam indignus. Quo munere cum aliquamdiu sapienter & religiose defunctus esset, expertus vtriusque illius prouinciæ grauem esse administrationem, alteram deponere constituit. Sub id tempus Walciodorum venit Kadroë vir morum integritate conspicuus, multisque miraculis celeberrimus. *6. Martij.* Sunt qui hũc proximum a Forannano abbatem faciant: sed diserte aliud asserit Kadroënis vita: & cum eo rectius stat rerum temporumque ratio. Kadroënis ergo popularis sui sanctitudinem postquam explorasset Macalanus, sibi successorem designauit: abijtque ad S. Michaëlis primam suam sedem. Quam vbi clarissimis virtutibus multos annos illustrasset, sub annum nongentesimum nonagesimum sancte mortuus est.

III. IACOBVS VITRIACVS

ex Oegniacensi monacho primum episcopus Acconensis, tum Tusculanus & cardinalis. *Eius scripta, Cantipratanus, Ægidius Aureæ vallis, manusc. Leodienses, Hoius.*

CAPVT I.

Oegniaci monachus, Dei munere fit concionator.

Post anno 1200. ARgentolij natus in Francia, primos annos egit in academia Lutetiana, litterarum ac præsertim theologiæ nomine clarus, sed longe clarissimus vitę integritate. Cum illustria accepisset de sanctitate B. Mariæ Oegniacensis, in Belgicam eius videndi desiderio venit. Excepit venientem humanissime sancta femina: & post primam salutem autor illi fuit, vt relicta patria, humanisque omnibus abdicatis in Oegniacensi cœnobio sedem statueret. *Oegniacum veniens* Quod cum persuasisset, impulit præterea vt sacerdotio consecratus, curandam parœchiam admitteret, non sine Dei consilio, vt ego quidem arbitror.

Cum Parisijs reuerteretur Iacobus sacerdos jam creatus, non modo cum cœnobitis omnibus ipsa processit obuiam, & recenti chrismate delibutas ipsius manus singulari reuerentia exosculata est, sed pedum etiam vestigijs abjecta in terram religiosissime infixit

xit oscula. Quam sui demissionem & immoderatam alterius venerationem cum damnaret non nemo, serio affirmauit Iacobum Numinis prouidentia destinari ad magna, futurumque multis ad salutem ęternam securissimum ducem. Addidit etiam ipsi cœnobiarchæ Ægidio Walcerio, illum in Syria episcopum futurum: & cum se non facere fidem animaduerteret, subjunxit: Id quidem ego non videbo; sed tu certe rem factam videbis, dolebisque ex ea non leuiter. Sed in lętitiam mœrorem mutabis, cum abdicato episcopatu ad te priuatamque vitam redibit. Patuit euentu veritas.

Iacobum Maria suæ conscientiæ delegit arbitrum, suas illi noxas confessura. Atque ipse quidem eruditionis face viam ei subinde demonstrabat, sed non minorem exemplorum atque etiam quandoque consiliorum ab illa lucem reuera recipiebat. Nam in primis cum magno amplificandi honoris Diuini desiderio teneretur religiosa hæc femina, infirmioreque sexu se prohiberi intelligeret, a Deo obtinuit, vt Iacobus eius quasi auspicijs, quod ipsa nequiret, aggrederetur. Illam igitur eloquentiæ vim ipsi Deus impertitus est, qua clarissimis æui sui oratoribus annumeratus est. Sic ipsemet pro sua modestia tacito nomine, vt si de alio ageret, fatetur in hæc verba: *Licet per eum Dominus tamquam per instrumentum verba prædicationis ederet, at sanctæ mulieris precibus & meritis cor eius præparabat, vires corpori in labore suggerebat, ministrabat verbum, gressus dirigebat, gratiam & fructum in auditoribus excitabat. Pro illo enim quotidie cum esset concionando occupatus, Domino & Beatissimæ Virgini preces offerens, centies salutationem angelicam dicebat.* Ita nimirum imperitis, etiamque feminis facilis & expedita est per preces propagandi Diuini honoris ratio.

fit S. Mariæ confessarius, & Dei munere concionator.

CAPVT II.

Difficultates aliquot superat alieno auxilio.

Eloquentiam Iacobo non ita Deus elargitus est, vt nullum hominis industriæ locum reliquerit. Et dæmon a felici oratoris indole turpem veritus cladem, omnibus artibus pios illius conatus euertere constituit. Ipsum Vitriacum rem ingenue fatentem audi.

Cum verbum Dei licet indignus ad laicos prædicare inciperem, & in ea re necdum essem exercitatus, neque concionandi vsum & consuetudinem haberem, semper mihi metuens ne inter dicendum materia me deficeret, multa mihi vndecumque colligebam: ijsque coacervatis quidquid in buccam venisset, proferre volebam. Totum enim spiritum suum profert stultus: sapiens vero reseruat in posterum. Cum autem tanta prodigalitate meipsum confunderem, ad me absoluta oratione reuertens, quodam mentis tædio afficiebar, quod nullo ordine & incomposite multa mihi dixisse viderer. Quo animi mœrore cum ancilla Christi aliquando pressum me cerneret, ego præ verecundia causam ei indicare nolebam. Et quod erat miserabilius, quodam me tamqam qui bene, subtiliter & acute dixissem, a concione vt est moris commendante, libens id audiebam, & aliquid inde capiebam solatij. Erubesco, fateor, meam turpitudinem prodere: sed sanctæ mulieris laudes reticere non sum ausus. Illa enim quandoque hujus me tristitiæ nube confusum, & tamquam operarium confusibilem ad se vocans, triplex tentationum vulnus, quibus clam eram sauciatus, mihi miro modo detexit. Vidi, inquit, effigiem tamquam hominis in nubilo versantis, nimia capillorum copia cooperti. Quædam autem meretrix subornata, quosdam ex se radios spargens, blande intuens circumibat: cumque id crebro faceret, radium vnum in illum vibrans, partem quamdam nubili illius discutiebat. Hanc vbi illa parabolam pertexuit, triplici me morbo laborantem mox certissime deprehendi. Capillata enim superfluitas mihi mœrorem adferebat: meretrix vero subornata, id est elatio radijs adulationis fota quoddam mihi miserabile solatium pariebat. In hunc modum ipse: cui, fauente Deo, agnoscere vulnera, curare fuit.

Aberrans in concionibus a B. Maria reducitur.

Aliud dæmon intorsit telum eo periculosius, quo occultius aliquam pietatis speciem præferebat. Religiosam ille quampiam mulierem, eamque ægrotam non quidem turpi, sed non satis decenti amore prosequebatur: eique consolandæ sic assiduus erat, vt concionandi munus segnius exequeretur. Diaboli versutias, quibus paulatim Iacobus circumueniebatur, Diuina luce collustrata vidit S. virgo Lutgardis; Deumque multis cum lacrymis deprecata est, tanto vt periculo hominem eriperet. Verum cum se nihil proficere sentiret, eaque de causa Dominum quasi crudeliorem argueret, respondit Deus: Homo iste, pro quo me interpellas, ea cogitat & molitur, quæ tuis precibus aduersantur. Quo audito Lutgardis quasi sui minus potens exclamauit: Quid est hoc quod agis, benignissime & justissime Domine? Aut separa me a te, aut hominem pro

Amore minus cauto liberatur a S. Lutgarde.

Digitized by Google

quo te rogo, discrimini eripe etiam non volentem. Mira res! Vix hæc dixerat; ille mox suis expediri se vinculis sensit: eorumque grauitatem ac periculum velut apertis jam oculis intelligens, liberatori Deo, ejusque ancillæ gratias egit.

CAPVT III.

Bellum sacrum denuntiat, non sine prodigijs. Fit episcopus Acconensis.

ANno post millesimum & ducentesimũ decimo cum aduersus Albigensem insaniam sacrum bellum decreuisset Innocentius III. delegit Vitriacum, vt ad arma religiose suscipienda populum Christianum per inferiorem Germaniam suscitaret, sanctæque crucis tessera illos insigniret, quibuscumque ad profitendam militiam fecisset animos. Speciosam primum & arduam exhorruit ille prouinciam: sed Mariæ consilijs acquieuit, a quibus recedere (adeo illius suspiciebat sanctitatem) religioni duxisset.

Durum hominem frangit.

In tam sancto opere quo magis suis diffidebat viribus, eo præsentius Dei expertus est auxilium. Aggressus enim aliquando in Brabantia graues inimicitias componere, cum emolliri se non pateretur, qui se violatum injuria credebat, accidit ad illius pedes iterum ac tertio; & quod nihil euinceret, ad eos qui aderant conuersus: Vos, inquit, mihi testes estote, Deum ab illo sperni, qui a Deo missos spernit. Dominum ergo mecum orate, vt hominis peruicaciam frangat. Vix dixerat: ecce iterum ac tertio corruit in terram infelix ille, & euersis oculis ore mixtam sanguine spumam ejectat. Ad commiserationem mouerat populum triste spectaculum; quando post breuem precationem comprehensa jacentis dextera, Iacobus erectum animi magis quam corporis incolumitati restituit. Nam ille posita omni simultate, aduersarium non tantum in gratiam recepit, sed ad eius genua collapsus, non sine lacrymis priorem iram sibi cõdonari flagitauit.

Contumacem castigat.

Progressus in Flandriam Vitriacus, inuenit Insulis canonicum nomine Fulconem, virum virtute, doctrina, facundiaque celebratum: quem sacræ militiæ denuntiandæ ratus idoneum, rogauit suam in id secum operam vt conferret: cumque nihil proficeret, necessarios illius interposuit, a quibus ille sibi persuaderi fineret. Frustra: negauit enim is ad hoc munus vlla se ratione inducendum. Vsus tum denique imperio Iacobus: Qua, inquit, ego autoritate sedis apostolicæ fungor, præcipio tibi, vt in nomine Iesv Christi, & in omnium tuarum noxarum remissionem, illam suscipias prouinciam. Nihil eo permotus Fulco, priore sententia negauit se vllo pacto dimouẽdum, atque adeo rogauit ne porro pergeret importunus esse. Tum Vitriacus pontificiæ potestatis neglectu grauiter perstructus: Poteram, ait, pro potestate mihi a Christi vicario facta, ecclesiæ gremio te contumacem excludere, tuoque canonici gradu deijcere: sed in tantum virum ea seueritate non placet vti. Supremum tamen omnium judicem, & intimorum animorum inspectorem Deum precor, ineptum te faciat non modo ad id muneris, quod a te jam adeo proterve rejecisti, sed ad omnem prętererea aliam te dignam exercitationem. Dictu mirum! Ad eam vocem quartana cum alui fluxu Fulconem mox inuasit, nec vllis medicamentis potuit depelli. Quod se ex ipso Fulcone Cantipratanus didicisse narrat: additque ipsum totos viginti quinque annos illis infirmitatibus colluctatum, ante mortem non potuisse liberari; cum alias tantæ sanctitatis esset, vt ipsemet Christus ea specie, qua pependit olim e cruce, mortem illi prænuntiare dignatus sit. Adeo seuere contumaciæ pœnas exigit justus judex Deus.

Inter hæc obierat Oegniaci Maria anno decimo tertio: & Vitriacus insigni caritate, mirabilique populorum motu prouincias peragrarat, quando successu secundo recreatus Innocentius, cum etiam ab illo meliora speraret, Asiaticarum rerum studio legatum in Syriam misit, & Acconis siue Ptolemaidos renuntiauit episcopum. Vbi quam Oegniacensi disciplina, Marięque exemplis virtutem excoluerat, postquam annos aliquot in creditum gregem impendisset, non tamen eos fructus exsurgere animaduertit, quos vel sperasset, vel meminerat Oegniaci collegisse. Quamobrem Romam reuersus, a pontifice summis precibus obtinuit, vt dimisso Acconensi episcopatu, Oegniacum ad se redire permitteretur.

Fit episcopus Acconis.

Quod Romæ dum agit, adeo religiosa illius consuetudine captus est Hugo Ostiensis episcopus & cardinalis (is postea pontifex Gregorius IX. dictus est) vt maxime arcanos animi recessus illi aperiret, crederetque regendos. Et cum grauiter impuro blasphemiæ spiritu se quereretur oppugnari, Iacobus vt magnam dudum de sanctitudine Mariæ Oegnia-

Oegniacensis opinionem conceperat, quem eius digitum multis annis e collo suspensum gestauerat religionis ergo, illi ceu tutissimum amulethum pari reuerentia ferendum donauit: non profecto temere, quando sibi vniuersæque rei Christianę tam certum a sancta illa femina subsidium inuenerat.

CAPVT IV.

Adest episcopo Leod. morituro. Creatur cardinalis. Moritur.

IMpetrata missione, Oegniacum & ad priuatam reuersus vitam, non humilitatem tantum & paupertatem in parua domo Oegniacensi liquidissima animi voluptate coluit; sed pretiosissimas præterea Christianæ sapientiæ diuitias in vicinum omnem agrum sancta sua facundia profudit. Oegniacum reuersus

Hic euenire miratus est, quod a B. Maria prædictum erat. Nam Ptolemaide Romam rediens, cum sæuissima tempestate jactatus nil nisi mortem exspectaret, precibus ad B. Mariam recurrit, & statim obdormijt. At illa adesse visa, cum nihil jam esse periculi docuisset, quamdam Oegniacensis templi speciem ostendit & in illo quinque altaria; jussitque vt quatuor quidem dicaret sanctis, quos Ægidius prior designasset: at quintum sanctissimę TRINITATI consecraret. Oegniacum igitur vt redijt, cum ad ædem sacrandam inuitaretur a priore, templũ inuenit illi per omnia simile, quod in viso fuerat ostensum: & cum ab Ægidio quæsijsset, cui dicatam vellet quintam aram: respondit ille: S. TRINITATI; cui voti religione teneor ob recuperatam valetudinem. S. mulieris vaticinium lætus episcopus compleuit.

Perutilem potissimũ nauauit operam Hugoni Petrapontio episcopo Leod. Illũ anno vndetrigesimo imminente morte juuit non mediocriter in componendis non animæ dumtaxat, sed & totius diœceseos negotijs, queadmodum par erat fieri ab eo, qui de tanti episcopatus administratione post paucos dies ad reddendam seuerissimo judici rationem cogendus erat. Longo vsu, multarumque prouinciarum peragratione cõpertum erat Iacobo, quos toto orbe Christiano fructus ederent, qui S. Dominici disciplinã sectabantur. Ij necdum in hac prouincia sedem fixerant. Quorum cum operam lõge vtilissimam speraret futuram, ipso autore factum est, vt Petrapontius, si minus fortasse quoad vixerat, suum episcopi munus impleuisset, studiosa hac sollicitudine saltem moriens compensaret, gregique suo prospiceret pastor, aduocatis in auxilium S. Dominici discipulis. adest Petrapontio morienti.

Cum summum pontificatũ anno proximo adeptum esse Gregorium IX. accepisset Vitriacus, indecorumq; duceret non coram gratulari, Romam proficisci placuit. Dissuasisse fertur B. Maria, quamquam ante plures annos mortua, sed visa se sistere dormiẽti. Dissuaserant & amici tantum iter, vt ne vberrimos desereret fructus, quos tota Leodiensi diœcesi colligebat, qua dicendo ad populum, qua pęnitentibus aures prębendo, quia consulentibus sana suggerendo. Et vero solitus est asserere, visum in somnis aliquando B. Lãbertum offerentem sibi viuam auem; at S. Gregorium papam duas mortuas. Viuentem auem interpretantur fuisse Leodiensem ecclesiam, quam vtili opera Iacobus excoluerit: duabus vero mortuis signatam esse geminam dignitatem, quam Romę adeptus est. Amicis porrò frustra retinentibus cum Romam venisset, episcopus Tusculi, cardinalisque creatus est. Vbi quamquam otiosus minime delituerit, parum constitit operæ pretium, si cum Leodiensibus laboribus contuleris. Creatur cardinalis

Anno denique quadragesimo quarto Romę apud Dominicanos, quos in oculis ferebat ob insignia illius ordinis in ecclesiam merita, mortalem hanc vitam deseruit, simul & summos honores, quos hic assecutus erat, non pro merito: imparia quippe virtuti sunt humana omnia. Deus igitur in cęlo præmium constituit. moritur

Aquiriæ degens ea tempestate Lutgardis, cum forte diuinarum rerum meditationi se daret, in cælum animo rapta, Iacobum vidit nobilissimo triumpho in beatorũ cœtum adduci. Illa quæ mortuũ audire non potuerat, quęsijt quando diem obijsset. Tertio abhinc die, inquit: noctes ternas, binosque dies peccata flammis expiaui. Id vero significasses, subdit illa; ego te sodalesque meę cõjunctis precibus subleuassemus. At ille: Maluit Deus mea te gloria recreari, quam supplicijs indolere. Quam angustam esse portam illam necesse est, quæ homini tam sancto sine expiatione non patuit! & S. Lutgardi apparet.

Corpus Oegniacum relatum est (ita fuerat eius vltima voluntas) & propter B. Mariam situm.

Digitized by Google

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
MAIVS.

Die primo

I. S. EVERMARVS ET SOCII

martyres. *Surius, Molanus, manuscr. Ruth.*

GENTE Frisius fuit e prima nobilitate. Sed vbi nudum Christum sequi nudus constituit, relicta patria, abjectaque fluxarum omnium rerum cupiditate, Compostellam ad S. Iacobi peregrinus cum aliquot ejusdem propositi comitibus abijt. Tum in Austrasiam, sanctorum non modo sepulcris, verum plurimis etiam religiosis cœtibus ornatam reuersus, sanctiora circumire loca cœpit. Ac forte Trajectum S. præsulis Seruatij sacrum corpus veneraturus petebat; quando haud procul Tungris in silua Rhutensi, carnifice Haccone, barbaro ac impio homine, cum suis omnibus martyrij coronam adeptus est Kalendis Maij. Ad posteros certi nihil amplius transmisit antiquitas. Inhumata & per siluam abjecta corpora Pipinus inuenit, cum in eadem forte silua venationi daret operam: & ea, qua decebat, reuerentia terræ mandauit. Solemnes martyrum honores consecuti sunt in ecclesia Ruthensi, & vicina Tungrensi: ad quam singulis annis sacrum Euermari corpus defertur. Perpetratis diuinitus olim plurimis miraculis celebratissimus fuit. De socijs quamquam ejusdem victoriæ participibus, altum hodie silentium est: neque vbi sacra sint eorum corpora, mortales norunt.

Circiter annum 690.

II. S. VLTANVS

abbas. *Manuscr. S. Laurentij, Molanus.*

Relicta patria

Circiter annum 650. veniens in Gallias

SAnctos Furseum & Foillanum fratres germanos habuit. In Ibernia cœnobiticam primum, tum etiam anachoreticam insigni sanctitudine coluit. Sed vbi Furseus sacrarum concionum gratia venit in Gallias; eodem, fraternum Diuini honoris studium æmulati Foillanus & Vltanus, relicta patria, nauigarunt. Et potestate primum a Romano pontifice facta spargendæ per Gallias euangelicæ doctrinæ, Niuellas ad sanctam virginem Gertrudem Deo ducente venerunt. Quæ agnita hospitum integritate, Foillanum quidem apud se retinuit, ad virtutis prosecutionem eius consilijs vsura; Fossas Vltanum dimisit, vt condito ibi cœnobio, non aliter ac firmissimo præsidio, accolas omnes, exterminata vitiorum turpitudine, sacris concionibus in officio ac fide contineret. Cœnobio Scoti nomen dederunt, illudque inhabitarunt multis ætatibus: donec canonicorum collegium e cœnobio factum est. Alteram in vicino monte S. Agathæ virgini sacram ædem construxit Vltanus.

Fossas condit

S. Foillani mortem diuinitus accipit

Floruerat jam aliquot annis magno totius viciniæ bono illud omnis virtutis lyceum: quando forte sub Kalendas Nouembres intentus cælestium rerum commentationi Vltanus, candidissimam vidit columbam alis cruentatis præteruolantem: neque quid eo

viso

Digitized by Google

viso portenderetur, intellexit. Sed vbi Gertrudem audijt quærentem de Foillano, qui Niuellis digressus, ad dictum diem non redibat, fratris mortem sibi significatam esse non dubitauit: Gertrudique ita rem habere affirmauit.

Quæsiuit diligenter Gertrudis, inuentumque Diuino indicio S. martyris corpus Niuellas celeberrima pompa reuexit. At desiderauit Vltanus Fossas adduci, non tam sibi solatium, quam validum incitamentum omnibus sodalibus totique posteritati ad imitandam virtutem. Annuit Gertrudis: & perseuerat in hunc diem, vt totius regionis in sanctum martyrem religio, ita securum illius tota regione præsidium. *eumq; Fossas adduci curat.*

De imminente morte Gertrudis commonefacta sub annum sexcentesimum sexagesimum tertium, cum studiosissime viam sibi muniisset ad immortalitatem, ardentiorique desiderio videretur omnis mora diuturnior, Fossas misit qui ex Vltano quęreret, quando viuis illa decederet. Adeo nimirum abbatis virtutem suspiciebat sancta virgo. Respōdit ille decessuram sequenti die sub rem Diuinam. Profectionem porro secura exspectaret: omne periculum ab illa propulsaturum B. Patricium, cui sacer esset is dies; nec vero indonata relicturum, quæ Christianæ caritatis officia suis popularibus ab illa exhibita numquam obliuisceretur. Vaticinium probauit beatus euentus. *Gertrudi morté prædicit*

Quamdiu superfuerit Vltanus, nemo prodidit. Acta sanctissime vita, terrę conditus fertur prope Fossas, in S. Agathæ: non omnino liquet. Neque vsquam inuenire potui, an hominibus hodie notum sit, aut vbi gentium sacrum illius corpus colatur. *Circiter annum 666.*

Die secundo

I. IOANNES APIANVS episcopus LXVI. *Ægidius Aureæ vallis, manuscr. Leod. &c.*

PRæpositus fuit Leodiensis, & ex sorore nepos Hugonis Petrapontij episcopi Leodiensis. Quo vita defuncto, ipse mira omnium consensione, nemine vno reclamante, ecclesię Leodiensis antistes renuntiatus est. Honestate morum, ac in primis castitate claruit. Episcopatus exordia importunis turbis molitus est obturbare dæmon. Sed reipubl. tranquillitatem bonus Deus reddidit, mox vt sacerdos & episcopus Ioannes consecratus est. Sacris primum operatus est in Valle S. Lamberti: tum Nouo-monasterij ad vrbem Hoiensem primam synodum habuit. S. Ioannis Agni sui quondam antecessoris exemplo se animaturus ad rempubl. sancte gerendam, sacrum eius corpus in arce lustrare voluit. Et postquam præcipua quadam religione veneratus erat, ratus magis e dignitate fore, elatum priore loco intulit in altare SS. Cosmæ & Damiani; quod eadem opera dicauit. *ANN. 1229.*

Maxima porro laus eius est a cœnobijs magno numero conditis. Quod ergo moriens Petrapontius mandauerat, Leodium ipse S. Dominici discipulos aduocauit: qui & Louanij sedem posuerunt, & sub idem tempus Siluæducis. Cum enim hi vnaque Minores ardentibus animis non ipsi dumtaxat ad virtutem contenderent, at ceteros cum adhortationibus, & impertiendis sacramentis, tum exemplis ad eamdem accenderent persequendam; magna ferme omnes æmulatione illos ad se inuitabant. Inuitantes secuti sunt eodem tempore Minores Aquasgrani, Trajectum, Castra, Niuellas, Namurcum, Dionantum, atque aliquanto post Hoium, ac Mechliniam. Ante paucos annos Leodium venerant, sed cum eodem hoc tempore flammis perijsset templum; magna piorum hominum alacritate decem mensibus instauratum est. *Augetur diœcesis plurimię cœnobijs.*

Robertimontanas virgines par calamitas afflixerat. Deserta igitur illa habitatione in Vallem benedictam se receperunt, canonicis regularibus ex eo loco Graueriam migrantibus; vbi hodie degunt Scholares. Nouis preterea palmitibus pullulauit Cisterciensis ordo. Conditum hac tempestate Argentonum, Grandepratum, Solorientanum, Molinium. Et Benedictinę Milenium felici euentu inhabitare cœperunt.

Neque sine sanctitate surrexerunt tot cœnobia. Ejusdem scilicet tota diœcesi pullulantis particeps fuit Ioannes, quam auunculo eius Petrapontio episcopo floruisse narrauimus.

Quæ

DIE 2. ANN. 1238. Quæ omnia Ioannis Apiani principatum non potuerunt non cumulare insigni felicitate. Illam tamen importuno bello interpellauit Waleramus Luxemburgius. Coactus suam ecclesiam armis tueri Ioannes, dum Pilovaccam obsidet, graui correptus ægrotatione, Dionantum ex castris se recepit, & post paucos dies naturæ concessit. Corpus secundo Mosa deuectum est ad Vallem S. Lamberti, ibique sepultum: vt quod suo conditori non potuerant monachi, eius saltem nepoti deferrent.

Die tertio

S. ANSFRIDVS.

e comite Hoiensi episcopus Vltrajectensis. *Sigebertus, manuscr. S. Pauli Vltrajecti, Ægidius a Leidis, Lipsius, Molanus, manuscr. Leod.*

GEnere opibusque illustrem fuisse principem certum est. Comitem Hoiensem, Teisterbandiæ, Bratuspantię, & Holtenæ dominum varia Cęsarum rescripta nuncupant. Quæ discutere non est instituti mei. Sed quod pluris merito faciant omnes sani rerum æstimatores, posteritatique sit vtilius nosse; generis opumque claritudinem antecessit virtutum præstantia. Ad eam pellexit exemplo conjux Hilsuindis, matrona moribus spectatissima.

Circiter annum 985. Continentiam in conjugio vouet: Filiam ex illa nomine Benedictā susceperat, administraueratq; comitatum annos quatuor, quando rerum humanarum inanitatem cum conjuge exosus, e communi consilio perpetuæ continentiæ voto se illigarunt. Et Ansfridus quidem ad aram Virginis-matris progressus nobilitatis populique spectante magna multitudine, gladium, quo fuerat accinctus, in ea deposuit, & dixit: Quem hactenus pro dignitate gessi, strinxique fortiter aduersus eos, qui Christi pauperibus & viduis injuriam facerent, jam quo saluti meę prospiciam, & sæculo renuntiat. sanctissimæ Dei parenti volens lubensque consecro. Quæ ab Ansfrido generose dicta factaque, lacrymas audientibus expresserunt, publicoque tamen probata sunt omnium plausu. Denique sacris ipse initiatus est dulcissima animi sui voluptate. Conjugi vero Thoræ cœnobium condidit. Sed quo magis expediti ambo, in Diuina liberiore mentis volatu ferrentur, grauiorem terrenarum opum sarcinam constituerunt deponere. Hoiensem comitatum B. martyri Lamberto donarunt.

Insigni ergo sanctitate cum aliquamdiu vixissent, Ansfridi lucem adeo splendidam Fit episcopus Vltrajectensis supra candelabrum censuit Notgerus Leodiensis episcopus esse collocandam. Eius quippe mentem omnis honesti apperentissimam, rectorumque consiliorum tenacem longo jam plurium annorum experimento perspectam habebat. Quare pro illa, qua pollebat apud Ottonem III. gratia, ecclesię Trajectensi præsul vt daretur obtinuit anno nongentesimo nonagesimo quarto.

Spartam ille suam insigni religione sapientiaque rexit, ac suis opibus ornauit. Quod opum terrenarum superterat, religiosa mentis motione, comitatum Teisterbandiæ & Bratuspantium, aliaque prædia ecclesiæ suæ largitus est: & alia non pauca donaria obtinuit ab Augustis Ottone & Henrico I. Huic adeo carum fuisse ferunt, vt in publicis imperij conuentibus, vix quidquam nisi de illius sententia calculoque ratum esse pateretur imperator.

S. Pauli monasterium ibidem condit. Ordinis S. Benedicti monasterium sanctimonia præclarum Dei parenti construxit in Monte sancto, quod S. Pauli postea dictum est. Hic Domini jugum subijt ipsemet, sanctioreque disciplina honoratam egit senectutem. In caris Deus illum habuit. Ea de causa, vt instar auri mundana omni scoria expurgaret, corporis oculis orbauit, quo perspicaciore mentis acie Diuina perueaderet.

Anno denique salutis post millesimum octauo mortuus est in Monte sancto prope Amersfordiam. Sepultum in basilica Vltrajectensi ad Austrum, ait Heda; malunt alij in Monte sancto. Multis prodigijs celebrauit Deus.

Die

Digitized by Google

Die quinto

CATHARINA LOVANIENSIS

Iudæa sanctimonialis. *Cantipratanus*, *Cæsarius*.

IVdæis parentibus nata Coloniæ Rachel dicebatur. A primis annis mirari cœpit, cur aliquo discrimine Christiani hi dicerentur, illi Iudæi, cum vtrosque perinde videret esse homines. Sensim tamen nescio qua suauiore dulcedine in aures influebat Christiani nomen, sed potissimum Dei parentis MARIÆ. De parentum mensa nonnumquam panis aliquid clam subducebat, & ad portam pauperi dabat, vt ab illo gratias agente sanctissimæ Virginis nomen audiens, solita illa voluptate frueretur, sed adeo prudenter pro illa ætate (cœpit enim anno quinto) vt eorum nihil parentes deprenderent. In Christianos propendet.

Cum Louanium hi migrassent, cœpit cum illis frequens esse sacerdos quidam nomine Reuerus, duci Louaniensi a sacris: atque vt fieri planum est inter homines diuersa sentientes, sæpe disputatum est inter illos de sacrorum controuersijs. Disceptantes audiebat studiosissime Rachel, & paulatim magis in Christum propendebat. Non fugit hoc Renerum: qui solam aliquando nactus, serio suasit vt vmbra relicta sinceram veritatis lucem admitteret. Non renuit illa, si modo doceretur. Facturum se recepit sacerdos, horamque dixit, qua veniret quotidie quasi se lusu oblectatura cum ejusdem ætatis sodalibus. Paruit illa constantissime, tametsi annum vitę septimum nondum attigisset: adeo vt Renerus ipse, vel eius famula virgo Deo deuota, docendo prius fatigaretur, quam Rachel audiendo: feliciter autem memoria retinebat, quidquid semel audisset. Circiter annum 1200. Christum edocta

Sesquiannum eam scholam frequentarat, quando filiæ consilium parentes deprehenderunt: & amicorum hortatu constituerunt trans Rhenum eam remittere, illique despondere, qui deinceps eius curam susciperet. Quod cum ad Renerum retulisset Rachel, jussa est redire postero die ante lucem. Ægre obtinuit a matre, vt illa nocte sola dormiret: in eodem tamen cubili quiescere compulsa est.

Illi mane altum dormienti adfuit optima Dei parens in candido habitu & scipionem manu tenens: Surge, inquit, Catharina; grandis enim tibi restat via. Scipionem dextra cum vellet apprehendere, lecto decidit Rachel cum clamore. Quo excita somno mater, quid rei esset, quęrit; sed dissimulante filia rursum obdormit. At Rachel tacita lecto surgens, domo egreditur, venitque ad Renerum. Lætam & volentem ille deducit ad parthenonem Cisterciensem tribus passuum millibus Louanio dissitum, quem Parcum dominarum appellant. Christianis hic sacris initiata, ac Catharina dicta, (quod nomen dedisse Dei mater videri poterat) Cisterciensem vna habitum suscepit. fugit paterna domo.

Omnem mouere lapidē parentes, filiam vt reciperent; cui ætatem deesse causabantur: octauum annum vix expleuerat. Pollicebantur porro omnem libertatem ei relinquendam, mox vbi duodecimum ætatis annum attigisset. A recta ratione non aliena petere videbantur; si quidem fides genti illi haberi posset. Primum ergo Louaniensi duci magnam auri vim appromittunt, si filiam restitui juberet. Ac pœne euicerant, nisi Renerus, ac deinde Villarij abbas Gualterus, proposito Dei metu absterruissent.

Leodium se confert pater & ab episcopo litteras impetrat, quibus ille octennem filiam parentibus reddi mandabat. Patrem illa nec audire voluit, nec videre. Alteras scribit episcopus non paulo seueriores, quibus intentata anathematis comminatione, puellam imperabat Leodium mitti, quo rationibus a patre objectis responderet. Puellam illius ætatis non audebat Renerus in illud certamen immittere. Immisit tamen, vbi intrepidam, & congressum illum generose flagitantem audijt. Bene vertere superi. Tam apposite, eaque constantia quæcumque obijciebantur confutauit Catharina, vt lacrymas non tenerent, qui puellam necdum decennem tanta fortitudine pro Christi lege dimicantem audiebant. Dictum audio, intulit aliquis, ad patrem te non illubenter redituram, si quidem tibi relinquaris. A quo hoc dictum? refert Catharina. Hic vero: A patre tuo. At illa: Certe splendide, vt verbis autoris vtar, per mediam suam barbam mentitus est pater. Denique Leodij nihil impetratum est. Sed neque Romæ hilum ab Innocentio III. pater obtinuit. Ad fraudes ergo se vertit. Patri fortiter resistit.

DIE 5. doloſque vitat.

Ab illo ſubmiſſus ex eadem gente juuenis ætate formaque florens, venit in Parcum Dominarum, & ſacris aquis luſtrari voluit. Sed euellendis animo quibuſdam dubitationibus, quas ſupereſſe aiebat, poteſtatem ſibi fieri poſtulauit agendi cum Catharina, quam dicebat eſſe ſibi cognatione proximam. At illa perfidiam intelligens, nullis vmquam rationibus induci potuit, vt ipſum vel alloquio dignaretur. Ad ſuos ergo poſita larua redijt adoleſcens: & Catharinam tentare Iudęi denique deſtiterunt.

Religioſe viuit.

Illa hac illuſtri victoria nobilis, placida deinceps tranquillitate animum ad conſectandam omnis Chriſtianę & monaſticę virtutis dignitatem conuertit. Et ſane aſſecuta eſt per inſignem humanorum omnium contemptum. Cum enim ſodales ſuas a ſplendidis amicorum cateruis non raro ſalutari, & ſolatiola accipere videret; illa ceu quiſquilias dedignata, ad optimę matris ſuæ Deiparæ imaginem ſe referebat, & candide profitebatur vllum ſe ſolatium ab alio nemine aut expectare, aut velle.

Religioſis ſacræ aſceſeos exercitationibus ad eximiam virtutem euecta, miraculis etiam claruiſſe, diuinorumque arcanorum particeps fuiſſe fertur. Acta denique religioſe vita feliciter deceſſit.

Die ſeptimo

S. DOMITIANVS

epiſcopus XX. *Tomi conciliorum, Harigerus, manuſcr. Hoienſ. & Rubeæ vallis.*

EVchario Tungrorum epiſcopo vita decedenti cum ſucceſſor quæreretur, nullo alio quam certa Dei juſſione potuit induci Domitianus ad eam dignitatem admittendam. Annum litteris nemo prodidit. At non ſerius anno quingenteſimo triceſimo octauo, quandoquidem Aruernenſi concilio interfuerit, & illud ſyngrapho probauerit.

Aggreſſus epiſcopalem curam, totum animũ aduocauit, quo Domini gregem indefeſſa tot ſanctorum pręſulum induſtria excultum, cura nihilo inferiore tueretur ipſe a periculis, ſanctioribuſque eccleſiæ paſcuis reficeret. Verum ſub hæc eadem tempora vniuerſam eccleſiam grandis commouit procella, Trium capitulorum dicta; quam excitarant Origeniſtæ magiſtri ſui damnatione irritati, quæ Cõſtantinopoli facta fuerat anno duodequadrageſimo. Quę cum in vltimum Occidentem Galliaſque penetraſſet, concordiæ paciſque deſiderio Childebertus Francorum rex impetrauit, vt anno quadrageſimo nono Aureliam conuenirent epiſcopi quinquageni, & quintam eo loci ſynodum celebrarent. In ijs fuit Domitianus: conſcriptoſque tres & viginti canones ſuo ipſe cum ceteris ſubſcripto nomine probauit.

Intereſt ſynodo Aurelianenſi.

At ſingularem proprij gregis curam ſuſcepit: cui paſcendo germanam expreſſit boni paſtoris formam. Fuit enim, ſi Ægidium audimus, ſuauiſſima in omnes humanitate, munificentia in pauperes, juſti tenax in jure dicundo, neminem deſpexit, vniuerſos paterna caritate complexus eſt; pariterque omnes amoris vicem reddiderunt. Cum inſigni Diuinarum humanarumque rerum cognitione polleret, arderetque Diuini honoris ſtudio, adjecit animum ad Taxandriam ad Chriſtum adducendam: & operam non minus vtilem quam ſtrenuam in eo collocauit. Verum vt erant prædura gentis illius ingenia, debellatæ idololatriæ gloria alteri ſeruata eſt.

Diœceſim ſtudioſe colit

Ad reliquam ergo diœceſim conuerſus, rem eccleſiæ ſuę præteritorum bellorum calamitatibus diſſipatam colligere ſtuduit, qua pollebat vel in ſacris ſynodis autoritate, vel gratia apud reges procereſque. Complura dicauit templa: quod argumentum eſt Diuini cultus feliciter propagati. Xenodochia etiam varia condidit, pro ſua in egenos pietate, quos & annonæ penuria liberaliter aliquando ſubleuauit. Alias cum terræ magna ſiccitas famis metum omnibus incuſſiſſet, multique ea de cauſa ſuam reſtringerent caritatem, vberem meſſem Domitianus promiſit: fidemque non fefellit.

Tungris aliquam priſci ſplendoris ſpeciem reducere animus erat, niſi miſerandus vrbis ſtatus abſterruiſſet. Pluribus quippe cladibus quaſi catenato malo ſuccedentibus proſtrata ciuitas aſſurgere nequibat. Cum ergo de illa ad priſtinum florem reuocanda deſperat Domitianus, Trajectum diuinitus inuitari viſus eſt quotidianis prodigijs, quorum

Trajectum incolit.

Digitized by Google

rum admirabilitate S. Seruatium ad eius sepulcrum Deus orbi celebrabat. Ibi ergo habitationem constituisse videtur, quandoquidem in Aruernensi synodo episcopum se subscripserit *ecclesiæ Tungrorum, quod est Traiectum.* Hoium tamen in primis amauit: cujus ciues cum multis beneuolentiæ argumentis obstrinxit, tum etiam draconis cujusdam liberasse fertur infestatione; quem Diuina vi extinxit: infectumque veneno fontem sic expurgauit, vt diuersis languoribus hodieque remedio sit, & S. Domitiani fons appelletur. & Hoium.

Proximam mortem diuinitus edoctus, ad S. Seruatij sepulcrum venit: factaque primum precatione, clerum ac populum ad constantiam atque adeo ad meliora cohortatus, omnium se precibus obnixe commendauit. Tum in oratione dum pergit, perfusum est clarissima e cælo luce templum vniuersum, magna omnium admiratione solatioque. Denique Nonis Maij anni quinquagesimi octaui, cum multis præterea miraculis claruisset; Christum ipsum mira majestate spectabilem venientem ad se cum vidisset, audissetque dicentem: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui:* ad beatam immortalitatem feliciter migrauit. Hoium relatus est, & in Virginis matris basilica sepultus. Vbi tot inclaruit miraculis, quemadmodum alias narrauimus, vt in eius fidem ac tutelam ciues Hoienses ceu clientes se transcripserint, vrbisque suæ venerentur patronum. Sanctissime moritur. Matt. 25. 21.

Die octauo

B. IDVBERGA SIVE ITTA

mater Sanctę Gertrudis, conditrix Niuellensis.

FRatrem habuit S. Modoaldum Treuirorum episcopum, sororem S. Seueram, maritum S. Pipinum, filias S. Gertrudem & S. Beggam. Vides omnia sanctitatem spirantia. Præclarum in ea decus Iduberga tulit. Nam & omnem virtutis honestatem ipsa studiosissime coluit: & non modo Gertrudi aduersus patris male sana consilia presidio fuit; verum etiam ad singularem religiosæ vitæ perfectionem qua cohortationibus, qua exemplis illam vehementer excitauit: & quo sæuientes aduersariorum procellas certius dissiparet, resectam propria manu filiæ comam generose Deo consecrauit. Denique parthenonem condidit, quod illustrissimum esset non sanctimoniæ minus, quam nobilitatis domicilium. Quæ quidem inter res a S. Gertrude gestas semel dicta, lectori sufficiant.

Die decimo

THEODORICVS HESIVS

canonicus Leodiensis. *Onuphrius in vita Hadriani VI. Orlandinus lib. 4. Historiæ Societatis, Chapeauillus.*

E Campinia oriundus, præclara virtute, theologicarumque disciplinarum cognitione celebratus, Hadriano VI. in academia Louaniensi adeo se probauit, vt cum ad summos honores ille proueheretur, Theodoricum a se noluerit sejungi, abduxeritque in Hispaniam, ac sibi a sacris confessionibus adesse voluerit: illumque tanti semper fecit, vt ad summum denique pontificatum euectus anno sesquimillesimo vigesimo secundo, cum perspectam haberet eximiam illius prudentiam, eius consilijs pontificatum regere creditus sit: & nisi anno proximo mors interuenisset, illum in amplissimum cardinalium collegium cooptasset. Inuenio tamen litteris proditum, tantum illum honorem rejecisse Hesium, & maluisse perraro modestiæ exemplo sacram quietem Leodij in S. Lamberti collegio amplecti, quam in augusto illo ecclesiæ senatu ornari purpura. Honorum contemptus.

Mortuo igitur Hadriano, reuersus in patriam, multis annis ecclesiam Leodiensem

DIE 10. integritate vitæ, litterarumque splendore illustrauit, catholicę religionis quęsitor, ac prodecanus illustris illius collegij designatus.

Sed cum anno quadragesimo tertio mira comperisset de Petro Fabro vno e primis S. Ignatij socijs; qui Louanij eximiæ caritatis, industrięque præsidijs salutares in mortalium animis æstus accendebat, ad eum se contulit; hominemque inuenit fama majorem. Quare cum eius disciplina multos audiret religiosis commentationibus exerceri, qui fausta morum immutatione operæ pretium referrent; & ipse in has mentis exercitationes ingressus, singularem hanc sui fructus significationem egressus dedit, vt ad collocandam in tuto salutem suam totum se Fabro crederet, omnemque vitæ cursum tota voluntate permitteret. Faber tamen & ætatis & personæ habita ratione, quarum altera inclinata jam erat, altera sua sponte spectatissimis ornata moribus, alienis adminiculis non egebat: tum vero Leodiensis ecclesiæ proposito bono, non ei censuit vitæ genus institutumque mutandum. Suasit potius, & quæ possidebat in vita bona, & quę in repub. regebat munera, pergeret ea prudenter administrare, ad Dei scilicet gloriam, & proximorum vtilitatem; esseque in nobili illa ciuitate probitatis exemplum, propositum ad imitandum, cum populo vniuerso, tum clero præcipue.

Salutis cura.

Amplexatus est vir egregius totis pręcordijs salutare consilium, & ad optatam actionem reliquo vitæ spatio sobrie, pie, justeque traducto, tamquam bonus fidelisque discipulus reuocauit. Tandemque anno quinquagesimo quinto mense Maio non minor virtute quam ętate Leodij mortuus est, & ad S. Lamberti sepultus.

Die decimo tertio

I. S. SERVATIVS

episcopus X. *Tomi Conciliorum, Athanasius, Sulpitius Seuerus; Gregorius Turon: Harigerus, Sigebertus, Ægidius.*

CAPVT I.

Dei voluntate designatur episcopus.

CVm decus aliud ac lumen Seruatio illustrius non facile habuerit ecclesia Tungrensis; tot nihilominus dubitationum tenebris inspersæ sunt res ab illo gestæ, vt a falso verum secernere non facile sit. Quæ vero leuius videntur a nonnullis esse conficta, nec hic enarrare, nec quidem refutare mihi propositum est; tum quod tanto pręsuli rebus bene gestis clarissimo gloriam a falso nolim emendicare; tum quod eorum vanitatem vel alias ostenderim, vel primo lector ipse oculo facile sit deprehensurus. Ad ea me conuerto, quæ vt sunt certiora, sic ad posteritatis bonum magis faciunt.

Sæuiente in Christianos quam atrocissime Diocletiano, cum mortem præsentiret Valentinus Tungrorum episcopus; Dei afflatu sacrum pedum in ara principe deposuit, proposita diri anathematis pæna in eum, qui Numinis injussu sustulisset. Ipse breui post martyrij palmam tulit. At imperante postea Constantino, cum ecclesiæ Dei tranquillitas esset; & mira fecunditate pullularet orbe toto incredibilis Christianorum multitudo, suum Tungris episcopum dare visum est.

Sub annum quarti sæculi decimum conuenit ad suffragia multitudo; siue diuturnioris interregni tędio victa, seu ex præsidum ecclesię decreto, qui aucto mirum in modum Christianorum numero, suum esse Tungris pastorem e re publica judicabant. In illum ecce conuentum se medium tulit pulcherrimus juuenis, (creditus est e superis genijs vnus) & comprehensum manu Seruatium ad aram deducens, pedum in ea depositum sustulit & postquam Seruatio tradidisset, e conspectu sublimis abijt. Designatum diuinitus episcopum faustis acclamationibus salutauit multitudo.

Diuinitus designatur episcopus.

Vt cathedram inscendit Seruatius, in ecclesiæ suæ ornatum eo studiosius incubuit, quo diutius illa pastore caruerat, & ipse prę antecessoribus suis, qui Treuiros simul & Vblos rexerant, vnicam nactus erat excolendam. Quarto post anno profectum esse ad concilium Arelatense nonnulli verosimiliter existimant. Pluribus ego nec contendere, nec

Adest concilio Arelatensi

nec immorari enarrandis concilij actis volo: quandoquidem neque certum omnino sit interfuisse Seruatium, neque quidquam in eo conuentu sancitum prodatur, quod Tungros attingeret. Vacuos ergo plures annos taciti prætereamus necesse est; donec ad ea descendamus tempora, quæ episcopos magna virtute, sapientia, fortitudine præstantes requirebant. Quibus animi non magis ornamentis, quam præsidijs vt instrueret Deus Seruatium, cujus opera statuerat vti, non ad vnius modo gentis, verum ad vniuersi orbis Christiani salutem curandam; ipsi ab vltimo Oriente inuictissimum apostolicę fortitudinis exemplum accersijt. Illud jam narrandum veniet.

CAPVT II.

Adest Concilio Sardicensi: in Agrippinensi damnat Euphratem.

ATHanasium Alexandriæ episcopum Arij sectatores Eusebiani, vt acerrimum senserant jam annos aliquot aduersarium, sic omnibus machinis frustra cum oppugnassent, tandem impudenti calumnia religiosum imperatorem Constantinum impulerunt, vt magnanimum Christi athletam sede sua pulsum Treuiros relegaret. Excepit pro tanti viri meritis Christiana humanitate Maximinus Treuirorum episcopus; omnibusque caritatis officijs illum recreare laborauit. Neque suis defuit partibus Seruatius: non modo vt exulem solaretur, sed vt fortissimi pugilis frueretur aspectu; mutuaque ambo in Christo necessitudine jungerentur. Ita Deus amicitia vincire constituerat, qui junctis deinde animis eamdem catholicæ religionis causam propugnarent. ANNO 336. S. Athanasium Treuiris visit.

Restitutus post biennium Athanasius, Arianorum impietate denuo pulsus est. Catholicæ innocentię causam suscepit protegendam Iulius pontifex Romanus. Et quo Arianorum impudentiam totius orbis Christiani judicio confunderet, Sardicam concilium œcumenicum ex imperatorum sententia conuocauit. Adfuerunt ex vniuerso imperio episcopi ducenti octoginta quatuor, in his Seruatius noster. Quo in consessu damnatis Arianis, Athanasij innocentia patrum calculis triumphauit. Alij preterea plurimi antistites orthodoxæ religionis odio ab Arianis indignissima passi, suam causam egere tanta omnium approbatione, vt decreuerit concilium legationem ad Constantium Augustum, quo vt synodus decreuerat, episcopos ad sua redire pateretur. Legatos designauerunt patres Vincentium Capuæ, & Euphratem Agrippinæ episcopum; eximio sane virtutis argumento. Interest cōcilio Sardicensi. ANNO 347.

Sed illustre dedit hęc legatio humanæ imbecillitatis monumentum. Quam Euphrates felici legationis successu gloriam sibi pepererat, polluit mox pudenda labe hęreseos. Credibile est crebra cum Orientalibus episcopis consuetudine, peruersis opinionibus imbutum fuisse. Adeo periculosa est ejuscemodi hominum familiaritas. Imprudenter ac pæne a nolentibus, solo velut affrictu, hauritur pestis. Lapsum in hæresim Euphratem

In Gallijs agebat, pluribus Constantis Augusti litteris euocatus Athanasius, & cum eo Seruatius noster, alijque Galliarum episcopi; quando reuersus ex Oriente venit ad illos Euphrates, & legationis suę successum ad Athanasium retulit. Cumque animo conceptum in Oriente virus ore subinde promere non erubesceret; acriter obstitit Seruatius: audienteque ac probante Athanasio, Diuinam naturam Christo detrahentem confutauit. Reuerso nihilominus Alexandriam Athanasio, cum Agrippinam redijsset Euphrates, honorato Sardicensis concilij testimonio, & obita legatione tumidus, eoque audacior factus, quasi e tripode omnia eius effata essent accipienda, libere cœpit in creditum sibi gregem spargere, quod ipse hauserat toxicum. palam arguit; ANNO 349.

Seruatius pro suo in catholicam religionem incenso studio, cui faces non exiguas subdiderat vel magni Athanasij familiaritas, vel sanctissimus ille Sardicensium patrum consessus; Euphratem qua priuatim, qua publice monere non destitit, ab impijs se cœptis abstineret. Cumque surdo se canere sensisset, omnes diligentissime vias obsepsit, ne qua illius mali labes ad Tungros penetraret. Verū quia & nihil vmquam ab ejuscemodi propinquitate satis securum est, & populus Agrippinensis contra sui pastoris perfidiam opem flagitabat: vnus maxime Seruatius autor fuit, vt episcopi Galliarum Agrippinam conuenirent, occurrerentque grassanti pesti. Magni negotij minime fuit in eam sententiam episcopos inducere, quibus perspectus erat Orientalis ecclesię status maxime deplorandus. Quare Gallias ab omni hęresum labe hactenus puras hoc malo liberare statuerunt. & aduersus illum concilium Coloniam conuocat

Conuenerunt ad idus Maias episcopi deni quaterni; legatos alij deni miserunt. In hoc consessu accusationem instituerunt Agrippinenses ceterique Germaniæ secundæ populi. Auditis testimonijs, cognitaque causa, dictæ sunt ab episcopis sententiæ. Inter quos Seruatium ita locutum esse habemus: *Quid fecerit, quidve docuerit Euphrates pseudoëpiscopus, non opinione sed veritate cognoui, pro finitimi loci conjuncta ciuitate: cuique publice & domestice sæpe obstiti, cum ille Christum Deum negaret, audiente etiam Athanasio episcopo Alexandriæ, & presbyteris diaconibusque plurimis. Idcirco censeo Christianis episcopum eum esse non posse, quia Christum Deum sacrilega voce negauit: neque illum Christianum esse judicandum, qui ejusdem confinitimus fuerit inuentus.* In eamdem reliqui venerunt sententiam. Abrogato Euphrati omnium suffragijs episcopatu, substitutus est e Seruatij potissimum mente Seuerinus, vir orthodoxa mente virtuteque magna prędítus. Euphrates miserandum nostræ infirmitatis exemplum, optime de ecclesia quondam meritus, homo grandis natu, turpiter in hæresim lapsus, in ea videtur perijsse. Nam breui post, animi dolore confectus cum mortem oppetijsset, corpus sacro indignum sepulcro, in Rheni fluctus abjectum fuisse proditum est. Respirauit vero in Gallijs ecclesia catholica tanto defuncta periculo, per fidem & vigilantiam SS. præsulum Seruatij & Seuerini.

& illum damnari obtinet.

CAPVT III.

Legatus in Orientem visit Athanasium. Arimini decipitur ab Arianis.

ANNO 350.

Legatus ad Constantiũ imp.

CÆso Constante Augusto, cum per Gallias imperium sumsisset Magnentius exercitus legatus; & Constantium cędem fratris vlturum minime dubitaret, pacem & amicitiam cum illo tentauit missis legatis. Fuerunt ad hoc delecti (inquit Baronius) qui majoris nominis esse in Gallijs videbantur episcopi Seruatius & Maximinus, ille Tungrensis, iste Treuirensis ciuitatis antistes. Quid apud Constantium effecerint, nusquam proditur: certe mox graue bellum exarsit. Ceterum legatos incessit cupido videndi Athanasij, cum prope abessent. Inuitabat jucundissima recordatio contractę olim tam sanctæ consuetudinis, ac desiderium fruendi rursum congressu viri adeo gloriosis certaminibus celebratissimi. Appulerunt ergo Alexandriam: quique de eodem Athanasio sua ecclesia ejecto fuerant optime meriti, ab eo vt par erat, in ecclesiasticam communionem sunt recepti. Hinc ad ecclesias suas illos festinasse verosimile est, vt imminentibus calamitatibus suos greges consolarentur. Cum enim Magnentium cruenta victoria Cõstantius superasset, adeo sunt accisę vires Romanæ, vt imperij limites numquam deinceps a barbarorum incursionibus defendi satis potuerint. Contra quos Iulianum Cęsarem salutatum misit ad Gallias tuendas Constantius. Per Tungros ille sępius iter habuit, nonnumquam in vrbe commoratus est: at quomodo se cum illo Seruatius habuerit nemo prodidit. Aliud habemus longe celeberrimum maximique momenti. Anno quinquagesimo nono omnes totius ecclesiæ episcopi conuentus habere jussi sunt, Orientales Seleuciæ in Isauria, Arimini in Italia Occidentales. Constantius imperator Arianus præfecto prætorij Tauro mandatum dederat, conuentum vt ne solueret prius, quam conceptis fidei capitibus consensissent vniuersi: relegaretque in exilium, quos pertinacius comperisset aduersantes, si modo denis quinis plures non essent. Conuenerunt episcopi plus quadringenti, quorum ferme octoginta Arium sectabantur. Suas partes ea calliditate Taurus egit, vt plerique episcoporum partim imbecillitate ingenij, partim tędio peregrinationis euicti, dediderint se aduersarijs: ait Seuerus. Factaque semel inclinatione animorum, cateruatim in partem Arianorum concessum est; donec ad viginti vsque numerus catholicorum imminutus est. Sed hi quo pauciores, eo fortius obnitebantur. Constantissimus inter eos habebatur Seruatius noster, & Fęgadius Agennensis episcopus. Hos quia minis, & terriculamentis non cesserant, Taurus præfectus precibus aggreditur, & lacrymans obtestatur, sequerentur plurium exemplum, autoritatem saltem e numero sumerent. Ad dies aliquot certatum est, solis Seruatio & Fægadio catholicas partes in tanto illo cœtu sustinentibus.

Alexandriæ Athanasium visit.

In concilio Ariminensi

fortiter resistit Arianis

Horum candorem ad extremum etiam cepit hæreticorum vafrities. Cum simulato concordiæ studio Ariani plurima pronuntiata declamassent de Diuina Filij natura catholicę veritati consentanea, hoc inter cetera catholicis non aduertentibus insinuarunt: *Si quis*

a quibus denique decipitur.

Digitized by Google

Si quis dixerit creaturam esse filium Dei, vt sunt creaturæ ceteræ, anathema sit. His ita gestis solutum est concilium; lætique omnes redierunt ad prouincias. Idem enim bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur.

Verum diu scelera non latent: & cicatrix male obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperunt mox Ariani suam victoriam jactitare, dicentes se filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis: nota hæreticis perfidia; quibus verbulum quasi per cuniculos immissum satis est ad sanciendam impietatem, quam grauissimis antea sententijs disertissime damnarint. Ingemuit ergo totus orbis, teste Hieronymo, & Arianum se esse miratus est. Eæ nimirum præstigię hæreticorum esse solent; quorum insidias sanctissimi quique non facile nisi summa prudentia vitent. Quam ergo cæci, qui hodie sibi persuadent nimium esse rigorem ecclesię catholicæ hæreticorum libros & colloquia vetantis, grauesque delinquentibus pœnas infligentis! quasi ab omni periculo quilibet e plebe securus esse possit. Nota.

Sua hac simplicitate, quæ majori prudentia temperari debuerat, nonnullas sui nominis claritati tenebras offudit Seruatius. Ex eo tamen lucem magnam consecutus est, quod Oriens totus, Occidensque virum suspexit in tot concilijs, vbi fluentes torrentis more Arianorum impetus autoritate sua remoratus est.

Cum ad suos redijsset, fraudemque hæreticorum ac periculum videret: reliquum vitæ tempus, partim murum se pro domo Dei opponendo assiduis concionibus, partim intima cum Deo familiaritate obtinenda traduxit integerrime. Fuere qui scripserint illum, dum aliquando diœcesim obiret, deuenisse Legiam, ædiculamque dicasse eo loco, vbi hodie stat eius templum in vrbe Leodiensi: defixoque in terram scipione fontem excitasse.

CAPVT IV.

Pro auertendo Tungrorum interitu Romam proficiscitur.

RVebat paulatim ignauia Romanum imperium, audentibusque in dies majora barbaris, quotidie pæne clades accipiebantur aut timebantur. Diuinæ justitiæ mortalium peccata castigantis ea esse consilia nemo non intelligebat. Imo didicit e cælo Seruatius diram imminere Tungris calamitatem. Auerti posse credidit, si Deo tolleretur irascendi caussa, vitijs exterminatis. Hoc dicendi ad multitudinem sibi sumsit argumentum: insolitaque animi vehementia cohortari cœpit, vt detestati priorem vitam ad meliora conuerterentur. Immanem illam trans Rhenum barbararum gentium colluuiem ceruicibus impendentem, quasi manu ostentabat, quæ decernente Numine pœnas infligeret, nisi resilirent a flagitijs. Et ne conficta viderentur terriculamenta; nuntiatam e cęlo affirmabat non modo funestam omnium Galliarum vastitatem, sed ipsorum Tungrorum vltimum excidium, nisi mature saniora amplecterentur consilia. Is erat totius imperij status, vt quiuis satis intelligeret protensam in verbera jam vibrari supremi judicis manum. Fidem ergo non difficulter inuenit vaticinio Seruatius: sed non æque suis consilijs persuasit. Pauci meliora cogitarunt. Imminentem cladem auertere nititur revocato a peccatis populo

Non abjecit animos aut suorum curam bonus pastor. Cum negligi propositum consilium, desperationeque torpere vniuersos animaduerteret: quod opera sua laboreque posse sperauit, illis quantumuis negligentibus, salutem curare constituit. Iejunijs ergo, vigilijsque atque acerbioribus alijs supplicijs corpus affligens, non secus ac si promeritas aliorum peccatis pœnas in se vellet excipere, crebro lacrymarum imbre perfusus, Dei misericordiam deprecabatur, ne barbararum nationum immanitati Gallias permitteret: sed Tungros in primis deleri ne pateretur. Verum illustrata diuinitus mente, sentiens Numen peccatis populi, grauiter infensum, preces non admittere, non propterea meliora omnia desperauit. Romam proficisci placuit, quo adjunctis sibi principum apostolorum patrocinijs, quæ suppliciter a Deo flagitabat, facilius obtineret. & precibus; tum Romã contendit

Necessarijs omnibus ad iter comparatis, postquam populo suo jejunia, precesque malis publicis auertendis indixisset, in viam se dedit, exeunte anno (quod vero similius est) octogesimo secundo.

Ad Metensem episcopum ex itinere diuertit. Qui audito Seruatij consilio, plurimumque collaudato, summis precibus ab ipso contendit, suam vt diœcesim in primis

Numini

DIE 13. ANNO 384. Numini commendaret. Recepit in se Seruatius: Romamque profectus, quam religiosissima potuit veneratione sacrum B. Petri sepulcrum adijt: & totus ingenti animi ardore procumbens in preces, nullum respirando spatium relinquebat. Nec deerant conjunctæ precibus spontaneæ corporis afflictationes; atque potissimum inedia tanta, vt biduo triduoue sine vllo cibo permaneret.

vbi Dei certam sententiam audit, A Deo tandem id responsum accepit. In ejusdem apostoli basilica propter aram principem, Christum visus est in regia sede collocatum videre, cælitibusque stipatum: quorum principes bini. (Petrum & Paulum fuisse creditum est) e genibus supplices Christum modo, modo parentem eius virginem Seruatio conciliabant. Stabat ad Septemtrionem protomartyr Stephanus, suosque Mediomatrices commendabat, quo barbarorum furori subducerentur. Quod si fixum staret eam vrbem hostibus tradi; sacram saltem ædiculam, in qua colerentur eius reliquię, ab omni intactam injuria seruari obtestabatur. Cui jussus est Petrus in hunc modum respondere: Diuini Numinis decreto sancitum esse, Gallorum peccata omnia hostilibus armis castigare; ipsamque adeo Mediomatricum ciuitatem flammis perdere. Eius tamen precibus hoc tribuendum, vt illęsa seruaretur ædicula. Conuersus ad Seruatium deinde Petrus, idem affirmauit immutabile esse Diuinæ justitiæ decretum aduersus Tungros, qui vltimum suis peccatis interitum promeriti dudum essent. Ipsum vero breui mortalem hanc vitam deserturum, ne tantas ecclesiæ suę calamitates spectare cogeretur. Ad eam ergo reuersus, deligeret Iubetur Trajectum migrare. Trajecti potius, quam in vrbe peritura sepulcrum. Munus addidisse argenteam clauem ferunt, symbolum potestatis in portas cęli, quas suis aperiret, quicumque flagellorum tam acerborum denuntiatione reuocati a scelerosa vita, ad implorandam Dei misericordiam conuerterentur. Clauem certe argenteam miris postea nobilitatam prodigijs seruauit ac venerata est ecclesia Trajectensis. Luctuoso consternatus responso Seruatius, apostoli tamen imperio morem gessit.

CAPVT V.

Prodigijs admirandus Tungros redit, & Trajectum migrat.

A barbaris in reditu captus

AD suas se oues referebat bonus pastor, in barbaros perruptis imperij limitibus late omnia populantes incidit. A quibus raptum in vincula sanctum antistitem eripuere mira aliquot prodigia. Locum in quo detinebatur, ingenti lumine e cælo collucere viderunt e suis stationibus excubitores nocturni. Cujus admiratione cum studiosius ex ipso quærerent quis esset, qua ortus gente, quos Deos, quæ sacra coleret: Christianam prædicare legem aggressus est tanto animi ardore, vt radios incensa facies visa sit eiubrare. Humano quidpiam amplius inesse homini censuerunt: sed tum magis, quando meridie sub diuo dormientem viderunt ab aquila protegi, quæ castrorum strepitu nihil territa, solis radios expansis alis frangeret temperaretque ardorem. Quibus in venerationem versi, sanctum præsulem dimiserunt. Ille cœptum iter prosecutus est.

prodigijs celebratur.

Terra fontem elicit. Forte in Vangionibus æstuans cum sitiret, nec humor vllus adesset, quo faucium ardor restingueretur; ante pedes crucis signum effinxisse prodit Ægidius, statimque fontem antehac inuisum emicuisse; cujus aquis & sitim sedarit Seruatius, & suis morbis remedia inuenerint accolæ. Quo factum sit vt consecuta valetudinem vidua quædam, gratitudinis nomine Seruatio suos agros addixerit, post aliquot sæcula; vt quidem opinor: cujus exemplum plurimi postea secuti fuerint.

Reuersus Tungros Tungros denique reuersus, ferali nuntio cladis nulla industria vitandę perculit vniuersos; quando nullum audirēt relinqui in tanta calamitate perfugium. Sed filios carissimos excitare cœpit amantissimus parens, vt animos Christiana fortitudine confirmarent. Cessurum in immortalem felicitatem quidquid in hac vita supplicij præteritis peccatis justissimo Dei judicio irrogaretur: qui semper clementiæ plus & benignitatis, quam justitiæ præfert, quando mortales castigat; quandoquidem & pęnæ culpis numquam non leuiores sunt; & præter noxiarum condonationem ęternum gloriæ pondus operantur. Hęc solatia minime inania suis suggerebat vigilantissimus pastor; exemplumque addidisset libens præeundo generose, & inuicto pectore venturis malis aduersum se tulisset. Sed laboribus statuere modum, mercedemque reddere Deus constituerat.

Quod cum non ignoraret sanctus pręsul, apostolorum principi parendum. Trajectumque

Digitized by Google

jectumque sibi migrandum esse existimauit. Tungris hoc dolorem auxit, acerbissimamque concitauit complorationem, non aliter quam venientis cladis aliquod initium. Nec sane immerito. Beatorũ quippe episcoporum Martini ac Valentini sacrosancta corpora, vrbis presidium non minus quam ornamentum vna secum auchebat. Imo passim nostrates asserunt ablatos esse reliquos sex episcopos: quos scilicet Tungris sepultos fuisse proditum est. Eo ciuibus acerbior fuerit luctus. A carissimis ergo filijs in eum modum consternatis, acerrimo animi dolore reuellebatur optimus parens. Et quo mœrentes consolaretur: Vrget me, inquiebat, imperium Numinis, ac Tungris diutius consistere vetat. Nec vestra, carissimi filij, admodum interest, abeamne alio, an hic subsistam. Breuis est inter mortales futura mihi mora. Non victuro mihi locus, at sepulcrum morituro quæritur. Neque quod incumbit in ceruices malum, viuente me irruet. Vt ergo neque vita mea vobis potest esse vtilis, sic neque præsentia. Quare sinite Numini obtemperem, & quo vocat, abeam. Aduersis porro germana se caritas prodet. Itaque neque sejuncta habitatio, neque venientium casuum acerbitas, neque ipsa denique mors mei in vos amoris restinguet ardorem; nedum faciet immemorem. Et si quę mihi fuerit apud Deum gratia, omnibus connitar viribus, vt quæ ingruent aduersa, ea feratis animi fortitudine, quæ palmam mereatur ęternam. Macti animis, mei Tungri; cælesti laurea minores sunt omnes hujus vitæ labores. Dixerat Seruatius: discessum est tandem dolore vtrimque pari.

effert Trajectum corpora SS. antecessorum.

CAPVT VI.

Sancte moritur, celebraturque miris prodigijs.

PArua fuit sancto præsuli mora Trajecti. Affecto quippe jam anno Tungros redierat. Vere autem anni octogesimi quarti cum Trajecti forte sacris operaretur, stetit ad dexterum aræ latus angelus, & proximam mortem nuntiauit. Seruatium statim occupauit modica febris; & tertio die, qui fuit tertius ante idus Maias, viuis eripuit, postquam Diuinis mysterijs communitus, Trajectensem ecclesiam animasset ad constantiam.

Trajecti mortuus

Proxime publicum aggerem, hoc est viam militarem inhumarunt sub ipso Ioue frigido. Permirum sane episcopum longe celeberrimum & non modo de ecclesia sua, vel Gallijs omnibus, sed de vniuersa ecclesia quam optime meritum eo loco sepeliri.

Ceterum quando sanctissimi præsulis funus vel homines negligerent, vel nescio quo alio pacto tam indigne curarent, suscepit Deus exornandum. Integræ valetudini restituit, quotquot aliqua affecti infirmitate, supplices ad sacrum funus aduoluebantur. Afflictos quoscumque mortales exciebant miræ illæ curationes. At reliquæ multitudini religionẽ accendebant genij cælestes: quorum pars suauissimo concentu hominum aures demulcebat: pars sericum quoddam velum, spectantibus omnibus, e sublimi deferre visa est, & super sacrum sancti præsulis corpus, pro dignitate non satis ornatum, reuerenter deponere. Sanctitatis admirationem hęc prodigia concitarunt.

multis a Deo prodigijs ornatur.

Auxit non parum, quod proxima hieme, sequentibusque pluribus obstupuerunt vniuersi. Cum enim sæuiente quantumuis bruma nix cælo deflueret, terramque alte operiret, veluti quadam veneratione B. præsulis sepulcrum numquam attigit. Excitata ergo concurrentium populorum religione, sacrarium non semel opere tumultuario e tabulis ligneis erectum est. Sed protinus aut rapiebatur a vento, aut occulta vi disjectum ruebat, quasi indignum tanti antistitis magnitudine. Donec insignem construxit basilicam S. Monulfus episcopus Quibus per sequentes ætates miraculis claruerit, non est instituti mei commemorare. Inueniet lector in historia nostra Leod. anno nongentesimo quadragesimo quarto, & post millesimum secundo.

II. S. ROLENDIS.

virgo. *Manuscr. Gerpiniensis, Molanus.*

QVa vixerit ętate, proditum non est. Et sepulcro insculptum patris nomen difficultatem mouet. Desiderius enim Gallorum rex dicitur, cum nullus inter omnes reges

Incœpere sub hoc tẽpus S. Dominici discipuli insignem tota Belgica operam nauare. Sancta perstrictus æmulatione Thomas, illis se socium adjunxit, quo & ad altiorem virtutem assurgeret, & studio certiore curaret mortalium salutem. Strenue vtrumque perfecit. Postquam enim cum S. Thoma Aquinate diligentem philosophicis theologicisque disciplinis operam dedisset præceptore Alberto Magno, in sublimem præterea cælestium commentationem assidua exercitatione prouectus, eximiam vitæ innocentiam attigit, ac Dei parentem in primis tenero amore complexus est. Mortalium autem longe plurimos juuit sapientibus consilijs, pænitentiæ sacramento, maximeque Christiana sua eloquentia.

Fit Dominicanus

Cum aliquamdiu supprioris partes Louanij gessisset, creatus est Cameracensis suffraganeus. Quo in munere cum de propagandi honoris Diuini studio nihil remitteret, suos conatus etiam in posteritatem transmittere cogitauit: cum diu antea S. Christinæ Mirabilis vitam publico dedisset. Et vero quæ scripsit, magnam in omnes ætates vtilitatem ferunt; quamquam leuioris fidei illum fuisse quidam adstruant. At sane virum ea virtute, doctrina, dignitate prẹditum leuitatis arguere, leuitas est non ferenda: temeritas est.

tum suffraganeus Cameracensis

Memoria dignum, quod sub hæc tempora sibi contigisse narrat. Occupatis colligenda messe domesticis omnibus, animum piscatione totum diem laxauerat nulla omnino præda. Domum abire parabat: suum ecce diaconum prospicit venientem cum tribus Minoribus hospitio receptis. Hospitum aduentu recreatus, omissa alia salute: *Per totam diem* (inquit) *laborans nihil cepi, in verbo autem vestro laxabo rete.* Dixerat: & funem quo vnus illorum prẹcinctus erat, retibus illigauit. Dictu mirum! Primo jactu in terrã octoginta pisces traxit, quales numquam in eo viuario viderat. Læti adeo felici euentu omnes domum redeunt; & cum tota familia Dei munere corpora refecerunt, missa etiam ad illos parte, quibus in vicinia nihil paratum erat.

Hospitalitatis præmium.

Luc. 5. 5.

Aliud item narrat minime reticendum Diuinẹ pietatis argumentum. In Brabantia forte cum Minoribus pedes iter faciebat; fractis longiori itinere viribus, cum vlterius progredi non valeret, cibarij panis nihil a quoquam obtinere potuerunt Minores, quo vires ille repararet: donec tandem acerosi panis quidpiam obtulit paupercula mulier. Sub humilem dumum illi se abjecerunt, & quod datum erat sumserunt: & quamquam crassiore furfure fauces perstringerentur, numquam se suauius edisse Thomas confessus est; & Dei bonitatem multis prædicauit, qui suis famulis in tanta egestate delicias etiam exhibet.

Denique postquam annos ferme sexaginta in Dei obsequio posuisset, abijt ad immortalem laborum coronam. Ait Lipsius diem obijsse anno post millesimum & ducentesimum sexagesimo tertio: adscribunt alij octogesimum.

Die decimo septimo

LAVRENTIVS

abbas I. Villarij. *Chronicon abbatum Villar. Sequitur.*

SAncti Bernardi disciplina excultus in Clara valle, sanctissimo magistro non indignum se discipulum eximia morum innocentia probauit. Quare cum anno post millesimum & centesimum quadragesimo sexto duodenos e suis monachos Villarium S. Bernardus mitteret vna cum quinis alijs e conuersorum genere, Laurentium designauit abbatem. Venit hic Villarium, locum ea tempestate incultum ac horridum: ibique sedem posuit, laboribus ac ærumnis eo grauioribus, quo lẹtiora quondam erant consecutura. Vix aliter quippe grandia molimur, quam ingenti arduoque nisu. Sed cum parere mallet Laurentius quam imperare, vno tantum anno præfuit: ac priuatus in sancta humilitate conquiescens, sub annum quinquagesimũ quartum vita placide decessit. Et quia eius est gloria non parua abbatum omnium fuisse antesignanum, non abs re fuerit eos hic subijcere.

ABBATES VILLARIENSES.

1. POst LAVRENTIVM abbas fuit
2. GIRALDVS.
3. FASTRADVS. Vtriusque suo loco meminimus.
4. ODELINVS cum septem annis pręfuisset, ad priuatam vitam redijt anno 1160.
5. VLRICVS: de quo alias.
6. GERARDVS omnibus virtutibus, sed abstinentia potissimum eminuit.
7. GVILIELMVS I.
8. CAROLVS.
9. CONRADVS.
10. GVALTERVS DE TRAIECTO.
11. GVILIELMVS II.
12. NICOLAVS.
13. ARNVLFVS; cujus & antecessorum virtuti locum dedimus.
14. GVALTERVS DE GELDONIA factus abbas anno 1250. post septem annos mortuus est in monasterio Walteri Braniæ & Villarium relatus.
15. NICOLAVS DE HARNVT anno 1258. successit,& eodem anno obijt.
16. IOANNES DE SENGERY annisquinque rexit.
17. BERNARDVS DE MONTE S. Guiberti. Dignitatem cum abdicasset, electus est postea in abbatem Grandis prati : & cum negotiorum causa Villarium petijsset,ibidem mortuus est.
18. ALMERICVS abbas primum in cœnobio Trium fontium, tum in S. Remigij, ac tandem Villarij. Hic ille est qui decem illa sacra corpora humo educta collocauit post summum altare, quę hodie sunt ante aram S. Bernardi.
19. ARNVLFVS GESTELE præfuit annis quinque & totidem mensibus: quem alias laudamus.
20. IACOBVS DE SOMALIA, de quo alibi dicimus.
21. ROBERTVS DE BOQVERY filius Ottiniacensis toparchię obijt anno 1183.
22. NICOLAVS DE GEST duci Brabantiæ fuit a confessionibus & consilijs, sanguineque propinquus. Anno præfecturæ quinto necdum complecto obijt.
23. RADVARDVS DE MECHLINIA ex abbate Loci S.Bernardi factus est abbas Villar.& tertio post anno rursum creatus abbas Loci S. Bernardi eo se retulit; ac denique Cistercij mortuus est in conuentu generali.
24. IACOBVS DE PLANCENOET grauissimis jactatus procellis, postquam annis sex laudabiliter præfuisset, dignitatem abdicauit.
25. IOANNES DE MALRE ex abbate Loci S. Bernardi factus est Villariensis.
26. IACOBVS DE PLANCENOET anno 1317. ad eam quam ante posuerat dignitatem reuocatus,denuo vt onere leuaretur obtinuit anno 1329.
27. GERARDVS DE MOSTIER vir integer & antiquæ simplicitatis, amari maluit quam timeri; Diuinum illud vsurpans: *Principem te constituerunt, noli extolli; sed esto quasi vnus ex illis.*
28. HENRICVS DE FAVX in Grande pratum antea missus ad abbatis dignitatem, ad Villariensem reuocatus est. Quam cum duobus mensibus tenuisset, ad priuatam vitam redijt.
29. DESIDERIVS DE BRIGODE corpore paruus, sed mente magnus, sui contemptor,& religiosæ disciplinæ seuerus obseruator, Villarij priorem primum egit; tum Henrico in Grandi prato succedere jussus est, ac etiam deinde Villarij; & tertio post anno diem obijt.
30. IOANNES DE BRVXELLA S. theologiæ doctor mortuus est anno 1333.
31. IOANNES DE STEENBERGHE anno 1334.
32. ALBERICVS DE GENAPPIA olim militiæ clarus, obijt anno 1347.
33. IOANNES DE FRANCA anno 1349.
34. NICOLAVS DE BRIGODE anno 1358.

35. MAR-

35. MARTINVS DE HOIO S. theologiæ baccalaureus, seuerus disciplinę propugnator, anno 1382.

36. IOANNES DE HOLE anno 1393.

37. OTTO magna laude rexit ad annum 1424.

38. ÆGIDIVS DE LOVANIO post annos nouem dignitatem abdicauit.

39. GERARDVS DE LOVANIO anno 1446. obijt.

40. GVALTERVS DE ASCHA Louaniensis.

41. FRANCO CALABER S. theologiæ doctor vita functus est anno 1485.

42. IOANNES DE CAMPERNOILLE.

43. IOANNES REGNALDVS DE MALLETO Burgundus S. theologiæ & canonici iuris baccalaureus, eloquentia morumque honestate cõspicuus, Lutetiæ collegium S. Bernardi rexit; tum abbas Villarij fuit, ac denique Megarensis episcopus.

44. DIONYSIVS A ZEVERDONCK iudicio ac eloquentia præstans, rerum tractandarum peritissimus, Carolo Cæsari percarus fuit. Mitræ vsum sibi posterisque obtinuit. Rerum bene gestarum domi forisque gloria clarus, Louanij decessit anno 1536.

45. DIONYSIVS DE SPINA nouem annis præfuit.

46. MATTHIAS HORTEBEECK Bonessiam annis 12. rexit insigni monastices incremento. Villarij abbas creatus in tuendum disciplinæ nitorem pariter incubuit magna prudentia parique fructu. Monachorum Dei laudes concinentium chorum magna constantia nudo capite frequentauit ad extremum vsque senium. Commissas sibi sacras virgines salutaribus consilijs exhortationibusque diligenter ad virtutem excitauit. Octogenarius denique obijt anno 1568.

47. FRANCISCVS DE VLEYSHOVWERE Bruxellensis obijt anno 1583.

48. ROBERTVS HENRION Gemblacensis mortuus est anno 1620.

Huic successit adm. R. D. HENRICVS VANDER HEYDEN Louaniensis, qui primum Villarij prior, tum Antuerpię ad S. Saluatoris fuerat, Hodie viuit tot clarissimorum præsulum non obscurus successor.

Die decimo nono

STEPHANVS

episcopus XXXIX. *Anselmus, Trithemius, Ægidius, Molanus, VVassebúrgius, Surius in S. Gerardo, Petrus Routrius, Barth. Gauantus.*

FVit Stephanus genere, sed magis religione scientiaque clarus. E Salmensibus comitibus oriundum aiunt: nisi quid etiam illustrius tribuendum videatur: regi quippe Francorum Carolo Simplici sanguine iunctus fuit. In Caroli Crassi regia cum S. Radbodo Trajectensi episcopo, & Mancione Cabilonensi litteris operam dedit, præceptore Nannone philosopho. Apud Mediomatrices deinde canonicus fuit in æde S. protomartyris: tum in agro Virdunensi Castellione ad S. Michaëlis creatus abbas, rem familiarem, sed asceticam maxime insigni gloria curauit. Anno denique nongentesimo tertio Leodiensem episcopatum iniit. *Genus.* *Per varios gradus* *fit episcopus Leod.*

Eius initium felicibus auspicijs illustrauit religiosa felixque restitutio Monasterij ad Sabim. Quod cum sacro suo cœtu viduatum fuisset metu Normannicæ vastitatis, splendori pristino, religionique restituit nobilis femina Ermengardis. Quo factum est, vt quod S. Fredegandi monasterium dicebatur, Ermengardis a multis appellari cœperit. Restitutę monastices autor & magister Ebroinus abbas, fautor & pręses Stephanus noster fuisse fertur. *Instauratur Monaste-rium.*

Hunc præterea non modice recreauit nepos ex sorore Gerardus egregius iuuenis, qui projecto sæculari baltheo, sacram prope Parisios ad D. Dionysij militiam sectari cogitabat: & priusquam proficisceretur, Leodium ad episcopum venit. Hic sancti iuuenis collau- *Eius nepos S. Gerardus*

DIE 19.
ANNO 913

collaudata mente illa heroica, hortatusque ad constantiam & fortitudinem Christo dignam, conceptis rite verbis nepoti feliciter precatus est. Qui post nouem annos sacris ascesios institutionibus probe exercitatus redijt, Dionysianorum monachorum dono secum asportans sanctas B. Eugenij martyris reliquias, quibus suum Bronium ornaret.

Affert Bronium corpus S. Eugenij.

Relicto Couinij nobili deposito, venit ad Stephanum, rem illi totam relaturus. Vt vidit nepotem audijtque episcopus, incredibili perfusus est lætitia. De recepto illo, & in alterum virum tam feliciter immutato ipse sibi gratulabatur: at suæ diœcesi multo magis quam adeo glorioso pignore nobilitatum veniret ille. Sanxit igitur, vt ex circumjectis agris omnibus, summa qua par erat veneratione, conueniret omnium colonorum multitudo; novumque illud suarum rerum præsidium per suos fines deducerent. Præcipua quadam religione paruerunt omnes, præeunte Adelhelmo archidjacono. Qui structis cleri populique ordinibus, quo solent ritu supplicantes, effudit se vrbe Fossensi obuiam tanto hospiti, deincepsque tutelari regionis illius, ac Bronium vsque deduxit.

De quo dũ dubitat Stephanus

Inuidit cacodęmon illos martyri triumphos: eosque (quod sane sæpius consequitur inuidiam) inuitus auxit. Nonnullos e clero, quos prudentia carnis justo plus extulerat, impulit vt episcopo suaderent, ne tantos aduenæ & ignoti illius sancti (ita loquebantur) honores pateretur, nisi prius eius sanctitatem maturo judicio haberet exploratam. Et ni leuitatis labe in re tam graui suum nomen inspergi velit, autores sunt, vt celebres illos populi concursus coërceat, qui vix ad aliquem apostolorum principem fierent: confluebat enim ingens multitudo, celeberrimis excita miraculis.

torminibus corripitur,

Passus aliquid humani præsul, cessit his argutijs. Decretum facturus, Fossis abit Leodium versus. Maloniam vix attigerat, diris ecce torqueri cruciatibus cœpit, quibus nullum vsquam inueniret solatium. Suggessit ipse, qui castigabat Deus, eam esse leuitatis pęnam, qua tam facile abduci se sineret in aduersam S. Eugenio partem, cujus gratiam apud Deum tam multa, si aliud præterea nihil, clarissime miracula comprobarent.

resipiscens liberatur.

Equis ergo citatis jubet properari, & ad sacras Eugenij reliquias binos cereos accendi tantos, quantum esset ipsius corpus: magna pollicitus insuper, si consequeretur sanitatem. Consecutus est porro integerrimam, statim atque absumti fuere lucendo cerei. Nullum episcopo poterat esse sanctitatis argumentum certius.

Quare proxima, quam Leodij habuit synodo, sanxit, totiusque cœtus suffragijs confirmari voluit, vt dies S. Eugenij natalis haberetur festus tota illa regione, quam *decania*, vt loquuntur, Broniensis complectitur. Ipsam vero Broniensem ecclesiam ab omni sportula lustranti suam diœcesim episcopo pendi solita, in omnem futuram ætatem esse voluit immunem.

Auget rem ecclesiæ.

Ecclesiæ rem auxit non paruo incremento. A Ludouico rege Germaniæ obtinuit, Herimanno Agrippinensi archiepiscopo, clarissimisq; alijs principibus suffragantibus, autoritate regia vt haberet rata, confirmaretque quęcumque ecclesiæ Leodiensi priorum imperatorum munificentia concessisset, aut dedisset ipse. Dederat autem Heriboteshemium, & telonij monetęque jus Trajecti. Impetrauit præterea, Tectensem vt siluam, & S. Romualdi abbatiam S. Lamberto donaret Carolus Simplex; quem eius cognatum fuisse diximus.

Scribit Officium S. Lamberti

Vides munificam illius ętatis religionem! Excitatam equidem arbitror vel prodigijs a S. Lamberto frequentius perpetratis, vel splendore aliquo eximio disciplinæ canonicæ in amplissimo illo collegio; vel certe vtroque. Celebratam esse miraculorum frequentiam testatur Ægidius. Quibus cum excitata multitudo concurreret ad S. martyris venerationem; accidit aliquando vt a sciolis quibusdam rideretur stili simplicitas, quo descripta B. Lamberti vita publice sub nocturnas preces festo eius die de more legeretur. Diluendam illam notam sumsit Stephanus; & cultiori oratione res a B. martyre gestas describere conatus est. Diuinorum quippe humanorumque insigniter peritus, plura minime spernenda posteritati reliquit suæ sapientiæ monumenta.

& S. Trinitatis a tota deinde ecclesia vsurpatum.

Sed eximiam eius religionem nihil magis prodit, aut æque famam meretur, ac *cantus de Trinitate, quo in octauis Pentecostes vtimur*; vt loquitur Trithemius. Certe Petrus Rouerius e Societate IESV scriptor eruditus & Bartholomæus Gauantus aiunt hunc episcopum concinnasse officium S. Trinitatis, quod eius successor Richarius duodecimo post anno in mores ecclesiæ Leodiensis inuexerit, & vniuersa deinde ecclesia post quadringentos ferme annos amplexata sit: illustri profecto hujus diœcesis gloria, quæ religioso huic instituto dederit initium.

Post

Post Leodiensem ecclesiam annos decem & octo gubernatam vita defunctus est XIV. Kalend. Iunias anni nongentesimi vigesimi. Sepulcrum delegit in crypta S. Lamberti, supra quod post annos duodecim ne tam gloriosi facti olim interiret memoria, aram posuit Richarius episcopus & sanctissimę TRINITATI dicauit. DIE 19.

Die vigesimo secundo
HILSVINDIS
abbatissa Porcetensis. *Cæsarius.*

PAtrem habuit Aquis autoritate & opibus clarum: sed illam Deus ad aliam claritudinem a teneris annis inuitauit. Cum enim matrem sæpe comitaretur in montem S. Saluatoris, vbi Cisterciense gynæceum erat, monasticam vitam desiderare cœpit, matremque rogare vt id per eam liceret. Ingressa clam aliquando per fenestram parthenonis septa, quam forte monasticam vestem inuenerat, induit, virginibusque se adiunxit Dei laudes in templo concinentibus. Quod vt accepit mater jam abitura filiam reuocari præcepit. Ad clathra, vbi cum externis sacræ virgines colloqui consueuerant, stitit se filia; affirmauitque sibi jam ceteris aggregatæ egredi nequaquam licere. At mater: Mecum jam domum redi: daboque operam vt volente patre, optatis postea fruaris. Acquieuit filia, & cum matre abijt.

Sed aliquanto post cum nihil mater effectum daret; atque ignara, imo dormiente filia, rediisset ad montem: illa vt primum expergefacta matrem abijsse sensit, suspicata quod erat, montem conscendit; denuoque per eamdem fenestram in parthenonem se penetrauit; matrique euocanti negauit sibi vt prius illudendum. Indignata mater domum regreditur, & in filiam virum concitat. Aduolat hic collecta familiarium manu, perruptisque cœnobij septis abreptam filiam ad se reducit, & necessarijs commendat, vt proposito abducatur. Multis hęc grauiter tentata, cum necdum nonum ætatis annum expleesset, suam causam egit tanta prudentia, vt omnes obstupescerent. Ac deinde cum causam cognouisset Hugo Petrapontius episcopus Leodiensis, & patrem ceterosque qui facta vi ecclesiæ immunitatem violarant, anathemate damnasset, cœnobio restitui virginem imperauit.

Monasticen igitur professa vbi per annos licuit, ita se virtutibus exercuit, vt cum anno millesimo ducentesimo vicesimo secundo totus ille virginum cœtus e monte S. Saluatoris migraret Porcetum, quod viri antehac incoluerant, ipsa ceteris preesse jussa sit. Idque muneris sustinuit tanta morum integritate, vt dum vixit, atque adeo post mortem miraculis claruerit.

Die vigesimo tertio
S. GVIBERTVS
conditor Gemblaci. *Sigibertus, Molanus.*

REgia stirpe procreatus fertur Guibertus in agro Germiensi, qui hodie Gallicanę Brabantiæ pars est. A puero vitam egit adeo religiosam, vt Christo jam tum militare potius quam mundo crederetur. Cum anno nongentesimo vicesimo in episcopatū Leodiensem sacrilega nūdinatione Hilduinus quidam irrepsisset; summis precibus apud regem Carolum Simplicem contendit Guibertus pro suo in sacra omnia studio, ne sanctissimam ecclesiam tanta turpitudine pollui pateretur. Eam suæ virtutis existimationem regi conciliauerat, vt neminem illa dignitate censeret ipse digniorem. Nam præter generis claritudinem, nullis quidem sacris initiatus, vitam agebat adhuc laicam, sed omni virtutum ornatu spectabilem nullique sacro muneri imparem. Pro sua tamen modestia vix tandem euicit, vt sibi relinqueretur. Laicus dignam episcopatu vitam agit.

Non multo post posito militari baltheo, militiam aliam sequi, multoque sanctiorem instituit, vt abjectis vitę profanę impedimentis, ad altiora liberius aspiraret. Post illustrem tanti episcopatus contemptum, parum se fecisse credidit, nisi & paternam exueret heredi-

DIE 23. hereditatem. Gemblacum Numini consecrare placuit. Ascet erium ergo construxit anno vicesimo secundo, sustentandisque monachis omnem attribuit hereditatem. Pios nepotis conatus complexa amantissime, suis & ipsa juuit opibus auia Gisla, studiosissima religionis omnis princeps femina. Monasticę vero disciplinæ cura nihilo posterior Guiberto fuit. Virum eius peritissimum nactus Erluinum nomine, nouello cœnobio præfecit, quod summa gnauitate industriaque Benedictinis legibus excoleret.

Gemblacum construit

Quam curam cum in ipsum prouide rejecisset, speméque videret non modicam religiosi illius seminis feliciter pullulantis; ipse sanctę solitudinis, simul & euangelicę humilitatis amore Gorziam secessit, cœnobium inter Mediomatrices religione celeberrimum. In quo monasticen professus, vitam instituit ab omni terrenorum contagio segregatam.

Gorziæ fit monachus.

Hujus quietem & felices Gemblaci successus interpellauit maleuolorum inuidia. Ita fere dæmon pijs sanctorum hominum consilijs impedimenta quę potest obijcere consueuit. Venerat Leodium imperator anno quadragesimo sexto, quando Guibertum accusarunt nonnulli quod nulla ab Augusto potestate facta cœnobium cōdidisset, & ei neglectis legibus opulenta addixisset prędia. Iussus causam dicere Guibertus, cum sodalibus adfuit. Et ad imperatoris pedes prouolutus rogauit, ne Cæsarea potestate abuteretur ad premendos pauperes Christi famulos, quos sibi persuasum haberet imperio suo non minus præsidio futuros suarum precationum vi, quam opibus ferroque ceteros clientes. In manu eius esse piam aliorum munificentiam vel verbulo suam facere. Ratum id apud Deum reuera futurum, si quod ære prędijsque suis alij fecissent, ipse diplomate Cæsareo confirmaret. Valuere apud religiosum imperatorem Ottonem Magnum vel rationes, vel nouelli seminarij fecunda sanctitas. Omnem enim donationem Gemblacensibus factam probauit. Et super hæc fecit potestatem liberis suffragijs legendi tutorem siue aduocatum, & abbatem, munitiones exstruendi, mercatum condendi, cudendi monetam. Gemblacum ipsum immune jussit esse ab omni seruitute, portorijsque toto imperio pendendis; soliusque regis fide, ac tutela defendi. Sic autoritate Cęsarea fulciendam censuit religionem pius imperator; aut potius nullo firmiori adminiculo sustinendam imperij majestatem, quam defensa ornataque religione.

Obtinet Gemblacum confirmari a Cæsare

Nobilitatum est sub idem tempus meliore pignore Gemblacum. Sacrum enim corpus B. Exuperij, qui signifer fuit gloriosissimæ Thebæorum legionis, impetratum a Guiberto est, & Gemblaco donatum. Anno deinde quinquagesimo quarto cum Hungari Lothariense regnum aggressi, Mosam transmisissent, Hasbaniam rapinis & flamma populaturi, nobile facinus ausus est Guibertus. Sęuientibus enim immani crudelitate barbaris, occurrit vir Dei non clypeo vel galea tectus, sed tantum gladio verbi Dei accinctus, & paratus bibere calicem Domini, & ponere animam pro fratribus. Sanctum conatum Deus juuit. Apostolica facundia nonnullorum barbarorum rabiem ita demulsit, vt abjurata diaboli militia, ad meliora Christi signa transierint.

& ornat sacris reliquijs.

Nonnullos Hungaros adducit ad meliora.

Religiosæ quietis, & sui demittendi gratia Gorziam denuo secessit; & puram eximia innocentia cum vitam egisset, anno tandem sexagesimo secundo feliciter suum diem obijt X. Kal. Iunias. Memorandum illud accidit. Carissimum suum parentem Gemblacenses filij obtinuerant vt domum referrent, perpetuum posteritati calcar ad virtutem futurum. In itinere jam erant, quando Gorziensis plebs indignata spoliari se tanto ornamento, magno tumultu persequitur abeuntes, vim factura. Verum Gemblacēsium causam Deus propugnauit. Subito enim coorta tempestas horrenda nigris tenebris, intermicante fulgure, tonitruumque vel fragore Gorzienses ab incœpto itinere deterruit. Gemblacenses nullo incommodo perrexerunt, & magna suorum gratulatione Gemblacum intulerunt optatam gazam, & in æde seruatoris nostri, sanctique Petri deposuerunt.

Gorzię mortuus

non sine prodigio

refertur Gemblacum.

Sub finem alterius sæculi multis inclarescere miraculis cœpit. Atque adeo nonnullis significauit Deus, suæ mentis esse, vt sanctorum honores publice Guibertus acciperet. Quare prouincialium omnium calculis censuit metropolita, vt in auras proferretur sacrum corpus. Protulit Obertus Leod. Episcopus anno post millesimum centesimum decimo, IX. Kalend. Oct. eumque triumphum celebrauit Deus innumeris miraculis.

Sed potiorem eius gloriam duco a religiosissima sobole, quam in Gemblacensi monasterio jam inde a tot sęculis magno ecclesiæ bono producit.

ABBA-

ABBATES GEMBLACENSES.

1. Erlvinvs ab ipso S. Guiberto designatus abbas primus, à nobis suo loco celebratur. Obijt post annum 982.
2. Heriwardvs obijt circiter annum 986.
3. Erlvinvs II. rexit annis viginti tribus.
4. Olbertvs (quem alias laudamus) obijt anno 1048.
5. Misach cognomento Mathelinvs non sanguine magis Olberto, quam virtute junctus, præclare rexit, & mortuus est 1071.
6. Tietmarvs antecessoribus haudquaquam impar obijt 1094.
7. Liethardvs vir vt magni judicij, sic & virtutis admirabilis: in cujus commendationem lagunculá plurimis mortalibus ita vinum suppeditauit, vt plena nihilominus inuenta sit. Mortuus est abbas 1106.
8. Anselmvs eximia scientia, felici memoria, virtuteque nihilo inferiore præditus suam Spartam excoluit annis 23.

Interregni tempore cum bellum arderet inter ducem Louaniensem comitemque Namurcensem; & hostilibus flammis oppidum Gemblacense conflagraret, exundans repente fluuiolus insigni prodigio flammas a monasterio arcuit.

9. Arnvlfvs vir magnus, Romæ consecratus abbas, pluribus ecclesię concilijs interfuit; obtinuitque vt monasterij prærogatiuæ ac priuilegia confirmarentur: ac multis donatus est reliquijs. Hoc abbate venit Gemblacum S. Bernardus; hodieque visitur ibidem eius vestis sacerdotalis. Obijt Arnulfus circiter annum 1155.
10. Petrvs obijt sub annum 1156.
11. Odo quamdiu rexerit, ignoratur.
12. Ioannes aduersa multa passus obijt sub annum 1195.
13. Gvibertvs Martini vixit doctrina sanctitateque spectabilis, sed in primis desiderio iuuandi mortales ad consequendam salutem. Eo consilio non pauca conscripsit, nonnulla etiam ad S. Lutgardem, quæ in vicino Aquiriensi parthenone viuebat. Florinas euocatus ad abbatis dignitatem præfuit annis quindecim, vel vt alijs placet viginti. Creatus abbas Gemblacensis magna laude gubernauit annis decem: seseque comparaturus ad mortem cum pedum posuisset circiter annum 1206. biennio post obijt cælo maturus. Sacerdos vixerat annos sexaginta tres.
14. Gvilielmvs antecessore non facile inferior, sacris reliquijs nouisque priuilegijs suum monasterium auxit. Interfuit concilio Lateranensi. Mortis eius annum ignoramus.
15. Henricvs cum laude abbatem egit; obijtque sub annum 1233.
16. Arnvlfvs.
17. Gvilielmvs.
18. Godefridvs Magnvs.
19. Ioannes II. e monacho Gemblacensi creatus abbas primum Afflighemiensis, tum etiam Gemblacensis; vtramque dignitatem deposuit desiderio priuatæ vitæ & religiosæ quietis, sed incertum quo anno, quemadmodum & quo obierit.
20. Ioannes de Bronio religiose gubernauit, & mortuus est 1259.
21. Radvlfvs rem familiarem auxit, & vt in pauperes multa liberaliter erogarentur, insigni caritate constituit: obijtque sub annum 1268,
22. Arnvlfvs de Castris insigni virtute, animi magnitudine, facundiaque clarus, principibus placuit. Obijt 1300.
23. Godefridvs post administratam optime prouinciam mortuus est 1323.
24. Arnoldvs de Rosiers postquam admodum religiose præfuisset, pedum sua sponte posuit, mox & vitam anno 1346.
25. Lambertvs de Virovl ecclesię suæ libertatem generose defendit: mortuusque est 1378.
26. Nicolavs de Rippemont obijt 1400.
27. Ioannes del Barre obijt 1421.
28. Ioannes de Walhanio genere simul & virtute inclytus obijt 1440.
29. Lvdovicvs d'Ognies a Sombref acceptam a majoribus nobilitatem

litatem propria virtute illustrauit; monasterijque ędificia, sed magis religiosæ disciplinę integritatem instaurauit: mortuusque est 1457.

30. OTTO DE DAVE ex Mirmont voti religione obstrictus apostolorum limina secundo quoque anno visere solitus, religiose præfuit, & mortuus est 1477.

31. IOANNES DE CARNIERS varia obtinuit a pontifice priuilegia, sed & maxima damna passus est a finitimis graui bello dissidentibus. Obijt 1495.

32. IOANNES DYTTRE obijt 1500.

33. OTTO DE VIVARIO eodem anno mortuus est ipso natali Christi Domini.

34. ANTONIVS DE BOSSIMES quinto mense postquam creatus fuerat abbas, Louanij obijt 1501.

35. ARNOLDVS DE SOLBRECQVE a nobis suo loco laudatus obijt 1511.

36. MATTHÆVS DE FLOREFFIA quam didicerat ab antecessore disciplinæ integritatem, constanter & religiose retinuit, & rogante suffraganeo Tornacensi in Flandriam per suos inuexit. Majora meditantem mors sustulit anno 1517.

37. ANTONIVS PAPINVS pari cum prioribus diligentia monastices nitorem coluit, rogatuque complurium abbatum in Belgio propagauit. Obijt 1541.

38. ARNOLDVS DE MONTE obijt 1549.

39. BERNARDVS DE FORIER, magno sui contemptu, temperantia, in pauperes pietate, ac liberalitate, virtutibusque alijs conspicuus, magna laude præfuit & mortuus est 1557.

40. LAMBERTVS HANCART multa præclare fecit & passus est. A Geusijs direptum est monasterium, ipsumque adeo S. Guiberti conditorium. Nouum magno sumtu procurauit abbas, & cum magna polleret prudentia, Brabantinę nobilitatis rogatu profectus est in Hispaniam cum rege de publicis rebus tractaturus. Obijt 1578.

41. IOANNES CAVEREL monachus Vedastinus obijt 1582

42. LVDOVICVS BOMBECH magna laude munus gessit & mortuus est anno 1609.

43. PHILIPPVS CLOCMAN S. Vedasti monachus, judicio, eruditione, prudentia, omnibus summis æque ac imis percarus fuit. Munere laudabiliter perfunctus est, monasterijque prærogatiuas Pontificum, Cæsarum, regis Hispaniæ, serenissimique archiducis Alberti diplomatibus cõfirmari obtinuit; & mortuus est anno 1625.

44. CAROLVS DVRSEL obijt 1635.

45. Hodie dignus Gêblaco pręsul magna virtute prudentiaque & œconomiæ laude regit adm. Reu. D. GASPAR BENSELLE: cujus sanctis votis Diuina pietas aspirare dignetur.

Die vigesimo quinto

S. ADILIA

soror S. Bauonis.

DE hac sancta præter eius fratrisque nomen, ac diem mortis nihil ad nos transmisit antiquitas. Neque de sacro eius corpore quidquam amplius habetur; nisi hæc ea, sit Adilia, quæ Orpij colitur. De qua dicemus vltimo Iunij.

Die vigesimo sexto

S. SYMMETRIVS

presbyter & martyr. *Manuscr. Leod. Molanus.*

HVnc aiunt Albanæ nobilis matronæ filium esse, quem subita morte extinctum S. Eucharius S. Materni socius Treuiris ad vitam reuocauerit, & sextum deinde Salmensem comitem fuisse.

Circiter annum 160. De eo constat: cum Romæ in æde, quam apud Praxedem Pius Pontifex dedicarat, sacris

ſacris operaretur, captus eſt cum alijs viginti duobus & ſecuri percuſſus mandante Antonino Pio Auguſto. Quorum corpora collegit Praxedis & ſepeliuit VII. Kal. Iunij.

Babolenus Stabuleti abbas Romam profectus, obtinuit vt S. Symmetrij corpus liceret in Auſtraſiam deferre: collocauitque Ladernaci hac lege, vt quotannis VII. idus Maias Stabuletum deferrent Ladernacenſes, ibique præſcriptum clientelæ ſymbolum penderent. Eo loco S. Symmetrium conſtat miraculis claruiſſe. ANNO 675.

Die vigeſimo ſeptimo
S. FREDERICVS
epiſcopus LVI. & martyr. *Ægidius, Hiſtoria per Leod. clerum, Molanus.*

CAPVT I.

Fortiter ſtat pro Romana ſede. Futura mirabiliter intelligit.

FVit Fredericus comitis Namurcenſis frater, & præpoſitus Leodienſis. De quo pauca pro virtute ſcripta ſunt.

Cum diē obijſſet anno milleſimo centeſimo vndeuiceſimo Obertus epiſcopus, cōuerſa ſunt ordinum conſilia ad dicendum ſucceſſorem. At Godefridus Barbatus Louanij dux cum alijs pluribus e prima nobilitate Alexandrum archidiaconū prępoſitumque S. Pauli, & B. MARIÆ Hoienſis cohortatus eſt ne dubitaret omni conatu ad epiſcopatum cōtendere: ſuas & fœderatorum vires ei præſto futuras. Quo fretus pręſidio Alexander ad Henricum Cæſarem adit, quamquam ab eccleſia rejectum. Vtque ſcelere ſcelus cumularet, ſepties millena argenti pondo appendit. Illum epiſcopatu donauit Henricus, pedoque ac anulo traditis in poſſeſſionem immiſit. Alexander impie epiſcopatum ineunte

Leodienſi eccleſiæ ſchiſma & auulſio a Romana ſede offerebatur: verum ſtetit fortiter pro parente filia. Fredericus enim nullo Cæſareæ majeſtatis metu, propoſito intrepide edicto ſanxit, reciperet vt nemo, quem epiſcopatui profanus homo, & ab eccleſia reuulſus inauguraſſet. Obtemperatum eſt. Duo tamen cleri collegia Alexandri præpoſiti ſui cauſam non rejecerunt.

Deducente igitur Godefrido Barbato & reliqua factione, templum init Alexander, autoritate Cæſarea principatum occupaturus. Infauſtum omen exiſtimarunt plerique, quod æs campanum more majorum pulſare non potuerit, dirupto in manibus fune.

Probum quemdam virum Franconem e profano tum ordine (monaſticen amplexatus eſt poſtea) miſit Fredericus; qui ceu aliud agens in templo, diſpiceret a quibus deduceretur Alexander. Arcanum ille locum occupat: cum ecce ſubintrans anachoreta quidam, duabus caprarum pellibus a pectore & tergo amictus, crine longo, prolixa barba, toto corpore hiſpidus, Franconem conuenit: Salue, inquiens, frater. Siluit ille ſtupore, quiſnam eſſet ignarus. Cui ille: Scio, inquit, ignoras me: mihi tamen tu non es ignotus. Itaque audi verbum Domini. Miſſus ſum a Deo futurorū omnium tibi nuntius, vt tu ceteris. Illi, qui epiſcopum agens nunc ingreditur, certum habeto nihil proſpere ceſſurum: abdicare cogetur. Elegit ſibi Dominus alium; qui breui quidem tempore epiſcopatum tenebit, ſed multa fortiter Dei, eccleſiæque cauſa ſuſtinebit. Teſtabitur Deus poſt mortem multis prodigijs promeritos cęlo triumphos. Succeſſorem habebit genere potentiaque illuſtrem virum; cujus initijs felicitas primum aſpirabit; ſed illum mox deſeret, proſtituetque contemptui. Qui denique tertius ſubrogabitur, multa quidem pollebit humanarum rerum cognitione, ſed & epiſcopatum abdicare cogetur. E conſpectu his dictis abijt anachoreta. Neque cunctatus Franco, ad prępoſitum redijt quę viderat, quæve audierat, nuntiatum. Miſit quamprimum ille, qui quæreret eremitam. Fruſtra laboratum eſt: inueniri non potuit. Vaticinio tamen ſua veritas conſtitit. Vaticinium editur de Frederico & ſucceſſoribus.

Digitized by Google

CAPVT II.

Episcopatum religiose auspicatur, tueturque fortiter.

VBi profanam Alexandri inaugurationem accepit Fredericus archiepiscopus Coloniensis, sua metropolitæ, itemque summi pontificis autoritate Leodiensibus inhibuit ne parerent Alexandro. Cui cum secundo tertioque dies dictus esset, nec venisset ad causam dicendam, in suffragia jussit iri archiepiscopus. Et quia Leodij nulla haberi potuerant comitia, obturbante libertatem Barbato cum sua factione; Coloniam itum est. Vbi insigni animorum consensione episcopus Leodiensis renuntiatus est Fredericus S. Lamberti præpositus.

Creatus episcopus

Qui quod altiore quadam autoritate sibi opus esse intelligeret aduersus Augusti potentiam: qui nitebatur tum temporis vniuersis viribus tueri jus & potestatem non modo designandi, sed etiam in possessionem inducẽdi præsules ecclesiæ; Rhemos contendit. Hic Callistus pontifex maximus synodum habebat quadringentorum viginti sex præsulum, quibus vtendi pedo facultas erat, præter innumeram aliam vtriusque ordinis multitudinem. Consilium erat, Henrici tyrannidem reducere ad rectam rationem, & ecclesię libertatem asserere.

a pontifice confirmatur.

Damnato mox omnium sententijs Alexandro, consecratus est ab ipso Callisto Fredericus. Qui cum plus oneris in imposito munere, quam honoris, clare perspiceret sapientissimus præsul, sanctis operibus episcopatum auspicari constituit. Rhemis Leodium vsque nudatis pedibus totum iter emensus est.

Ann. 1120.

Erexere se tantum nacti caput, qui fide Romano pontifici seruata, in Alexandri partes non concesserant: episcopoque suo venienti structis ordinibus supplicantium ritu processerunt obuiam vniuersi e clero populoque, magna læti animi significatione. Non cedebant Alexandrini: & quam æquitate legumque præsidio destitutam labare sentiebant, sustentandam armis suam factionem censuere; atque adeo Hoiensem arcem occupauere. Vbi illos nulla æqui reuerentia moueri vidit Fredericus, ijs interdixit sacris sua præsulis autoritate: & quo pondus adderetur, ratum id a metropolita haberi, atque adeo a summo pontifice obtinuit.

Repugnantes aduersarios

Verum timori minime sunt, quæ sanguinem tela non hauriunt. Igitur ad arma se conuertit. Paratis omnibus ad instituendam obsidionem, Hoium duxit. Excepere venientem patentibus portis oppidani, episcopi sui imperata facturi. In arcem ergo vires omnes conuertuntur. Conjurati pro Alexandro principes promissis stetere, dictoque die auxilia adduxere. Triumphauit de aduersarijs Fredericus: quorum multis cæsis captisque, ceteri in fugam effusi sunt. Dissipato suarum virium robore, delusam ambitionem, impietatemque debellatam agnouit Alexander, & pacem petijt. Dedit Fredericus, posita lege, vt illatum ecclesiæ bellum publice expiaret.

ferro ad officium cogit.

CAPVT III.

Veneno sublatus, miraculis celebratur.

VIcta Diuinæ pietatis auspicijs impietas non quieuit: & dum nocendi mille artes pertentat, virtuti auget triumphum. Fredericus odijs hostium, insectationibusque, ac diris molestijs, diu & generose conflictatus, pro tuenda ecclesię libertate aduersus impietatem Simoniacam, nobilem adeptus est victoriam. Propinatum clam ei venenum, cum lente per venas diffunderetur, impatientes moræ, scelus iterarunt impij. Secundo mortem bibit innocentissimus pręsul. Dolor inualuit: virus per singula membra pererrauit; excussit alterum oculorum, alterum extinxit. Cerneres omnibus venis inflatam cutem, & vtris instar extensa vitalia. Nobilem victoriam dedit ea pugna. Tantæ fortitudini impar erat futura omnis laurus, nisi quæ ab ipso Deo daretur. Victor ergo cęlum conscendit posita corporis sarcina VI. Kal. Iunias anni vicesimi primi, beata donandus æternitate.

Veneno sublatus

Suos etiam in terris honores inuictæ martyris fortitudini decreuit Deus, compluribus miraculis ad eius sepulcrum perpetratis: quæ ab alijs descripta, breuitatis studio prætерimus.

Digitized by Google

rimus. Indignam se tantis præbuit beneficijs posteritas; quę gloriosi præsulis martyrisque eam passa est irrepere obliuionem, vt neque sepulcrum eius, olim tot miraculis celebratum, hodie notum sit. At certe qui euangelicæ illius fortitudinis spectatores fuerunt, voluerunt esse & præcones. Res ab ipso constanter & religiose gestas, sed gloriosum in primis eius certamen pro ecclesiastica libertate, litteris consignarunt; vtque sua virtuti esset gloria, sparserunt per orbem Christianum, aut certe voluerunt. Conatum destituit felicitas: mansit res in obscuro. Conscriptum commentarium nuper eruit ex Alnensi bibliotheca Molanus, perstrictamque paucis historiam publico dedit. Illi præfixam, ait fuisse hanc inscriptionem: *Omnibus S. ecclesiæ catholicæ filys, fideles qui sunt Leodij.* Eius exemplum etiam Leodij seruant Laurentiani.

DIE 27. Prodigijs claruit.

Die vigesimo octauo

IOANNES VALENRODANVS episcopus LXXX. *Zanflietus, Stabulaus, Brustemius, Suffridus.*

FVit Ioannes Valenrodanus patria Franco, illustri natus genere, marchionibusque Badensibus sanguine propinquus, sacri juris & profani peritissimus: sed clarius ei decus fuit a virtute. Quo nomine carus fuit in paucis Martino V. pontifici Maximo. Constantiæ hic concilium habebat anno post millesimum & quadringentesimum duodeuicesimo, quando Leodiensem episcopatum abdicauit Ioannes Bauarus. Quæsijt igitur pontifex in celeberrimo illo Christiani orbis conuentu prouidum pastorem, qui illam ecclesiam tristissimis cladibus tantum non perditam recrearet morum integritate, moderatione imperiorum, ac consiliorum sapientia. In primis occurrit vnus & placuit Valenrodanus. Rigensem archiepiscopum fuisse Suffrido placet; equitem ordinis Teutonici, mauult Stabulaus. In frequentissimo illo Christianæ sapientiæ theatro prudentiam, eruditionemque suam non leuibus argumentis sæpenumero probauerat: eique multa non leuia crediderant concilij patres. Orationem in Wicleffum ab illo habitam superesse, Brustemius affirmat. Verum splendore virtutum multo magis oculos omnium, maxime pontificis perstrinxerat. Qui ea de causa tantum virum IV. nonas Maias ecclesiæ Leodiensi donauit: consecratumque præsulem mox dimisit ad gregem curandum.

Clarus in concilio Cõstantiensi

episcopus creatur.

Post duos menses Leodium veniens Valenrodanus, magnam felicis administrationis spem omnibus injecit. Quæ solent principes beneuolentię signa testari suæ inaugurationis die; hoc vnum ab episcopo & principe suo beneficium populus, flagitauit, vt quam immani ciuium strage Bauarus libertatem ademerat, ipse restitueret. Fuere qui dissuaderent: non audijt episcopus. Datum olim a sapientioribus Roboamo consilium prætulit: *Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia; erunt tibi serui cunctis diebus.* Indulsit ergo perhumane populo priscum publicæ rei statum. Quam caram populus libertatem habebat, tam sui principis humanitatem extollere, venerari, amare cœpit, ad omnem eius se nutum conformare, omne discrimen eius causa contemnere.

Beneuolentia subditos sibi cõciliat

3. Reg. 12. 7.

Aiebat scilicet Valenrodanus, imperia illa firmissime stabiliri, quæ amore potius starent, quam metu: & altius in animos subditorum descendere amati principis exempla, quam exosi edicta cum flammis & ferro proposita. Quare populum prioribus primum bellis, deinde etiam odio in victores ferocem, ad cultum humaniorem, religionis in primis studio reuocandum existimauit. Totius enim reipublicæ firmissimam basim, munimentum inuictissimum, nobilissimum ornamentum esse religionem cum censeret, eam ipse pręcipua cura colere cœpit, vt exemplo suo clerum ad illam inhortaretur, & ad eamdem deinde populum vna ambo pellicerent.

tum religionis cura

Statis precibus in templo concinendis assiduus erat: nec detrectabat ipse vices a ceteris obeundas. Ascendentis in cælos virginis festo die sacris operatus est in S. Lamberti ritu pontificio. Clero longe iucundissimum, totique populo fuit hoc spectaculum, ab annis triginta prorsus inuisum. Iterauitque die natali seruatoris, quando & in nocturnis pre-

 cibus,

DIE 28. cibus, nonam lectionem ipse cecinit; & episcopi ornatu sacrum solemni hora celebrauit. Vix enim, quod prioribus episcopis frequens fuerat, vsurpari patiebatur, vt quando vires ferrent, eius vice suffraganeus sacra perageret, Confirmationis sacramentum impertiretur, adolescentes in clerum attonderet, adultos admitteret ad sacros ordines: ijs ipse muneribus defungi gaudebat, quę prima sui episcopatus munera appellaret.

Secunda tum ei cura fuit prospicere vt sincero publici boni studio, sapientia, integritateque polleret, quos ipse publicis gubernaculis admouisset. Tales esse volebat, quos in sacros profanosve judices, quos pręfectos, prætores, aut alios justitiæ ministros ipse designarat. Precibus ergo vel pretio nullum relinquebat locum. Vnica virtutis valebat cōmendatio. Nec satis hæc erant prouido principi. Iudicijs non infrequenter volebat interesse, quo si quæ notasset eorum vitia, tolleret. In primis vero caueri jubebat, vt in illis amicitiarum, opum, sanguinisve, aut dignitatis vlla ratio ne haberetur; at solius æquitatis. Sane cum aliquando pro tribunali sederet, audissetque equitem cum femina quadam vidua judicio contendentem, quam gratia multo potentior obruturus videbatur, palam eum redarguit: & seuera castigatum oratione meminisse jussit equestris esse ordinis viduas & pupillos ab omni injuria protegere. Ita rempubl. ad statum longe florentissimum sibi pollicebatur reducendam, si religione potissimum & justitia sustineretur.

& judiciorū integritate.

Verum dignissimum immortalitate principem Leodiensibus tantum ostendit Deus. Feliciores quam peccata mererentur, erant futuri, propria hęc si dona fuissent. Post actos in episcopatu menses decem, & pauculos dies ad æterna sanctissimorum suorum consiliorum præmia transijt V. Kalendas Iunias. Diem Iouis proxime lapsum, quem Christo in cælos ascendenti ecclesia hoc anno consecrabat, Alkenij in ædibus Ioannis Bareti, viribus integris, hilarique animo egerat: postero mane lethali correptus est ægritudine, qua dominico die sequenti sub meridiem e medio sublatus est. Sunt qui veneno perijsse suspicentur. Stabulaus tamen & Zanflietus, qui scriptarum a se rerum spectatores fuere, nihil eius meminerunt. Leodium corpus relatum est, & ante aram principem in S. Lamberti situm. Vir sanctus fuit (aiunt Meierus & Crantzius) & dignus sane sæculo meliore, ac prisca sanctorum virorum ætate. Suffridus vero: Ad finem vsque vitæ, cum in sacris tum in profanis regendis ita se gessit, vt cum primis Leodiensis ecclesiæ fundatoribus episcopis facile comparari possit.

ANNO 1419.

Moritur.

Die vigesimo nono

NICOLAVS

abbas XII. Villarij *Historia abbatum & chronicon Villar.*

ANN. 1130. IN Claro maresco prior cum insigni religiosæ disciplinæ studio celebraretur, Villarium euocatus est ad abbatis dignitatem. *In cujus regimine* (quemadmodum testantur in hæc verba Villarienses) *sancta illa congregatio mirifice floruit, tanti viri instructa disciplinis, & eius sanctæ conuersationis exemplis informata. Erat namque venerabilis abbas honestate & bonitate conspicuus, patientia & caritate celeberrimus. Cujus verba & facta erant discretione condita; ita vt per mores honestos, & gestus corporis ordinatos, ab omnibus credebatur, quod Deus veraciter in eius cordis thalamo habitaret. In diuinis autem obsequijs & disciplinis regularibus vigilantissimus fuit, omnibusque virtutibus refulsit, angelicam conuersationem inter monachos ducens. Cumque per quatuor annos pijssime præfuisset, eius sanctissimam animam de vita hujus ergastulo Altissimus misericorditer liberauit, vt eius beato consortio in cælesti patria frueretur.*

IVLIA-

Digitized by Google

Die trigeſimo primo
IVLIANVS
Minor Leodij. *Tranſmoſanus*, *manuſcr. Leod.* & *Minorum.*

E Primis S. Franciſci Aſſiſiatis ſodalibus fuiſſe fertur. Leodium quando venerit, proditum non inuenio: ab illo tamen adductos primitus exiſtimo Minores. Qui cum ad Moſæ ripam in inſula non procul cœnobio S. Iacobi, loco, qui Treſtes appellatur, ſedem elegiſſent, exſtructum ab illis templum dicauit Ioannes Apianus epiſcopus anno poſt milleſimum & ducenteſimum trigeſimo primo. Verum habitationem ad obeunda ſua munia minus idoneam cum deinde deprehendiſſent, ad locum vrbe media ſitum, foroque imminentem, inſtitutis ſuis aptiſſimum migrarunt. Templum dicauit Robertus epiſcopus anno quadrageſimo quarto: ſuaſque felicis animæ exuuias breui poſt eodem loco depoſuit Iulianus, vbi inſculpta lapidi hæc epigraphe in choro viſitur: *Hic jacet frater Iulianus ex ſeptem fratribus S. Franciſci vnus, qui obijt anno Domini ſupra milleſimum ducenteſimum quarto & quadrageſimo tempore domini Roberti de Thorota epiſcopi Leod. pridie Kal. Iunij.* Nobile id pignus eſt religioſę illius familiæ, calcarque non imbelle ad ſectanda priſcorum patrum veſtigia.

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
IVNIVS.

Die sexto
S. NORBERTVS
archiepiscopus Magdeburgensis, fundator Præmonstratensis. *Hugo, Bibliotheca Præmonstrat.*

HVNC præterire tacitus non possum quamquam alias externum, & Coloniæ natum, quod læta vel recte factorum, vel sacræ eloquẽtiæ vel denique discipulorum semente nostram hanc diœcesim recreauerit. In omnes tamen ab illo gestas res me diffundere non est animus. Paucis illa perstringam, quæ nostra esse, negare nemo potest.

Diuini honoris studio incensus ad pontificem Norbertus ibat anno post Christum natum millesimo centesimo decimo septimo, vt sacrarum cõcionum potestatem obtineret. Sacerdotalibus omnibus censibus, quibus fruebatur, abdicatis, venditaque hereditate, ac in egenos erogata, quina argenti pondo, mulam, sacrumque missæ instrumentum retinuit in commeatum, assumtisque duobus socijs, iter arripuerat. Hoium vbi deuenit, præclaro eius facinore Leodiense solum Deus ornare constituit. Vehementiore quippe Numinis impulsione excitatus, omnibus omnino semet exuit, quo Christum expeditior sequeretur. Tunica ergo lanea, pallioque contentus, nudus pedes in reliquum iter se dedit, quamquam sæuiret hiems affecto jam anno.

Hoij omnibus se exuit.

Ad S. Ægidij in Gallia pontificem conuenit, quo turbarum Italicarum tædio Gelasius secesserat: & impetrata concionandi facultate in patriam iter conuertit, e via Leodios insigni felicitate cumulaturus. Postquam enim Valentianis in episcopi Cameracensis familia Hugonem Fossensem (de quo diximus decimo Februarij) in suam disciplinã recepisset, Leodiensem ingressus est diœcesim, eadem illam exculturus caritate, qua plerasque alias. Cum Fossas deuenisset, magnus ad eum mortalium vtriusque ordinis concursus fuit, demirantium insolitum eius vitę institutum. Admirationem maxime concitabat inexspectata mutatio Hugonis, hominis apud illos nati & celeberrimi; quod contempto humanorum omnium splendore, austeram illam disciplinam sectaretur.

ANN. 1119.

Egregiam operã Fossis nauat

Industria singulari Norbertus ad concordiam dissidentes reuocabat. Rogatus est vt cruenta dissidia dirimeret, quæ regionem illam funestabant adeo, vt plures sexagenis homines interempti jam essent, pace frustra sæpius tentata a grauibus ac religiosis viris. Et ecce forte tum in conspectum venit quispiam, cujus frater eadem hebdomade ferro interierat. Hominem aggreditur Norbertus ea orationis suauitate, simul & sententiarum pondere, vt e vestigio non modo manus daret, verum etiam expeditam suggereret rationem cõciliandę totius pacis. Fecit quam felicissime sexto post die Norbertus Monasterij ad Sabim, quo partes conuenire jusserat. Post diuturniorem precationem in suggestum conscendens non diu dixerat, quando sic permouit vniuersos, vt restinctis odijs in mutuos extemplo ruerent amplexus.

& Monasterij,

item Gemblaci

Altero die Gemblacum venit exceptus religiosissime, vt vbique solebat. Vbi cum didicis-

dixisset duorum principum simultatibus publicam infringi pacem: alterum eorum oratione sua sic permouit vir Dei, vt eius arbitrio se permitteret. Alterum pariter aggressus, cum nihil profecisset, conuersus ad socium: Insanit hic homo, inquit: sed mox pœnas dabit, in hostium suorum potestatem lapsus. Ita prorsus euenit eadem hebdomade.

Digressus hinc ad proximum pagum nomine Coterium Norbertus, quempiam ad pacem cohortabatur, cui graues erant cum altero inimicitię; sed sanctis consilijs aures obstruxerat: & ne plura cogeretur audire, foras cum impetu prorumpit, equum conscendit, vrget calcaribus: sed nihilo plus mouetur equus, quam herus sanis Norberti rationibus se flecti passus fuerat. Omnibus rei nouitatem admirantibus, plerisque etiam illum irridentibus, & ipse tandem animo permouetur; ad templum redit, ad sancti sacerdotis genua prouoluitur, ei totum se permittit. Niuellis pręterea vir sanctus suam operam impendit sæpius: vbi & socium adsciuit Antonium, qui nimirum vnus fuit ex tribus illis, quibuscum sanctissimam religiosi illius instituti multitudinem propagauit. Coterij Niuellis

An hoc itinere, nescio; certe aliquando Trajectum cum vir Dei venisset, mirum accidit prodigium, sanctitatis eius argumentum illustre. Seruari ea in vrbe sericum velum angelicis olim manibus deportatum ad ornandum S. Seruatij funus, narrauimus 13. Maij. Videndum illud exhiberi sibi petijt Norbertus, & impetrauit sanctitatis suæ reuerentia, quamquam ægre, cum non minore diligentia, quam religione seruaretur. Scriniolum vix reserarāt: ecce vi occulta velum in aëra rapitur ad suprema vsque laquearia. Timor omnes incessit, ne tam pretioso pignore spoliarentur. Ceteris rei admiratione, & eo metu perculsis, sanctę Missę sacrificium Norbertus inchoat. Statimque sacrum illud velum, quod expansum adhuc in summa ædis parte librabatur, complicari cœpit, quale in scrinio seruatum fuerat; & leui lapsu in sancti viri brachia descendit; qui consueto loco reposuit magna omnium gratulatione. Trajecti.

Vbi Coloniam redijt diuitem sacrarum reliquiarum thesaurum collegit, quo suum enascens Præmonstratum ditaret. Illud repetebat anno vicesimo tertio, quando Namurco transeuntem excepit religiosissime Ermensendis Godefridi comitis mater: & hominis admirata sanctitatem, rogauit e socijs aliquos Floreffiæ relinqueret, qui religiosam instituti sui familiam ibidem auspicarentur. Roganti Norbertus annuit: & quo firmiora ponerentur fundamenta, reliquiarum quas deferebat, partem ibi collocauit. Hanc aiunt antiquissimam Belgij, sed totius Præmonstratensis ordinis tertiam fuisse familiam, quam consecrauit Albero Leodiensis episcopus, & MARIÆ florem nuncupauit. Superest hodie ædes illa Norberti opus, quam *Salue* appellant. Floreffiam condit.

Ea ferme sunt quæ in hac diœcesi Norbertus perpetrauit. Creatus postea Magdeburgensis archiepiscopus, cum egregios tota illa diœcesi fructus protulisset, ibidem sanctitate clarissimus vita decessit anno millesimo centesimo tricesimo quarto.

II. HERIBRANDVS

abbas V. S. Laurentij. *Rupertus de Diuinis officijs, Manuscr. S. Laurentij dati ab admodum R. D. abbate Gerardo Sany.*

ADoleuit in S. Iacobi; ibique monasticen professus, virtuti non segnius quam litteris operam dedit. Collecta insigni eruditionis opinione cum claresceret, ad S. Laurentij translatus est, vt sacras litteras explanaret. Illustris exstitit operæ fructus, tota ecclesia longe celeberrimus. Magnum enim illum Rupertum postea Tuitiensem abbatem habuit auditorem. Prodigium illi euenit anno post millesimum centesimum vndecimo, quod scriptis suis Rupertus inseruit, quæ tum de Diuinis officijs meditabatur, in hæc verba. *Ecce dum hæc scribimus, iucundo per quemdam fratrem nostrum gratia resurgentis nobis arridet miraculo. Testor illam beatam ac deliciosam noctem, in qua Christus ab inferis victor ascendit, me nihil super hoc mentiri: nisi ille tam sacrilegus sit, vt de eiusmodi quidpiam fingere ausus fuerit: quod vita eius, vel propositum omnino prohibet vel suspicari. Fratris tamen eiusdem nomen tacebitur, quoniam & hoc obnixe precatur. Nam factum quidem lucere coram hominibus cupit, vt glorificetur Pater, qui est in cælis: se autem videri non vult, nec suis reputari meritis miraculum; cujus sola Dei gratia (quo judicio nescimus) operatrix est. Res hujusmodi est.*

Hoc sancto Paschæ sabbato, quo cereo annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vndecimus inscriptus est in ecclesia S. Laurentij, ad præcedentes eius diei matutinos, extinctis de more cunctis

Prodigium offertur

ctu luminaribus, dum earum ultimum extingueretur, & ad canticum euangelij hac antiphona à D. abbate Berengero imponeretur: Mulieres sedentes ad monumentum &c. *ecce repente ante pedes illius projectum cecidit ipsius, qui firmiter substrictus erat, cingulum. Ille solutum esse, & cecidisse suspicatus, (quod tamen mirum fuisset, quia non delapsum fuerat, neque circum crura pedesque descenderat, sed ante pedes quasi projectum, vt dictum est, exsilierat,) inclinauit se, vt tollens illud, rursum se accingeret. Cumque manus injecisset, vt illud sibimet circumdaret; nodum, vt erat, fortiter adstrictum non cedere sibi, vltra quam dici potest, admiratus est. Intendenti & secum cum stupore magno reputanti, quidnam hoc sibi vellet: ecce vox facta est, & sibilum tanquam auræ tenuis audiuit dicentem sibi: Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.*

admiranti resurrectionem Christi.

Siquidem hac vt ipse referens testatus est, admiratio mentem eius persæpe subibat, quomodo verum Christi corpus (vnde ipse nullatenus dubitabat) clauso resurgere monumento, clausis potuit januis ingredi ad discipulos.

Quod silentio texit Rupertus, nomen postea prodidere Laurentiani monachi inscripto sepulcrali lapidi epitaphio. Ceterum vt præstanti prudentia religioneque pollebat Heribrandus, secundo post anno successit Berengero abbati, bono magistro discipulus bonus. Quod munus cum egregia disciplinæ integritate vigilantiaque annos aliquot sustinuisset, anno duodetricesimo mortuus est, & proxime antecessorem suum in crypta conditus est.

Die septimo

I. S. VALENTINVS

martyr & IX. episcopus. *Harigerus, Ægidius, Zanflietus, Placentius, Brustemius, &c.*

POst S. Maximinum ordine nonus Tungrensem ecclesiam rexit; quamdiu, aut qua virtute, nemo prodidit: nisi quod illum sanctorum honoribus ecclesia veneretur, & Christi Martyribus accenseat. Vixit enim cum impiam illam in Christianos inhumanitatem Diocletianus exerceret; & de illa cum plurimis alijs fortiter dimicans sanctus præsul triumphauit. Prius vero quam in arenam pro Christo certaturus descenderet Tungros extremum forte visebat, (nam ecclesiæ Treuirorum vna præfuit) quando mortem præsentiens, Dei afflatu sacrum pedum in ara principe deposuit, proposita
ANNO 303. diri anathematis pæna in eum, qui Numinis injussu sustulisset. Seruatio nimirum illud destinabat Deus, & reuera dedit post annos septem, cum jam ecclesiæ pax esset. Ita narrauimus decimo tertio Maij Breui post hæc Valentinus martyrij palmam consecutus est; quo certamine, quaue arena, non liquet. Tungris tamen sepultus est: cumque deinde successor Seruatius auexit Trajectum; vbi in hanc ætatem colitur.

II. S. CANDIDVS

episcopus ignotæ diœceseos. *Iidem scriptores.*

ANNO 304. VEnit Trajectum Candidus anno post natum Christum trecentesimo octogesimo quarto, adductus religione aduersus S. Seruatium, qui eximiæ sanctitudinis opinione celeberrimus, hoc anno vita decesserat. Vnde venerit, cujus fuerit ecclesiæ episcopus, quanto tempore vixerit in hac diœcesi, affirmare non possumus. Vita defunctum esse constat cum sanctitatis opinione. Natalem eius hodie colit ecclesia Trajectensis, sacrasque exuuias in ara principe veneratur.

Die

Die nono

IOANNES

abbas I. Grandis prati. *Assignies, Henriquez.*

ILlustrem militari fortitudine sibi gloriam comparauerat, quando illo ipso die, quo militis accinctus baltheo, ad equestrem transierat ordinem magno apparatu, vt fere fiebat, opumque jactantia; pessumdatis mox omnium humanarum rerum inanitatibus, in alterum mutatus hominem, animi magnitudine miranda, Villarij Cisterciensem disciplinam arripuit. Neque minore postea mentis impetu in virtutum omnium studium incubuit. Quare cum anno post millesimum & ducentesimum trigesimo primo Margareta Vianæ comes fratris sui Philippi marchionis Namurcensis vltimę voluntati obsecuta Grande pratum conderet, accerseretque Villario monachos; misit duodenos Gulielmus abbas, designato illis abbate Ioanne. Hoc duce digna turba Villario discesserat, cum Namurco propinquantibus, supplicantium solemni ritu clerus, senatusque ac populus Namurcensis magna veneratione occurrit, præbuit hospitium, & denique Grande pratum deduxit. Religiosæ disciplinæ fundamenta feliciter posuit Ioannes; & post relicta posteris pręclara virtutum exempla, insigni animi tranquillitate mortuus est. Posteritatem reliquit non ignobilem; cui præfuerunt abbates hoc ordine.

ABBATES GRANDIS PRATI.

1. POst IOANNEM hunc primum abbatem successit
2. IOANNES II.
3. LAMBERTVS.
4. IOANNES III.
5. LIBERTVS.
6. BERNARDVS DE MONTE S. GVIBERTI cum posito Villariensis abbatis munere ad vitam priuatam rediјsset, creatus est abbas Grandis prati; & cum forte negotiorum causa Villarium iuisset, ibidem mortuus est.
7. IOANNES DE GENTINNES quondam major cellerarius & prior Villarij.
8. LAVRENTIVS.
9. GVALTERVS.
10. BALDVINVS DE ASOR monachus Villariensis.
11. NICOLAVS DE GEST monachus Villariensis: quo deinde reuocatus est ad abbatis dignitatem.
12. IACOBVS.
13. HENRICVS DE FAVX monachus Villarij, vbi postea factus item abbas.
14. DESIDERIVS DE BRIGODE monachus Villar. eadem modo hic primum, deinde Villarij abbas.
15. GISLENVS. } cesserunt.
16. IOANNES DE STREV. } cesserunt.
17. LAMBERTVS DE WINOCO. } cesserunt.
18. HENRICVS D'ESTERLANDT. } cesserunt.
19. LAMBERTVS DE GELRIA. } cesserunt.
20. ALARDVS DE STOCINADO. } cesserunt.
21. HERMANNVS. } cesserunt.
22. STEPHANVS DE HANSEAV. } cesserunt.
23. IOANNES DE STREV II. } cesserunt.
24. GERARDVS DE MAILHENS.
25. ÆGIDIVS DE VILLE in Hasbania dictus BLEHAIN.
26. IOANNES DE WARET cessit.
27. IOANNES DE MAILHENS dormitorium exstruxit.
28. IOANES MORIAVX.
29. IACOBVS COVRTOY.
30. NICOLAVS NICQVET.
31. IACOBVS ALART.
32. FRANCISCVS BOLFRIA.
33. PETRVS EMMENS.
34. FASTRARDVS FECHE alias CHAVMONT Hoiensis pręcipua monasterij ędificia construxit, & Namurci hospitium.
35. THOMAS ROBIN.
36. BERNARDVS ROSA.
37. IOANNES LANDVINVS S. T. doctor & monachus Alnensis.
38. BARTHOLOMÆVS POISSON.
39. ÆGIDIVS FECHE CHAVMONT.
40. IOANNES PETIT alias ONI Hoiensis.

DIE 9. 41. ÆGIDIVS BOVCHIAVX ex Darnal multos census deperditos monasterio recuperauit.

42. IOANNES DE IAMBLINNES ex Doyon.

Die duodecimo

S. ODVLFVS

canonicus Vltraject. *Surius*, *Molanus*, *Joannes a Leidis*.

NObilibus parentibus natus Oreschoti in Taxandria intra fines diœcesis Leodiensis, insigni virtutum omnium ornatu floruit, produxitque fructus suo tempore longe gratissimos. Sacris initiatus, cum magno sanctioris disciplinæ desiderio teneretur, Vltrajectum se conferre cogitabat, vbi præclaram omni religioni dignitatem vigere certa fama compererat. Sed amicorum, agnatorumque precibus sibi persuaderi permisit, vt quam posset operam patriæ primum nauaret. Fecit aliquanto tempore, pro suo in Diuina studio. Verum adactus aliquando jussione Diuina, Vltrajectum contendit ad Fredericum antistitem, cujus arbitrio verbi Diuini semen in agrum Dominicum spargeret. Episcopatum inijt Fredericus anno octingentesimo vicesimo sexto; gessitque sanctissime, donec martyrij palmam adipisceretur anno tricesimo octauo. Odulfum venientem hic excepit magna sanctitatis eius veneratione. Eiusque opera vsus in sacris concionibus, opimam collegit messem. Præcipuus inter Frisios exstitit fructus, qui ab orthodoxa puritate in affinem Ario impietatem degenerabant: neque sanctis vel episcopi vel archidiaconorum conatibus cesserant. Coronam igitur martyrij apud illos inuenire sperabat Odulfus. Sed aliud victoriæ genus concessere superi. Ad veritatem illos quam felicissime ab erroribus reuocauit; & plurimis annis excoluit Christiana pietate.

Profectus Vltrajectũ. *Vtilem Frisijs dat operam*

Vltrajectum rediturus, serio Frisios commonuit, agnitam modo veritatem constanter retinerent: futurum quippe vt, si ad priorem insaniam reuoluerentur, certo castigantis Numinis judicio, barbara gens omnes illorum fortunas diriperet, eosque abduceret in seruitutem. Euenit certe per Normannicas incursiones. Iacebat ante fores ingens saxum, quod digito commonstrans: Illud, inquit, saxum nullo mortalium impulsu deuoluetur in flumen, & sub vadis latebit, ad vsque bellum, quod hanc regionem diu fatigabit. Vbi nemine pariter educente ad littus emerserit, certum habetote me vobis adfuturum, Deóque propitio redditurum pacem, qua rursum fruemini donec vestris vos vitijs ea reddideritis indignos. Vaticinio fides ab euentu fuit: seruarique in templo saxum, affirmat vitæ scriptor.

& vaticinatur.

Frederico episcopo & martyri diu superfuit Odulfus, eo sanctitatis splendore, vt anno quinquagesimo sexto, cum mortuo S. Ludgero Vltrajecti episcopo, in neminem vnum suffragia conuenire possent, vna omnium mente potestas Odulfo concessa sit, quem vellet designandi. Hungerum ille designauit. Qui imposito munere sapienter adeo defunctus est, vt post Bonifacium & Willibrordum majore neminem alium sanctitate floruisse scriptor idem affirmet.

Vt annis, meritorumque gloria, & vaticinijs clarus vixerat Odulfus, sic animo ad mortem religiosissime comparato, hæc effatus: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, beatam animam exhalauit: & mox suauissima miri odoris fragrantia totum locum compleuit. Magnam ei venerationem conciliarunt plurima alia prodigia, tum Vltrajecti ad S. Saluatoris, tum Stauriæ in Frisia. Illustre est, quod ex Beca profert Molanus. Cum Frisios bello peterent Hollandi anno trecentesimo supra millesimum & quadrasimo secundo, belle primum omnia cesserunt: verum simul ac vi facta S. Odulfi monasterium violarunt, non tam Frisiorum armis, quam Dei vindicantis manu cladem acceperunt cruentam cæsa nobilitatis potiori parte, atque in primis Guilielmo Bauaro comite. Oreschoti colitur S. Odulfus, exstructa in parentum prædio æde sacra. Et basilica Loscastrensis eius memoriæ consecrata est.

Ps. 30. 6. *Sanctissime moritur.*

Die

Die decimo quarto
B. RICHARDVS
abbas S. Vitoni Virduni. *VVaſſeburgius, manuſcr. Leod. Lob. Andain.*

EIus virtutem nemo ſatis prædicauerit, quæ rogantibus varijs principibus, aut ipſis monachis, ceu illuſtre exemplum, aut certa regula cœnobijs vni & viginti propoſita fuit. Virduni ad S. Vitoni Benedictinam monaſticen amplexus, eam ſanctitatem aſſecutus eſt, quam in tot deinde monaſteria vt diffunderet, plurimi rogarunt. Plura enarrare meum non eſt. Debui ſaltem indicare beneficia, quæ hæc diœceſis illi refert accepta.

Richardi inſtitutioni debuit S. Poppo inſignem illam ſanctimoniam, qua Stabuletum, atque adeo vniuerſam noſtram diœceſim illuſtrauit, vt diximus viceſimo quinto Ianuarij.

Lobienſem diſciplinam Ingobrandi Abbatis ignauia labefactatam primo nitori reſtituit Richardus, abbas creatus anno ſupra milleſimum vigeſimo ab epiſcopis Wolbodone Leodienſi, & Gerardo Cameracenſi; & annos duodecim Spartam illam exornauit, lęta bonorum omnium gratulatione.

Tanto magiſtro gloriabatur Olbertus S. Iacobi Leodij primus abbas. Eius ſi non imperijs, ſapientiſſimis certe legibus nouellum ſuum plantarium excoluit.

S. Laurentij præterea cœnobium, quod epiſcopus Wolbodo moliebatur, Richardo commendauerat; ſed cum breui poſt viuis ereptus eſſet, religioſa vtriuſque ſtudia conciderunt.

Reliquam eius vitam etſi memoria digniſſimam & omni encomio majorem, cum non ſit mei hujus inſtituti, inueniet lector multis narratam apud Waſſeburgium de Belgicis antiquitatibus.

Die decimo quinto
S. LANDELINVS
fundator Lobienſis & Alnenſis. *Surius, Molanus.*

ET hic parum ad nos pertinet: eſtque Cameracenſis diœceſeos illuſtre decus. Cum tamen ſuę ſanctitatis luce noſtros fines perſtrinxerit, ſilentio nobis minime prætermittendus fuit.

Poſtquam pudendam latrocinijs egiſſet vitam, cum ſub quietem aliquando cujuſdam e ſodalibus infelicem animam inferorum cruciatibus torqueri vidiſſet, ad Autberti Cameracenſis epiſcopi refugit diſciplinam, quam antea turpiter deſeruerat. Eius ergo ductu conſilijſque priorem vitam magna ſeueritate cœpit expiare. Tandemque ſacerdotio initiatus, (Circiter annum 639.) facta a B. Autberto poteſtate, ad eam deuenit Hannoniæ regionem, vbi Laubacum riuulum in ſe influentem Sabis excipit: vnde Laubacum veteres, poſteri Lobium (Condit Lobium) nomen dedere. Nobilem hic Benedictinæ aſceticæ palæſtram condidit, regis munificentia ſanctis eius ſtudijs aſpirante. Quod licet ad Cameracenſem diœceſim ſpectet, Leodienſis tamen ditionis eſt.

Plura ſimul hujuſmodi conſilia complectebatur vaſtum hominis pectus, quæ latius diffunderet etiam in vicinam Tungrorum diœceſim. Nullum ſcilicet euangelica caritas agnoſcit nationum diſcrimen. Secutus Sabim amnem Landelinus tribus paſſuum millibus, deſcendit ad locum alnis conſitum: vnde & illi nomen Alna. Secundum hic poſuit (Alnam.) monaſterium, ſed obſcurioribus initijs. Alias enim quam Lobium accepiſſe viuendi leges videri poteſt: cum prioribus ætatibus ibi clerus habitauerit. Ciſtercienſibus poſtea ceſſit magna in poſteritatem gloria. Waſlariam deinde poſtquam cōdidit in finibus Hannoniæ, & aptiſſimis legibus tres illas familias inſtituit, ad exſtruendum vocante Deo Criſpinium, in interiorem Hannoniam receſſit. Vbi denique acta ſanctiſſime vita ſepultus eſt; & religioſiſſime ab omni poſteritate celebratur. (Criſpinij moritur.)

Die decimo sexto
S. LVTGARDIS
virgo Cisterciensis Aquiriana. *Cantipratanus.*

CAPVT I.

Ad Deum se conuersura, graues superat difficultates.

ILlustre omnis sanctitatis exemplum, & hujusce diœcesis decus Tungris anno Christi nati millesimo centesimo octogesimo secundo Lutgardis orta est patre plebeio, nobili matre. Ad nuptias filiam in primis annis pater animo destinabat, opulenta dote comparata. Et propendebat principio Lutgardis, quamquam ad meliora mater cohortaretur. Verum aduerso fortunæ casu, aut certa potius Dei prouidentia, cum dos tota perijsset, ad cælestes cum æterno sponso nuptias sensim animum adijcere cœpit. Et quamquam vestium ornatum amaret, auersabatur tamen omnes illas sermocinationes, quę pudori vel leuissime repugnarent.

ANN. 1194. Mundi periculis illam Deus liberat. Annum ætatis duodecimum supergressa, ad Benedictini instituti parthenonem a S. Catharina nuncupatum ad Trudonopolis portas se recepit, vbi ad virtutem institueretur. Sanctum fuit hoc consilium: sed ab inferis mox impugnatum. Iuuenis quidam genere & opibus florens illam cœpit adamare, cum ea frequentius versari, atque adeo mollioribus fabellis paulatim imprudentis virginis mentem nonnihil concutere. Nec eo contentus, obseruauit quo loco somnum illa capere consueuisset: & nocte quadam in illum se penetrare conatus est. Conantem incusso subito timore Deus repressit. Sed ipsam virginem alias insigni viso confirmauit. (& ad se trahit.) Qua inter mortales specie Christus vixerat, spectabilem illi se præbuit: & ostentato lateris vulnere recentem sanguinem stillante, hortatus est vt spretis mundi amoribus, omnes delicias ex vno illo latere quæreret; quas maxima nec vnquam exhaurienda inueniret copia. Quibus dictis, omne sibi sensit Lutgardis abstersum mundi desiderium. Ita diuinitus etiam accepisse visa est nobilis quędam matrona & honesti in paucis studiosa: quæ obuia Lutgardi aliquando facta: Macte animo, inquit, bona Agnes: nec mirare; nam altera reuera Agnes eris. Vaticinium edidisse credita est: Agnetis certe mentem mox Lutgardis induit: & juuenem ad consuetas illecebras denuo redeuntem generose repulit his verbis: *Discede a me pabulum mortis, nutrimentum facinoris: quia jam ab alio amatore præuenta sum.*

Nouo periculo illa eripitur. Neque omnem pacem hæc victoria peperit. Alius juuenis item nobilis cum illam deperire cœpisset, modeste primum illa juuenem a se dimisit; tum etiam seuerius, cum nihilominus ille perseueraret: ac denique in proposito peruicacem a se cum probris & ignominia turpiter abegit. A blanditijs ad vim ergo conuersus, cum accepisset accitam a sorore Lutgardem eo properare, structis in via insidijs illam excepit; & rapturus desilijt ex equo. Cujus frenum dum e famulis vnus teneret, ad illum Lutgardis: Tu quid agas, inquit, vide: qua modo manu homini vim contra fas & æquum intentanti defers obsequium, eadem mox tale facinus designabis, quod perpetuam tibi labem inurat. In equum interea vi sublata Lutgardis, non despondit animum. Collectis viribus in terram resiliens, fortiter sese retinentium manibus eripuit; & beneficio noctis angelo ducente per densa nemoris euasit. Famulus ille, quemadmodum fuerat virgo vaticinata, domum reuersus eadem illa manu vxorem interemit, & solum vertere coactus est infelix.

CAPVT II.

Miris a Deo prærogatiuis ornatur.

TRiumphato jam hoste monasticen aggressa, tantum in se deinceps religionis ardorẽ incendit Lutgardis, eoque studio ad absolutissimam virtutẽ contendit, vt omnibus

cœperit

cœperit esse miraculo. Sed cum assererent plerique futurum, vt tepescente prima flamma, mox rediret ad ingenium; illam sui diffidentia mœrentem, alia spe longe diuersissima solata est Dei mater. Constanti jussit esse animo; pollicita non modo nihil remittendum de priori ardore, sed nouis in dies ignibus e cælo pectus incendendum. Ita factum est. Tam arctam cum Deo contraxit necessitudinem, vt frequenti eius aspectu, atque adeo colloquijs frueretur: & si quando auocabatur ad negotia procuranda, ingenuo animi candore puritateque dicere auderet: Hic me tantisper exspecta, Domine IESV; vbi me expediero, confestim ad te reuertar.

Ad miram cum Deo familiaritatem euehitur.

Infirmorum & male affectorum miseratione admodum tangebatur. Quamobrem hanc ipsi vim Deus indidit, vt quidquid saliua, manuve tangeret, restitueret incolumitati. Verum exciuit hoc tantum mortalium concursum, vt importunas a Diuinis rebus animi distractiones pertœsa, Deum rogarit, hac vt imminueret se prerogatiua, aliamque substituerat meliorem. Interrogata, quam illam optaret? Facultatem, inquit, sacros psalmos intelligendi: sic oranti religionem excitatum iri sperabat. Impetrauit. At cum arcani mysterij reuerentia pietatis sit mater, & res celata quæratur auidius, (inquit vitæ scriptor) speratum ex eo fructum minime collegit. Aliud ergo flagitauit. Quid illud? inquit Deus. Cor tuum, Domine: respondet. Contra Deus: Quin ego potius cor tuum. Illa vero: Sit ita, Domine: sed lege hac, vt tui amorem cordis cordi meo attemperes; & in te cor meum possideam, omni tempore tuo prǫsidio securum. Annuit Christus: & ita deinceps menti se virginis infudit, vt omnem obscenis cogitationibus clauserit aditum.

Variaque dona obtinet.

Eximiam subinde consecuta est sanctitatem. Anxiam nescio quibus ex causis aliquando solatura cum adesset S. Catharina loci tutelaris, eam obnixe rogauit, Deum vt sibi propitiaret. Timorem omnem pone, ait Catharina: semper in te augebitur Dei munificentia, donec ad summum virtutis euecta fastigium, præcipuum aliquem inter virgines honorem consequaris. Alias cum ad religiosam quamdam feminam venisset eadem S. virgo, affirmauit parem secum gloriam Lutgardi concedendam: ne ergo dubitaret illam sibi in parentem adsciscere. Aliud eius virtuti visum est de cælo labi testimonium. Die quodam Pentecostes hymnum *Veni creator* concinebant sodales, quando Lutgardem ad duos cubitos in aëra sublatam viderunt. Quodam alio præterea die conspexerunt illam clara super omnem solis radium luce splendentem.

Sub illud tempus quo lecto surgendum erat ad nocturnas preces, copiosum toto corpore sudorem manare sensit; quem cum crederet salutarem, in lecto diutius hǫrere constituit, quo firmioribus deinde viribus & alacrius in res Diuinas se ferret. At subito demissam ad se hanc vocem audijt. Quid stertis? Non est corpori tum indulgendum, quando flagitiosis hominibus, qui in suis turpitudinibus jacent, Deum melius placares. Perstricta hoc aculeo, mox se strato corripuit. Iamque templum erat ingressura, cum in ipso vestibulo Christum inuenit affixum cruci, totoque corpore cruentatum; qui detracta cruci dextera illam complexus, eius os sui lateris vulneri appressit. Ex quo tantam ipsa hausit suauitatem, vt longo post tempore perfusam gratissima plusquam mellis dulcedine saliuam eius sodales senserint: sed alacrior ipsa semper ad Numinis obsequium & robustior euaserit.

Ad preces excitatur a Christo.

Securissimum certe in omnibus aduersis inuenit hoc asylum. Nimirum ante Christi e cruce pendentis imaginem se statuebat: quam aliquamdiu contemplata, clausis deinde oculis, collabentibusque membris, in Diuina rapiebatur; incredibilique animi voluptate Christum hianti latere videbat, cui suum os admouens tantam exsugebat dulcedinem, vt nullis affligi posse ærumnis se crederet.

In aduersis asylum in Cruce habuit.

Religiosas aliquando cogitationes animo versabat de S. Ioanne Euangelista, qui acutissimo obtutu ceu aquila peruasit arcana sanctissimæ fidei nostræ mysteria, & sacrosancta euangelij fluenta de vberrimo Dominici pectoris fonte pleno ore hausit. Aquilam mox videre visa est tanto pennarum fulgore coruscantem, vt vniuersus terrarum orbis ea luce perfundi posse videretur. In cujus admiratione defixa dum hǫret, visa est eius ori rostrum aquila applicare, & tam admirabilis lucis fulgore animam eius complere, vt quantum quidem humani pectoris angustiæ capiunt, rerum Diuinarum nihil eam fugeret. Affirmat certe Cantipratanus tanta præditam fuisse facultate dicendi de rebus cǫlestibus, quantam in alio nemine deprehenderit: atque adeo hebetem & imperitum se videri potuisse in illis intelligentia assequendis, de quibus illa dissereret.

Eximia cælestium cognitio.

CA-

CAPVT III.

Ab episcopo consecratur & migrat Aquiriam

HIs beneficijs non aliter ac quibusdam facibus mirum in se Numinis amorem accendebat Lutgardis. Religiosam virtutis gratia necessitudinem contraxerat cum Iuera insignis sanctimoniæ femina, quæ Loscastri clausa magno studio honestum sectabatur. Apud illam erat aliquando, cum Diuinis rebus contemplandis intenta, cælestium deliciarum dulcedine tanta delibuta est, vt Iueram aduocaret, eique digitos ostendens, ac comprimens diceret: Vide, quid mecum agat omnipotens. E cęlo delicijs ita perfunditur animus, vt ex eo veluti suauissimus liquor in digitos promanet. Quæ cum diceret, quasi Diuino musto ebria, mirabili gestu ac tripudio per domum rapiebatur.

Velatur ab episcopo. Palam profiteri voluit, quos imo reconditos pectore celabat ignes. Audito sacrum virginitatis velum ab episcopo Hugone Petrapontio quibusdam virginibus imponendum, ceteris adjungi desiderauit. Inter ipsa sacra cum solemni ex more post imposita vela coronam lineam singulis episcopus adderet, auream Lutgardi vidit imponi quidam integrę vitæ probatæque fidei sacerdos. Præcipuum quemdam in Lutgarde caritatis ignem auro isto significari credidit.

Iussa Aquiriam migrare Ceterum vt ad majora suam sponsam euehere statuerat Deus; cum paulo post toti parthenoni præposita, administrationis onus coacta fuisset subire, venit ad eam Ioannes Liranus, vir hac tempestate per Leodiensem diœcesim egregia virtute spectabilis: & jubente Deo autor fuit, vt abdicata pręfectura Aquiriam secederet, vbi Cisterciensem amplecteretur disciplinam. Lutgardi magis arridebat Herckenroda, vbi Teutonici sermonis vsus erat, cum esset Aquiriæ Gallici. Dubitanti adfuit Christina, (quam ob prodigiorum multitudinem Admirabilem appellamus;) quæsijtque, quid denique cunctaretur eo prouolare, quo vocari a Deo ambigendum non esset? Vbi respondit, quæ haberet Lutgardis: Ego vero (subdit Christina) malim apud inferos esse cum Deo, quam in cælo cum angelis sine Deo. Cunctanti etiamnum, imperium denique Christus

ægre paret. addidit: (mutuos miscere sermones haud infrequens fuit.) Mihi fixum est, ait, Aquiriam vt petas. Ni feceris, ego te deseram. Nulla grauior addi potuit pręceptio. Anno post millesimum & ducentesimum sexto migrauit Aquiriam, relicto ad S.Catharinæ sodalibus omnibus acri sui desiderio. Nec enim nisi ægre pati poterant, ab amantissima matre deseri, de cujus sanctimonia eximiam concepissent opinionem. Sodalium vicissim indoluit mœrori Lutgardis, vt quas filiarum vice sollicito amore complecti cœperat; & pia quadam animi affectione, sacrum illum cœtum Numini commendauit. Oranti statim adfuit Dei mater:& gratulata primum de suscepto vitę instituto,& domicilio, quod singulari cultu sibi consecratum, propensiore beneuolentia complecteretur: subjecit sacrum S. Catharinę gynæceum in fide sua ac tutela futurum: asceticæque rei simul & familiaris incrementis in melius prouehendum. Euentus promissum secutus est, hoc illustrior, quod multis locis non parum refrixerit primus ardor; quem retinuit nihilominus, auxitque longo post tempore religiosa hæc familia.

CAPVT IV.

Magnis augetur virtutum incrementis.

VBique suum virtus obtinet; nec vllis constringitur terrarum regionibus. Etiam Aquiriæ clarissimam sparsit lucem virtus, quam ad S.Catharinę Lutgardis accenderat. Quare cum in illis prouincijs, quę Gallico vtuntur sermone, multa construerentur cœnobia, de aduocanda Lutgarde plerique cogitare cœperunt, vt excolendis religiosis familijs pręficeretur. Audijt sancta virgo: atque vt ejusmodi honores pro sua modestia refugiebat, Dei matrem multis lacrymis rogauit, hoc a se malum auerteret. Adfuit Dei parens, & auersuram se spopondit, quod ipsa tantopere abhorrebat. Sed vide, quo modo. Totis quadraginta annis, quibus Aquiriæ vixit Lutgardis, vix Gallici sermonis tantum didicit, quantum ægre satis esset postulandis vitæ necessarijs. Quo factum est, vt illis virginibus alio cogitationes suas vertentibus, permissa sit Christi sponsa in suaui sanctæ contemplationis somno quiescere.

In

Digitized by Google

In eo mirabiles Diuini amoris ignes animo concepit. Certe visa est aliquando, cum magna spiritus alacritate Dei laudes in templo cum sodalibus concinere solita esset, ore lucidissimam flammam in cęlum ejaculari. Incensa nimirum fornax erat sanctæ virginis pectus.

Incendebatur in primis assidua commentatione cruciatuũ, quos nostri causa Christus Dominus sustinuit: incredibilique feruebat desiderio profundendi sanguinis pro Christi causa. Cum aliquando solito vehementius æstuaret animus, & S. Agnetis exemplo vitam ponere desideraret, tanta fuit desiderantis contentio, tantus incensæ mentis ardor, vt ex aduerso cordis dirupta vena sanguinis plurimum emiserit. Mansit tota vita cicatrix. Porro cum ex eo debilitata Lutgardis resedisset, adfuit mox Christus, & gratulatus de tanto caritatis ardore, parem in cælo cum Agnete martyre lauream spopondit. Martyrium optat.

In meditandis porro Christi patientis cruciatibus sic afficiebatur, vt tota perfunderetur sanguineo sudore. Sub ejusmodi commentationem aliquando sensibus abrepta hærebat: vidit sacerdos toto vultu manibusque cruentatam, & obstupuit: propiusque accedens capillorum cincinnos item sanguinolentos forfice præcidit. Quos secum dum miratur, ecce illa ad se redeunte, videt simul euanescente sanguine, suum capillis colorem redire.

Aliud amoris incentiuum illi fuit sacrosancta EVCHARISTIA: quam eximia religione dominicis omnibus percipiebat. Visa est aliquando cum ægre ob inualetudinem corpusculum ad aram traheret, inter duos angelos media sustineri, atque eorum adminiculo procedere. Affirmarunt alij vidisse se alias sanctissimam Dei parentem cum B. Ioanne Baptista idem officij genus exhibentem. V. Eucharistiam præcipue colit.

Tantam vero angelici panis suauitatem & delicias sentiebat, vt desiperent subinde omnia ciborum condimenta. Naturæ tamen legi parendum esse sentiebat. Quare deficientibus quodam die viribus, Christum rogauit vt sibi se relinqueret, subtractis nimirum delicijs, quas potius transfunderet in vnam e sodalibus Elisabetham nomine. Ejusmodi morbo hęc laborabat, vt omni pæne hora ad capiendum cibum compelleretur. Obsecutus Lutgardis voluntati Christus, Elisabethę pectus tanta cælestium deliciarum dulcedine compleuit. Vt preter consuetudinem diu ciborum in mentem non venerit. Ea vero corporis imbecillitate jam dudum erat, vt pedibus consistere non valeret. Lutgardis ergo virtutem experta, rogauit illam obnixe, sibi vt corporis sanitatem obtineret, per quam familiaria monasticarum legum munia obire liceret. Fundente preces Lutgarde, dixit Dominus: *Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius.* Et sane lectum deseruit Elisabetha, cui multos annos affixa jacuerat; firmisque postea viribus Domini jugum diu portauit. Is. 51.17.

Ingressus narrare quę afflictis hominibus solatia Lutgardis impertita sit, eadem persequar.

CAPVT V.

Multis incolumitatem non sine prodigijs obtinet.

Surdam sanat:

NObilis matrona Leodiensis nomine Mechtildis senio jam grauis Aquiriam se receperat, ætatis reliquum Deo consecratura: sed obsurduerat ex corporis infirmitate. Festo quodam die sacras virgines Dei laudes concinere, (quod ipsa non audiebat) aliquo signo indicatum est. Quod vt accepit, in lacrymas vbertim soluta est. Animaduertit Lutgardis, & venit ad eam solatij gratia, quæritque lacrymarum causam. Respondet Mechtildis, justissimam esse sibi mœroris causam, cui adeo obduruerint aures, vt solemnem cantum, quo Deus colebatur, audire non posset. Feminæ miserta Lutgardis, in precationem sed breuem procumbens, mox surgit, duosque e digitis saliua imbutos in vtramque eius aurem immittit. Mira res! Extemplo illa cum fragore quodam aurium obstructionem perrumpi audit; & apertas sensit deinceps tota vita.

Adolescentula quædam Cisterciensis tanta fuit a primis annis virium imbecillitate, vt ne quidem jejunij diebus se carnibus abstinere posset. Certa qua polleret apud Deum gratia Lutgardis, eam obtestatur, sibi vires vt obtineret, quæ ferendo monastices oneri pares essent. Tergiuersante primum Lutgarde, & ętatis teneritudinem objiciente, quæ adolescentulam item infirmam:

tan-

tantam inediam tolerare non valeret, non tamen cessit, multisque tandem lacrymis euicit. Miserta quippe Lutgardis: Abito, inquit, & eas deinceps habeto vires, quæ sufficiant sustinendo religiosę vitę oneri, possisque carnium esum respuere, & monasticę disciplinæ, quod ęquum videbitur superaddere. Reuersam ad suum cœnobium puellam tantus incessit carnium horror, vt eas vel respicere refugeret; & cęteros ordinis labores non modo sufferret, sed multam aliam prӕterea sponte susceptam austeritatē hilaris amplecteretur.

& epilepticum.

Affligebatur mulier quędam filij sui luctuoso statu, quem miserandũ in modum afficiebat epilepsia. In somnis vocem audire visa est, iubentem ire Aquiriam ad Lutgardem, quæ incolumitati filium restitueret. Paret mulier, Aquiriam venit, Lutgardi filium offert. Illa factis ad Deum precibus digitum in os pueri mittit, & pollice crucem format in eius pectore: & numquam deinceps mala illa corporis affectio puerũ tentauit.

Plura in hanc rem proferre superuacaneum sit. Ejusmodi vim Lutgardi fuisse concessam, satis ante narrauimus; & multo potiorem existimamus animorum curationem.

CAPVT VI.

Multis auxilio est ad animæ salutem.

Excitatur ad placandum peccatoribus Deum.

INcredibili æstuabat vitæ cęlestis desiderio: atque vt ad eam transire concederetur, multis quotidie lacrymis, precibusque flagitabat. Æstum illum Deus ita sedatum voluit. Venit ad illam Christus, & nudatis lateris, manuumque, ac pedum vulneribus: Vide, inquit, mea Lutgardis, vt vulnera mea clament ad te, ne frustra fuderim sanguinem, mortemque sustinuerim. Ad spectaculum hoc, simul & vocem cohorruit pia virgo; & quæsijt quis esset ille vulnerum clamor? Responsumque est: Labore tuo & lacrymis ącccensam æterni Patris iram extingue, ne peccatores in cinerem redigat: sed potius vt conniuente eius misericordia resipiscant. Paruit Lutgardis insigni peccatorum emolumento. Profero exempla.

Quemdam a vitæ turpitudine reducit.

Erat Aquiriæ sacra virgo, quæ patrem habebat vt genere opibusque inclytum, ita multa flagitiorum turpitudine coopertum. De eius salute sollicita, multis illum precibus eo adduxit, vt in Lutgardis fidem se transscriberet; eamque adscisceret in matrem vt vocant spiritualem. Annuit hęc, magnaque ipsum caritate Deo commendauit, felici sane euentu. Dixit enim dæmon non multo post cuidam virgini eiusdem parthenonis: Renerum (sic appellabatur vir ille nobilis) mihi tot annis mancipatum ecce Lutgardis meis educere cassibus molitur: & vero moliatur; at sentiet grauius se sua opinione negotium aggressam esse. Si nihil aliud, hoc certe efficiam, vt in camino paupertatis vratur & tabescat Reneri animus, perinde vt solet in patella caro torreri. Verum locutus est mendacij pater. Viri illius opes omnes adeo dilapsæ sunt, vt facultatibus alioqui permagnis breui dissipatis, ad egestatem sit redactus; & vitæ necessitati panis vix suppeteret. Non propterea prostratus est ab hoste. Stetit infracto animo; tantaque fortitudine sustinuit incumbentem calamitatem, vt qui hominem nouerat, nemo ambigeret illum sanctæ virginis precibus obfirmari. Ausus est etiam contempto sæculo monastices jugum Affligemij subire, vbi (si vsquam toto illo ordine) laudatissima disciplinæ vigebat integritas. Et eam apud sodales virtutis opinionem consecutus est, vt illum omnibus esse venerationi viderit Cantipratanus.

Alteri pacē animi obtinet.

Deo sacra virgo quædam Herisplendis nomine tanta mentis perturbatione concutiebatur, vt in vltimam prope desperationem collaberetur. Lutgardem obtestata est, vt fusis ad Deum precibus opem sibi ferret. Assensit illa: & post precationem multo lacrymarum imbre perfusam: Bono te, inquit, animo esse jubeo, mea Herisplendis: tum ab omni animi inquietudine prorsus liberaberis, quando die Veneris sancto sacerdos detectam crucem veneraturus hęc verba pronuntiauerit: Ecce lignum crucis. Nec aliter ac dixerat, euenit.

Alium desperatione liberat.

Alius in ea vitiorum turpitudine vixerat, vt suæ salutis spem vllam ægre retineret. Ad sanctam virginem adductus est, quò illius sermone ad mentis æquitatem reduceretur. Colloquebantur: & ecce videt illam ingenti lumine collucere; quod in intimum etiam ipsius animum adeo penetrauit, vt discussa desperationis caligine, meliora de se deinceps cœperit ominari.

Clausa tuguriolo ad S. Stephani puella quędam molestissime impugnabatur a dæmo-

mone. Lutgardem rogauit, suis precibus vt opem ferret. Cum hæc quæreret, quo genere pugnæ lacesseretur, & illa vereretur aperire; subjunxit: Quod tuo tu pudore retices, sua pietate mihi Deus significauit. Moxque illi singula exposuit, quæ nec sacerdoti sua peccata confitens exponere voluerat. Tum ad pænitentiam & morum correctionem paucis adhortata, illam tranquilla adeo ac serena mente a se dimisit, vt mira deinceps alacritate mentis religiosiorem vitam instituerit.

At seuere castigauit aliquando Deus, si quos salutaria suæ sponsæ monita negligentes inueniret. Suas sodales arguerat aliquando Lutgardis, quod minore quam par erat reuerentia ac religione canonicas preces legerent: nec emendauerant illæ. Prędixit ergo Deum seuere pœnas repetiturum, statim post eius mortem. Ita prorsus euenit. Tam acerbe pestis in eo parthenone grassata est, vt breuissimo tempore quatuordecim e selectissimis virginibus interierint. Mox vero lues illa sedata est (ita dixerat Lutgardis) vbi horaria pensa persoluere religiosius aggressæ sunt. Ita leues noxas seuere quandoque, at semper amanter in filijs æternus Pater castigat. *vaticinatur,*

Graui scelere se obstrinxerat quidam ex eius familiaribus, & confessione quamquam expiasset, vulneris tamen acerbitatem in animo sentire pergebat; atque adeo in desperationem pæne prolabebatur. Vbi Lutgardi mentis perturbationem exposuit, preces quidem illa magno ardore, parique religione pro amico fudit; sed neque ipsa vllum de more responsum accepit; nec illi serenius quidquam illuxit. Mira ergo spiritus constantia in precibus cum Domino aliquamdiu colluctata, cum sentiret illum de justitiæ rigore nihil remittere: Domine, inquit; aut dele me de libro vitæ, aut noxam hanc illi dimitte. Tantæ caritati diutius resistere Deus non potuit. Dimitto, respondet, illi omnem culpam tui causa; ceterisque, quos simili caritate prosecuta fueris, item bene faciam. Placatum Deum vir ille mox sensit, quietiorem animum antea numquam expertus. *alteri pacem reddit,*

Degebat in Parco dominatum prope Louanium sacra virgo, quæ fratris sui monasticen professi turpem duodecim annorum apostasiam tam ęgre ferebat, vt ne mente moueretur omnes timerent. Audijt Lutgardis; & vtriusque periculum miserata, cum ad Deum preces fudisset, sorori jussit nuntiari; poneret mœrorem, animumque colligeret: eodem quippe anno fratrem ad saniora rediturum. Ita factum est præter eorum exspectationem, qui hominem sciebant turpissimis sceleribus immersum. *quemdam apostasia liberat,*

Venerat ad monasterium mulier, per actæ vitæ turpitudinem ad miserrimam desperationem adducta. Quam cum multis solari frustra studerent sacrę Deo virgines, illam rogarunt, Lutgardem vt saltem exspectaret, cum qua si colloqui nequiret, illius tamen precibus adjuuaretur. Mulierem fugam meditantem vi detinuere virgines. Statimque adducta Lutgardis, vt diuinitus sensit grauissimo dolore feminam obrui, procul illam ab arbitris abduxit. Ad hoc mirari alię, ridereque; quod alterius altera linguam non calleret. Vbi aliquamdiu consederant ambę, redijt ad alias mulier sedata jam ac quieta mente, mirarique se affirmauit quo modo Gallici sermonis ignaram esse dixissent Lutgardem, quam ipsa loquentem tam probe intellexisset: & vero ait neminem adhuc inueni, qui melius ad Diuinę pietatis fiduciam me reuocauerit. Ita tum hæc femina. Certe notatum alias, collocutos esse diutius inter se aliquamdiu Guidonem Cameraci episcopum, & sanctam hanc virginem, cum, vt hæc Gallici sermonis, sic ille Teutonici imperitus esset. Eo scilicet afflabatur spiritu Lutgardis, qui apostolis olim varijs linguis loqui dedit. *feminam reducit ad spem salutarem.*

Quid ab illa boni Vitriacus, quid Cantipratanus perceperit, narrauimus, cum de illis diceremus.

Ceterum ex his lector habe, quid apud Deum valeat virtus; quantum mortalibus bonum parare possit.

CAPVT VII.

Vita defunctos juuat magna caritate.

MOrtalitatis finibus non tenebatur Lutgardis pietas: ijs lubens opem impendebat, qui vita hac defuncti ad felicem æternitatem parantur.

Suauem necessitudinem virtutis nomine contraxerat cum Simone abbate Foniacensi,

 homine

DIE 16. homine recti amante, sed acerbiore in subditos censore. Hunc cum immatura morte sublatum accepisset, inedia, varijsque afflictationibus castigare corpus instituit, Deumque rogare, vt ereptam supplicijs eius animam, cælo assereret. Adfuit oranti Deus, eiusque gratia bene futurum abbati mortuo appromisit. Cum vehementius illa precibus instaret, audissetque propediem liberādum Simonem; non eo contenta: Deus meus, inquit, omne hoc illi solatium impende, quod mihi ipsi tua pietate concessum velles. Non ego lacrymari desinam, non vllam etiam a te quietem aut delicias prius admittam, quam illum cruciatibus videam eductum. Diutius affligi suam sponsam non sustinuit Deus. Adfuit mox cum beata illa anima, & ait: Ecce quem postulasti, tuum Simonem: omnem jam mœrorem absterge. In faciem illa cecidit, & pro tanto beneficio Diuinæ bonitati gratias habuit. Habuit & Lutgardi Simon, magnaque coruscus gloria in cælum abijt. Illam non raro postea reuisens, affirmauit aliquando, totos vndecim annos illis se cruciatibus torquendum fuisse, nisi suis ipsa precibus subuenisset. Tantilla re tam dira supplicia redimuntur!

Abbatem quemdam purgatorio liberat.

Sanctæ virgini oblatum est triste spectaculum anno millesimo ducentesimo decimo sexto. In eius cōspectum se dedit vir specie haud multum lęta: flammis ceu ergastulo totum corpus cingebatur. Quis esset, interrogatus: Innocentium III. pontificem se esse ipso temporis puncto vita functum respondit. Ingemuit ad hanc vocem pia virgo; &: Itane cōmunis omnium parens cruciatur? ait. At ille: Ternæ sunt causę, ob quas his expurgor supplicijs. Æternis eram addicendus, nisi sub extremum vitę spiritum meas noxas detestatus, in gratiam cum Deo redijssem adjutus ope Dei parentis, cui monasterium olim condideram. Ceterum atrocissimæ sunt pænæ, quibus ad vsque diem extremi judicij me Iustitia Diuina damnauit. Ejusdem tamen Virginis Matris beneficio, id modo tibi nuntiare concessum est. Tres illas causas, quas ex ipsa Lutgarde Cantipratanus acceperat, summi pontificatus reuerentia reticuit. Pontificis necessitatem etiam ad reliquas ejusdem gynæcei sodales illa retulit, vt qua possent apud Deum ratione subuenirent. Ipsa vero grauissimos sponte cruciatus suscepit, quibus Innocentium debitis pænis solueret. Irritos non fuisse pios conatus mihi persuadeo. Nam B. Maria Oegniacēsis solita est asserere, nullum inter mortales Lutgarde certius auxilium esse hominibus, vel dum viuunt e peccatorum cœno expediendis, vel certe e flammis purgatorijs, postquam diem obierāt.

Innocentiū III juuat.

Lætius est quod subjungo. Sub idem propemodum tempus Romam petebat Ioannes Liranus, quarumdum sanctimonialium suscepta causa, quibus in Brabantia negotium facessebant æmuli. Vita functus est cum Alpes attigisset. Igitur ex pactione, quam inierat cum Lutgarde, vt qui altero prior abiret e vita, illi se post mortem sisteret, ad eam venit. Ipsa viuere illum rata, manu innuit, vt ad locum se reciperet, quo ex legibus domesticis, colloqui fas esset. Ille se humanis excessisse respondit. In terram prouoluta, oculisque in eum studiose fixis, triplicis vestis mirata varietatem, quæsijt quid iste vellet ornatus. Candida vestis, inquit, pudicitiam notat, quam a tenera ætate seruaui illibatam. At labores, quos honesti æquique causa diu sustinui, & qui vitam tandem abruperunt, rosea compensantur. Cęrulea denique, eaque extima, merces est vitæ ad Christianę disciplinę amussim exactæ. Quibus dictis e conspectu obijt.

Liranum videt in gloria.

Vitriacum tertio post mortem die se videndum exhibuisse, diximus pridie Kal. Maij.

CAPVT VIII.

Totum septennium tertio jejunat in hominum salutem.

ANN. 1225. Annos 7. jejunat pro hęreticis.

PRiuatam fere paucorum rem attingunt, quæ constituta hominibus a Lutgarde præsidia meminimus: veniamus ad ea quæ saluti fuere communi hominum. Ad illam aliquando venit, vt solebat non infrequenter, clementissima Dei parens, sed obscuro tristique vultu. Cujus causam ex admiratione cum illa quæreret: Ecce, respondet pijssima mater, ab hæreticis & pseudochristianis iterum in crucem agitur filius meus: tantæque impietatis meritas a toto hominum genere repetere pęnas parat. Quo malum auertas totum septennium tibi tu jejunium indicito. Recepit lęta hoc imperium Lutgardis, inchoauitque alacris solo contenta pane & cereuisia. Numinis ea nimirum est clementia, plurimorum salutem vt vnius virtuti condonet. Sed prodigium mirare. Sæpenumero eorum jussione, quibus in se jus dederat ac imperium, aliquid aliud esculenti

sumsit;

sumsit; sed viribus omnibus numquam effecit, vt quidpiam vel ad fabæ vnius magnitudinem, in stomachum demitteretur. Et quo cibi plus detrahebat, hoc addebat plus virium corpori simul & animo. Id vero singularis extraordinariique beneficij loco cum reponeret, ceteris sodalibus, quas naturæ subesse legibus satis intelligeret, gaudebat non parum, mensam subinde parari lautiorem, quantum ascetica pateretur disciplina.

Iejunarat septem annos Lutgardis eo fructu, qui sperari potest ex illo facto, quod virginem Dei parentem haberet autorem, quodque exequeretur tanta sanctitudo. Deo pietatis omnis origini parum hoc erat: nouum eidem jejunium in aliud septennium commendauit pro peccatoribus omnibus ad saniora reuocandis. Pro sua in miseros pietate suscepit illa lubens, solo pane & olere contenta. Iam cœperat; quando suo tali exemplo Christus etiam currentem propellere voluit. In ecstasim rapta, videre visa est ipsum Seruatorem vulneribus sanguinem velut recentem stillantibus, in conspectu Patris æterni pro salute peccatorum orantem. Qui conuersus ad eam deinde: Vides, inquit, vt me totum Patri pro peccatoribus offeram? Ita & mihi te totam offerto pro meis peccatoribus, quo iram in illos paratam auertas. Idem in singulos ferme dies sub Missæ sacrificium iterabat. Aculeum profecto vehementissimum, quo in ardua quæque conniti necesse erat illam, cui vnicæ deliciæ erant, sponsi sui vestigia premere. Alios 7. pro peccatoribus

Tertium denique Lutgardem magna profecto eius gloria delegit Deus ad rem ecclesiæ publicam precibus recteque factis fulciendam. Monita quippe est, vt tertium simile susciperet jejunium, quo malum auerteret imminens a jurato ecclesiæ hoste. Ad extremum igitur vsque diem ita se temperauit, vt nec Paschæ diem sine jejunio præteriret. Quis ille fuerit hostis, non aliter prodidit Cantipratanus: nisi putes fuisse Scythas, quos hodie Tartaros appellamus. Illi anno quadragesimo secundo vastata Bulgaria, Hungaria, Polonia, Russia, cæsoque duce Poloniæ, cum Bohemiæ jam imminerent, omnem Germaniam, Galliamque terror inuasit. Bernardus e S. Dominici familia pontificius vt vocant pœnitentiarius non parum sollicitus rogauit Lutgardem, cui longe plurimum tribuebat, vt suis precibus hanc pestem Germaniæ præsertim inferioris finibus arceret. At illa: Non jam demum pro eo cœpi orare. Cæterum hoc a me habeto; Tartaros ad has regiones non venturos. Ea quippe mortalium est sanctitas his in terris, sed inter ascetas maxime, vt nullæ hic Tartarorum vires formidandæ sint, quæ solis precationum machinis longissime propelli possent. Quod ille non aliter accepit, ac si de cælo sonuisset: euenit vt dixerat. Ita nimirum plerumque non segnius aut infelicius sanctorum hominum precibus, quam militum ferro imperia defenduntur. Ann. 1240. & rursum 7. pro ecclesia. Ann 1242. Prædicit Tartaros in Lotharingiam non venturos.

CAPVT IX.

Mortem, & ab illa gloriam æternam imminere sibi diuinitus accipit.

AD ea venio quibus ad mortem animo comparata est. Vndecimo ante illam anno quoddam a Deo quietissimæ vitæ & felicis mortis præludium accepit. Vtroque namque orbata oculo est: ne scilicet mens (ait Cantipratanus) *radiantissima intus luce ornata, foris quodammodo luminis hujus caligine obscuraretur. Quis enim dubitet, rerum corporalium formis & imaginibus, quæ per oculos forinsecus in animum influunt, spiritualem mentis aciem retundi?* Sic ille. Hujus ergo spectabilis solis destituta lumine, puriorem cælestis claritatis lucem percipiebat: & aliquo tamen tangebatur dolore, quod eorum aspectu frui non posset, quos spirituali necessitudine in Christo sibi conjunxerat. Insigni promisso solatus est illam Deus: Quam, inquit, mea voluntate incurristi cæcitatem æquo feras animo, certa fore vt nullis ante expiata pænis ad æternam peruenias felicitatem: amicos vero, quos a te deinceps videri non posse quereris, in cælesti patria beatos videbis. Annos vndecim oculis orbatur.

Aliquanto post tempore oranti se obtulit vir augusta specie, tantaque luce venerabilis, vt agnosci non posset. Quæsijt illa quis esset. Respondit: Ego sum Iordanus, olim prędicatorum magister; mortali jam vita defunctus, immortalem ago illustri gloria inter apostolorum & prophetarum choros receptus. Tu vero ne dubita; propediem a Domino coronaberis. Interea ne dimitte, quas me rogante dum viuerem, recepisti te pro nostro ordine preces recitaturam. His dictis abijt; & tantum eius animo liquidissimæ voluptatis impressum reliquit, quantum se vnquam percepisse illa meminisset. Mortem imminentem edocetur.

DIE 16. Ceterum Lutgardem vir ille magnus, dum in viuis ageret, adeo suspexerat, tantique fecerat eius sanctitatem, vt Dominicani totius ordinis matrem ac nutricem instituerit. Præclarum eximiæ virtutis testimonium!

De sua morte certius aliud diuinitus accepit, quod vni e sodalibus aperuit quinto ante obitum anno. Tertia post Pentecosten Dominica, cum sub rem Diuinam legeretur euangelium: *Homo quidam fecit cenam magnam*: adstanti sodali dixit: Hoc a me certum accipe: ad cenam nuptiarum Agni me tum migraturam, quando hoc euangelium Dominico die recitabitur. Magna hunc diem exspectatione præstolabatur sodalis illa: jamque aderat; & illum viua præterijt Lutgardis. Creditum est illi fuisse illusum. Donec anno denique quinto sanctę vatis oraculum sanctimoniali redijt in memoriam, cum immisso in loculum defunctæ corpore, sub sacrum audijt dictum euangelium recitari.

Luc. 14.16.

Illustrius fuit quod contigit circiter Iunium anni quadragesimi quinti. Sereno vultu, gratulabundoque similis adfuit Christus, & dixit: Prope abest tuorum laborum finis: neque te diutius a me separari patiar. Tria hæc interim a te desidero. Primum age gratias pro acceptis a Deo liberaliter beneficijs, & ad hoc cęlites in subsidium aduoca. Tum meis peccatoribus Patrem æternum conciliare, toto pectore contende. Postremo denique rejecta omni alia sollicitudine, mei vnius desiderio & amore mentem inflamma.

Vt se parare debuerit.

ANN. 1246. Sequentis anni paschate venit Christus cum sanctissima sua matre admirabili claritate conspicua. Illa, vt fere alias, de vitæ mortalis exilio, de desiderio cęlestis patriæ cum multa proponeret non sine modesta expostulatione, ob moræ diuturnitatem; jussit omni metu sollicitudineque vacare Christus: proximum esse exilij finem; magnaque auiditate exspectari a cælitibus ad celebrandos per omnem æternitatem promeritos tam diuturnis laboribus triumphos. Magna perfudit eius animam voluptatis suauitate hæc promissio. Quæ denuo Kalendis Iunij per Dei matrem & S. Ioannem Christi prodromum iterata, noua spe desiderium illi succendit: idemque crebrius toto hoc anno factitatum ab alijs sanctis, sed illis potissimum, quibuscum adhuc mortalibus arctiorem olim amicitiam junxerat. Quę cum aliquando familiaribus enarraret, quæsijt aliquis, qua vero ratione superos internosceret, quæ nullam oculis lucem admittere poterat. Respondit: ab ipso Christo, qui est sanctus sanctorum, clarissimum exire splendorem, quo mens illustrata aduenientes quoscumque sanctos perfecte dignosceret. Singulos autem inuitabat obnixe ad æterno Numini gratias pro beneficijs suo nomine referendas.

CAPVT X.

Religiose mortua, miraculis celebratur.

PRidie festi sacrosanctæ TRINITATIS, qui fuit V. ante idus Iunias graui febre correpta Lutgardis decubuit. Ad quam secundo post die cum venisset conuersus quidam Affligemiensis (eius monasterij ascetas ob eximiam disciplinæ integritatem singulari aliqua caritate illa diligebat) & inter alia optasset eius infirmitatis certiorem fieri suum abbatem; subjunxit illa: Cras aderit optimus meus amicus, & me videbit. Admiratus ille conticuit, quod hoc incredibile putaret. At reuera sequenti mane duobus ab Aquiria milliaribus iter faciebat abbas, & prætergredi constituerat, quando derepente ad Lutgardem diuertere placuit, vt quam diu non viderat, ex itinere salutaret: nam de aduersa valetudine nihil acceperat. Illa venientem excepit insigni caritate ac reuerentia; eique affirmauit felicia de illo se diuinitus intellexisse. Cœptum iter cum deinde persequeretur abbas, vocem Sibyllæ a Gagis quam inter sodales vnam in paucis caram habebat, accepit Lutgardis; eique assidere jussæ dixit: Nostrum parthenonem militiæ cælestis agmina compleuere. Inter ceteros adsunt plurimę, quæ ex hoc asceterio in superiorem patriam emigrarunt. Siluit his dictis; ac deinceps, totoque die sequenti, qui Veneris erat, immoto corpore, serenoque vultu, mente Diuina contemplans, in ecstasi fuit.

Mortua Sabbato denique, hoc est XVI. Kalendas Iulias post præcepta Christianæ religionis sacrosancta mysteria, opimis inferorum spolijs, omniumque virtutum nobilissimo cultu decora, felicem animam efflauit. Christi Domini, aliorumque superorum præsentiam sentire se crediderunt pleræque e sacris virginibus, quando sub ipsam illius mortem

tem tanta perfusæ sunt spiritus suauitate, vt se ipsæ præ admiratione non caperent. Mirabilibus prodigijs Deus illam a morte celebrauit. Duxit initium a virgine quadam e genere conuersarum, cui a multis annis arida manus erat. Hęc apparando funeri dum sacrum corpus lauat, & illud arida sua manu imprudens attingit, omnia alia cogitans mox incolumitati restituta est.

miraculis celebratur.

Famam in posteros meretur, quod de se narrat ipse Cantipratanus. Obtinuerat jam dudum pro sua in beatā illam virginem veneratione, vt rescissam a reliquo corpore manum auferre, & in tantæ virtutis memoriam seruare sineretur. Audijt hoc Lutgardis; atque vt primum ille ad colloquium admissus est, graui vultu voceque sic locuta est: Audio te cogitare de manu mihi post mortem abscindenda. Ego vero demiror quid ea manu facturus sis. Ille ad hęc rubore suffusus: Spero, inquit, e re mea futurum, si hoc tui mnemosynum abstulero. Tum ipsa sereniore jam ore, auricularem dexteræ digitum in fenestra, ad quam colloquebantur, deponens subjicit: Digitus hic tibi satis erit. Ad alia deinde sermonem conuertunt: neque additum postea de eo vel verbulum. Post annos autem complures vbi diem obijt Lutgardis, illato jam in templum corpore, digitum quidam monachus abscidit, & ore dentes aliquos extraxit. Venit post Aquiriam Cantipratanus, præcisum audit digitum, illum ipsum, quem prædixerat sancta virgo. Quem cum donari sibi postulasset, passus est primum repulsam. Postea tamen cum sanctissimæ virginis res gestas scribere polliceretur, obtinuit quod petebat ingenti animi sui voluptate, completamque vaticinij veritatem magna sua omniumque admiratione prædicauit.

Cum Milenij primum professa sit monasticen hęc sancta virgo, quæ parthenonem illum antistitæ rexerint, lector accipe.

PRIORISSÆ MILENIENSES.

Conditum primitus fuit hoc Benedictinarum virginum cœnobium proxime Trudonopolim, (vbi hodie solum superest S. Catharinæ templum) non serius anno 1194. quandoquidem illo monasticen hic susceperit B. Lutgardis. Quænam familiæ præfecturam gesserit, ignoratur. Aliquot annis post cum præesset S. LVTGARDIS, Dei imperio migrauit Aquiriam anno 1206.

BEATRIX successit, etiam ipsa insigne humilitatis & religionis exemplum: sed quando mortua sit, non proditur. Hoc constat: anno 1231. mutatæ sedes, migratumque est Milenium, loci dynastiam donante Domina Perewisia. Hic rexerunt

ELISABETHA DE PRINTHAGHEN.
MECHTILDIS DE NVLANT.
MABILIA DE LENS.
N. DE CLERMONT.
MARIA I.
ALEIDIS DE PEPINGHEN.
MARIA II.
CATHARINA DE LOVANIO: quę quo ordine successerint, aut quo anno mortuæ sint, non habemus: sola nomina recenset necrologium Trudonense.
CATHARINA DE SCHOENBEECK præfuit circiter annum 1400. cui successit
IDA DE TILTE mortua anno 1425.
MABILIA DE STREEL obijt 1441. Post eam hiatus aliquis apparet: nam CATHARINA DE ANS obijt 1506.
CATHARINA DE HORNE disciplinam magna laude restituit; & mortua est anno 1527.
N. VANDEN WIER successit; nec habetur quando mortua fuerit.
MARIA DE VIVARIO obijt 1542.

ABBATISSÆ.

1. CATHARINA DE COVRTEIOVE abbatissæ honores prima tenuit & mortua est anno 1578.
2. N. HONSBROECK obijt 1585.
3. MARIA DE ROVVROY obijt 1603.
4. CÆCILIA RAVE obijt 1633.
5. Hodie feliciter præest R. D. ELISABETHA DE IVNCIS & disciplinæ decorem strenue promouet.

ABBATISSÆ AQVIRIENSES.

Placet item hic antistitas Aquirienses enumerare, quibus scilicet concessum fuit illi præesse monasterio, quod tam pretioso pignore Diuina pietas ornatum voluit.

Est

Digitized by Google

DIE 16. Est autem Aquiria pagus Leodium inter & Hoium medio ferme itinere non procul sinistra Mosę ripa, vbi conditum fuit Cisterciensis instituti gynæceum circiter annum Christi millesimum ducentesimum: & cum incommoda multa virgines paterentur, in Brabantiam migrarunt secundo ab vrbe Niuellis lapide; monasterioque in hunc diem Aquirię nomen perseuerat. Antistitæ porro præfuerunt hoc ordine.

1. MARIA viuebat anno 1211.
2. AGNES viuebat 1221.
3. BEATRIX mortua est anno 1225.
4. HAWIDIS mortua est 1248.
5. MARGARETA viuebat 1250.
6. BEATRIX DE LATEAV viuebat 1263.
7. MARGARETA II. viuebat 1266.
8. MARIA II. viuebat 1275.
9. IVLIANA viuebat 1280.
10. LVTGARDIS viuebat 1290.
11. MARGARETA III. viuebat 1302.
12. HELWIDIS viuebat 1307.
13. BENEDICTA viuebat 1313.
14. Hujus nomen non proditur.
15. MARIA DE PVINPIES obijt 1340.
16. N. D'ESTRANGE obijt 1365.
17. MARIA DEL HAYE viuebat 1377.
18. IOANNA DEL HAYE viuebat 1389.
19. IOANNA D'ITRE viuebat 1402.
20. MARGARETA DE BERTENCHAMP viuebat 1404.
21. CATHARINA HALHVYS viuebat 1411.
22. CATHARINA HALLEBAYE viuebat 1413.
23. MARIA IV. viuebat 1426.
24. CATHARINA MARQVEN viuebat 1442.
25. IOANNA DE BRAY obijt 1476.
26. CATHARINA CAMPERNOVILLE obijt 1510.
27. IOANNA BERNAIGE alias VILLEMART obijt 1533.
28. MARIA MERBEEC.
29. MARGARETA DE MARBAIS obijt 1591.
30. LVDOVICA DE BLATON obijt 1632.
31. Successit R. D. IOANNA BOVRLART, hodieque acceptam a majoribus religiosæ disciplinæ integritatem strenue tuetur.

Die vigesimo

S. MAXIMINVS episcopus VIII.

HVjus episcopi sanctitate frui Tungris olim concessum est: solis illius honoribus posteritas gaudet. Sunt qui fuisse martyrem opinentur: nec persuasu difficile est. Nam crebras ejusmodi palmas illis temporibus pepererunt quotidiana pęne certamina. Ceterum quas a Maximino gestas res ignoramus, nouit Deus, & æterna gloria coronat.

Die vigesimo primo

S. MARTINVS. episcopus VII. Hasbaniæ apostolus. *Harigerus, Ægidius, Molanus, &c.*

SVccessor S. Florentio datus, Tungrensem inscendit cathedram. Quamdiu rexerit ecclesiam illam, quando reliquerit, certum non est. Prodidere tamen nonnulli designatum fuisse episcopum anno salutis ducentesimo sexagesimo quinto; mortuum autem septuagesimo sexto: nec id vero absimile videtur. Pauca de illo feruntur, quæ tamen eximiam testentur sanctitatem.

Strenuam posuit operam in Hasbanis ad Christum adducendis: cumque tulit fructum, qui nomen apostoli Hasbaniæ pepererit. Aiunt, cum Horionum contenderet, ab incolis

incolis auditum non esse, imo contumelijs affectum, jussumque facessere. Qui excusso pedibus puluere recessit. Sed cum fessus in vicino nemore quieuisset, saxum cui forte inniti voluit, emollito sinu fertur sedentem recepisse. Mansere diu signa: sed paulatim pia mentis affectione peregrini fragmenta sibi auferentes, sedilis omnem formam destruxerunt. Sola hodie ostenduntur pedum vestigia.

Lux præterea eo loci non infrequenter inter noctis tenebras visa. Ægroti multi, maximeque febrientes sanitatem ibi recuperant. Hęc paucula superant de Martino. Sed & martyrij lauream illi nonnemo tribuit.

Trajecti sacrum corpus venerationi est, a S. Seruatio illuc Tungris auectum sub annum a Christo trecentesimum octogesimum quartum: ibique per tot sęcula religiosé seruatur.

Die vigesimo tertio

I. S. WALHERVS martyr. *Manuscr. Onhaniens.*

NAtus est Bouinij Walherus; qua tempestate, nescimus. Cum insigni morum integritate, Diuini honoris amplificandi studio, theologicarumque disciplinarum cognitione polleret, visus est strenuam & vtilem Dominico gregi operam nauare posse. Onhanıæ non procul Dionanto in regione interamnensi pastorem agere jussus, diligentię nihil, nihil industriæ, laborisque, aut caritatis omittere cœpit, quo sibi creditas oues per salutaria pascua deduceret ad æternum ouile. Pastor.

Indignum erat vnius pagi finibus tantam arctari virtutem. Ceteris in vicinia pastoribus præpositus est cum dignitate decani ruralis. Quam prouinciam sustinuit ea vigilantia, animi fortitudine, moderatione, prudentia, caritate, suiipsius demissione; vt vberrimam vicinus omnis ager virtutum segetem cælo procrearet; & hominem ad majora natum testaretur. Euexit agonotheta cælestis generosum athletam. Decanus.

Indignam ordine suo, flagitijsque infamem agebat vitam Hasterię pastor. Periculum erat ne lupis, quos arcere debuerat pro munere, in ouile sibi creditum, morum peruersitate, suæque turpitudinis exemplis aditum reseraret. Malum auertere Walherus constituit. Ad hominem adit, officij commonet, præsens non eius dumtaxat, sed & ouium commissarum periculum edocet; imminentem ipsi, nisi resipuerit, vindicis Dei manum ostentat; suam omnem, sed maxime Numinis opem, si saniora velit, pollicetur. Verum medicamenti hujus suauitate exulcerabatur impij hominis animus. Mosam vna forte transmittebant; remum in decani sui caput totis viribus homo perditissimus impingit: eumque martyrio coronat. Relatum Onhaniam B. Walheri corpus, plurimis Deus prodigijs in hanc nostram ætatem ornauit. Multitudinis religiose concurrentis liberalitate constructum est insigne templum. Martyr.

II. S. HIDVLFVS dux. *Molanus, VValdeus.*

FVit Hidulfus inter Austrasios genere, opibus, affinitatibus, autoritate, potentia clarissimus: sed innocentia morum & religione potissimum enituit. Conjugem duxit Aiam, sanctis Waldetrudi & Aldegondi cognatione propinquam, & innocente vita spectabilem matronam: quæ Montibus hodie cælitum honoribus colitur.

Quæ facerent ad propagandum Numinis cultum ipse magna animi promptitudine perficienda suscepit. Cum audijt consilia Waldetrudis de instituenda sanctiore vita, multis ea collaudauit: rogatusque vt opportunam exędificando monasterio conquireret aream, Castrilocum delegit: illudque mox superba mole construxit. Iustius quippe profundendas in Dei honorem opes existimabat, quam in mortalium fastum aut delicias. At paupertatem amabat Christi causa Waldetrudis: & humiles casas præferebat. Denique sanctis eius desiderijs obsequente factum est, vt noctu substructio tota corrueret. Hidulfum ea ruina perculit: sed illius causam a B. Gisleno edoctus, in ejusdem Religionem procurat. Castriloci.

montis

DIE 23. montis latere humiliorem habitationem erexit, addito oratorio in honorem SS. apostolorum Petri & Pauli. Illud est hodie Montibus illustre nobilium canonicarum collegium.

Non hic stetit Hidulfi religio. Ad Sabim in Hannoniæ finibus Lobium condiderat Landelinus, & ad exstruendum Crispinium se recipere cogitabat: Vrsmarum virum ad altissima virtutis generose contendentem substituit Hidulfus: & orientem illam monasticæ scholam opibus & autoritate, quoad mansit vita, sustinuit. Ac denique postquam religiosissime, quemadmodum vixerat, suum diem obijsset, sanctorum fastis adscriptus est. Sacrum eius corpus Lobij per multa sęcula seruatum, Binchium tandem cum reliquis auectum est.

Lobij.

Circiter annum 650.

III. IOANNES DIONANTIVS religiosus Oegniacensis. *Vitriacus, Cantipratanus.*

Circiter annum 1200.

IOannes Dionantius cognomine Hortulanus, a puero virtutem ita consectatus est, vt intaminatam ad mortem vsque virginei pudoris puritatem seruasse creditus sit. Vt adoleuit, abdicatis Christi causa omnibus facultatibus, sacram ascesim Oegniaci suscepit, vbi recens condita Augustinianæ disciplinę academia laudatissimos Christi athletas exercebat. Nec vltimas inter ceteros tenere ipse voluit. Non contentus magnis passibus ad eximiam aliquam virtutem progredi, plurimos alios tum pręclaris integerrimæ vitæ exemplis, tum sanctis adhortationibus ereptos tartarei draconis faucibus in beatam Christi libertatem asseruit.

Multis profuit.

Insignem eius sanctimoniam agnouit Maria Oegniacensis & amauit. Cumque ad illum morbo decumbentem adijsset, frequentes angelos sancto seni serena facie adstantes conspicata, miram præterea suauissimi odoris suauitatem loco afflari sensit, suæque menti ex eo incredibilem voluptatem. Diuinitus insuper didicit illum ad beatam æternitatem mox a morte transiturum, nullis ante supplicijs expiatum. Triplicem porro esse hujus prærogatiuæ causam. Primum quod odia, insectationes, contemptus, æquo animo Christi causa tolerasset: tum quod acerbas a se ipse pro perpetratis noxis exegisset pęnas: ac denique a perdita vita plurimos mortales adduxisset ad Christum. Eam igitur de illius sanctitate concepit opinionem, vt demortui sepulcrum numquam prꝏterire solita sit, quin demisso corpore veneraretur.

Sine purgatorio transijt in cælū.

IV. S. MARIA OEGNIACENSIS *Vitriacus, Cantipratanus.*

CAPVT I.

Ab ipsa pueritia & in conjugio sancte viuit.

NIuellis anno Christianę salutis millesimo centesimo septuagesimo quinto nata est Maria parentibus supra conditionem locupletibus. A primis annis, & quasi cum primo lacte, pietatem, humanarum omnium rerum contemptum, cęlestiumque amorem hausisse visa est. Numquam aut certe raro se ludentibus sodalibus adjunxit, miram præferens in ea ætate morum maturitatem. Sed hoc mirabilius, quod crebro noctu se lecto proriperet, vt e genibus, quas memoriæ crediderat, preces funderet, offerretque Domino quasi vitę primitias. Iam tum, & ab ipsa pæne infantia puræ illi animulæ nescio quam monastices admirationem & amorem Deus impresserat. Si quos Cisterciensis instituti monachos ante paternas ædes forte transeuntes vidisset, suspiciens & admirans illorum habitum, pone illos sequebatur, & cum aliud nihil posset, oculis eorum vestigia legens, premere pedibus amabat.

A prima ætate in virtutem incubuit:

Adoleuit inter hæc pietatis rudimenta: parentibusque inanem vestium luxum obtrudentibus, cum illa constanter respueret, graues ab illis sannas & sarcasmos tulit. Ijs tamen compellentibus anno ætatis decimo quarto consensit in nuptias. Conjugij quidem jugum subijt, iniquiori tamen parentum censurę & imperijs subducta, liberius in Chri-

& liberius etiam in conjugio.

Christianarum virtutum exercitationem incubuit. Meliorem noctium partem labore manuum cum vt plurimum transegisset, precibus deinde tempus bene longum dabat: ac denique naturæ cedens, in duris asseribus, quos in extremam lectuli partem abdiderat ignaro marito, somnum capiebat. Præterea, tametsi viro juncta, clam asperrimo fune corpus arctissime constringebat. *Quod non idcirco* (inquit Vitriacus) *hic commemorare volui, vt probem excessum, sed vt eius feruorem indicem. In his vero & plerisque alijs, quæ singularis gratiæ priuilegio illa fecit, prudens lector meminerit, paucorum priuilegia non efficere legem communem. Itaque virtutes eius imitemur: actus autem virtutum eius absque priuata quadam prærogatiua imitari non poterimus. Etsi autem cogendum est corpus, vt seruiat spiritui, dandaque nobis opera est, vt stigmata Domini nostri IESV CHRISTI in nostro feramus corpore: at tamen non sumus nescij honorem regis diligere iudicium; nec gratum esse Deo sacrificium de rapina pauperis. Nec debemus pauperi ac miseræ carni subtrahere necessaria, sed vitia coercere. Quod vero sanctos quosdam ex familiari sancti Spiritus consilio fecisse legimus, admiremur potius, quam imitandum suscipiamus.* Ita ille sapienter. Aduerte.

CAPVT II.

Virum ad sanctitatem allicit. Christi passione mirabiliter afficitur.

IN eum modum cum viro diu non vixerat, quando seu innocentissimæ vitæ exemplis, seu cohortationibus Diuina omnia spirantibus, illum eo perduxit, vt non modo sanctæ conjugis consilia pateretur, (ita hactenus naturali quadam ingenij humanitate conuiuere cœperat) verum contemptis conjugij illecebris, angelicam aggrederetur imitari puritatem: & communibus ambo studijs celsissimæ virtutis adyta sibi proponerent penetranda. Quod adeo sibi probari testatus est Christus, vt Mariæ promiserit nobilius olim ac suauius in cælo cum suo viro connubium, quod castitatis studio terrenas voluptates rejecissent. Ad meliora virum inducit.

Audiant infelices illi, qui nullo matrimonij fœdere, sed illiciente sola voluptate, illicitis se commixtionibus polluunt. Ecce beati illi conjuges quamquam ætate florerent, a licitis amplexibus Christi causa se abstinentes, æstum feruentis adolescentiæ religionis ardore superarunt, ignem igni extinxerunt, & triumphales coronas meruerunt. Nam fortissimorum martyrum exemplo in igne non ardentes, in voluptatum copia propriam voluntatem mactantes, apud fluuium sitientes, inter epulas esurientes, timoris Dei clauis suam carnem confixerunt. Ea ferme Vitriacus. Fortem castitatem.

Nostra hac ætate sunt, qui perpetuo illibatum etiam in conjugio virginei pudoris florem Mariæ adscribunt: nec ego quidem detractum velim. At sane Vitriacus solam conjugum continentiam prædicare videtur: virginitatem apertius dubio procul expressurus, si res ita habuisset. Ignorare vero non potuit, qui a confessionibus illi diu fuit: nec celare debuit, qui res ab illa gestas adeo studiose & tanto tempore post eius mortem scripsit.

Nullus erat amori Diuino modus. In suburbanum Villembrocum secesserunt, vbi in nosocomio elephantiacis Christianæ caritatis officia impenderent. Atque vt triumphis ne materia deesset, qui opulentos illos venerati fuerant, jam Christi causa pauperes irridebant & aspernabantur. Nullæ nimirum illis suauiores erant deliciæ, quibus illum sequi propositum erat, quem nostri causa fuisse meminerant *despectum, & nouissimum virorum*. Ambo in nosocomio secedunt.

Et vero ab hoc exemplo principium sanctioris vitæ Maria potissimum duxisse fertur. Nam de Christi cruciatibus cum aliquando cogitationes animo versaret, tantum in se dolorem excitauit, vt defluentes vbertim lacrymæ viam madore notarent, qua per templum ipsa gradiebatur. Ex illo diu postea neque crucis aliquod signum intueri, neque de patiente Christo loqui ipsa vel audire potuit, quin vi doloris in ecstasiam abrepta, viribus omnibus deficeret. Quare, seu vt doloris acerbitatem frangeret, seu vt lacrymarum imbrem cohiberet, auertit animum ad Diuinam Christi majestatem, quo tam læta contemplatione potius recrearetur. Secus ac sperarat, euenit. Quo tantam enim majestatem omni veneratione digniorem intelligebat, hoc atrociores agnoscebat ejusdem injurias nullis mortalium lacrymis vnquam satis deplorandas. In Christi cruciatus mire afficitur.

Forte pridie Parasceues e Dominicæ passionis attentiore meditatione vberius lacrymæ

DIE 23. profluebant, violentaque erumpebant pectore suspiria; commonuit eam quidam sacerdos, vt compressis lacrymis in silentio Deum oraret. Illa vt pro sua modestia & columbina simplicitate omnibus studebat obtemperare, cum jam intelligeret in sua potestate non esse, templo pedem efferens, in solitarium se locum recepit; rogauitque Dominum illum sacerdotem vt doceret non esse in hominis potestate ea fluenta sistere, quę flante spiritu vehementi cœperint. Eodem ergo die cum sacris operaretur ille presbyter, aperuit Dominus cataractas, & non fuit qui clauderet. Tanto ille perfusus est lacrymarum imbre, vt præfocari vereretur: quem quo magis sistere niteretur, eo copiosius non modo vestes, verum ipsam aram perfunderet. Gnara totius rei Maria, licet abfuisset, sacerdoti secundum rem Diuinam occurrens dixit: Tuo experimento didicisti, non esse humani arbitrij constringere, quod Deus laxauerit. Perpetuus pæne Mariæ fuit hic imber: non diebus, non noctibus arescebant oculi: nec vestes modo irrigabant, sed in terram defluentes lacrymę, pulueri permixtę lutum efficiebant. Quod vt impediret, conabatur illas excipere velo, quo caput tegebat. Id autem crebro permutare cogebatur, propter imbrem illum continuo depluentem. Interrogatam an post longa jejunia, vigiliasque multas ea lacrymarum copia caput non læderetur, in hęc verba respondisse Vitriacus ait: *Hæ lacrymæ sunt refectio mea: hæ sunt mihi panes die ac nocte: nec caput affligunt, sed mentem nutriunt: non dolore vllo afficiunt, sed animam quadam serenitate exhilarant: non cerebrum euacuant, sed animum satietate implent, & suaui quadam mulcent vnctione, dum non vi extorquentur, sed a Domino sponte suppeditantur.*

Copia lacrymarum.

CAPVT III.

A peccatis munda, mirabili tamen inedia corpus castigat.

Mira animi puritas.

MIra fuit animi puritate. Tanti fortasse quispiam non æstimabit, quod juratus affirmat Vitriacus, nullum se potuisse grauius in illa peccatum deprehendere. At eximium illud, & imitatione dignum est. Si quando leuius aliquod admisisse se crederet, tanto illud animi dolore, tanta verecundia & rubore ad sacerdotis pedes allapsa confitebatur, vt plerumque ex cordis angore parturientis instar exclamare cogeretur. Leuiores autem ejusmodi noxas cauebat tanta sedulitate, vt totos quindecim dies sæpe nullas aduerteret, quas vel cogitatione minus ordinata designasset. Et quia purarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi nulla est, sacerdotum pedibus aduoluta, quædam ejusmodi cum lacrymis fatebatur, quæ audienti subinde risum mouerent; puta verba quædam puerilia, quæ se primis annis protulisse accusabat.

Eccli. 19. 1.

Adulta porro monitum sapientis *Qui spernit modica paulatim decidet*, alte sic animo impresserat, vt nec lingua, nec oculis, nec corporis habitu, compositioneue, aut aliquo gestu, nec immoderato risu indecorum aliquid aut incompositum notari posse videretur. Nonnumquam tamen ea vehementia mentem cælestis æstus agitabat, vt ipsa sui non potens, vultu supra morem exhilarato, corporisque liberiore motu, ardorem animi prodere cogeretur, vel e cordis serenitate moderatum risum edendo, vel aliquam e sodalibus modesto ac pudico complexu humanissime constringendo, vel sacerdotis manus pedesve summa veneratione osculando. Sibi demum reddita cum ante somnum ad rationis trutinam sua omnia seuera censura reuocaret, si quid modum excessisse comperiret, admiranda pænitudine se ipsa incusabat, & seuerissimas a se pænas exigebat, non raro illic trepidans, vbi nullus erat timor.

Quanta vero austeritate vel admissas noxas expiaret, vel spiritui corpus subijceret, qui explicare voluerit, vix fidem inueniet: qui imitari aggredietur, ferme temere faciet. Semel in die sub noctem cibum non aliter ac medicamentum aliquod parcissime sumebat. Carne numquam vescebatur; piscibus non nisi minimis, & raro: nec vini quidquam admittebat. Viuebat fere fructibus arborum, herbis, & leguminibus. Aterrimo vtebatur asperrimoque pane, quem vix canes imminuerent: ejusque asperitate sic fauces lacerabat, vt sanguis emanaret. Quę quidem vulnera demulcebat illa Christi patientis vulneribus: angelicique panis dulcedine tantam panis duritiem condiebat. Tribus annis a medio Septembri ad pascha vsque panem tantummodo & aquam sumsit. Nec tamen operi diurno vires vnquam defuerunt.

Prodigiosa cibi abstinentia.

Quo studiosius omnem e cibis voluptatem respuebat, hoc vberius cælo spiritus delicias

Digitized by Google

cias Deus affundebat. Edenti nonnumquam cælitum plerique adstiterunt; suaque præsentia tantam attulerunt eius animo voluptatem, vt nullam e cibis sentiret suauitatem; illosque adeo fastidiret. Ejusmodi porro delicijs ita corpori vires accrescebant, vt totos octo vndecimve dies nullum cibum aut potum admitteret, nullo plane valetudinis aut virium detrimento. Ea vis autem cælestis illius voluptatis erat, vt si quam maxime voluisset, non posset escarum quidquam in stomachum traijcere, dum tandem suæ naturæ redderetur. Euenit aliquando vt triginta quinque solidos dies nil cibi degustans, in tranquillo ac felici silentio cum Domino quiesceret, nec vllum per aliquot dies effari verbum posset, nisi hoc solum: Volo corpus Domini nostri IESV CHRISTI. Quo percepto ad silentium reuersa cum Domino permanebat. Illis vero diebus animum sentire videbatur tamquam a corpore separatum, quo non aliter ac luteo vase seu vestimento clauderetur. A sensibus ergo, rerumque corporearum vsu mens in quamdam ecstasim rapta, post quinque denique hebdomadas corpori reddita, mirantibus omnibus loqui cœpit, ac cibum sumere.

CAPVT IV.

Nobili pugnæ genere sui victrix, cælitibus curæ & amori est.

NOn vno victoriæ genere exultabat Maria. Rationi corporis animique appetitiones omnes indefesso labore subjugabat, vt liberior hoste victo spiritus in cælestia efferretur. Hanc in primis Christi Domini inuitationem animo voluere solita est: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me*: atque ceu rectissimam tam certo duce viam ingressa est. Parum arbitrata, omnem terrenorum spem abdicasse, nisi sui victrix, propriæ voluntatis arbitrium alienæ voluntati substrasset: crucem tulit, suscepta corporis acerbissima maceratione: ac denique Diuino succensa amore, Christum quam proxime sequi instituit. Matth. 16. 24.

Tribus his gradibus ad altissima virtutis enitebatur. Quorum vt altissima est Christi imitatio, ita & validissima ad ceteras aliorum difficultates perrumpendas, & percipiendam ex illis miram suauitatem. In memoriam aliquando redijt, se vino carnibusque vsam esse breui aliquo tempore, quod prostratas graui ægrotatione vires judicatum esset ita fuisse instaurandas. Nimiæ illius quasi conniuentiæ horrore perculsa, prius conquiescere non potuit, quam illam (vt appellabat) mollitiem mirabili cruciatu castigasset. Nam spiritus ardore velut ebria, præ suauitate carnium agni paschalis, suum exosa corpus, non exiguas eius particulas cultello abscindere non exhorruit, & in terram abdidit. Vulnerum cicatrices postea viderunt, quæ demortuæ corpus lauerunt feminæ; & vt facti ignaræ erant, grauiter admiratæ sunt. Seueritas indefessa.

Corporis ergo pondere mens expedita, liberius in Deum tollebatur, a quo vix vmquam recederet, sed cum eo familiariter versaretur, etiam operi manuum intenta: & tanta subinde trahebatur vi, vt sui potens non relinqueretur. Ardorem eius ac constantiam mirare. Totos quadraginta dies Numini non raro sic consecrabat, vt quotidie millies, & centies Virginem-matrem e genibus salutaret. Sexcenties primum mirabili mentis vehementia procumbebat in genua. Tum Dauidicum psalterium stans legebat, ad singulos psalmos addita flexis genibus angeli salutatione. Efferuescente deinde spiritu ter centies in terram prouoluta, se virga cædebat. Tribus autem vltimis ictibus tamquam in aliorum condimentum, magna copia cruorem eliciebat. Quinquagies denique flexis genibus perficiebat sacrificium. Ardens religio.

Ne diutius orationem abrumperet, parcissimo somno vtebatur. Pro lecto perparum straminis substernebat, in quo quiesceret; sed hoc admodum raro. Vt plurimum in æde sacra breuissimum capiebat somnum capite ad parietem inclinato. Nec otiosus erat somnus. Orationem posses appellare. Nam vt dormientibus ea potissimum recurrunt, quæ ipsi amant; cum vnum Deum sic amaret Maria nostra, vt vnum illum pectoris hospitem admitteret, ille vnus etiam dormientis animo obuersabatur, non per somniatis cerebri ludificationes, sed per veras futurarum rerum imagines, quibus carissimæ suæ sponsæ mentem, vt veteres olim prophetas, illustrabat. Vbi quod naturæ satis esset quieuerat, ad precationem reuertebatur, sed eo familiarius, quo ab hominum frequētia nocturnis horis remotius aberat. Oranti frequentes aderant cælestes genij: suauissimoque concentu omnem Somni sanctitas. Cum cælitibus familiaritas

DIE 23. nem abigebāt somnolentiam ac torporem, & ad Dei laudes secum cōcinendas inuitabant, mirabilesque in eius pectore Diuini amoris ignes accendebant. Sed ij potissimum aduenire solebant cælites, quorum sacras reliquias in eo templo religiosis illis vigilijs venerabatur; & festam noctem cum ea ducentes, suauissima dulcedine animum illius demulcebant. Imo cum eo morbo dejecta est, qui lethalis fuit, non modo pro excubijs gratias habuerunt, & illam consolati sunt, sed & patrocinium apud Deum, & pro vigilijs præmium promiserunt.

maxime Angelo custode,

Cælestem agebat vitam Maria, tum quia cūm cælitibus, tum quia cælitum arbitrio. Custodis enim angeli seu præsidis sui ducatum secuta, intelligebat quando domi in lecto, quando in sacra ęde somnum capere liceret. Vbi celebriores quidam festi dies imminebant, in templum ab illo deducebatur, nec alio loco quiescere poterat. Dies igitur ac noctes ibi permanere cogebatur. Longioribus aliquando confecta jejunijs, quiescere jubebatur; ac post breuem somnum excitata ad precationes redire. Ejusdem vehementiore hortatu, atque adeo præsidio rem arduam neque prodigio vacantem aggressa est. A S. Martini festo die vsque ad quadragenarium jejunium nullum nisi in templo somnum cepit: rejectoque omni stragulo ac puluinari, aliter quam in nuda humo quiescere numquam potuit; nec alias in eo delicias admisit, quam altaris gradū, cui ceu puluinari caput acclinaret. At illa hieme tanta fuit vis frigoris, vt vinum in calice sub rem Diuinam gelu constringeretur: nec tamen illa vel aliquod valetudinis passa est detrimentum, vel ipsum etiam frigus sensit. Sic ait diserte Vitriacus, angeloque protegenti tribuit: ac subdit.

eam regente,

& protegente.

Aduerte.

Væ vobis qui dormitis & lasciuitis in stratis vestris, & in lectis eburneis; qui mollibus delectamini, in vestris voluptatibus mortui & sepulti: qui ducitis in bonis dies vestros, sed in puncto ad inferni nouissima descendetis; vbi subter vos sternetur tinea, & operimentum vestrum erunt vermes. Ecce famulæ Christi, dum suo Domino religiose seruit, humus obsequitur, ne eius duritia atteratur: parcit hiems, ne frigore crucietur: sancti ministrant angeli, ne vlla ex parte lædatur. Contra vos autem insensatos pugnabit orbis terrarum pro Domino: armabitur creatura Dei ad vltionem inimicorum eius; quæ suo autori deseruiens, aduersum vos excandescet, de vobis supplicium sumtura. Sic ille.

Affine est quod subjungo. Fuit illi solemne nonnumquam Oegniacum ad ędem Dei parentis religionis causa proficisci. Duorum milliarium iter erat; quod rigente quamquam hieme nudis pedibus ingressa, nulla tamen lęsione peragebat, ancilla vna deducente: cumque via esset admodum flexuosa, siluisque impedita, nec illam calleret; numquam tamen aberrabat, lucem quamdam scilicet antecedentem & signantem iter secuta. Atque illo quidem die cibi nihil sumebat: noctem autem solidam in templo ducebat insomnem: alteroque die ad vsque solis occasum jejuna permanebat, ac denique domum reuertebatur nulla corporis fatigatione, cum iter facientem angeli dextra læuaque sustinerent. Alias decidente magno imbre, cum vestes non ferret excipiendę pluuiæ aptas, vidit nubes quibusdam quasi stellis ita contineri, vt intacta ipsa permaneret.

In via rursum erat cum duobus familiaribus, quando atris nubibus impendentibus, pluuiam omnes timere cœperunt, & procul erant omni tecto, sub quod se reciperent. Sublatis in cælum oculis ad Deum ipsa se conuertit: & statim ingruente pluuia per omnes late campos, vt stagnare quodammodo viderentur; tota via ad octo vtrimque cubitos mansit intacta. Alter e comitibus sanctę feminę familiarior ex ea priuatim postea sciscitatus est, cui tribuendum esset tantum prodigium: S. Ioanni Euangelistæ, inquit illa; quem ego quidem in aëre vidi Dei omnipotentis imperio nos protegentem.

Sabim aliquando visa est sicco vestigio transmittere, aliquando nauigio, quod cum antea procul abesset, breuissimo temporis momento appulsum est eo, vbi erat illi transeundum. Sic amicis Dei parent ad nutum omnia.

CAPVT V.

Ad sublimem orandi modum euehitur.

QVam sublimi vsa sit orandi genere dicendum erat: sed ne quid verbis viderer auxisse, accipe lector ab erudito grauissimi illius viri calamo, cui perspectæ fuerunt omnes

omnes eius vitę rationes. Sic ille scribit: *Sublimius plerumque volans per diem integrum, nonnumquam per plures dies, nihil ad inferiora reductis cordis obtutibus, in solem justitiæ, instar aquilæ suos habebat oculos defixos: cujus solis radijs ab omnium rerum sensibilium humore siccata, ab omnium corporearum formarum nube purgata, absque vlla phantasia vel imaginatione formas simplices & Diuinas, perinde vt in mundo speculo, in anima sua suscipiebat: relegatisque formis sensibilibus, vniformes & immutabiles rerum supercælestium species in eius animo tanto purius resultabant, quanto summæ illi & simplici atque incommutabili majestati propius conjungebatur. Cum autem subtilis & extenuatus spiritus eius, atque incendio pij amoris concrematus, tamquam virgula fumi ex aromatibus super cælestia penetraret, & quasi per gradus quosdam in regione viuorum perambulans, per vicos & plateas quæreret, quem diligebat; nunc sanctarum virginum delectatus lilijs, nunc sanctorum martyrum rosis odoriferis recreatus, nonnumquam a sanctorum apostolorum senatu honorifice exceptus, interdum angelorum cœtibus admixtus: denique superatis gradibus omnibus, cunctis paradisi regionibus summa cum lætitia peragratis, cum omnia pertransisset, inueniebat eum, quem ardenter desiderabat: & tum demum perfecte quiescebat, atque illic immobiliter defixus hærebat, omniumque posteriorum oblitus, non jam pro amicis quantumcumque caris poterat orare; sed neque de sanctis angelis cogitare. Omnes enim quasi post se relinquens, illi adhærebat, quem auidissime sentiebat.*

In hunc modum sanctæ illius animæ mirificas ascensiones describit Vitriacus: quibus ab humanis sic illa abducebatur, vt plerumque ab ascetis Oegniacensibus sub meridiem aut solis occasum campanis pulsantibus percontaretur, an matutinis precibus signum darent. Suauiter alias cælestibus delicijs delibuta, cum tres solidos dies in lecto jacuisset; breuissimam ipsa temporis moram intercessisse credebat. Mirabili vero affectionum varietate, esuriebat modo Deum, modo sitiebat: & juxta illud Sapientis: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient*: quo magis Dei suauitatem perceperat, eo vehementius eius desiderium sentiebat incendi. Itaque angebatur subinde, clamabat, suppliciterque obtestabatur, apud se vt maneret; & ne desereret, quasi inter brachia complectens illum stringebat, obsecrabatque cum lacrymis, liberiorem vt sui potestatem faceret. Nonnumquam tribus eoque pluribus diebus sibi videbatur illum veluti paruulum inter vbera commorantem pectori apprimere; atque vt omnem fugeret arbitrum, latebras quærebat. Interdum cum illo ceu puero ludere, & eum osculari videbatur. Quandoque velut agnum in illius sinu, alias instar innocentis columbæ pius virginis filius suæ sponsæ se exhibebat. Celebrioribus vero festis ea fere specie se offerebat, quæ solemnitatis rationi magis conueniret: raro tamen obijciebatur e cruce pendens, quod proficiscentem ex eo dolorem illius vires ferre non valerent. *Eccli. 24. 29.*

Non parum admirationis hoc parit, quod interdum octo diebus ante sanctius aliquod festum nescio quo delibutam gaudio mentem excitari sentiebat ad illud celebrandum: & cui e superis sacer ille dies erat, is vt plurimum significabat; & ipso die aderat cum splendido aliorum cælitum comitatu, simulque omnes magna animorum exultatione festum diem agebant. Illud etiam mirabilius, quod ab ignoto his regionibus sancto quandoque præmoneretur & cum illo festum his terris minime vsurpatum celebraret. Quid vero, quod nescio qua mentis motione festos dies a profanis discerneret, tametsi nesciret cui sancto sacri essent? Ea porro frequentiore cum superis consuetudine consecuta est, vt ipsos internosceret non aliter ac vicini familiaresque ab hominibus dignoscuntur.

CAPVT VI.

Vni Deo adhæret. Præcipua eius in VEN. EVCHARISTIAM *religio.*

INter hæc quæ commemoraui, tantis e cælo fruebatur delicijs, vt ei desiperent humana cetera, a quibus tamen solatia tam sæpe plurimi mortalium emendicant, depellendis hujus vitæ fastidijs aut ærumnis. Sed cui cælestes affluebant voluptates, nihil ab hominibus requirebat; a quibus præter strepitum & turbas nihil sperare posset: in pace vero esset locus illius, quem super omnia desiderabat. Gratius ergo nihil illi fuit solitudine ac silentio, quo familiarius cum Deo superisque versaretur. Deo fuit idem longe gratissimum. Nam cum aliquando a medio Septembri ad Pascha vsque silentium ea seueritate obseruasset, vt nec vnum quidem verbum esset prolocuta; illius hoc ei præmium Deus promisit, vt ad cælum a morte recta perueniret, nullis ante purganti- *Silentium*

bus

bus flammis expiata. Tanti Deus silentium æstimat: sic amat cum solis hominibus solus agere.

eiusque præmium.

Et vero sola minime fuit Maria nostra, cum sola erat. A cęlitibus visebatur frequentissime. Per angelos illi non raro salutem sancti dicebant. Familiariores fuisse videntur S. Ioannes euangelista, S. Bernardus, & S. Nicolaus templi Oegniacensis patronus: a quibus immensum ad sanctitatem animo robur accrescere sentiebat. Sed mirabili illam beneuolentia fouebat ipse Sanctus sanctorum; qui cum eius mentem ad cęlestia raperet, caput illius amantissime genibus excipere videbatur. Cum domi sola cæloque intenta aliquando sederet, hanc ad illam amantissimus parens vocem demittere dignatus est: *Hæc est filia mea dilecta, in qua plurimum delector.*

Inter has sancti amoris delicias, eius fortitudinem probare voluit, tristi sane viso. Mortua matre, de illius salute plurimum sollicita cum diu orasset Maria, forte sub sacrum aliquando spiritus ater adfuit, qui se matrem eius esse affirmaret, frustraque esse omnes pro se fusas preces, cum æternis illam suppliciis Deus adjudicasset, quod injuste parta a majoribus bona dimittere noluisset. Aderat Oegniacensis prior Ægidius, colloquentesque audiebat, sed spiritum minime videbat. Filiam percellere debuit infaustus ille nuntius: verum Dei amorem, justorumque eius judiciorum venerationem nihil concutere potuit: sinceri quippe amoris lex illa est, vt idem velint amantes, idemque nolint.

Amor in Ven. Sacramentum.

Etsi Mariæ nullum aliud fuisset Diuini in se amoris argumentum, quo ad redamandum pelliceretur, id vnum plus satis erat, quod ducebat e sacrosancto VEN. EVCHARISTIÆ mysterio. Quod scite ipsius Vitriaci verbis explicatum accipe. *Etsi præ desiderio æternæ fruitionis, præ amore visionis Dei, & pro dilatione æternæ beatitudinis in hoc exilio langueret, vnicum tamen & summum erat ei remedium & singulare solatium manna & panis cælestis, donec veniret ad terram promissionis. Ex eius perceptione angor cordis & desiderium temperabatur, dolores omnes leniebantur, spiritus confirmabatur. Summo hoc & celsissimo sacramento freta, omnes peregrinationis hujus ærumnas patienter tolerabat, omnesque miseræ hujus vitæ defectus hoc cibo vegetata parui pendebat. Panis sanctus cor illius confirmabat, vinum sanctum mentem eius sanctificans inebriabat, Caro sancta saginabat, Sanguis viuificans abluendo purificabat. Hoc vno solatio diu carere non potuit. Corpus Christi edere, hoc illi viuere erat: ab illo vero diutius abstinendo separari, hoc ei erat emori: jamque in hoc sæculo sua experientia didicit, quod Christus in euangelio dicit: Nisi manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Nec erat ei durus hic sermo, sicut Iudæis, sed suauis: quippe quæ omnem delectationem, & omnem saporis suauitatem in eius perceptione, non solum intus in animo, sed etiam foris in ore persentiret: cum plerumque sub specie pueri cum mellis gustu & odore aromatico, in puro & bene ornato cordis sui thalamo Dominum suum felicissime susciperet. Nonnumquam vero cum sitim vitalis Sanguinis eius diutius ferre non posset, post missarum solemnia petebat sibi copiam fieri vel nudi calicis in altari diu conspiciendi.* Hęc in eum modum Vitriacus.

Ceterum vt cordis desideria fere sequuntur oculi: cum aliud non poterat, libenter arculæ aspectu fruebatur, in qua augustissimam EVCHARISTIAM seruari moris est. Contigit aliquando Christum Dominum sanctis eius desiderijs obsequentem, cum in eam partem oculos ipsa conuertisset, se videndum præbere specie pueri mirabili luce splendentis. Interrogata deinde cujusmodi fuisset ea lux, respondit, quanto candelæ lumine splendidius est lumen solis, tanto majorem eam lucem antecellere omnem solis fulgorem.

CAPVT VII.

Dæmonem humanæ salutis aduersarium infestat.

Odium peccati.

INcensum illum Dei amorem comitabatur acerrimum odium eorum, quæ infinitæ illius bonitati aduersabantur. Peccati in primis tantus eam horror incesserat, vt nullam illius vel memoriam ferre posset. Transibat forte per mediam vrbem Niuellensem, quando venit in mentem peccatorum, quę mortales eo loco perpetrarent, tantoque se commoueri dolore simul & indignatione sensit, vt erumpentes pectore clamores comprimere non valeret. Vrbe egressa, pedibus pellem detraxisset, qui loca tot sceleribus

bus

Digitized by Google

bus contaminata calcaran:, si cultellum ancilla non subduxisset. Grauem sane non animo dumtaxat, sed & pedibus dolorem sentire se affirmabat: quos terræ cum sæpius fortiter allisisset, vix tandem quiescere poterat. Peccati hoc odium erat, non hominum: quos a Deo conditos ad eius imaginem non amare non poterat, quamdiu spes erat eos tam sæua tyrannide liberandi.

Sed omnis mali incentorem Deique aduersarium cacodæmonem implacabili odio persequebatur: quem adeo exagitabat, & subinde quibusdam quasi vinculis constrictum ad se pertrahebat precum suarum virtute, vt adesse compulsus modo dentibus in eam strideret, modo cum vlulatu de illa quereretur, alias supplex secum mitius agi postularet. Eum vero tum maxime sic agitabat, quando aliquem e suis necessarijs grauius ab illo sciebat impugnari.

Cuidam eius amico illudebat ementitus angelicam lucem impius veterator, & per quietem subinde de erratis illum arguebat, ad rectum quandoque cohortabatur; vt oblatum scilicet eadem manu postea venenum incautius ille hauriret. Iamque sibi fidem conciliarat, & in turpem fraudem illum erat deducturus, nisi præstigias Maria detexisset, diserteque asseruisset non esse sinceram & a Deo lucem, quam sibi ipse gauderet affulgere. Nec tamen omnino persuadebat. Ad preces ergo conuersa, non prius destitit, quam quod in votis habebat obtineret. Oranti adfuit cum multo gemitu & pudore mendax ille spiritus, magna tamen luce resplendens. Adulterinam agnouit esse sancta femina: quęsijque quis esset, & quod illi nomen. At ille elato supercilio, toruisque oculis illam intuens: Ego sum, inquit, ille cui tu fidum amicum, arcta pridem necessitudine conjunctum eripere moliris: quem breui meis retibus inuoluturus eram, nisi obstitisses. Somnium autem mihi nomē est: quod multis, sed ijs potissimum qui asceticam profitentur, per somnium fucatam lucem obijciam, qua decepti sibi turpiter blandiũtur, & credũt sua se virtute promeritos vt Diuina luce perfundantur, angelorumq; fruantur alloquijs. Quibus dictis abijt e conspectu, saniorique; deinceps homini libertatē reliquit. *eiusque conatus repri-mit.*

Cistercie nsem amplexa disciplinam virgo quædam, insignes pro ætate sexuque virtutum fructus produxerat. Inuidit impurus genius; atque vt timidam nouerat, obscœnis eam cogitationibus fatigare instituit. Generose primum illa restitit: sed vt produci certamen sensit, cum nemini suæ mentis statum aperiret, & dæmonis ignoraret præstigias, animum despondit, & in desperationem prolapsa est. Atque illam eo paulatim depresserat impius tyrannus, vt nec ad spem meliorum erigi posset, nec instituta diuinitus salutis adminicula vellet admittere. Adductā ad se recepit Maria insigni caritate, eamq; adjuuare exorsa, cum repugnantem magna pertinacia hostem aduerteret; quadraginta dierum jejunium sic aggressa est, vt quot hebdomadibus iterum aut tertio dumtaxat cibum sumeret; preces autem & lacrymas jungeret magno animi ardore constantiaque. Ad extremum denique debellauit. Ita confessus est teterrimus ille spiritus, relicta puella venire coactus ad Mariam cum gemitu & pudore. Nam ab angelo Domini mirabiliter vinctus ac cruciatus, videbatur ejectis vomitu visceribus intestina omnia e collo gestare. Christi ergo ancillam lacrymabili voce rogat, sui vt misereretur. Se quidem jussum adesse, & quamcumque pęnam imperasset, subire. Hæsit ad hæc Maria; quę sine consilio in re tanta nihil sibi sumendum esse credebat. Accitus quidam e familiaribus rerum sacrarum in paucis gnarus, ablegandum aiebat dęmonem in auiam aliquam solitudinem, in qua ad vltimi vsque judicij diem mortalium nemini noceret: superuenit mox alius vtrique familiaris; qui audito deliberationis argumento, vt vehementioris erat spiritus: Nequaquam, inquit, sic euadet ille furcifer. Iube potius ad ima inferorum loca confestim abire. Iussit illa: abijt dęmon cum diro vlulatu, quem horrendus tartareorum spirituum clamor subsecutus est. *Dæmonis fraudes detegit*

CAPVT VIII.

Mira dicendi suauitate & precum vi homines juuat.

QVam oderat peccatum, eique implacabile bellum indixerat beata Maria, tam virtutem amabat, & per illam ad Deum quoscumque mortales studebat adducere, mirabili dictionis vi ac suauitate. Nimirum (ait Vitriacus) *gustauit & vidit quoniam suauis est Dominus, cum sicut adipe & pinguedine repleretur anima eius, & de sponsi labijs mel atque lac sugeret,*

Digitized by Google

fugeret, & in horto voluptatis manna absconditum manducaret. Hujus mellitissimæ sapientiæ dono cor eius medullitus afficiebatur, verba edulcabantur, cuncta opera spiritualis vnctionis suauitate imbuebantur. Illa scriptor hic grauissimus. Quæ ne supra modum temere videatur auxisse, sic alias etiam clarius explicauit. *Ex mutuo colloquio quibusdam dulcedinem stillabat: idque adeo vt non modo spiritualiter in animo, sed sensibiliter etiã ceu mellis quemdam gustum in ore perciperet. Sed hæc audient duri & tardi ad credendum, & murmurabunt. Qui vero ejusmodi Diuinas consolationes experti sunt, facile sibi persuaderi sinunt, memores illius in Canticis: Fauus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua. Vnde cum vir quidam eximius, licet suo ipsius judicio exiguus, (qui pro singulari modestia, & humilitate atque insigni caritate ex longinqua regione ad eam inuisendam venerat) cum illa loqueretur, ex eius conspectu tantam percepit consolationem, ex sermone vero tantam dulcedinem, vt toto illo die mellitum gustum, quem in ore sentiebat, nullus cibi corporei sapor abolere posset.* De rei veritate dubitari non sinit illius hominis autoritas. Fuit is magnus ille fidei catholicę aduersus Albegenses propugnator Fulco Tolosæ espiscopus: cujus plus semel meminimus.

Hac ergo mellea fortitudine mirum quos in hominum animis motus ad honesti amorem excitauerit Maria. Plurimos humanarum rerum illecebris expeditos induxit ad amorem cælestium: quosdam etiam ad monasticen amplexandam, duos e fratribus suis ad disciplinam Cisterciensem. Diffusa vero longe lateque sanctitatis fama multos ad visendum inuitabat, nonnullos vt sanctis eius præceptionibus instituerentur, alios vt communirentur precum pręsidio; alios denique solo cognoscendi studio. Sed hos ad se venire cum diuinitus aliquando pręsensisset, abibat nonnumquam in remotiora rura, aut in siluas se abdebat, ne rerum cælestium contemplationem abrumpere compelleretur. Quod ipsi non raro tam graue fuit, vt dum vim sibi facit, diruptis quasi visceribus purum magna copia sanguinem euomeret. Sed omnem ejusmodi dolorem parui faciebat, & liquidiores cæli delicias magna promptitudine relinquebat, si quando sciret, aut etiam diuinitus acciperet aliquos necessitate compulsos ad colloquium aspirare: imo quandoque inuitabat.

Sanctus secessus.

Virum nobilem & popularem suum a mundi crepundijs reuocatum ad persequendam omnis honesti dignitatem adduxerat. Indoluit dæmon plurium annorum prædam eripi; vsque eo vt turpissimis probris ac minis in sanctam feminam quandoque rabiem auderet effundere. Nec tamen omnem spem abjecit eum in suam potestatem reducendi. Et sane optatis prope aberat, cum forte aliquando graue aliquod periculum incautius vir ille subijsset. Nam turpi rerum antea generose contemptarum desiderio tentatus, pæne jam manus dabat, quando inter orandum hoc e cælo didicit Maria. Hominem confestim aduocat, temeritatis arguit, reuocat ad meliora, in sancto proposito confirmat. Paruit ille consilijs, constanterque perdurauit. Et cum subinde ab hominibus terrena sapientibus acerrime vel sarcasmis vel illecebris impugnaretur, inuicta fortitudine contempsit: aut si nonnihil forte concuteretur, Maria mox precibus aderat, illius periculum diuinitus edocta, & e cælo vires aduocabat.

Alias cælesti luce perfusa, dæmones vidit callidis machinationibus retia componentes, quibus aliquem ex eius familiaribus inuoluerent. Illa probe periculi grauitatem edocta, confugit ad preces & lacrymas; dierumque quadraginta jejunium adjunxit. Misertus ancillæ suæ Dominus significauit discussum esse periculum alias grauissimum.

Cisterciensis instituti monachus vana persuasione contendebat recuperare primæuam naturę integritatem, Adami lapsu olim vitiatam: cumque irritus diu fuisset conatus, in turpem abijt desperationem, quasi in illo corruptionis statu salutem consequi minime valeret. Noxas enim omnes quantumcumque lęues existimabat mortiferas: atque adeo sacram Synaxim vitabat, quamquam instituti sui legibus teneretur. Ardentes ad Deum pro illo preces fuderant sodales; neque prædam dimittebat turpissimus impostor cacodęmon: quando Mariæ virtutem expertus abbas, ad illam suum monachum adduxit. Ad consuetum precationis præsidium illa se conuerterat: ecce missæ principio cum solemni formula monachus Deo sua peccata confiteretur, tot atros calculos eius ore videt excidentes, quot verba pronuntiabat: & intellexit abstersam esse desperationis omnis fuliginem. Et reuera peracto sacrificio, tamquam e longinqua regione reuersus ad se monachus, VEN. EVCHARISTIAM rite percepit, serena deinceps animi tranquillitate fruiturus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IX.

Morientibus, item mortuis insigni caritate auxiliatur.

QVam suis precibus vim a Deo tribui sentiebat, eam omnem agentibus animam, aut vita jam defunctis sollicite impendebat. Nimirum quę maxime indigentibus minime deest, ea porro sincera est caritas. Femina quædam Oegniacensium ascetarum ministra extremum cum morte, & magis cum inferis non leui discrimine certabat. Accepit hoc diuinitus Maria: statimque opem laboranti latura prouolat. Cubile ingressa, vbi jacebat infirma, & dæmonum prędę inhiantium ingentem conspicata multitudinem, ijs strenue se objecit, non precibus tantum, sed & pallio ceu muscas illos abigere conata. Sed cum magna pertinacia repugnantes sentiret, magnoque nihilominus ardore Christi patientis cruciatus & sanguinem opponeret: illique contra peccatorum grauitatem turpi calumnia obijcerent; illa Diuinæ pietatis fiducia robustior, in hæc tandem verba prorupit: Domine ego pro hac anima fidejubeo. Peccauit, fateor, at sacra confessione peccata expiauit. Quod si aliqua forte negligentia, vel etiam ignoratione, nonnulla silentio prętererit; concede dum adhuc tempus est, legitimum expiationi dolorem. Fugatis tandem cum ignominia dæmonibus, vbi pacis angelos vidit aduentantes, post habitas pro victoria Deo gratias, jam sedatior ad se redijt: receptoque mox pallio, quod in illo conflictu abjecerat, perfusa rubore ad tuguriolum recurrens, in illud se abdidit.

Plena non fuit caritati illa victoria. Sollicita erat de statu illius animę, pro qua fidejusserat. Die festo principum apostolorum inter orandum didicit e S. Petro & diros cruciatus, quibus torquebatur illa anima, cæloque parabatur; simul & cruciatuum causas. Magno torrebatur ardore, quod fluxas mundi voluptates ardentius amasset. Propter desidiam ac veternum, quo torpuerat in virtutum exercitatione, sed maxime educatione liberorum, & reliquæ domus recta administratione, acerrimo cruciabatur frigore. Intolerabili præterea siti torquebatur, quia pocula plus satis amauerat. Immodicum denique vestium luxum nuditas turpis castigabat. Miseranda feminæ species Mariam impulit jam ante ad animas mortuorum promeritis supplicijs leuandas non leuiter propendentem, vt omni qua posset ratione non ipsa modo, sed alij præterea plurimi eius rogatu opem impenderent.

Ejusmodi caritatem accendit aliquando Deus in illa mirabili viso. Multas quasi supplicantium manus ad se protensas in tuguriolo suo viderat; nonnihil exterrita fugit ad ædem sacram. Sed altero rursum die cum idem se visum offerret, iterumque ad fugam ipsa se pararet, visæ sunt ipsam primum retinere manus illæ; sed cum deinde se proripuisset in templum, Deum consuluit, quid id portenderet. Respondit Dominus animas illas, quę purgantibus flammis hujus vitæ noxas expiant, eius opem implorare, ne Diuinæ contemplationis dulcedine a ferendo miseris auxilio abstraheretur.

CAPVT X.

Dono consilij & prophetiæ pollet.

MAgna vis est precum ad Deum factarum: itaque plurimis auxilio fuit B. Maria; cum non obtineret dumtaxat quæ salutaria credebat, sed illa cum Deo familiaritate consequeretur miram agendarum rerum peritiam, ex ipso nimirum haustam Diuinæ sapientiæ fonte. Nam in primis nihil ipsa temere, & sine prudenti deliberatione aggrediebatur. *Quid enim* (inquit Vitriacus) *sine grauitate, & absque consilij maturitate facere posset, cujus mentem impleuerat, & inhabitabat is, qui de se ipse dicit: Ego sapientia in consilijs habito, & eruditis intersum cogitationibus? Etsi autem familiari Sancti Spiritus consilio vteretur, quamuis Diuinis scripturis satis esset instructa: attamen præ eximia animi submissione & humilitate, ne sapiens in oculis suis videretur, propriæ voluntati renuntians aliorum consilijs libenter & deuote se subijciebat.* Indubitatum scilicet illud est sincerę euangelicæque sapientiæ argumentum.

Longo id experimento compertum erat eius familiaribus: qui illa de causa non facile rem alicujus momenti perficiendam in se recipiebant, quin eius mentem explorassent;

rassent; consiliumque auide amplectebantur: e cælo quippe deprompta velut oracula suspiciebant. Certe sententiam rogata, de suo non proferebat: sed postulato spatio, postquam precibus se dedisset, tum denique respondebat, quæ Deus suggereret. Ita crediderunt amici; fidemque fecit euentus. Exemplis supersedeo, ne propositam mihi breuitatem transgrediar.

En tamen nonnulla,quę cælestium arcanorum participem, gnaramque futurorum fuisse demonstrent: id enim certioris amicitiæ testimonium est indubitatum. Mariam autem in amicitiam Deus admisit tribus potissimum ex causis. Primam statuo euangelicam animi demissionem: quia qui in altis habitat Dominus, humilia respicit in cælo & in terra. Altera fuit Marię pietas in afflictos mortales,in peccatores, in purgatorijs flammis detentos: Deus enim misericordiarum est Dominus. Denique studiosa animi ab omnibus rebus conditis abstractio; qui sic vt Deo jungeretur, aptior fuit. Ægidio cœnobiarchæ Oegniacensi quid prędixerit, jam ante narrauimus.

Huic affine est quod addo. Ob sacram templi supellectilem, licet pauperem primis illis cęenobij exordijs, fortuito incendio absumptam, eumdem Ægidium magnus dolor incesserat: quo consolaretur Maria, Diuino afflatu promisit fore, vt jacturam hanc munus quoddam quarto tanto opulentius illi cœnobio impendendum ante decennium compensaret. Nec fefellit euentus. Creatus Ptolemaidos antistes Vitriacus pretiosissima ornamenta Oegniacum remisit. Qui deferebat, quindecim dierum spatio totum mare Mediterraneum emensus est: quod omnes miraculo simile censebant: instabat scilicet decennij finis: vigintique dies tantummodo superesse comperit Ægidius, quando Oegniaci munus illud accepit.

Toto triennio prius, quam sacrum bellum aduersus Albigenses hæreticos indiceretur, crucisque tessera insignirentur ij, quibus arma sumere animus erat; sæpe Maria affirmauit videre se plurimas cruces in mortalium ingentem multitudinem cęlo delabi: cum tamen his in terris nulla esset hæreticorum illorum mentio. Apud illam vero sæpe querebatur Dominus, sibi omnem illam regionem perijsse, & velut extorrem ex ea se exactum esse, perpetratorum scilicet peccatorum atrocitate, quæ ejusmodi cladibus viam præmunire consueuerunt.

Sacrę inscripti militiæ longinquam expeditionem nonnulli susceperant, insigni religione Christi causam armis vindicaturi; jamque attigerant Montem gaudij, quando ab hostibus circumuenti ferro interierunt. Tantis terrarum spatijs aberat ancilla Christi; vidit nihilominus cęlestes genios lætissimo triumpho cęsorum animos sine vllis purgatorij pœnis in cælum inferre. Quod quidem visum in eius animo tantum ejusmodi peregrinationis ardorem succendit, vt ab ea suscipienda ratio nulla abducere posse videretur, si absque mortalium offensione, femina hoc aggredi potuisset. Cumque necessarij ex illa ridendo quærerent, quid inter armatos imbellis femina conatura esset: Hoc saltem, inquit: Domini mei gloriam, & sanctissimum nomen ibi libera voce prædicabo, vbi impij homines Diuinam eius majestatē blasphemis linguis lacessere non erubescunt.

Atrocem pertulit cladem anno duodecimo captum ab hostibus Leodium: forte ijsdem diebus in Diuinorum meditationem incubuerat Oegniaci B. Maria omnium ignara: & ecce tibi ingentem videt inferorum exercitum, cruentum velut a recenti cęde, partaque nobili victoria elatum. Perstrepebant dissonis clamoribus, jactantes oppressum a se Leodium: grauioraque in posterum minabantur. Exultant scilicet atque adeo triumphant mutuis hominum cædibus inferi; æque ac pace concordiaque superi. Non multo post venerunt tristes nuntij de Leodiensi calamitate, sed (vt crescit eundo fama) vero majores: nam violatam feminarum pudicitiam ferebant. Agebat Oegniaci Ioannes Niuellanus (de quo diximus decimo sexto Martij.) Hic multum laboris & industriæ posuerat Leodij in excolendis feminis & virginibus, quę Leodij eximia virtute florebant: eaque de causa grauius eum perculere illi nuntij. Dolore tabescebat; mirabaturque non admodum illis moueri B.Mariam, cui sciret maxime cordi fuisse Leodiensium virginum feminarumque sanctitatem. Imo cum ceteri trepidarent increbescente fama exercitus Oegniacum venturi; ipsa rumorum vanitate nihil concussa est, quæ autore Deo sciebat, neque Leodij feminarum pudorem vlla spurcitie fuisse pollutū, neque Oegniacenses hostile quidquam passuros.Ceterum id hostium facinus adeo detestabatur animo, (ita diserte Vitriacus) vt terra horrore concuti, tremereque ipsi videretur, atque etiam queri, quod ijs hominibus victum ministraret, qui in suum conditorem insurrexissent tam immani scelere.

CA-

CAPVT XI.

Sui contemptum ac paupertatem amat.

QVi ceteris virtutibus veluti fundamentum substerni debet sui contemptus & demissio, omnem pariter totius sanctitatis molem deinde impositam sustineat necesse est. Hoc Mariæ in primis cordi fuit, quę quo sensit altius afferri se a Deo, hoc se magis ipsa depressit. Nihil addere visum est de meo: Vitriacum audi.

Adeo erat exigua in oculis suis, adeoque se deijciebat, vt non alio fere quam nihili loco se haberet: & cum omnia bene & recte fecisset, non solum ore fatebatur, sed etiam animo sentiebat inutilem se esse: cunctisque inferiorem se existimans, nihil vmquam de se præsumebat, sed omnes se superiores arbitrabatur. Cumque aliquid a Domino beneficij acciperet, aliorum meritis id adscribebat, numquam suam quærens gloriam, sed omnia referens ad eum, a quo bona cuncta procedunt: imo ipsis Dei beneficijs indignam se putans. Nullum quantumuis abjectum aut peccatis obnoxium spernens, se solam despiciebat, atque ab alijs despici, pro nihilo ducebat. Per infamiam & bonam famam a dextris & a sinistris scuto veritatis circumdata, cum essent tenebræ eius sicut & lumen eius, nec vituperijs deprimebatur, nec laudibus efferebatur.

Præ multa autē humilitatis abundantia, quantum in ipsa erat, semper latere appetebat. Vnde cum præ cordis jubilo & gratiæ plenitudine intra se occultare se non posset, quandoque ad vicina rura vel dumeta confugiebat, vt humanos vitans oculos, secretum suum Deo & sibi intra puræ conscientiæ arcam conseruaret. Interdum tamen precibus amicorum compulsa, vel a Domino ad aliquem specialiter missa, siue etiam commiserationis affectu vt pusillanimes consolaretur incitata, ex multis quæ sentiebat, pauca humiliter & verecunde referebat.

O quoties dixit ad amicos: Quid de his ex me quæritis? Non sum ego digna talia sentire, qualia vos sciscitamini. Nec raro cum murmure quodam Domino respondit: Quid istud ad me attinet, Domine? Mitte quem missurus es. Non sum digna vt eam, & consilia tua alijs nuntiem. Nec tamen S. Spiritus instinctui potuit resistere, quin vt aliorum consuleret infirmitati, quædam nuntiaret.

Huic innixa basi quam firma staret, post pauca subdit idem scriptor. *Erat illa in Domino tanta veritate fundata, tanta grauitate solidata, adeo veris bonis plena, adeo spiritalibus epulis saginata & exuberans, vt omnem humanam gloriam, omnem humanæ laudationis vanitatem, præ bonorum æternorum dulcedine non solum non admitteret, sed etiam cum quadam animi abominatione respueret ac fastidiret: perinde atque varijs deliciarum ferculis exsatiatus, si ei insulsum & insipidum aliquid offeratur, auersari solet. Sicut autem non potest illi Christus dulcescere, cui adhuc dulcis est mundus: ita Christi dulcedo totam eius mentem adeo occupauerat, vt nihil illi saperet extra Christum.* Ita Vitriacus.

Eius scilicet exemplo in suiipsius contemptu & abjectione summam reponebat gloriam, in egestate diuitias. Cum enim eam Christi paupertatem intueretur, vt illi nascenti locus non esset in diuersorio, vt tributo pendendo pecunia deesset, vt eleemosynis victitaret, vt alienis hospitijs reciperetur, vt nudus moreretur, nec haberet vbi caput reclinaret; patriam ipsa deserere statuit, vt rebus omnibus necessarijs ad vitam tuendam destituta, inter ignotos ostiatim victum emendicaret. Vidulum compararat, quo corrogatam stipem reconderet, scyphumque puræ hauriendæ: pannosoque ac vili habitu ad iter jam se accingebat, quando ægre persuaserunt amici, vt sententia discederet. Infixus tamen animo mansit tantus paupertatis amor, vt quę necessaria non essent, libenter in pauperes distribueret.

In vestibus & ceteris ijs, quę hominum oculis patent, omnem ostentationis speciem semper auersata est. Vt affectatas sordes, sic exquisitam munditiam oderat. Candido velo ad oculos vsque submisso caput tegebat. Vestis erat candida, quæ necessitati honestatiue satis esset. Perpetuo sub vestibus cilicino sago corpusculum affligebat.

Modesta pariter totius corporis compositione omnem vanitatem cauit studiosissime: mentisque serenitatem suaui gressus & gestuum grauitate testata est. At vbi extraordinaria aliqua motione ciebatur animus, ne quid in mortalium oculos incurreret, excitaretque admirationem, mira moderatione dolorem animi vultus hilaritate temperabat, jucunditatem autem verecunda simplicitate celabat. *Adeo autem* (inquit idem vitę scriptor) *de plenitudine cordis in faciem eius Spiritus Sancti gratia redundabat, vt multi solo eius aspectu spiritaliter refecti ad pietatem & lacrymas prouocarentur: atque in eius vultu tamquam in codice*

Honesta species exterior.

dice vnctionem Spiritus Sancti legentes, virtutem ab eo proficisci sentirent. In hunc modum ille.

Spectantes in sui venerationem trahebat.

Certe Guido Cameracensis ecclesię cantor iter faciens, ad eam diuertere voluit, quacum ex virtutis admiratione suauis dudum intercesserat necessitudo. Indignabatur viæ socius, & muscasne ac papiliones puerorum instar persequi vellet, quęrebat. Cum substitisset nihilominus Guido; & ille alius cum alijs tempus sermonibus falleret, moratum tandem pertæsus, ad Guidonem venit moniturus vt colloquijs modum poneret. Forte in beatæ feminæ vultum oculos intenderat, ecce mirabiliter animo commotus, tantam lacrymarum vim profudit, vt diu post ab eius conspectu ægre posset amoueri. Tum Guido factum intelligens, illumque vicissim ridens: Vt quid (ait) hic subsistimus? Muscasne & papiliones abigere animus est? At ille post multa suspiria & lacrymas vix inde auulsus, in ea femina se Dei virtutem agnouisse confessus est. Ea scilicet est virtutis gratia: quo magis tegitur, eo gratior emicat. In ipsum corpus nonnumquam inter orandum animi dulcedinem dimanasse proditum est, adeo vt miram odoris suauitatem vestes spirarent.

CAPVT XII.

Edocta mortem, ad eam se mirabiliter comparat.

HÆc sparsim collecta de beatę hujus mulieris sanctitudine quemadmodum accepimus, ita reddidimus aliquo potius rerum, quam temporum ordine. Ad commemorandam felicē eius mortem accedimus. Postquam Villembroci ad vrbis Niuellensis portas complures annos leprosis egregia caritate seruijsset: anno post millesimum ac ducentesimum sexto Oegniacum inuitante, atque adeo ducente Numine commigrauit: eoque facto Oegniacensis nomen apud posteritatem inuenit. Asceterium Augustinianæ disciplinæ nuper ibi conditum erat: cui splendorem & famam attulit Maria non vulgarem, tum virtutum suarum luce clarissima, tum pellecto ad inhabitationem Iacobo Vitriaco. Illustre fuit hic illius loci ornamentum, vt diximus pridie Kalendas Maij.

Oegniacum venit.

ANN. 1210.

Sub annum decimum cum in Belgicam venisset Fulco Tholosanus episcopus, multaque prius de Mariæ sanctimonia inaudisset, ad eam visendam Oegniacum adductus est a Theodoro de Cellis tum canonico Leodiensi, sed postea Cruciferorum vel autore vel restauratore: de quo dicendum erit decimo octauo Augusti. Illam vtrique arcta necessitudine junxit eximia virtus, paulo post cælo beatam illatura. Ita frequenter ipsi cælites nuntiabant, etiam a pluribus annis. Sexto quippe anno ante mortem cuidam e necessarijs signauit annum, non tamen diem, quo viuis abiret.

Sæpe mortem propinquantem edocetur

Verum quo vicinior metæ fiebat, eo frequentiores Diui aderant, solabantur, proximumque brauium ostentabant. Ipsum Vitriacum audi: *Ipso vltimo vitæ eius anno aduentante, quem Dominus illi postremum fore promiserat, jam se amplius continere non valens, anhelabat, suspirabat, præ desiderio clamabat, quasi moræ impatiens, cum Dominum amplexaretur: Nolo Domine, vt sine me recedas; non cupio hic morari amplius, domum ire volo. Et miro quodam modo dum sic extra se rapta vehementi desiderio cruciaretur, præ cordis plenitudine, fere toto corpore dirumpi videbatur: cumque ad se rediret, diu non poterat pedibus consistere. Porro cum extra se raperetur, præ feruore spiritus vultu igneo videbatur. Quodque est admirabilius, sub ejusmodi mentis excessu, immota acie in solem potuit suos oculos defigere. Non potuit tunc præ spiritus ebrietate tacere: sed clamans dicebat: Audiui a Domino me ituram in sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum: Dic mihi mea Clementia (sic enim eius ancilla vocabatur) quid est Sancta sanctorum? E famula volebat scire, quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret. Sæpe autem has dictiones repetebat, quibus animus eius suauiter afficiebatur. Reddita autem sibi mirabatur se jam solito crebriores pati mentis excessus.* Sic ille.

mira animi exultatione.

Ceterum vt animo frequentius in cælestia rapiebatur, ita studiosius in Dei cultum incumbebat. Diuinitus acceperat, se die lunę aliquo sepeliendam: solido igitur anno ante mortem sibi jejunium indixit, singulis illis diebus ea seueritate, vt nihil omnino gustaret. Toto autem trimestri cibum numquam nisi vndecies sumsit, eumque parcissimum. Terrena scilicet fastidiebat, cui jam quotidianæ fiebant cæli deliciæ, & in illam ceu vehementissimus aliquis imber depluebant.

Mirabilis raptus.

Mirare quod subjungo. Repente Deo afflata cœpit sacros hymnos concinere de sacrosancta

crosancta TRINITATE, arcana quę numquam audierat, e sacris libris mirabili methodo explicans. A TRINITATE descendit ad humanam Christi naturam, & parentem eius beatam virginem; cujus canticum patria lingua dulcibusque rhythmis suaui mentis exultatione sępe repetebat: ipsam vero constanter affirmabat resumto corpore frui ęterna felicitate. Tum de angelis, apostolis, ceterisque beatorum ordinibus encomiastice multa cecinit. Ad ecclesiam militantem deinde conuersa, Diuinę pietatati gratias egit, quod solito frequentiores aliquanto post tempore operarios in ea producturus esset, qui salutem animarum strenue curarent, mundoque maxima ex parte lucem afferrent. Post paucos annos exortę sunt religiosissimæ familiæ SS. Dominici & Francisci. Amicos denique ac familiares Numini commendauit, in primis religiosas feminas Leodij degentes, pacem illis exorans; (necdum enim posuerat belli tempestas, cujus ante meminimus) tum pro religiosis Niuellensibus, & plerisque alijs sparsim per diœcesim Leodiensem Deo seruientibus preces fudit, interijciens singulis carminis sui strophis primum cantici Simeonis versum velut intercalarem. Tres solidos dies noctesque tenuit ille cantus numquam interruptus. Porro *suauissimam cantilenam* (ait Vitriacus) *de scripturis Diuinis rhythmice & dulci modulatione contexebat: nec deliberabat vt sententias inueniret; neque moras nectebat, vt inuentas ante disponeret; sed tamquam si dictarentur scribenti, ita dabat illi Dominus illo tempore quid diceret. Continua vocis contentione jubilans, nec cogitando laborabat, nec disponendo cantum interrumpebat. Vnus autem e Seraphim, vt ipsi videbatur, alas suas supra pectus eius habebat expansas: quo subministrante, & humanissime adjuuante, aspirabatur ei carmen illud sine vlla difficultate.* Ita vir grauissimus, qui laboranti morientique adfuit.

CAPVT XIII.

Mira fortitudine morbi molestias superauit.

ÆGrotationem, quę fuit vltima, cum sentiret imminentem, molestias potius, quas alijs ipsa creatura esset, quam eius acerbitatem formidare cœpit: dixitque aliquando famulæ suæ: Vereor ne diuturna grauique infirmitate, quæ mihi vitam tollet, tibi alijsque sim molesta. Quis enim illa molestiarum diuturnitate non frangatur? Adeo cuiquam incommodare vel minimum exhorrebat; cum alias plerique omnes dolerent illi ministrandi copiam sibi sæpius non fieri, quando scilicet ex ea Christianę fortitudinis exempla sane miranda haurirent.

Tanta forte morbi atrocitate cruciabatur, vt in orbem eius brachia præ dolore agitarentur, manibusque pectus tundere cogeretur. Sed vi mali denique sese remittente illa ad se reuersa, tanta cum exultatione Domino gratias agebat, qui flagellat omnem filium, quem recipit, vt illud apostoli apte ipsi quadraret: *Cum infirmor, tunc potens sum*: nec animo dumtaxat, sed ipsi etiam corpori vires ac robur ex morbo accrescere videbantur, tolerandis fortiter inedia, vigilijs, alijsque spontaneis afflictationibus.

Aliud en mirum subjungit idem scriptor. *Accidit nonnumquam vt si quis ex amicis eius aliqua molestia laboraret, vel tentationi succumberet, illa quoque cum infirmo infirmaretur, & cum scandalisato, vehementi dolore vreretur: & plerumque etiam eum, quem jam diximus, morbum in aliquo membro suo speciatim sentiret. Mox autem nouo quodam miraculi genere, accito ad se sacerdote, illoque digito signum Crucis ad locum morbo infestatum exprimente, tamquam sanctæ Crucis vim reformidans morbus ad locum alium se transferebat. Rursus autem edito Crucis signo, & ad singula loca repetito, vagus & profugus morbus sanctæ Crucis pondus ferre amplius non sustinens, tandem mirabili & inaudito venationis genere exagitatus, a corpore ancillæ crucifixi penitus recedebat. Illa autem intuens oculis fidei in serpentem aneum a serpentini morbi liberata morsibus, Deo & sanctæ Cruci multiplices agebat gratias.* Hæc Vitriacus. Alienis malis dolet. Prodigium.

Ceterum familiare illi fuit, alterius causa affligi. Molestia quadam aliquando laborabat illa, eius vicem quidam ex amicis tacitus apud se doluit. Intellexit hoc diuinitus Maria, ancillamque misit, quæ juberet ne illius causa vllam conciperet ægritudinem; quę quidem nouum illi & intolerabilem crearet dolorem.

Alias paralysi vexata, cum ex mali acerbitate clamare & pectus tundere cogeretur, illi condolens quidam eius familiaris; clam & remotis arbitris pro illa preces ad Deum fundebat: pij hominis precibus sensit illa suos dolores nonnihil imminui; & misit ancillam quæ hominem precatione reuocaret: Suarum enim, ait, precum medicamento Pro suis doloribus leniendis non vult orari.

hujus

hujus meæ ægritudinis pretium ac excellentiam imminuit, quando imminuit acerbitatem. Probe scilicet intelligebat momentum rerum aduersarum, quæ vel Dei nomine, vel imitatione Christi fortiter sustinentur.

Ejusdem aliud exemplum insigne dedit extrema sua ægrotatione. Dies ferme quadraginta illam cruciarant acerbi dolores: quæsijt e familiaribus vnus, an non aliquo saltem eorum tędio tangeretur. Imo vero, inquit, si ita Numini videretur, hunc diem vellem esse primum illorum, qui jam præterierunt. Addiditque quod majorem animi fortitudinem testaretur: ægrum aliquem numquam se vidisse, cujus valetudinem quantumuis aduersam sibi ipsa non optasset. Quam læta sit oportet, vita illa, quæ e doloribus gaudia metit? quam beata, quæ per aduersa consequitur felicitatem!

CAPVT XIV.

Inter suauissimas e cælo consolationes sanctè moritur.

Multorum cælitũ aspectu fruitur.

INgrauescente corporis valetudine, viuidior assurgebat animus, liquidioribus in dies e cælo dilicijs delibutus. Frequenter illi se Christus ipse videndum præbuit, benigno ceu condolentis oculo illam respiciens. Quem aspectus ille mœrorem nõ abstergat? Ab illa vix discedebat sanctissima Dei parens, morbique doloribus colluctantem suauissime consolabatur. Cælites alij, qui valentem visere colloquique familiarius consueuerant, frequentes aderant: sed omnium maxime B. Andreas apostolus, quem præcipua religione coluerat ob inuictam animi fortitudinem, qua magistri sui crucem erat amplexatus. Hic ergo beatam feminam sua præsentia adeo recreabat, vt vllum doloris sensum vix relinqueret. Creberrime veniebant & ipsi angeli, officioseque ministrabant. Nocte quadam cum siti admodum æstuaret, deficientibusque viribus surgere non valeret, connitentibus angelis surrexit, ijsdemque deducentibus ac sustinentibus venit ad locum vbi seruabatur aqua; & postquam bibisset, eodem adminiculo ad lectum se nulla fatigatione recepit.

Diutius victura non credebatur: Oegniacum venit Fulco Tholosanus antistes, ille elucentis in diœcesi Leodiensi sanctitatis admirator studiosissimus, vt tam sancto & illustri felicissimę mortis spectaculo frueretur. Excepit venientem Maria pari veneratione & amore: & de vita mox deserenda, rebusque Diuinis rara animi voluptate disseruerunt inuicem, audieruntque.

Mirabilis inedia

Diebus quinquaginta tribus ante mortem nihil cibi prorsus gustauit: nec panis odorem tantummodo ferre potuit. Sacrosanctam nihilominus EVCHARISTIAM crebro sumebat; quę statim veluti liquescens in stomachum traijciebatur, & animam non solum confirmabat, sed ipsi corpori vires addebat: eiusque vultui quosdam velut radios accendebat. Cujus rei periculum vt fieret, præbitus est aliquando panis non consecratus. Cohorruit mox illa solo odore; & cum dentibus non nisi exiguam particulam attigisset, clamare cœpit, exspuere, & perinde ac si pectus rumperetur anhelare, & cum ingenti anxietate singultire. Post longiores denique clamores, cum aqua sæpius os abluisset, exacta noctis magna parte, vix potuit quiescere.

miraculo probata.

Inedię porro ac morbi diuturnitate sic conciderunt vires, vt solis lucem ferre nullo modo posset. Quæ tamen ad Dei cultum facere intelligebat, nullam illi molestiam creabant. Ad sacri cerei splendorem numquam oculos clausit. Ascetarum Oegniacensium concentus quamquam vehementior & prope ad ipsas eius aures, validiorque æris campani pulsus, nunquam illi grauis fuit. Imo cum illis forte diebus in eodem templo altare construeretur, omnis cæmentariorum malleis cædentium strepitus quamquam immodicus illam nullo modo afflixit. Recreant nimirum, quę amantur. Forte sacerdos ad populum e loco superiore verba faciebat; animo ad Dei verbum veluti reuiuiscente, aures ipsa repugnante morte arrexit, & adstantibus, quæ audierat, magno religionis sensu retulit. Concionatores, quoad vixit, semper magnopere venerata est; eorumque pedes mirabili mentis motione brachijs constringere & osculari amabat: & in clamores prorumpere cogebatur, si quis eius desiderio reluctaretur.

Collabente denique natura, autor illi fuit Dei mater vt ad vltimum agonem sacro oleo inungeretur. Adfuit Christus, victricisque Crucis vexillum ad eius pedes defixit. Adfuit & Petrus cum reliquo apostolorum comitatu, cælique portas illi se reseraturum appromisit.

misit. Sub ipsam sacram vnctionem, insolentem illa sensit in se Diuini Spiritus operationem. Annum ergo ætatis tricesimum sextum agens, IX. Kalendas Iulias anni decimi tertij, post sanctissimas mentis aspirationes, relicta hac mortalitate in cælum abijt ad sponsum ea ipsa hora, qua pro nobis in cruce vitam ille posuit.

Dum funus apparatur, venit ex agro Coloniensi sanctæ feminæ visendæ gratia Imana Lossensis, quondam vxor Godefridi Brabantiæ ducis; quę Cisterciensem disciplinam professa, virtuti totam se dabat, eaque de causa religiosam necessitudinem cum Maria contraxerat: atque olim cum ea collocuta Villembroci, ante quam Oegniacum migraret, vbi discedendum fuit: Salue, inquit, & vale: opinor enim te deinceps a me non videndam esse. Animum paulisper Maria collegit; & : Ne dubita, inquit, Domina; denuo me videbis. In hunc modum illius vaticinij veritas constitit.

Tantam porro eius sanctitatis opinionem imbiberat Iacobus Vitriacus, vt præcisum digitum, multis annis e collo suspensum religionis ergo gestauerit. Et cum deinde Gregorius IX. animi sui statum ei aperuisset, grauiterque quereretur de spiritu blasphemiæ, a quo infestaretur acerrime, pretiosissimi muneris, & simul amuleti certissimi vice digitum eumdem a Iacobo accepit e collo ferendum.

V. THEODVINVS
Episcopus LIII. *Ægidius, Chron. Leod.*

CAPVT I.

Episcopatum bellica fortitudine auspicatus, ad sacra se conuertit.

GEnte Noricum siue Bauarum, regioque sanguine natum, affirmant fere nostrates: Ecclesiæ Leodiensis episcopum renuntiauit Henricus imperator anno millesimo quadragesimo octauo: & placidum hujus ecclesiæ sidus appellant commentarij Laurentiani. Turbulentis tamen Hollandici belli motibus agitatus est prioribus annis sui principatus. Episcopus

Res nouas moliebatur Hollandiæ marchio Theodoricus, conspirantibus Godefrido duce Lotharienſi, Balduino Flandrię comite, & Lamberto Louaniensi. Conatusque Cæsar ad officium reducere anno superiore, nihil effecerat, palustrium locorum iniquitate prohibitus. Bellum non prudenti magis, quam felici consilio confecit ineunte anno quadragesimo nono Theoduinus. Asperam nactus hiemem, quando gelu peruias fecerat paludes alias inaccessas, cum episcopo Vltrajectensi, ac Metensi, finitimaque nobilitate, penetrauit in Fladrtingam: ac Theodoricum occurrere ausum magna strage vicit, cecidit; ad officium & fidem prouinciam omnem reduxit. Godefridus Lothariensis cæso conjurationis socio, ne simul illius prouinciæ viribus destitueretur, illam mox occupat. Sed in ipsum ijdem episcopi mouent arma, pugnant, fundunt. Ipse dux fuga vix salutem inuenit. Belli hujus aliam causam, euentum alium Hollandi scriptores prodiderunt. Ego breuitati studeo. bello Hollandũ vincit.

Cum eodem hoc anno ex episcopo Tullensi creatus summus pontifex Leo IX. petijsset Belgicam, patrię turbas sedaturus, Leodiumque venisset, cum eo Romam abijt Teoduinus veneraturus suo comitatu summum Christi vicarium, & religiosa peregrinatione ipsa apostolorum limina. Romæ inuenit Theodoricum Lobiensem monachum: eique autor fuit, vt rejecto profectionis Ierosolymitanæ consilio, in Lotharingiam secum rediret. Cujus consuetudine captus, non potuit pro virtutis doctrinæque merito hominem non complecti: Lobioque tandem restituit. Sed paucis post annis ad abbatis Andainensis dignitatem euexit maximo illius cœnobij bono: quemadmodum suo tempore dicemus. Romã profectus reducit Theodoricum deinde abbatẽ Hubertensem.

Aduersus imperatorem bellum moturus Flandriæ comes, cum anno quinquagesimo tertio in episcopatum Leodiensem ex improuiso irruisset, Hoium cepit, incendit. Funesta fuit ea calamitas. Sed afflictis solatium dedit præsulis Theoduini munificentia: quam exeruit maxime in basilicam virginis matris, pro singulari illo studio ac religione eximia, qua in Dei parentem præditus fuisse fertur a nostratibus scriptoribus omnibus. Instaurat templum Hoiense.

Ab

DIE 23. Ab imis fundamentis ingens multorum annorum opus molitus est: perfecitque tandem magnis impensis, quas egregia ac propemodũ incredibili liberalitate sustinuerat populus Hoiensis, collata primum suarum omnium rerum mouentium parte tertia, tum etiam media. In honorem Virginis-matris, sanctique præsulis Domitiani dicauit templum; & in illud intulit B. Domitiani sacrum corpus, egregia totius cleri populique religione. Tum eximij iuris prærogatiua populum donauit, ne religiosam eius munificentiam nequaquam pro meritis exornatam reliquisse videretur. Sanxit enim vt quamdiu episcopo vita functo teneret interregnum, non alijs quam suorum armis arcem populus Hoiensis tueretur. Castrensibus item munijs quibuscumque non teneretur ante octauum a suscepto bello diem; ac tum denique præeuntem populum Leodiensem sequeretur. Minoris notæ plura alia indulsit Theoduinus, quo tantam illius populi liberalitatem palam & in posteros commendaret. Eius porro episcopatum ornauit Deus summo pontificatu Stephani IX. qui cum in ecclesia Leodiensi fuisset archidiaconus, Leonem IX. in Italiam redeuntem comitatus, post probatam multis pręclare factis virtutem, ad supremam omnium in terris dignitatem euectus est anno quinquagesimo septimo: de quo diximus vicesimo nono Martij. Missam ab illo Leodium partem sacrosanctæ Crucis excepit quo par erat cultu & honore Theoduinus.

Stephanus IX. papa.

CAPVT II.

Aucto principatu & religione moritur.

AD ecclesię Leodiensis opes & dignitatẽ facta est Theoduino præsule accessio omnium quæ pręcesserant longe illustrissima. Nobilem enim Hannoniæ comitatum suo principatui adiecit. Richildis quippe Hannoniæ Flandriæque comes graui bello petita, cum sustinendis Roberti Frisij, qui Flandriam inuadebat, viribus impar esset, vires vndique cœpit conquirere. Quare omnem, quã in imperij finibus, hoc est cis Scaldim tenebat, Hannoniam obtulit Theoduino Leodiensium episcopo; quem potentem & opulentum principem nouerat, vt accepta ab illo pecunia bellum instauraret. Incensus est Theoduinus desiderio proferendi tam late imperij: sed cogendæ tantæ pecunię difficultatibus absterrebatur. Ergo conuocatis in vnum omnibus ordinibus, diserte adeo explicauit ingens decus, ac potentiam, quibus ecclesiam Leodiensem aucturi essent, vt conficiendam quocumque modo pecuniam omnes vna sententia decreuerint. Præcipua fuit ecclesiastici ordinis liberalitas, quæ thesauros sacros ferme omnes exhausit. Vnum S. Lamberti collegium præter auri pondo, argenti marcas septuaginta quinque appendit.

ANN. 1071.

Emit Hannoniam,

Sed cum Cęsaris autoritate conuentio probanda esset; grauiter hic laboratum est. Erant nimirum illa tempestate plerique, quemadmodum & hodie plurimi, quibus non placeret opes ecclesiæ augeri; censerentque prorsus, quidquid illi accederet, totum id imperio decedere: quasi ecclesiasticus ordo, regnorum omnium portio inter Christianos prima non sit, simul & firmissima; si quidem verum est, sine Numinis ope nihil vmquam satis esse firmũ. Officijs, obsequentia, atque adeo muneribus inflexit Theoduinus regem Henricum, vt S. Lamberto donaret Hãnoniam. Quam mox episcopus Richildi, filioque eius Balduino, Leodiensis ecclesiæ beneficio deinceps possidendam tradidit, hac pactione, vt comes Hannoniæ domino suo Leodiensi episcopo clientelam rite profiteretur vna cum castellanis Montensi, Bellomontio, Valentianensi.

probante Cæsare.

Neque minus virtute quam opulentia principatum firmare satagebat Theoduinus. Pręcipua quadam in Dei parentem religione præditum fuisse veteres meminerunt, & supra nos commemorauimus. Pro pia illa sui animi motione frequens erat in visenda Tungrensi basilica; vbi antiquitate ipsa venerabilis est Virginis-matris cultus. Diem eius natalem forte celebraturus aduenerat: secundum rem Diuinam sermonem super mensam intulit Gibertus archidiaconus de templo, quod Ruthis exstruebat B. Martyri Euermaro Wedericus abbas Porzetanus. Disceptationibus is sermo præbuit argumentum; alijs sanctitatem tot miraculis testatam extollentibus: eleuantibus alijs peregrinum hominem, & omnibus ignotum: illudi rudem plebeculam fucatorum miraculorum vanitate. Abducebatur in dubitantium partem episcopus, eo vsque vt templum in eius honorem se dicaturum pernegaret, nisi sanctitatem suam Euermarus comprobasset infirmi

Insigni miraculo permotus

firmi cujusdam curatione: cum digito designabat longa paralysi affectum, in eodem triclinio: Ruthasque vehi mandat. Erat hic ex eorum numero, qui cęlestes honores B. Euermaro nequaquam deferendos ajebant. Et vero morbum temporis diuturnitate sic inuasisse sibi persuadebat, vt valetudinis recuperandę spem nullam concipere posset. Mulo vectus deuenerat ad Euermari sepulcrum; conuitia, non preces, jactat impudenter, vt ad vindictam potius, quam ad beneficium martyrem prouocare diceres. Vtrumque fecit Euermarus: & hominis castigauit impudentiam; & restituta valetudine, suæ apud Deum autoritatis illustre dedit argumentum. Membrorum enim firma compage mox stetit in pedes erectus ille; sed tantum sensit dolorem illa neruorum extensione, vt horrificis inclamaret vocibus, nolle se valetudinem tantis doloribus emere. Ad episcopum integer, rectusque redijt. Incredulitatis suę culpam lætus agnouit Theoduinus: eamque detestatus quo expiaret, templum, vbi manus vltima primum imposita fuit, dicauit; sanctumque martyrem omni late regioni proposuit tutelarem ac patronum. colit S. Euermarum

Denique postquam annos viginti septem magna laude rexisset, religiose mortalem hanc vitam reliquit IX. Kalendas Iulias. Hoij sepultus est in æde, quam Virgini Matri condiderat & sacrarat. Ann. 1075. moritur.

Die vigesimo quinto

I. S. THEODVLFVS
episcopus & abbas Lobiensis. *Fulcuinus, Molanus, VValdeus.*

EPiscopum Rhemorum fuisse ferunt. Sed cum Rhemis nulla sit eius mentio; si cui magis placet non aliter hunc episcopum esse dicendum, quā quo modo fuisse narrauimus sanctos Vrsmarum & Erminum; per me licet. Lobij certe post illos abbas fuit, neq; paucis annis; si quidē Pipino adhuc principe, tum etiam rege, ac denique Carolo Magno regnum post patrem tenente, nouem annis cœnobium illud rexerit. Cum enim in regno Pipinus sedecim annos vixerit, relinquitur Theodulfum plus annis viginti quinque abbatem fuisse. At non diutius, quam religiosius sanctam illam familiam administrauit. Ita verbo indicasse, veteribus satis fuit: qui plura non addiderunt, nisi quod illo regente, pluribus opulentis prædijs creuerit res familiaris. Quod argumento sit egregiam fuisse sacri illius cœtus sanctitatem, quæ principum Christianam munificentiam prouocarit. Mortuus est Theodulfus anno post septingentesimum septuagesimo septimo, & sanctis adscriptus: quod (quandoquidem plura nobis antiquitas rapuerit) sit posteris pro insigni præstantissimarum virtutum breuiario. Lobij sepultus fuit in monasterio superiore: jam Binchij est.

II. S. ODVINVS
presbyter & martyr. *Hugardiæ commentarij.*

HVgardię vitam egit pro suo gradu integram, & multa insignem virtute. Sacerdos erat plurimis suiipsius victorijs inclytus. Frequenti jejunio corpus castigabat, opum egregius contemptor, miserorum mortalium egestati cupidissime succurrebat. Assidua pęne ipsi erat & ardentissima cum cælitibus sermocinatio. Incerta ætas.

Sacris operaturus aliquando Meldariam ibat; obuios habuit duos scurras. Qui cum non ignorarent liberalem de more pupillis ac viduis stipem deferre, dolo male consuto, sibi partem emungere proposuerunt. Atque vt tenerum illius in afflictos animum perspectum habebant; in terram se illorum alter abijcit, mortuum simulaturus, alter ejulatu fictisque lacrymis aliquid stipis in tam acerbi casus solatium efflagitat. Famulo suo non est passus illudi Deus. Ecce mortuus reuera deprehenditur, qui simulauerat. Stipem impertitus est Oduinus liberaliorem, quam rogabatur: mortuum ad vitam reuocauit. Verum sua morte mox ipse vitam emit, sed immortalem. Ea fuit occasio. Impostorē mortuum vitæ reddit.

De finibus agrorum inter duos colonos coorta erat controuersia, quam Oduini arbi-

Digitized by Google

trio componendam permiserunt. Summa quippe de illius integritate apud omnes erat opinio. Certum eius hoc arbitratu dedit argumentum vir sanctus. E duobus vnum de sacro fonte susceperat, diligebatque in paucis: quod tamen æquitas postulabat, pro altero pronuntiauit. Præferuido ille impetu concitatus, impacto grauiter ligone, sancti sacerdotis caput diffidit. Toleratam pro justitia mortem coronauit Deus. Defluente in terram cruore, desubito fons emicuit, plurimis deinceps morbis salutaris.

Pro justitia moritur.

III. LAMBERTVS BEGVVS primus autor Beguinarum ad S. Christophori. *Ægidius, Manusc. Leod.*

Desiderio honoris Dei

ANno millesimo centesimo septuagesimo Leodij viuebat in S. Pauli clero magna integritatis opinione Lambertus, quem Beguum siue Balbum ab oris vitio nuncupabant. Hic Diuini honoris studio incensus, cum fœdam ecclesiæ Leodiensi labem ab incontinentia Simoniacaque impietate vereretur, Diuinam placare iram, ecclesiasticoque ordini vires a Deo roburque aduersus geminam illam pestem impetrare constituit. Id vero contendebat quotidie miro suarum precum ardore, spontaneisque corporis macerationibus ac supplicijs.

Verum vt modeste de se sentiebat, cum paruum suis omnibus viribus inesse pondus ipse existimaret; a majori sanctitate, vt quidem aiebat, virium supplementum accersere placuit. Amplas possidebat fortunas, & vbere solo prædium ad pedem Publici montis sub ipso Laurentiano cœnobio. Hic templum S. Christophoro posuit, ædesque toto prædio sparsim exstructas virginibus feminisque addixit, quas honesti studiosiores compererat: vt vitæ genus non monasticum & votorum perpetuo constrictum nexu, sed medium quoddam amplecterentur & certis inter se tenerentur legibus: ecclesiæ porro Leodiensi precibus suis Deum conciliarent, vt ab omni vitiorum liberam cœno, in primæuo nitore seruaret.

condit Beguinas

Pium hominis propositum Deus probauit. Tanta mox omnium virtutum luce coruscauit ille collectus ad S. Christophori cœtus, vt idem institutum consectatę sint magnis animis pleræque aliæ; magna Lamberti Begui gratulatione, atque ad posteros gloria; quandoquidem a Beguo conditore primo, & peritissimo instructore Beguinæ nomen acceperint: vt fere nostratibus placet. Quam tamen appellationem hodie neoterici quidam altius repetunt jam inde a S. Begga Pipini Landensis filia, quę Andanam condidit, & virginibus monasticen illic professis Begghinarum nomen reliquerit. Quam id vere, viderint. Nam neque virgines Andanenses Begghinas vmquam appellatas probabunt: nec apud vllum scriptorem hac ætate antiquiorem, Beguinarum aliquam mentionem ostendent.

bono euentu

Hisce profecto annis attribuit Cantipratanus, quamquam Niuellis primam originem adscribit. Sed Ægidius diserte asserit a Lamberti Begui cognomine mulieres & puellas, quæ caste viuere instituerũt, Beguinas esse cognominatas: quod ipse potissimum castitatis dignitatem verbo & exemplo proposuerit sectandam. Hæc Ægidius, qui puer Beguum fortasse vidit: nec multo fuit inferior Cantipratanus.

Vtroque grauius est testimonium Henrici Gueldri principis Leodiensis; cujus insigne rescriptum ab ecclesia Tungrensi magna fide adhuc asseruatum, diserte his temporibus adscribit primam Beguinarum originem: vt non facile cuiquam altiorem antiquitatem comminisci liberum esse videatur.

Cum nihilominus antiquiores Lamberto nostro ædes inueniri contendant, alendis illius instituti mulieribus conditas; & Beguinarum etiam nomen in quibusdam tabulis publica fide consignatis legi adstruant; antiquius esse hoc vitæ genus negare nolim. Neque tamen S. Beggam eius autorem fuisse, inducor vt credam. Mihi verosimilius est mulieribus illis a velo capitis olim nomen esse quęsitum. Quod cum ignobile paucisque notum aliquamdiu delituisset, tum demum secundiore fama celebrari cœptum est, cum acrioribus stimulis ad ardua virtutis felici successu propellere Lambertus cœpit; atque adeo fecundo germine propagare. Ita primus parens ac conditor creditus fuerit.

item Coquinos.

Condito tam salutari instituto, cujus eximia sanctitas vniuersam diœcesim postea mirifice

Digitized by Google

mirifice exornauit, fertur a nonnullis Lambertus animum adjecisse ad pauperes iter facientes Christiana hospitalitate reficiendos, adscitis in societatem sodalibus, quos deinde Coquinos appellarunt, a re fortassis coquinaria, quam exercerent recreandis peregrinantibus.

Ex his porro Lamberti conatibus cum necdum is fructus existeret, quem optabat ipse; & in illa nobili ecclesia tristiorem in dies tyrannidem statuerent bina illa monstra, libido, & Simoniaca impietas; bellum ille suscepit internecinum, quamquam armis a natura minus instructus. Sed cum illius suscipere se causam intelligeret, qui Mosem licet impeditioris linguæ legatū suum miserat ad Pharaonē pro libertate populi Israëlitici postulanda; ejusdem præsidio fretus, ingenti animo prodijt in publicum, ambonem conscendit, verba facere cœpit: sed tanta orationis vehementia geminam illam pestem insectatus est, earumque turpitudinem ac certam perniciem oculis audientium ita subjecit, vt plurimi (frequens enim erat concursus, vt ad rem insolentem) damnata prioris vitæ impietate, sanctiora respectarent consilia, & vero amplecterentur. Concionibus aggreditur vitia cleri

Sed multo plure, ijque maxime, quorum fuerat sanctissimum id munus vsurpare, creditumq; sibi gregem ab exitio tam diro reuocare, non sustinuerunt medica manu sua vulnera contrectari. Ridebant oris balbutiem, hominis imperitiam subsannabant: litteris enim non nisi tenuiter tinctus erat. Eorum ipse scommatis non magis mouebatur, quam puerorum petulantia, qui eorum instinctu per plateas gradientem sordibus impetebant. Omnia hæc Christi causa Lambertus in lucro reponebat. multis illū exagitantibus

Probabilem vero redarguendi causam aduersarij nacti, publice damnabant illum temerariæ fidentiæ, qua sumeret sibi ipse concionandi potestatem nullo præsulis arbitrio. *Et fremebant in eum* (inquit Ægidius) *non attendentes, quia Spiritus vbi vult spirat. Sunt namque nonnulli, qui ita per magisterium Spiritus intrinsecus docentur, vt si eis exterius humani magisterij disciplina desit, interni magistri censura non desit. Sed hæc ab infirmis potius veneranda sunt, quam imitanda: ne dum se quisque similiter Spiritu sancto impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* Hæc ille, sapienter. Nomen ergo Lamberti deferunt illi ad episcopum : arrogantem hominem vinculis constringendum esse contendunt. Facile persuaserunt episcopo, acres illas in publico suorum vitiorum confectationes jam pridem ægre ferenti. Sed retinuit nota hominis innocentia, metusque multitudinis, quæ non tantum eius probabat dicta, sed & suspiciebat sanctitatem. Constabat ergo Lambertus in sancto proposito.

Forte VI. Idus Iunias, anni octogesimi secundi miro animi ardore, in S. Lamberti de loco superiore declamabat in geminos suos hostes juratos : & quia plurium animos obduruisse jam vsu compererat (lapidescunt fere his vitijs, ceu Gorgone visa, mortalium animi) acrius inuehi cœpit, quo sentirent. Senserunt, non ad meliora capessenda, sed ad rabiem in sanctum oratorem effundendam. Non aliter quam atrocem perpessi injuriam, odio furentes in ipsum impetum faciunt. Suggestu dejectus, vbi se tutissimum fore sperauerat, sanctius aliud perfugium superesse non credidit ipsa ara principe. Eò confugit; ante illam se pronum abjecit in terram, expansis in crucis similitudinem brachijs; imitatus nimirum S. martyrem Lambertum, qui eadem corporis positione, eodē in templo mortem fortiter oppetijt. Sed in pedes se mox erexit Deo plenus, & in altum oculos tollens, exclamat lugubri voce : Deus immortalis, quanta huic templo clades impendet! Dictis meis animos aduertite, quotquot adestis. Ante solidum triennium euertetur hęc basilica in sacrilegarum nundinationū pęnam: & quę in sanctorum honorem ara consecrata est, hara porcorum fiet. Dixerat: in sanctum hominē scelerati incurrunt; nulla sanctissimi loci reuerentia, calce pugnisque contundunt, vnguibus vultum fœdant, vellicant barbam, capillosque, stimulis fodicant : injectisque tandem vinculis, in custodiam e templo sacerdotem abripiunt. Fremere, indignarique populus; clamitare innocentiam opprimi sceleratorum impia conjuratione. Carceribus vim facturus videbatur: præuertit episcopus. Riuoniam in arcem procul ab oculis populi imperauit abduci. male etiam multantibus. Cladē prænuntiat. Rapitur in vincula.

In vinculis Lambertus quoad licuit sancto se labore exercuit. Acta apostolorum in Gallicum e Latino vertit: atque inter hæc, vt præcipua quadam religione ferebatur in sanctum gentium doctorem, (in cujus collegio pridem vixerat) eius conspectu & colloquio recreatus est; & quod illi forte deerat ad scribendum, ipsius accepit manu. Ita etiam in vinculis libera virtus, inter vulnera victrix, in tenebris clarissima triumphat. S. Pauli solatio fruitur.

Auxit Deus triumphum impleto eius vaticinio. Natum e tenui scintilla ingens incendium

cendum IV. Kal. Maias anni octogesimi quinti flammis absumsit templum S. Lamberti cum eius tabulario, & instructissima libris optimis bibliotheca, totumque episcopium. Factumque est paulo post, vt quo steterat loco summum altare, ibidem porci sæpius stabularentur, & immunditiæ complerent omnia.

Dimittitur liber

Editi a Beguo vaticinij veritatem omnes agnouere. Quamobrem seu puderet in custodia tantum virum tenere; seu testata oraculo virtus hominis, importuna sudes in oculis hæreret; Lambertum vinculis eductum dimisere Romam, rationem redditurum suscepti arbitrio suo concionatorij muneris.

Hominem audijt benigne Lucius pontifex; sincerum germanæ religionis studium agnouit, collaudauit: factaque potestate Diuinam legem ad populum interpretandi, serio hortatus vt cœpta constanter vrgeret; Leodium remisit.

Moritur.

Redijt in patriam Lambertus melioribus auspicijs; vt quem ardentius quam vmquam Diuinæ gloriæ studium incenderet. In id strenue incubuit, Deo vires addente, quo ad gloriosiorem coronam breui spatio compararetur. Nam anno octogesimo septimo, quinque mensium ægritudine conflictatus, mortali hac vita defunctus est VII. Kal. Iulias, & in S. Christophori humatus.

Die vigesimo sexto

S. BABOLENVS

abbas II. Stabulensis. *Vita S. Remacli, translatio S. Symmetrij, & quæ mihi e monasterij archijs exhibuit adm. R. D. Franciscus Laurentij S. th. licentiatus & prior Malmundariensis.*

Remacli discipulus

AVdierat Remaclum Babolenus, condito Stabuleto ceu insigni virtutum theatro, ad brauium magnis passibus ferri, ejusque institutione ac sanctis legibus ad eamdem metam perduci magnam religiosorum palæstritarum turbam. Eius videndi desiderio Stabuletum venit: sanctumque antistitem opinione sua, & fama majorem cum comperisset, suaui illius cõsuetudine, saluberrimisq; captus institutis, ipsius se subdidit disciplinæ. Tantamque breui frugis vberrimæ spem ostentauit, vt magno aliorum bono præesse illum posse Remaclus judicaret. Malmundario igitur illum præposuit. Imposito munere multos annos perfunctus est, insigni monasticæ disciplinæ emolumento.

Præest Malmundario

Cum anno tandem septuagesimo quinto supra sexcentesimum vita sanctissime decessisset B. Remaclus (de quo dicendum erit tertio Septembris) successor renuntiatus est Babolenus, regendo Malmundario jam pridem probatus. Qui antecessoris exemplo, religionisque gratia Romam profectus, S. Symmetrij martyris corpus impetrauit, vt in Austrasiam deferret.

tum Stabuleto

Ad suos redeunti pontifex maximus, pro ea quam in ipso elucere conspexerat sanctitate, mandauit vt summa cum autoritate per Galliam Germaniamque monasteria circumiret; quo disciplinam sicubi labantem inuenisset, cohortationibus, nouisque institutis confirmaret. Ea causa vult factum Molanus, vt abbas Stabulensis, Malmundariensis, Bobiensis, Fossatensis, S. Germani in pratis, aliorumque locorum appelletur. Quod quidem præclarum illustris sanctitatis esse testimonium, ambigi non potest.

& plurima cœnobia iubetur lustrare.

Ait tamen R. D. Franciscus Laurentij, qui Malmundario prior hodie præest, Stabulensium antiquitatum studiosus inuestigator, Fossatensem prius abbatem fuisse, quam Stabuletum venerit ad Remaclum. Quo denique mortuo postquam duobus dumtaxat annis rexisset, Fossatum se recepisse, & in eo gubernando perseuerasse ad annum vsque octauum: quo tandem miraculorum gloria celebris diem obijt, ibidemque sepultus est. Sacri tamen corporis portio insignis postea Stabuletum relata est, & in aram recondita illius memoriæ consecratam.

Die trigesimo

I. S. ADILIA Virgo Orpij.

ADiliam eximia sanctitate virginem, S. Bauonis sororem fuisse nonnulli existimarunt. De quo nihil equidem habeo dicere: & nulla est apud Orpienses eius rei memoria. Quæ vero circumfertur vita, Alsaticæ magis Odiliæ, quam nostræ huic Adiliæ Hasbanicæ conuenit. Parthenonem tamen (quamquam nullum hodie supersit eius vestigium) illam aliquando incoluisse, non ægre sinam mihi persuaderi, in quo sese Christianę caritatis officijs exercuerit ipsa: & postea Pipini pellex Alpaïs (de qua 17. Septembris dicendum erit) meliore vita præteritas noxas expiarit. Nisi cui magis placeat ab ipsa Alpaide conditum fuisse gynæceum. Cuique quod lubuerit, sentire liberum esto. Mihi certiore luce destituto satis est, cum religiosa antiquitate sanctam esse virginem fateri ac colere; quam per tot labentes ętates Orpij concurrentis populi multitudo veneratur, vbi sacrum illius corpus asseruatur insigni religione; hodieque fons vberrimus nomen eius retinet.

II. B. ARNVLFVS CORNIBVTIVS conuersus Villarij. *D'Assignies e Gosuino cantore Villar.*

CAPVT I.

Villarij conuersus miram vitæ austeritatem amplectitur.

NAtus est Bruxellis Arnulfus Cornibutius anno millesimo centesimo octogesimo, tenui fortuna, sed animo ad honestum magno. Virtutes omnes a puero, castitatemque in primis singulari studio sectatus, cum rerum humanarum non inanitatem dumtaxat, verum & periculum intelligeret, annos natus viginti duos Villarium receptus est ab abbate Carolo. Christianam in conuersorum gradu amplexus modestiam, laboribus & corporis afflictationibus sponte susceptis, edomandisque animi prauis affectionibus intentus, sanctissimam instituit vitam. Laborum in primis adeo fuit amans, vt nihil vmquam illi satis esset; sibique plura non mandari subinde quereretur, & conniueri secum existimaret.

Fidem pæne superat crudele quod sibi ipse bellum indixit. Binos e pilis equorum funes contexuit, quibus adeo coxendices arcte constrinxit, vt post breue spatium dirupta cute hiantia paterent vulnera. Tum nodosa corda medium corpus vincire consueuit, & virgis ita cædere, vt scissionibus totum horreret. Fuit qui ex occulto numeraret mille nongentos ictus. Parum hoc erat. Aquifoliæ ramis se diuerberare instituit, eiusque frondes pectori apprimere, & in illis substratis, quandoque etiam vrticis nudos artus volutare. Ex herinaceorum pellibus vestem consuit, quam induens arctissime stringebat; nec vmquam exuebat dormiturus. Solido ante mortem anno ferream addidit loricam, cujus pondere corpori altius infigerentur cuspides, quibus herinaceorum pelles horrent. Corpus seuerissime castigat.

Pro lecto duri lapides erant. Quod vt nesciretur; superpositis bacillis laneum stragulum injiciebat. Sic in publico cenaculo cum reliquis sodalibus quando edebat, communi cum ceteris cibo vescebatur. At in villa, quando sibi quodammodo relinquebatur, non alio quam canum pane vtebatur: jusculum vero sumebat, quod ante plures dies coctum, adeo jam corruptum erat, vt reijcere stomachus quandoque cogeretur: ab alio tamen omni cibo sibi temperabat. Si ante cœnam, aut etiam post illam sitiret, ori poculum admouebat, & sitim eo facto magis irritatam nullo tamen potu sedabat. Inter hęc firma nihilominus constabat valetudo, integrumque corpus. Quod quidem supra naturæ vim cum Dei beneficium crederetur; ea supplicia quamquam immoderata permisere quatuor abbates, Carolus, Conradus, Gualterus, Guilielmus, qui sibi successere

Villarij.

Villarij. Interrogatus ipse aliquando qua de causa se adeo crudeliter enecaret: Non me, respondit, sed vitia mea eneco.

Et vero sui victor gloriose triumphauit. Excandescere numquam visus est. Argui se quamquam innocentem admirabili mentis æquitate sustinuit, atque adeo amauit. Facta aliquando per abbatem potestate, sed clam tamen, quadraginta duos panes in egenos distribuerat: de quo publice accusatus, concessam abbatis veniam excusare noluit; sed emendaturum se respondit. Abbas facti sui fortassis oblitus, cum Arnulfi non ignoraret integritatem, veritus tamen ne qui offenderentur eo disciplinæ neglectu, si hic dimitteretur impunitus; eum monasterio ejecit in vicinam domunculam: in qua totos vndecim dies seueras a se jussus exigere pęnas, paruit inuicta animi constantia, imo hilaritate.

CAPVT II.

Ad altam sanctitatem euehitur.

NVlla est ad Deum via breuior nostri ipsorum victoria, creaturumque omnium rerum despectu. Ingressus hanc Arnulfus, magnos breui progressus fecit. Cum in ea quam diximus casa versaretur, forte Diuinis rebus vacabat sub primas tenebras, adfuit oranti Dei mater, suumque filium in manus dedit, illumque simul eximia quadam cælestium deliciarum dulcedine compleuit. Ille animo æstuans, plaudensque manibus: Tolle, ait, tolle domina tuum filium; mihi plus satis est, quam in mentem infudit, suauitas. Tum se non capiens, in has lętitiæ voces erupit: O quicumque Deum amatis, hic adeste, si Deo frui vultis. Deus hic est, hic est Deus: adeste omnes, adeste, adeste; hic eius vobis fiet copia. Ridebant ceu delirantem, qui audiebant. At sannas ille contemnens, suis nihilominus fruebatur delicijs.

Vnum Deũ vult.

Alias cum inter orandum fastidiret omnia condita, solumque Deum suspiraret; illi se Deus stitit, & dixit: Quid tibi vis faciam, Arnulfe? Respondit: Domine, tu scis. Tum Dominus: Tibi non satis est, quod pro te hominis naturam induerim, sustinuerim indigna plurima, horrendosque cruciatus, ac tandem vitam posuerim? Negauit ille. At Dominus: Suspice, inquit, & vide mirabilia, quæ tibi ostendam. Suspexit ille, viditque amplissima simul & ornatissima cæli spatia, omnemque in illis cælitum multitudinem in suos choros descriptam. Quæ cum sibi sufficere negasset: Attolle oculos, inquit Dominus, & vide matris meæ gloriam. Viderat illam Arnulfus conspicuam luce ac gloria, quam explicare lingua nulla, nulla mens concipere satis valeret: at sibi factum satis necdum existimanti subjunxit Deus: Altius igitur oculos erige, & meam ipsius majestatem contemplare. Contemplatus ille mirabilem & interminatam arcanæ lucis, gloriæ, ac majestatis abyssum, totusque in illam immersus, in has voces erupit? *Dominus meus, & Deus meus. Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.* Tum Deus: Si quot sunt omnium plantarum frondes, & oceani guttulæ, in homines verterentur, & cum cælitibus omnibus in cælo regnarent; tibi vniuersisque illis omni felicitate beandis, plus satis esset mea gloria.

Ioan. 20. 26. Cant. 3. 4.

Suauissima ferebatur in Dei matrem animi motione. Septena potissimum gaudia quæ mortalis olim illa percepit, libenter mente recolebat. Sed videndam se cum forte ipsa præbuisset, & cum illo colloqueretur, acceptissimum sibi fore affirmauit, si præterea frequenter ille, septena item gaudia meditaretur, quibus beata jam fruitur in cælo. Hęc illa porro esse. 1. Quod ea fruatur gloria, quæ & omnem eius olim exspectationem, totamque beatorum felicitatem multis partibus superet. 2. Quod quemadmodum a sole omnem claritatem dies habet, ita beatitatem suam ab illa cælites omnes habeant. 3. Quod illam venerentur beati omnes vt regis sui parentem. 4. Quod idem sit illi cum Deo velle, quemadmodum & ipsi Deo idem est cum illa. 5. Quod qui eam venerantur, venerationis illius pręmium pro eius voluntate ferant, tum in terris quoad viuunt, tum mortali hac vita defuncti. 6. Quod supra omnes angelorum choros euecta, sanctissimæ TRINITATI sit proxima. 7. Quod certum denique sit. Omnis vicissitudinis expertem ac æternam esse eius gloriam. Illis se gaudijs in cælo perfudi asseruit Virgo sanctissima. Quæ eximia quadam animi dulcedine frequenter secum reputare cœpit Arnulfus, & Virgini-matri de illis gratulari. E quibus omnibus quamquam

Docetur septem gaudia Virginis in cęlo.

Digitized by Google

quam vberrimum colligeret fructum, ad nutum nihilominus suorum præsidum omnia hilaris mox abrumpebat, nihil potius ducens certa illorum voluntate.

CAPVT III.

Vaticinijs clarus sancte moritur.

NOn poterat præclara luce non perfundi, qui cum ipso sole, luna, astrisque lucidissimis adeo frequens & assiduus erat. Ad eum plurimi fama sanctitatis inuitati ventitabant, vt ab eo doctrinam vel fusas ad Deum pro se preces referrent. Promptissime vtrumque & magna sui demissione præstabat. Ac preces quidem pro illis libentius fundebat, quos diuinitus accepisset peccatis immersos; aut qui vita functi, flammis ad beatitudinem expiarentur: horum enim non pauci ad illum venire soliti sunt, & preces flagitare. Ijs porro a quibus consulebatur, ea luce ac certitudine respondebat, vt propositis grauissimis quæstionibus clarissime factum satis fuisse quidam theologiæ doctor aliquando confessus sit. A Deo nimirum lux affundebatur, qua etiam futura vir sanctus prospiceret, non leui quandoque ecclesiæ emolumento. Claret mira sapientia,

Fœdam orbi Christiano tempestatem orituram prædixit, si Numen irritare suis sceleribus homines pergerent. Et vero euenit. Triste schisma suscitauit Fredericus imperator: emerseruntque cruentę Guelforum Gibellinorumque factiones, quę Italiam longo temporum lapsu fatigarunt, turbaruntque totam ecclesiam. & vaticinijs.

Illud minime prætereundum ejusdem vaticinium. Euerardus Ramerusius specie hereditatis adeundę ab vxore sua, filia Henrici Campani regis Ierosolymorum, bello persecutus Blancam Campanię comitem, omni eius ditioni vastitatem inferre non contentus, obsidione loca etiam munitiora tentabat. Territa Blanca, monachum quemdam Gerardum, cui multum sanctitatis nomine tribuebat, consuluit, qua demum ratione præsentissimam opem e cælo sperare posset. Arnulfum ille conuersum Villariensem suggessit, ad eumque missus venit. Viæ causam vbi accepit Arnulfus, conuersus ad preces, videre sibi visus est gallinam candidam candidos ducentem pullos, & sub alis fouentem. Visi explicationem a Deo cum petijsset; Blancam accepit per gallinam designari, quæ si virginibus conderet cœnobium, omnibus difficultatibus expediretur. Audijt Blanca: Argencellam condidit, pacemque desideratam mox consecuta est.

Denique actā ab Arnulfo sanctissime vitam voluit Deus æterno pręmio compensare. Lethali ergo correptus infirmitate vir sanctus, tanta nihilominus cęlestium deliciarum dulcedine perfruebatur, vt omnes morbi molestias nihili penderet. At dulcedinem hanc cum satis sciret leuem esse dumtaxat illius ęternæ prolusionem, audito monacho medicinæ perito, qui mortem imminere diceret, testatus est gratissimum sibi esse eius judicium. Postquam ergo annos viginti sex Villarij Cisterciensibus legibus vixisset, anno millesimo ducentesimo vicesimo octauo pridie Kalendas Iulias abijt ad promeritam tanta sanctitudine beatitatem.

III. ARNOLDVS monachus Villarij. *Cæsarius, Chrysostomus Henriquez.*

VIllarij monasticen professus, religiosæ disciplinæ in paucis amans, laude non parua vixit. Immoderata inedia naturalem stomachi vim adeo infregit, vt vllos vix cibos admitteret, reijceret etiam admissos. Prostrata ergo valetudine, cum nihil morte certius exspectaret, decumbenti adfuit B. Maria Magdalena; & admota parti affectæ manu, suauiter eam demulsit, omnemque simul abstergere visa est infirmitatem. Et vero sequenti mane, demirante toto sodalium cœtu, venit ad templum integris jam viribus, & concinendis Dei laudibus cum ceteris operam dedit: pluribusque deinceps annis, quam beneficio receperat sanitatem, asceticis religiosæ illius familiæ exercitationibus sic addixit, vt collecta præclaræ virtutis apud suos opinione, beatum vitæ finem attigerit.

AR-

IV. ARNOLDVS.
conuerſus Villarij. *Raiſſus.*

ET hunc Arnoldum eodem hoc die cęlo Villarium immiſit. Priuſquam ſe Ciſterc ienſi diſciplinæ mancipare, Palæſtinam, & conſecrata Chriſti veſtigijs loca religionis gratia luſtrauit. Tum Villarij ſuaue Domini jugum ſubijt & in conuerſorum gradu Chriſtianam ſui demiſſionem amplexus eſt. Molitor fuit: eoque in munere egregia ſemper edidit pietatis ſpecimina.

Mortalibus multis ſaluti fuit: quod amabat in primis, & pro modulo ſuo curabat. In peccata præſertim grauia prolapſis, aut certe periclitantibus, quam poterat opem alacer impendebat, omnibus omnia factus. Venit ad eum aliquando turpis muliercula: & profeſſa meliorem deinceps vitam ſe meditari, rogauit egeſtati vt ſubueniret. Annuit ille perlubenter, pro ſua caritate, eique neceſſaria ſubminiſtrauit. At illa ſuæ turpitudini adhærens, eo proceſſit impudentię, vt in publico tripudio Arnoldi candorem ac ſanctam ſimplicitatem procaci cantu proſcindere non erubeſceret. Audijt Arnoldus: & conuerſus ad preces obtinuit a Deo vt graui mox infirmitate corriperetur. Compellente igitur egeſtate, veniam deprecata eſt: conceſſitque ſtatim humaniſſime vir ſanctus; ac receptæ in gratiam numquam deſtitit bene facere, quoad vixit.

Ea hominis in proximum pietas Dei clementiam in ſe prouocauit, vt & eius munere miram, quamdiu vixit, aſſequeretur in virtutum exercitatione facilitatem, & optima ſpe plenus ad alteram vitam migrauerit.

FLORVM

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
IVLIVS.

Die octauo

I. S. LANDRADA

virgo conditrix Belisiæ. *Theodoricus abbas, Notgerus episcopus.*

CAPVT I.

Magna austeritate vitam instituit.

LANDRADAM volunt nonnulli Arnulfi Metensis, Pipinique Landani neptem fuisse: sed ambigere non licet, virtutibus fuisse, quam genere multo clariorem. Pueritiam exegit ea sanctitate, quæ familiares omnes ad recti prosecutionem accenderet. Vbi primum nubiles annos attigit; rejectis, quæ splendidæ offerebantur, nuptijs, vni se Christo despondit.

Abhinc spretis omnibus,(inquit Theodoricus) vnius cellulæ clausa angustijs, paradisi perfruebatur amplitudine, & delicijs: eodem orans solo & recubans; cibario pane & aqua magis prouocans esuriem, quam sedans. Balneas ignorabat: mollia strata etiam cum febri æstuaret, abhorrebat. Cilicio obvoluta, in nuda humo Christi miles exercebatur. Si peccaret forte quis alius, non aliter atque si rea fuisset ipsa, alieni delicti pænas luebat. *Circiter annum 650. Austere se habet.*

Sibi ipsa mollior inter hæc videbatur, quod paternis in ędibus degeret. Solitudinem meditari cœpit: ac tandem inuitis parentibus, reclamante familia, saltum inuadit, quem a feritate inhabitantium belluarum, Belluam vocabant; erectoque propria manu breui tugurio, ingreditur; & pugnatura cum antiquo serpente, diuiniora quępiam, & supra hominem pugnæ genera aggreditur.

Multis breui victorijs ex singulari certamine nobilitatam, voluit Deus copias colligere, quas in aciem educeret. Ita sæpe nuntiarunt sub intempestam noctem beati genij mira luce conspicui; areamque statuendo monasterio designarunt; sed maxime tum, cum aliquando supra omnem hanc luteam infirmitatem erecta, libero mentis pede in odorem cælestium vnguentorum curreret. Discedente enim derepente cælo, mirifici operis crux delapsa est cum clara luce; & Landradæ, quæ jam mundo crucifixa erat, velut pro munere super proximum lapidem deposita. Durant adhuc non languidę fidei certa monumenta. Sicut enim mollis cera impressam sigilli recipit imaginem, & refert intuentibus; ita durissimus lapis totam ejusdem crucis impressionem spectantibus hodieque demonstrat. Cum cruce vox missa est: Accipe Landrada ab immortali sponso caritatis arrham: ipse tibi crucis mittit sponsalia, qui in cruce moriens vniuersa restaurauit. amatoris tui hæc sunt munera. *Ad crucem diuinitus inuitatur.*

DIE 8. Monitum. Disce ad hæc verba tu, homo delicatule, quas ames delicias. Ad quam missus a Deo Patre, & quam complexus est amantissime crucem vnicus Dei filius; eamdem carissimę sponsæ donat, tenerrimi amoris pignus. Disce quam recedas ab æternæ sapientiæ judicio, quam aberres a vero. Vera sinceraque voluptas alia quam crux nulla est. Nullam aliam dat Deus tenerioris suæ caritatis arrham.

Templo condito. Dantis mentem intellexit Landrada: obfirmatoque ad ardua & cruces animo, suis ipsa manibus instituit vepres & spinas exstirpare, humum sarrire, ædem in honorem Dei matris & virginis MARIÆ moliri: & quod mirum videatur legenti; suis ipsa manibus lapides effodere & comportare, lineam ducere, fundamenta jacere; & in loco destinatæ sibi crucis non alius, quam ipsa collocauit, quod adhuc perdurat altare. Manus vltima feliciter erat apposita: Landradę inuitatu dicauit Lambertus Tungrēsis episcopus, qui virginem sanctioribus pręceptionibus instruere, & consilio, veluti manu, ad meliora ducere solitus erat; Christoque desponsam, sacro virginitatis flammeo velauit.

sodales colligit. Tum non aliter quam sublato sacrę militiæ signo ad noua Christi castra conuolari cœptum est. Faciebat animos inuicta Landradæ fortitudo, quæ corporis castigationes mira animi voluptate condierat; excolueratque sancta amœnitate solitudinem illam ante horridam: vt deinceps non Bellua, sed Belysia, quasi belle Elysia nuncupari cœpta sit. Hactenus ferme Theodorici verba sunt.

CAPVT II.

Sancte mortua, mirabili prodigio VVintershouium transfertur.

MVltis annis in hac arena se suasque fortiter exercuit Landrada, & magna felicitate insignes referre victorias edocuit. Eminuit inter omnes Amalberga virgo Arduennas, quam permotus sanctitatis Landradę fama Willibrordus, institutionis gratia Belisiam miserat: de qua hujus mensis duodecimo die dicendum erit.

Circiter ANN. 690. Graui denique corporis infirmitate dejecta in lectum Landrada, cum extremam horam imminere sensisset; ipsa quidem ad tantum certamen, vt par erat, qua potuit vigilantia se comparauit; amantissimi tamen parentis sui Lamberti subsidio communiri expetijt. Vides communem sanctis omnibus sententiam? Mortem vbi sentiunt eminus aduentantem, omnibus se defendi præsidijs exoptant. Tune illam improbitatis tuæ vindicem impauidus exspectes?

Mortua Vbi Landradæ periculum Lambertus per certum nuntium accepit, vt non modico aberat itinere, Belisiam summa celeritate contendit. Anteuertit Deus. Sanctam virginem multorum annorum recte factis & victorijs gloriosam terris eripuit, in cælum insigni triumpho inuecturus.

sistit se Lāberto episcopo Episcopo mox ipsa multa luce corusca suam mortem per somnum indicauit. Qui alumnæ suæ gloria mirum in modum exhilaratus, quando vltimum decertanti adesse non potuerat, petijt liceret saltem beatas animæ triumphantis exuuias humo mandare, eo loco, quem deligeret. Annuit beata virgo: cumque locum a Deo sibi paratum splendida cruce e cælo terram attingente designari ostendisset, sublimis abijt. Episcopo & ex eius voluntate somnum excussit lætitia; qui Wintershouium animaduertit cęlesti luce commonstratum: Belisiamque perrexit.

Complorationibus hic omnia personabant, desiderio sanctæ virginis. Parentem sanctimoniales, afflicti solatium, ægri medelam, tutissimum præsidium vniuersi requirebant. Dolorem temperabat superstes Landradæ in omnes benignitas, quam perpetrata diuinitus complura miracula testabantur. Publica omnium pietas funus apparabat: obstare cœpit Lambertus; & aliud Diuinæ prouidentiæ decretum esse insinuauit. Reclamarunt mox vniuersi: suoque dolori negandum non esse contenderunt sepulcri saltem solatium.

Wintershouium diuinitus transfertur. Cessit Antistes, cum aduersus torrentem vnus brachia tendere non valeret. Sed tertio die post sepultam Belisię Landradam, circumfusa multitudine terram effodi mandat: & ecce mirum dictu! nec sanctæ virginis corpus, nec ipsum e marmore conditorium inuenitur. Wintershouium ipse properat; locum adit, quem cęlo demissa crux designarat. Terra non alte effossa marmoreum ecce conditorium, & in eo S. Landradę corpus conspicitur. Dolorem multis, qui se desertos flebant, multis gaudium, qui tanto se

ſe beatos pignore gratulabantur, ingentem omnibus admirationem incuſſit hoc ſpectaculum.

Creuit eo prodigio veneratio multitudinis in B. Landradam, cui parentaſſent etiam angeli, imo Deus ipſe compluribus prodigijs. Nam cæci, febrientes, hydropici, & alij quacumque affecti infirmitate, certiſſimum hic ſuis malis inueniebant remedium. Sed Beliſię nihilo inferior S. virginis gloria permanſit in multas ætates. Eius enim exculta disciplina ſacratæ Deo ſodales monaſticen magna gloria retinuere, ex quo nomen loco perſeuerat. Hodie canonicæ ſunt.

Manſit Wintershouij ſacrum corpus ad annum vſque nongenteſimum ſexageſimum ſextum, quo inſignis eius portio cum ipſo capite non ſine miraculo tranſlata eſt a quodam Lantzone loci domino; & poſtea Beliſiam relata, ibidem in hoc tempus egregia religione ſeruatur. Auectum eſt reliquum corpus Gandauum anno nongenteſimo octogeſimo quarto, & ad noſtram ętatem in S. Bauonis venerationi eſt.

II. WAZO

epiſcopus LII. *Anſelmus, Ægidius, & quæ ex eccleſiarum ſuarum archijs mihi communicarunt, admodum RR. DD. D. Leonardus Lintermans I. V. licentiatus & decanus S. Crucis, & D. Nicolaus de Rocourt decanus S. Bartholomæi.*

CAPVT I.

Ex infima fortuna ad ſplendidam euectus, epiſcopatum declinat.

HVmili loco natus, ad ſummam fortunam ſua virtute peruenit. Sincera eſt illa ac prima nobilitas. Hæc illi fuit gradatio. Amabat litteras, & rectam juuentutis inſtitutionem Notgerus epiſcopus; nec a ſcholaſticis exercitationibus auelli poterat. Quoties iter faceret, circumducebat veluti ſcholam; cum omni libraria ſupellectile, doctiſſimoque aliquo præceptore: atque curabat exerceri toto itinere, quos adoleſcentes in viæ comites adſciuerat. Educabatur Wazo inter eorum ſarcinas, ijſque vectandis quærebat victum. Sed factam ad litteras indolem cum pręferret, ad illas animū applicare juſſus, eos progreſſus fecit, vt in infimum S. Lamberti clerum Notgerus illum primum adlegerit: tum vbi perſpectum habuit hominis animum, litteraſque, ſcholis præfecit. *Viliſſimę conditionis*

Rexit illas Wazo magno rei litterariæ bono, donec ad decani dignitatem Baldricus epiſcopus promouit. Hic inuidiæ virtus patuit. Dum ſuam, collegijque dignitatem ac libertatem tuetur aduerſus impotentem præpoſiti cujuſdam ſuperbiam, vita periclitatus eſt. Amicorum conſilio primum ad Popponem Stabuleti abbatem, mox ad Cæſarem Conradum ſe recepit, eiuſque ſacrarij ſubijt prouinciam. *emergit ad decani dignitatem*

Hic breui ſe prodidit eius integritas ac ſapientia. Cæſaremque ac ceteros in regia principes adeo ſibi conciliauit, vt in ſoluendis ſacræ ſcripturæ, legumque eccleſiaſticarum quæſtionibus, aut negotijs regni pertractandis, ex eius ore penderent vniuerſi. Sed primi ex omnibus archiepiſcopi Aribo Moguntinus, & Pelegrinus Colonienſis hominem adeo venerati ſunt, vt & venienti aſſurgerent, & ſeſſum inter ſe reciperent. *Apud Cæſarem clareſcit.*

Præpoſito Ioanne interim e viuis ſublato, cum nullum jam ſibi periculum eſſe ſciret, prius tamen Leodium redire noluit, quam alium accepiſſet eſſe ſubſtitutum. Sed & illum breui mors rapuit. Quare omnium ſuffragijs factus eſt Wazo præpoſitus. Quo munere functus annos denos quaternos ingenti gloria, rem collegij familiarem (quę præpoſiti potiores partes erant) indeſeſſa vigilantia non minus auxit, quam cœnobiticę diſciplinę ſplendorem: & tantam apud omnes de ſe concitauit opinionem, vt etiam Maximi nomen auſus ei dare fuerit Anſelmus. *ANN. 1018 Creatus prępoſitus*

Exeunte anno triceſimo ſeptimo diem obierat Reginardus epiſcopus: habita ſunt Leodij comitia pro ſucceſſoris creatione. In his conuerſi ſunt in Wazonem omnium animi, & tanta conſpirauere concordia, vt ſuffragiorum ordinem præuertentes, magnis clamoribus illum epiſcopum flagitarent. Ille vnus ſe ipſe tanto major, quanto ſe tanta dignitate minorem cenſebat, ea contentione delatum principatum refugere cœpit, qua *impedit ne fiat epiſcopus.*

 ſolent

solent affectare ambitiosissimi quique. Insitum humilitatis studium expeditam ex tempore rationem inuenit, qua sarcinam illam humeris amoliretur. In præproperam ferendi suffragij libidinem inuehi cœpit, qua suum sibi jus adimi querebatur: præpositi nimirum esse in suffragia primum ire; tum ordine suo ceterorum. Ita cœtum vniuersum ad solemnem normam cum redegisset, ipse Nithardo suffragatus est: eamque suo suffragio hominis commendationem addidit, vt qui alias recenti patrui sui Reginardi memoria gratus erat, vnus reliqua ferret suffragia. In eum modum triumphauit tum Wazonis modestia.

CAPVT II.

Creatus episcopus, quam sanctitatem coluerit.

ANN. 1042. Tandem eligitur.

DIu clauum ecclesiæ non tenuit Nithardus. Neque suffragijs valde certatum est, vt Wazo subrogaretur. Probata prioribus comitijs eius modestia, vniuersorum studia magis accenderat. Quod vbi sensit, nouis artibus delatos honores declinaturus erat, nisi omnem conuentum sic impulisset Poppo Stabulensis abbas, vir sapientia sanctitateque clarissimus (ita demonstrauimus vicesimo quinto Ianuarij) vt nullus tergiuersationibus locus relinqueretur.

Præsul ergo designatus Ratisbonam ad regem iter adornat cum vtriusque ordinis legatis, baculum deferens pastoralem, vt more tum solemni a rege inauguraretur. Non defuerunt e principibus, quibus suspecta esset Wazonis integritas. Eapropter alium censebant esse designandum, qui magis ad mores palatinos factus esset. Lupinum scilicet animum induat, ex illorum sententia, cui omnium salus creditur: ambitionique ac intemperantiæ seruiat, quem ad Christianam modestiam, pudorem, & reliquam omnem honesti rationem tuendam Deus destinauit. Ea tum fuerunt, hodieque non raro inueniuntur vsque eo deprauata mortalium judicia. Intercessere Herimannus Coloniensis archiepiscopus, & Bruno Wirceburgensis, ne quid virtuti decederet maleuolorum inuidentia. Euiceruntque vt Cæsaris autoritate Wazo præsulatum iniret.

Tantam prouinciam quo susceperit animo, ne augere videar, ipsius Anselmi sententia dabo. Explicari non potest, quam arduum sanctitatis montem euangelisaturus Sion inscenderit, quanta seruitute spiritui corpus subegerit, quanto annisu totus in Dei gloriam assurrexerit. Abjectus secum, inter humiles & subjectos episcopum se esse nesciebat. Singulorum exploraturus studia, vel animaturus, scholas frequentabat; quæstiones proponendo, argumentis & ratione vinci, quam autoritate vel judicij pertinacia vincere malebat. De Donati vel Prisciani regulis adolescentulos non dedignabatur interrogare: qui recte sensissent, laudibus efferre, tardiores increpare & corrigere, superiorum exemplis ad operam strenue collocandam prouocare. Ad nocturnas æque ac diurnas preces in templo persoluendas e ceteris sodalibus nemo prior illo prouolabat, nemo religiosius intererat, nemo serius abscedebat, nisi forte contigisset publicis occupari negotijs. Verni jejunij tempore nec choro, nec ab vllo alio sodalium conuentu alijs auocari se patiebatur. Cubiculi secretum amabat, vt secum habitaret. Hic saxeo sedili pro lecto, matta lanea pro lectisternio vtebatur. Auenaceo pane cum modica faba senile corpus sustinebat. Cereuisia potus erat, sæpius aqua pura. Statutis diebus nudatum humeros flagro se præbebat cædendum: percussoremque contestabatur, ne vel dignitatis reuerentia, vel gratia ætatis parceret; nec denique secretum proderet. Sic Anselmus: qui tamen affirmat ipsum gloriosius victoriæ genus esse existimasse, imperio præualentis animi corpus domare, quam asperitate cilicij.

Scholarum cura.

Mores integri.

Inter hos ascensionum gradus ita vir Dei studebat modestiæ & Christianæ humilitatis scalas in animo componere, vt quo sublimius eueheret dignitas, hoc altius se ipse demitteret. Et quamquam omnem a se vitiorum turpitudinem abesse vellet quam longissime, tamen ab ijs horrebat maxime, quæ priuatus olim audierat in præsulibus damnari, a superbia nimirum, & bonorum ecclesiasticorum cupiditate. Hæc e plurimis diligenter ab Anselmo notatis paucula: quibus &, viam sibi Wazo muniit ad principatum, & illum adeptus, insigni gloria gessit.

CAPVT III.

In egenos liberalis, ecclesiæ libertatem tuetur, & a bello Lotharingiam seruat.

EA pietate, qua in egenos claruerat, cum præpositum ageret, velitari dumtaxat visus est illi multo majori, quam in episcopo publica mox necessitas prouocauit. Illam purius sinceriusque nusquam hauriemus, quam ex ejusdem Anselmi fonte. Primo statim espiscopatus anno, cum fames ingens grassari cœpisset, quæ annos sex solidos Galliam Germaniamque oppressit, prouidus hic noster Iosephus insigni diligentia conquirens annonam, opportunis horreis recondidit, quam suo tempore fidelis promus in esurientem Christi familiam distribueret. Taceo quotidianam pauperum stipem, qua denariorum pondo in singulos dies erogabat. Quid de egenis familijs dicam, quas mendicatione ingenuus pudor absterrebat? His pro inopiæ modo clam frumentum submittebat, huic denos modios, alteri vicenos, illi tricenos, quinquagenos alij centenosve. In his plerique fuere nobiles, quos ab extrema egestate seruauit opportuna præsulis liberalitas. Nec defuit interim agrorum suorum colonis, quos ne cogeret inopia ad agros deserendos, singulis in omnes hebdomadas toto famis tempore binos denarios dari mandauit. Ea munificentia principe Christiano digna publicam calamitatem subleuauit. ANN. 1043. In fame multis auxilio est.

Eodem hoc anno ædi Bartholomæanæ dignitatem auxit. Triceni numerabantur Leodij in omnibus collegijs canonici. Lambertianos excipio, qui sexageni censentur. Vnum S. Bartholomæi collegium vicenis constabat. Quod ne reliqua tanto sequeretur interuallo, attribuit Wazo prædia, quibus saltem numero reliquis æquaretur, tricenorumque etiam collegarum deinceps esset. Auget collegium S. Bartholomæi.

Sed ecclesiasticam deinde libertatem inuicta fortitudine propugnauit. Anno quadragesimo sexto venerat Aquas Henricus rex pentecosten acturus: eodem venit ad regem Wazo. Forte tum coram episcopis agebatur causa Wigeri cujusdam: qui cum generis claritate polleret, e Coloniensi canonico Rauennas archiepiscopus ab Henrico rege designatus, quamquam necdum cõsecratus, solido tamen biennio ritu põtificio sacris fuerat operatus. Iussus ab rege causam dicere, non aliud, quam suam ignorantiam excusabat. Regio tribunali hominem subijciebant episcoporum nonnulli; dubij hæsitabant alij. Sententiam Wazo rogatus, intrepide pronuntiauit: Ad regium tribunal causas omnes profanas pertinere pari jure, quo sacras omnes ad pontificem. Quare quod contra sacros canones Wigerus peccasset, sacro item judicio expendendum esse; quemadmodum & regio, quidquid regijs legibus aduersaretur. In eamdem sententiam mox ceteri venerunt episcopi: & a judicio regis immunis futurus erat Wigerus, nisi sua sponte abdicasset. Fortiter ecclesiæ libertatẽ tuetur,

Discessit ab hoc conuentu Romam rex nobilissimo Germanorum principum comitatu. Nudatam interim omni præsidio Germaniam rati Francorum nonnulli, regi suo autores fuerunt, vt Aquas vrbem regiam, quod Francici quondam juris, sed Germanicorum regum armis fuisse reuulsam contenderent, suo restitueret imperio. Mouit regem bella occasio: vim decernit ac parat, tota Francia delectus habet. Wazonem terruit imminens patriæ periculum. Et quando nullas videret copias, quæ potentissimo regi objicerentur, supplices ad eum litteras dedit; rogauitque vt ne conglutinatam tot fœderibus inter vtrumq; regnum amicitiam, crudeli bello violatum iret. Verum vbi preces episcopi regia cupiditas rejecisset, alteras scripsit Wazo magis aculentas: quibus ostendebat primum pro tanti regis majestate non futurum, si latrocinantis instar amicum regnum infestaret, absente procul & ignaro rege. Si quod esse sibi jus crederet, exspectaret porro regis reditum, quem constaret ab æquo non ita abhorrere, vt contra jus fasque regnum alienum occupare velit, aut retinere. Quod si nihilominus bellum placeret; aberrare toto cælo, si nudatum omnibus viribus regnum esse crederet. Integras esse vires Moguntinorum, Coloniensium, Leodiensium, aliorumque populorum, qui bellum inferenti generose se objicerent. At sane Christiano animo peruideret ipse, quantum sanguinis fundendum; quot & quam horrendis sceleribus Diuinam majestatem offendẽdam; quot miserandorum mortalium millia in æternum exitium ruitura. Quorum omnium regemque Franciæ deterret ab inferenda injuria.

nium reus ipse, cum olim seuerissimo supremi regis tribunali sisteretur, mature prospiceret, quid tuto responsurus esset. Christianam episcopi libertatem fortitudinemque multis laudauit in consessu procerum rex Franciæ, consiliumque amplexus est. Ita calamo sapientissimus præsul insignem toti Lotharingiæ nauauit operam, multo vtiliorem mox vniuersæ ecclesiæ daturus.

CAPVT IV.

Sedem apostolicam aduersus Henricianam hæresim tuetur.

CVm venit in Italiam Henricus rex, Gregorium VI. pontificem maximum sibi Placentiæ occurrentem excepit primum pro dignitate. Sed cum doleret, Romanos id sibi sumsisse, vt nulla sui habita ratione pontificem creassent, mox Sutrina synodo coacta, ipsum vitio creatum esse contendit. *Quod autem* (ait Baronius) *sanctissimus papa cerneret ea occasione dirum schisma conflandum, imitatus ipse Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui pacis studio sponte abdicauit; & ipse eodem animo, ea denique virtute, pontificia sede cessit.*

Insurgit aduersus ecclesiam Henricus rex: Suffecit rex Suidgerum Bambergensem episcopum. Atque ita *malo filio* (Baronij verba sunt) *pessimoque nepoti reliquit exemplum, vt non quem elegisset Romanus clerus, & populus postulasset, is pontifex esset: sed quem imperator, siue Germaniæ rex in sacrosanctum Petri thronum intruderet. Qui quidem peruicax error transijt in hæresim dictam Henricianam, communem cum politicis nostri temporis: qui volunt imperatoribus siue regibus non temporalia tantum, sed spiritualia esse subjecta. Contra quam successoribus pontificibus per annos octoginta indefesso labore certandum fuit.* In hunc modum Baronius.

ANN. 1047. fortiter se episcopus opponit. Aduersus eam hæresim in acie prima stetit, & omnium fortasse primus arma mouit Wazo. Cum enim nono post mense e viuis abijsset ille Suidgerus, quem Clementem II. appellarant; de successore dicendo sententiam rogatus ab imperatore episcopus noster, maturo judicio causam expendere voluit. Et ne temere, vel nimia sui fiducia sententiam diceret, nonnullos aduocauit, quos præstanti sapientia pollere nouerat. Cum ijs partitus laborem, res a Romanis pontificibus gestas instituit euoluere; tum ipsorum decreta, conciliorumque canones, si quid hanc causam illustraret. Summaque illa diligentia, & communi doctissimorum hominum labore certum id reperit fixumque: pontificem Romanum quamcumque demum vitam agat, sanctam aut flagitiosam, maximo ab omnibus honore semper colendum esse, nullius inter mortales judicis subsellio sisti posse. Nihil ergo dissimulandum ratus, diserte candideque suam mentem aperuit, datis ad Cæsarem litteris in hæc eadem verba, quę post prudentem deliberationem concepit sapientissimus præsul, ideoque non putauimus esse immutanda. Inter alia igitur, quæ breuitatis causa prętérimus, sic ait. *Recogitet serenitas vestra, domine mi, ne forte sedes summi pontificis Gregorij VI. injuste a quibus non debuit, depositi, ipsi sit reseruata; cum is Clemens II. quem vice eius inthronisastis, vita decedens, priori adhuc superstiti restituendam reliquerit. Et quoniam vobis complacuit nostram super his efflagitare sententiam: liceat quæso pace vestra, omnium ecclesiasticorum doctorum sententijs instructo, proferre quod justius esse perspexero. Cum enim Iudæ traditoris loco legamus apostolos, absque vlla sæculari potentia, Mathiam apostolum ordinasse; credimus hoc exemplo per ecclesiasticos ministros absque potentia sæculari electiones & promotiones apostolorum fieri debere. Sed & hoc liceat audacter protestari, electionem apostolicam, seu promotionem ecclesiastico ritu legitime celebratam, ordinatione Diuina constare muniri. Quapropter vt vestræ saluti pariter & honori congruum vobis præbeamus consilium; desinat sublimitas vestra huic, qui superstes est, alium subordinare pontificem; ne repugnare videamini ordinationi Diuinæ. Quia contestantibus tam Diuinis legibus, quam ecclesiasticis decretis, a nemine, nisi a solo Deo judicari debet Christi vicarius.*

Ista Wazo: quibus pro apostolicæ sedis majestate in Henricianam hæresim primo eius exordio fortissime dimicauit. Et vero in semine fortassis perijsset oppressa, si alios nonnullos par constantia erexisset. At complures alias sapientissimos perstringit nonnumquam purpuræ nitor, & mentem euertit, vt ad animos principum potius, quam ex rectæ rationis norma sententiam pronuntient. Imperator quidem non exspectata Wazonis responsione pontificem Romanum renuntiauit Popponem, ante Brixiæ episcopum: sua nihilominus Wazoni stetit gloria, famaque sapientię late diffusa per orbem Christianum.

Digitized by Google

CAPVT V.

In fide Cæsaris constans, patriam fortiter tuetur.

DVm impio bello Romanam ecclesiam, imo superos ipsos lacessit imperator, in illum ecce domi mouet arma Godefridus frater illius Frederici, quem postea pontificem Stephanum IX. appellarunt. Ne cęco consilio rem tantam aggrederetur, vires quæsiuit consilio non impares. Inuenit Balduinum Flandrum, Theodoricumque Frisium, principes magnis animis, opibus, reique bellicæ peritia pręclaros: & alios tentauit. Sollicitatum esse Leodiensem episcopum affirmat Anselmus, quamquam autorem reticeat.

Sparsa erat fama (ex destinato scilicet, quo irritarentur animi) episcopo Cæsarem esse infensum: & fortassis ex vero ferebatur. Proximæ sunt summis potestatibus assentationes: contra inimica est libertas monendi. Hęc Aquensi cœtu vsurpata, in suspicionem præterea hac Romana contentione vocata est. Igitur litteras accepit episcopus incerto scriptas autore, sed amico, vt profitebatur: qui quando se æquo faciliorem obtrectatoribus præbuisset imperator, & immerentem durius insectaretur, suadebat vt immissis in vrbes, munitionesque omnes suæ ditionis præsidijs, injurias armis ipse fortiter vlcisceretur. Quæ vbi perlegit, subridens & ad amicos conuersus: Ecce, inquit, vt aduersum Cæsarem arma sumam, adhortantur hæ litteræ. Quid vos consilij, aut certe auxilij confertis? Non minus libere, quam sapienter vnus e numero respondit, (nec enim assentatoribus apud se locum dabat integerrimus præsul) e dignitate haudquaquam futurum, si is qui ab adolescentia fidem Augusto sanctissime coluisset; extrema jam vita aliusce modi consilia captaret. Subjecit episcopus: Non aliam a tua mihi mentem esse, sibi persuadeant omnes velim. Imperatori domino meo fidem semper integerrimam seruabo: & quocumque demum ille animo in me fuerit, sacram eius Cæsaream majestatem omni obsequio, quoad fas fuerit, venerabor. Ita tum locutus, & factis semper executus est; sed ea cautione, vt quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo reddere meminisset, & palam profiteretur. Nec vllo humanæ potestatis metu abduci se patiebatur a recta ratione, vel ecclesię dignitate tuenda. Sollicitatus ad res nouas Wazo perstat in fide

Dejectus ergo illa spe Godefridus, cum tamen justis se viribus niti crederet, prosilijt ad arma: impressisque per Lothariense regnum diræ hostilitatis vestigijs, Virdunum contendit. Vrbs capta est, & tota sic incendio deformata, vt nec basilicæ Dei matris parcitum sit; quæ omni suo ornatu prius spoliata, euersa denique funditus est. Eam fuisse narrant vrbis calamitatem, vt canonici non pauciores viginti quatuor rebus suis euersis, desperantes meliora, solum mutarint, numquam redituri. Tam diram miseratus cladem Wazo, argenti pondo quinquaginta largitus est: quorum pars altera singulis cederet canonicis, altera ædis ipsius reparationi. Quod primum a sua hac calamitate subsidium expertos canonicos Virdunenses, ne quam ingrati animi suo nomini notam inurerent, sanxisse vult Anselmus, vt in omnem venturam ætatem Wazoni preces ad Deum funderentur. & pro imperio

Proruebat interea latius in dies Godefridi ferocia per Lotharingię regnum; & obsistente nemine jam in fines Leodienses penetrauerat. Felix enim primis belli initijs fortuna multos eorum ad Godefridum abripuerat, quos pro imperio fortiter agere conuenisset. Eo magis animum erexit Wazo; & ad propulsandum periculum quas potuit copias contraxit. Ac primum quidem ipsam vrbem, quo maxime hostes tendere videbantur, pro tempore & loco munitam, immisso in arcem præsidio, ab incursu hostium tutam reddidit. Vbi extra metum fuit Leodium, tum vniuersæ ditioni prospicere cœpit. Castella pleraque hostes insederant ingenio loci munitissima, vel in arduis rupibus, vel in paludibus inaccessis. Imposito enim præsidio, post vastatos agros, exercitum alio Godefridus asportarat. Sed decurrens præsidijs miles circumjectum late agrum omnem fœdum in modum populabatur: colonique latrocinijs vexati jugum intolerabile ceruicibus impositum deplorabant. Excutiendum censuit pius princeps; & posse sperauit prius, quam militem sub signa reuocasset Godefridus, & suppetias suis ferret. Consilium euentus probauit. Collectis viribus singula aggressus castella, cum vel paludes superjectis molibus strauisset, vel comportato aggere ascensum in abrupta rupium molitus esset, remp. feliciter tuetur.

set, vi cepit, ejecto milite euertit, diœcesi pacem reddidit.

Alium belli exitum exspectare fas non erat tali imperatore; qui quoties pro suis in hostem tenderet, quamquam florentes copias duceret, solam crucem manibus præferens, in aduersos hostes intrepide mouebat, paratus pro grege occumbere pius pastor. Subdit Anselmus quod miremur, ex ipsorum hostium confessione. Cum vrbi non semel infestis animis copias admouissent, postquam in conspectum venerant, tantam sacrarum ædium multitudinem conspicati, sacro quodam horrore, & templorum reuerentia sic percellebantur, vt abjecto oppugnationis consilio, cogitarent potius de Numinis ira declinanda.

CAPVT VI.

Insignis eius integritas. Cæsarem placat.

IMmortalem illis factis ab imperio promeritus erat Wazo gloriam: hæc inuidiam comparauit. Eius enim splendore perstricti liuidi quorumdam oculi, mentes in transuersum abripuere; vt perfidiæ Wazonem apud Augustum insimulare non puderet, quasi Godefrido nouarum rerum autor fuisset. Neque pluribus difficile fuit eam Cæsari suspicionem injicere, ignaro Wazone, nedum audito. Inuicta nimirum hominis fortitudo pro tuenda ecclesiæ libertate jam plus semel cognita, alieniorem a Cæsare animum testari videbatur. Et recentius fortassis exemplum quispiam protulit, quod prima specie imperatori minus æquum censeri posset; at reuera magnę sit integritatis argumentum.

Wazonis integritas. Herimannus Montensis comes icto fœdere cum Balduino Flandrię comite contra Cęsaris majestatem fecerat. Vxor per causam conjugis a perfidia vindicandi; at sane odio in ipsum concitata, episcopo clam nuntiauit, si Cæsari gratum facere velit, ei virum ipse tradat: locum profecto illa tempusque designauit, quo in suam redigeret potestatem. Cohorruit ad tantam perfidiam episcopus, & sibi nihil cum impudente femina voluit esse commune; facturus alias in causa Cæsaris, quidquid suæ dignitati non aduersaretur. Aliud euenit, quo & certius Cæsar offensus est, & ęgrius se ipse purgauit.

Ad militares operas nuper euocauerat Augustus vniuersam pæne Lotharingiam. Animus erat ad officium expeditione nauali compellere Theodoricum Frisium Godefrido fæderatum, & vna cum suis res nouas molientem. Rudem in eo belli genere militem suum non existimauit Wazo objiciendum illi genti, quę in aquis propemodum nata, & educata, rei maritimæ gloria celebrabatur. Majestatis igitur accusatus, coram rege caussam agere instituit. At Cæsar nonnullorum maledicentia stimulatus, excusationem non admittebat, dicentem obturbabat, objectabat noua. Quibus dum respondet episcopus, abibat in longum disceptatio. Stando igitur fatigatus, indigne se haberi queritur, cui dignitatis episcopalis reuerentia, sedendi facultas jam dudum fieri debuerit. Ad hæc imperator: Quam ego venerationem debeo, qui sacro pariter oleo perunctus, ceteris imperandi potestatem accepi. Hic Wazo tuendi ordinis sui studio incensus: Si nescis, Cæsar, inquit, quanto vita morte potior est, tanto nostram vnctionem tua Cæsarea præstantiorem habe. Tu potestatem in corpora dumtaxat habes, quæ perimere potes, peremta non potes ad vitam reuocare. Nobis in animas potestas nobilior est, quas inferorum maleuolentia in ęternam mortem ruentes, ad æternam & omni felicitate beatam vitam reuocamus. Inconcussam & episcopo dignam ejuscemodi libertatem raro reges audiunt. Nihilominus postquam intrepide diu ista animi fortitudine Cæsari præsul obstitisset, clamoribus tandem procerum obstrepentium victus, & episcoporum cõsilio, veluti reus ob declinatam militiam, accidit ad imperatoris pedes, & quam confessus est culpam, trecentis argenti pondo expiare promisit. Benignior postea Cæsar eam multam condonauit: atque (vt suum vbique virtus obtinet; & quamquam suis obluctantem cupiditatibus, illam tamen suspiciunt etiam principes) in arduis eum sæpius consulere perrexit.

Inuicta Wazonis fortitudo.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

Quid de hæreticis puniendis senserit.

CVm acri judicio, magna Diuinarum simul & humanarum rerum cognitione, infractaque mentis integritate polleret Wazo, cui insignem agendorum peritiam ætas prouecta jam addidisset, præclara per orbem Christianum sapientiæ laude celebrabatur. Ait Anselmus crebras illum a Romanis pontificibus litteras accipere solitum, quibus consuleretur in causis difficilioribus. Plerique præterea præsules in obscurioribus quæstionibus lucem ab illo non raro quærebant. Respondebat autem insigni modestia. Non enim ea, qua præditus erat cognitione rerum inflabatur; sed humiliter de se sentiens, gloriam eo majorem apud omnes consequebatur, quo minus amabat. Longe lateque sapientia clarescit.

Eodem hoc tempore reuiuiscebat in Gallijs Manichæorum insania: quæ cum ex Italia clam prorepsisset, vt primum ante annos tricenos detecta est, emicuit Roberti regis Christianissimi excellens pietas & industria in exurendis confestim ad messem jam perductis, segregatisque zizanijs; quæ si diutius siuisset illæsa seruari, vna cum religione perdidissent & regnum. Ita Baronius sensit. Sed vt clanculum atque per tenebras ejusmodi se pestis diffundere consueuit, nouo germine pullulabat per Catalaunensem maxime diœcesim. Rusticani præsertim homines in eam impietatem seducebantur. Manen hæresiarcham factionis suæ principem adstruebant esse ipsum Spiritum sanctum, nuptias damnabant, esum animalium detestabantur, clandestina frequentabant conuenticula impudicitijs infamia, sacrilegaque manuum impositione suos se initiare, & Spiritum sanctum afflare mentiebantur. Hisce porro suis ineptijs quamplurimos a vero abducebant, & præstigijs deludebant ipsi dæmones. Quos enim ante rudes omnino, & nulla dicendi facultate præditos fuisse constabat, extemporales fiebant rhetores, & disertissimos plerosque catholicos vana loquacitate ludificabant. Manichæorum in Gallia hæresis

In exstirpandam hanc impietatem incubuerunt plerique omnes magno ardore, Roberti regis exemplum secuti; verum non eo, quo ipse judicio. Zizania sapienter ille secreuerat e tritico, & flammis damnarat. Hac vero tempestate, solo vultus colore conuictos homines, non aliter ac si pallor fuisset certissimum latentis hæreseos indicium, in vincula trahebant, ac deinde mittebant in flammas. imprudẽter punitur a multis,

In ea judiciorum & reipublicæ perturbatione, sollicitus de suorum salute Catalaunensis episcopus, Wazonem secunda multæ doctrinæ fama celeberrimum consuluit; primum de animalium esu, quo violari Diuinũ præceptum ajebant *Non occides*. Cetera enim jam dudum satis damnata videbantur: tum & de hæreticorum supplicijs. Respondit Wazo illam Dei prohibitionem, si negarent hæretici de hominum cæde dumtaxat agi, non posse pariter restringi ad animantes sentientes, sed vegetãtes omnino simul inuoluendas: atque adeo ipsos eodem teneri crimine, quoties vel panem ederent. Hæreticorum porro supplicium ad messem vsque hoc est mortem esse differendum censuit, relinquendumque Deo judici; ne præferuido hominũ ardore simul eradicaretur & triticũ. In eam sententiam tum Wazo respõdit, cum catholicos plerosque justo plus inflammatos, ad æquitatis temperiem aliter reduci posse tum desperaret: qui alioqui non ignorabat, sapientissimorum quorumque judicio in ecclesia Dei semper vsurpatum fuisse, vt reprimerentur supplicijs, vitaque etiam pellerentur, qui ab orthodoxa veritate discederent. Prudentius a Wazone.

CAPVT VIII.

Ad mortem se religiose comparat, & eam feliciter obit.

QVæ reipublicæ negotia, quemadmodum narrauimus, tractare debuit Wazo, non eum a gregis sui cura, non a seria virtutis prosecutione reuocarunt. Et quo morti propius imminebat, hoc curabat studiosius, ne quod superérat vitæ, vacuum elaberetur. Quidquid a reipublicæ administratione integrum erat, totum vel precibus tribuebat, vel quæstionibus sacræ scripturæ vna cum doctissimis quibusque pertractandis, enodandisque. Cæli nullis injurijs deterrebatur, quo minus quot hebdomadis aliquoties, Jejuniorum maxime diebus, nudus pedes supplicatum iret ad plurium sanctorum tem-

 pla,

DIE 8. pla. Inter eundum, occursantium pauperum inopię subueniebat perliberaliter. Infirmioris ista ætate valetudinis gratia nihil remisit de prima seueritate certe acerba, qua corpus affligebat.

Atque inter hęc indefesso studio pastor bonus ad ęterna pascua Dominicas oues agere perseuerabat. Interimque in hujus vitæ via multis difficultatum spinis obsita, & luporum infesta insidijs, *quod infirmum erat, consolidabat; quod ægrotum, sanabat; quod confractum, alligabat; quod abjectum reducebat; quod perierat, quærebat.* Ne vero discederet ab antecessorum vestigijs, ecclesiam etiam opibus suscepit ornandam. Collegio enim S. Lamberti, præter alia, quartam Fleruci partem attribuit. Canonicos in S. Crucis ad denos quinos addidit: quemadmodum & ad S. Bartholomæi denos collocasse meminimus.

Ezech 34. 16.

ANN. 1048. Religiosissime moritur.

His artibus senectutem ornabat, quando Iulij principio, cœpit morbo tentari, qui lethalis fuit. Afflixit hic breui corpus, & pessumdedit. Sed erectus stetit animus, & in dies se ipse fortior nouis Diuini amoris facibus exardescebat in noua certamina. Cælesti dignum agonismate fecerant virtutes. Vbi viribus defectis vitæ finem adesse sensit, ad vltimam pugnam sacrum poposcit oleum. Aduocato omni clero, Olbertus S. Iacobi abbas, sacra ministraturus in cubile se intulerat; incredibili dolore palam Wazo peccata sua confessus est, detestatusque incensa animi vehementia noxiam omnem, qua mortalium quemcumque offendisset, condonari suppliciter flagitauit. Tum sanctam inunctionem impertijt Olbertus.

Magnus litterarũ Mæcenas.

Diem obijt Wazo VIII. idus Iulias: & sepultus est in S. Lamberti ante majorem aram cum gloriosa hac epigraphe ipsi conditorio inscripta. *Ante ruet mundus, quam surgat Wazo secundus.* Post templi conflagrationem translatus est ad aram S. Andreæ. Neque vanum puta hoc Wazonis elogium. Nam vt missas faciam, quas jam commemoraui inclytas eius laudes: illustre encomium e Florinensibus archijs eruitur, vbi diploma est Leonis noni, qui illum *æquitatis normam, catholicæ religionis canonicæ simul honestatis regulam semper fuisse* testatur. Ejusdem insuper opera, studio, industria, munificentiaque factum est, vt cum litteræ Leodij maxima gloria florerent, nobilissima appellatione LEGIA SAPIENTIÆ FONS nuncuparetur. Magnam hujus gloriæ partem in antecessores aliquot refundamus necesse est, quos prouidos meliorum litterarũ Mæcenates fuisse certum est. Sed auxit plurimum Wazo, cum & stipendiorum liberalitate Leodium præceptores doctissimos inuitaret, & strenuos auditores victu vestibusque sustentaret, & pro meritis ad honores promoueret ipse vnus, ea liberalitate, quam suspicerent posteri amarentque potius, quam attingerent imitatione. Sic loquitur Anselmus, defletque imminuta Męcenatum munificentia illam litterarum gloriam emarcuisse.

III. VEN. PETRVS EREMITA autor sacræ militiæ & conditor Nouo-monasterij. *Petrus Doutremannus e Societate* IESV, *Guilielmus Tyrius, &c.*

CAPVT I.

Post litterarum studium, arma, & conjugium, creatur sacerdos.

A litteris.

GEnte Ambianus, fuit domo Eremita, quæ ad comites Claromontanos in Aruernis originem referre creditur. Anno millesimo quinquagesimo tertio natus est deformi corpore, sed indole liberali. Primam ætatem exercuit liberalibus disciplinis in Italia primum, tum & in Gręcia: ac denique insignem rerum & linguarum cognitionem adeptus, in Franciam reuenit.

ad arma se conuertit,

Iuuenem ijs artibus instructum amauit Godefridus Parisiorum episcopus, & in suam cooptatum familiam ad sacros ordines promouere cogitauit. Sed ad arma deinde propendentem cum aduertisset, multis commendatum misit ad fratrem suum Eustachium Bononiæ Gallicæ comitem.

Huic gratissimus fuit Eremita, & sub eo duce prima militiæ rudimenta didicit, sed felicitate nequaquam aspirante. Cum enim Richildis Hannoniæ comes pro Flandriæ comitatu bellum mouisset aduersus Robertum Frisium anno septuagesimo secundo, secutus

cutus ipse Bononiensem, fortiter primum ac feliciter ad montem Casseletum pro Richilde pugnauit. Sed anno sequenti cum eodem loco rursum dimicaretur, ipse cum Eustachio captus in Frisij victoris potestatem venit.

A militaribus studijs eum auocauit aduersa illa fortuna: ad nuptias ipse se conuertit; duxitque Beatricem Roussiacam genere inter Normannos nobilem, sed magis morum honestate. Annos tres cum illa vix egerat, susceperatque ex ea Petrum & Aleidem, quando conjugem mors sustulit. Eremitam grauiter affecit durus hic alter casus: qui profecto alio se a Deo vocari credidit, quando adeo infauste ceciderant priora consilia. tum ad conjugium:

Sacris ergo voluit initiari: creatusque sacerdos, in cęlestium amorem totus incubuit. Sed quos sperabat progressus cum se facere non existimaret, quod terrenarum adhuc rerum compedibus detineretur, omnia statuit abijcere. Liberorum suorum cura propinquis demandata, relictisque omnibus facultatibus, pauperem & solitariam ducere vitam placuit. In Leodienses fines procul a patria se recepisse proditum est: ibique anachoreticum aggressus vitæ genus, tam ab hominibus nesciri studuit, quam vni Deo placere. sacerdos denique fit.

CAPVT II.

Ierosolymam profectus consilia captat pro recuperanda sancta ciuitate.

ASsidua Diuinorum meditatione, cui se dabat in illa solitudine Petrus, eorum crescebat desiderium & amor. Incessit animum cupido ea loca visendi, quæ impressis vestigijs consecrauerat Christus Dominus, cum olim salutem nostram operaretur. In Syriam ergo nauigauit; singulaque religiosissime obiuit loca, quę peractis nostræ fidei mysterijs celebrantur. Quam animo voluptatem pariebat optatus ille conspectus & suauiter infixa sacrosanctis locis oscula, omnem propemodum abstergebat infamis Agarenorum dominatio. Sanctam enim ciuitatem Ierosolymitanam & sacratissima tot Christianæ religionis monumenta, jam inde ab anno Christi sexcentesimo tricesimo in sua potestate non modo retinebat impia gens, sed Christianos incolas indignissima tyrannide premebat, aut aduenientes ex Europa spoliabat, inhumane vexabat, sæuissime quandoque magno numero trucidabat. Iudææ graui jugo oppressæ

Hæc ab hospite suo cum sæpius audisset deplorari, grauiterque affligeretur; ad patriarcham adijt Simeonem nomine, hominem in paucis religiosum & publici boni amantem: & cum eo tam dirę tyrannidis excutiendæ rationes expendit. Censebat patriarcha nullam auxilij spem a Græcis quamquam proximis affulgere, quorum imperium quotidie pessum iret: florere contra in Occidente tot prouincias & regna potentissima, quæ vt juuentute & opibus abundabant, si junctis animis in Palæstinæ libertatem conspirarent, non ægre pulsis barbaris tam fœdam abolerent Christiani nominis labem. Probauit sententiam Eremita: Europæosque principes credidit tam nobilem & religiosam expeditionem promptius suscepturos, si datis ad illos litteris patriarcha demonstraret publicæ rei calamitates, eorumque fidem & auxilium imploraret: se vero omnia eius mandata in Occidentem prompto animo delaturum, neque vllis parciturum laboribus, vt Christianum populum ad sacram militiam accenderet. subuenire cogitat,

In eam vtrimque sententiam itum est. Scribit litteras patriarcha: ad reditum se Petrus comparat, nouoque hoc incensus desiderio, aliud nihil cogitat, nil loquitur, nil agit; vix aliud jam a Deo precibus efflagitat. Forte in Ascensionis æde vota sua majori ardore depromebat, totoque animo Christum Dominum sollicitabat vt sacrosancta hæc loca, quæ tam admirabilibus mysterijs ipse consecrauerat, profanæ illius gentis impietate diutius pollui ne pateretur; sed a Christianis, qua decebat veneratione celebrari concederet: quando in suauem prolapsus soporem, videre visus est & audire cohortantem Christum, vt quæ animo conceperat, constanter aggrederetur; se pijs conatibus minime defuturum: adesse quippe tempus, quo statuerit exterminatis impijs, terrę sanctę Christiana sacra restituere. Excusso sopore, nouis ignibus auctum sensit ardorem Petrus: acceptisque litteris, & fausta omnia precante patriarcha, plenus optima spe, dat se in viam. & ab ipso Christo excitatur.

CAPVT III.

Eius maxime cohortationibus sacrum bellum decernitur.

Eius hortatu

FAuentibus ventis in Apuliam appulsus Eremita, Romanum pontificem Vrbanum adijt, Cluniaci monachum ante sibi notum. Excepit illum perhumane sanctissimus pater, & audita legationis ratione, multisque collaudata, fecit illi potestatem populum Christianum vbiuis gentium cohortandi ad arma capienda, pollicitus se mox eodem consilio trans Alpes secuturum.

Excitatus ille felicibus auspicijs, omnem peragrat Italiam, mirabiles vbique ciens animorum motus, ostentata Christianorum in Syria tristi seruitute, qui ab Europæis fraterno jure opem inclamarent. Tum prædicat locorum illorum sanctitatem, quę olim Seruatoris nostri vestigijs, sudore, lacrymis, præclarissimis factis, Diuinisque mysterijs, atque adeo pretioso sanguine nobilitata, profanis modo Agarenorum impietatibus pollucrentur. Quem profecto Dei contemptum nemo ferre deberet, qui quidem eius nomine gloriaretur.

Tum Alpes transgressus, in Franciam se pari ardore intulit, miraque dicendi vehementia sanctos vbique ignes accendit. Accenderunt & pontificij legati in omnem partem dimissi. Bellum vbique omnia spirabant: vnicus exspectabatur Vrbanus, qui quasi classicum concineret.

in Claromontano concilio

Anno igitur nonagesimo quinto vt primum auditum est in Franciam venisse pontificem, tanta multitudine mortales omnis ordinis Claromontem confluxere (eo conuentus erat indictus) vt non ipsa vrbe, non alijs in vicino oppidis & pagis recipi possent; sed medijs agris tendere plurimi cogerentur.

Recreatus pontifex ea concurrentium alacritate, de felici illius conuentus successu bene cœpit ominari. Cui cum dedisset initium, jussit Eremitam explicare miserandum in Palęstina rei Christianę statum. Disseruit ille qua pollebat eloquētia, explicans non quas aliorum sermone, sed suis vsurparat oculis, atroces injurias, quibus Christianum nomen sacraque omnia barbari pollucrent: quæ tolerare nullo modo possit, quicumque aliqua Diuini honoris cura tangeretur. Perorantem excepit pontifex ipse, & illo sententiarum pondere, quod Dei vicarium, tantæque rei grauitatem decebat, vniuerso illi cœtui sacram expeditionem persuasit, vt subito mirabili consensione DEVS VVLT, DEVS VVLT, omnes conclamarent. Cumque incredibili alacritate sæpius eamdem vocem ingeminarent, indicto manu silentio rursum Vrbanus: Macti animis, inquit, generosa & digna Christo pectora; pergite fortiter quo Deus vocat, imo quo Deus ipse ducit: & sacro hoc bello gloriosum illud vestrum pronuntiatum DEVS VVLT vobis tessera militaris esto. Decretum subinde fuit, vt quicumque nomina militiæ darent, vestibus in humero dextro rubram crucem assuerent. Ex quo vsu venit vt quoties postea sacrę ejusmodi expeditiones susceptę sunt, cruciatarum nomen acceperint.

bellum sacrum decernitur.

CAPVT IV.

A Christianis Jerosolyma recuperatur.

POntificis Eremitæque orationibus tantus fuerat auditorum animis injectus ardor, vt sexcenta hominum millia Cruce insignita fuisse creditum sit. Supremum in omnes copias imperium Godefrido Bullionio delatum est. Et quia tantis copijs vno agmine iter facientibus ægre commeatus suppeditari poterat: tum ne tantæ vires amicis, per quorum fines transeundum erat, justum metum incuterent: jussus est prior Eremita proficisci cum parte copiarum: quam diuisis item agminibus ducere constituit. Gualterum quemdam nobilem Francum præmisit cum ingenti peditatu, nullo ferme equite VIII. Idus Martias anni nonagesimi sexti. Mox secutus est ipse cum quadraginta millibus.

Suscepta expeditione

Infeliciter ambo iter fecerunt, accisis non parum viribus, in Europa primum per ipsos Christianos, tum etiam per barbaros in Asia. Prætereo illa, quando non belli successum, sed ipsius virtutem mihi sumsi narrandam: & hanc ille meliore euentu, quam dextra ferrum tractauit. Acre sibi ipse bellum indixerat. Linea veste nulla vtebatur; nudis incede-

infeliciter arma feliciter virtutem aggressus,

incedebat pedibus; parcissimo vescebatur pane vinoque: moribus erat integerrimus: cum plurima offerrentur munera, in egenum militem erogabat omnia. Quo fiebat, vt præ ceteris episcopis ac præsulibus, qui ijsdem in castris non pauci versabantur, vni Petro plurimum omnes imi, summi tribuerent, atque vt patrem venerarentur: illos ipse ceu filios curaret. Exterminabat odia, dissidentes nouis amicitijs jungebat: sed insigni studio pellices castris omnibus pellebat; aut cum meliora persuadere poterat, virum illis quærebat, ac dotem.

Illustre est, quod nonnulli prodiderunt: illum hac expeditione fuisse rosarij primum autorem: dicamus certe propagatorem: vt scilicet socijs suis in sacra illa expeditione quamdam proposuerit orandi methodum, illi non multum absimilem, quam hodie coronam siue rosarium appellamus. *autor est rosarij.*

Ceterum copiarum suarum infelices reliquias duxit ad Bullionium, vbi tandem ille cum vniuerso sacræ militiæ robore aduenit. Qui meliore deinceps euentu bellum gessit. Post Niceam, Antiochiam, aliasque vrbes in potestatem redactas, Ierosolymam denique duxit, & fortiter oppugnatam cepit Idibus Iulij anno nonagesimo nono. Hic fuerat tantæ expeditionis scopus: hujus meminisse socios in medio certaminis ardore sæpe jusserat Eremita, & ad rem fortiter gerendam excitauerat. Eo major fuit omnibus castris exultatio, gloriosiorque triumphus reducta in Christianam libertatem sancta ciuitate. Obliterata ergo memoria præteritarum ærumnarum, facti sunt ad Petrum lætissimi concursus gratulantium autori tam illustrium conatuum, quibus denique ad Diuinæ majestatis totiusque Christiani nominis gloriam felicitas aspirasset. Contra ille omnia pro sua modestia aiebat in Deum esse referenda, sine quo nullæ sint mortalium omnium vires. *Recuperata Ierosolyma*

Octauo post die conspirantibus vniuersorum principum sententijs, autore in primis Eremita (cui omnes virtutis nomine plurimum tribuebant) Ierosolymorum rex creatus est Godefridus Bullionius. At hic proregem esse Petrum voluit, quoties ipse abesset vrbe: eximiam enim in illo nouerat non tantum vitæ integritatem, sed & tractandarum rerum peritiam. Id muneris ille gessit etiam Balduino rege, qui Godefrido fratri successit anno millesimo centesimo. *Prorex renuntiatur.*

CAPVT V.

Reuersus in Europam, Nouo-monasterium condit & moritur.

CVm eos jam progressus in Iudæa res Christiana fecisset, vt submotis longe barbaris sacrosancta illa loca qua par erat veneratione colerentur, constitutumque validis præsidijs Ierosolymæ regnum floreret; atque adeo noua quotannis ex Occidente subsidia venirent, operam suam credidit Eremita regionibus illis minime necessariam esse. Tranquillioris ergo vitę desiderio, quam in placida senectute duceret procul ab armis & politicarum rerum tumultu, in Europam redire constituit. *In reditu*

Viæ comites nactus est Cononem comitem Montis acuti in Arduenna, Lambertum comitem Clarimontis ad Mosam, aliosque ex equestri ordine, & ciues Hoienses complures, qui sacræ militiæ sacramento soluti patriam repetebant. Nauigantes aggressa est sæua tempestas, ac tantum vndis non obruit. Ceteros desperatione torpentes excitauit vnius Petri infracta fortitudo, sed magis Christiana virtus Diuinæque pietatis fiducia. Præcipuam opem edoctus e cælo quærendam esse Claromontanus, in sancti sepulcri, ac B. Ioannis Baptistæ memoriam Deo templum vouit, si naufragium euaderet. Dictu mirabile! Votum vix fecerat; omnis subito tempestas posuit: reductoque sereno, portum nauis tenuit incolumis. *exorta grauis tempestas* *voto facto sedatur.*

Beneficij nequaquam immemor Claromontanus vbi in patriam redijt, Eremitam rogauit, vt cujus ipse voti fuerat autor, idem compleret. Prouinciam admisit ille, sumtus præbente Lamberto Claromontano, Cononeque Montis acuti, ac ceteris qui ejusdem simul beneficij participes fuerant. Solum delegit in ampla ad Mosam amœnaque valle sub muris Hoiensibus. Exstructoque ibi templo cœnobium adjecit, quod attribuit canonicis regularibus S. Augustini: & in hunc diem Nouo-monasterium appellatur. *Nouomonasterium conditur.*

Religioso huic seminario præesse jussus est, qui alias pro suo priuatæ vitę studio subesse

esse maluisset. Salutaribus institutis nascentem familiam informauit: sed diu nequaquam regere licuit.

Post mortem Anno millesimo centesimo decimo quinto non tam senio fractus (annum agebat sexagesimum secundum) quam toleratarum ęrumnarū magnitudine, vel potius maturus cælo mortuus est, vt cælestis Ierosolymæ ęterna pace frueretur, qui graui bello terrenam asseruerat in libertatem. Pręclarum quippe de eximia illius sanctitudine testimonium veteres pæne vniuersi scriptores edidere: appellantque passim venerabilem hominem, maximæ, admirabilis, incomparabilis sanctimonię, ac denique etiam sanctum.

inuenitur incorruptus. Quam mortalium opinionem visus est Deus confirmare. Cum enim ipse moriens sub dio sepeliri voluisset, plus aliquid illius virtuti censuerunt posteri tribuendum. Anno igitur sequentis sæculi quadragesimo secundo effossum corpus inuentum est ab omni putredinis vitio intactum, integra etiam barba, quam peregrini prolixam alere consueuerant: marmoreoque clausum tumulo majoris venerationis gratia in templum intulerunt.

Religiosum interim disciplinæ splendorem ad posteros studiose traduxerunt digni tanto pręceptore discipuli, antistites hujus cœnobij; quorum memoriam in benedictione par est perseuerare.

PRIORES NOVOMONASTERIENSES.

1. CVm igitur vita defunctus esset VEN. PETRVS; qui successerunt, eodem prioris nomine contenti, pares tamen abbatibus honores in publicis consessibus tenuerunt, hoc vno inferiores, quod pedo non vterentur.
2. IOANNES itaque proxime successit; & postquam annis triginta laudabiliter præfuisset, mortuus est anno 1146.
3. LIETARDVS anno 1163.
4. ARNVLFVS anno 1172.
5. WESCHELINVS post annos 24. priuatæ vitæ desiderio dignitatem abdicauit.
6. RENERVS GENEFFIVS postquam tribus mensibus præfuisset, mortuus est sub annum 1197.
7. FRANCO olim S. Lamberti canonicus, deinde monasticen in S. Ægidij professus, hic prior fuit mensibus septem.
8. RENERVS Hoij natus vir doctissimus simul & optimus, cum annis ferme 12. rexisset, jam octogenario major, de consilio virorum religiosissimorum Ioannis Niuellensis, & Ioannis Lirani, dignitatem posuit.

ABBATES NOVOMONASTERIENSES.

CEdente Renero octauo priore suffragijs omnium suffectus est

1. ALEXANDER Horioniorum genere clarus: quem primum abbatem creauit episcopus Hugo Petrapontius. Vir fuit non admodum litteris, sed virtute atque in primis castitate insignis, præfuitque magna laude, & mortuus est anno 1216.
2. HERMANNVS obijt 1252.
3. ROBERTVS 1269.
4. VLRICVS 1280.
5. BALDVINVS 1291.
6. FVLCARDVS 1300.
7. HELLANDVS 1314.
8. ARNVLFVS 1324.
9. GISLEBERTVS 1335.
10. EVSTACHIVS 1350.
11. SIMON DE OSSEN 1359.
12. GODEFRIDVS CABOCE doctus & legum peritus obijt 1370.
13. SIMON DE OXHEN 1380.
14. CONO L'ARTESIN 1385.
15. WALTERVS DE TIHANGE 1391.
16. GVILIELMVS DE HVMEN 1404.
17. ARNOLDVS DE TIERMOGNE 1422.
18. IACOBVS DE WALEVIA 1434.
19. HENRICVS LE NORMANS 1449.
20. IOANNES DE HALLE 1467.
21. IOANNES DE TINLOT 1482.
22. HENRICVS DE TECTIS 1502.
23. IOANNES DE TECTIS 1530.
24. NICOLAVS DE MANEZ 1545.
25. LEONARDVS DE TECTIS 1569.
26. IODOCVS DORIO 1601.
27. IOANNES RYCKMAN 1604.

18. W I

28. WINANDVS PERILHEVX 1627.
29. ERASMVS AB XHENCEVAL 1635.
30. PETRVS BELLAMICVS 1636.
31. Quem secutus est adm. R. D. LVDOVICVS DE NIHOVL, qui virtute prudentiaque spectabilis rem domesticam simul & asceticam strenue promouet. Multos annos vt promoueat, det Deus.

ABBATES FLONENSES.

NOuomonasteriensibus visum est adjungere Flonenses abbates, qui vt Augustiniano instituto socij, ita habitatione proximi, a multis jam ætatibus insigni virtute hanc diœcesim excoluerunt. Conditum est Flonense monasterium anno post millesimum septuagesimo nono: religiosamque familiam primus rexit prioris nomine contentus EVERARDVS vir eximiæ virtutis. Quo anno diem obierit non habeo.

1. WALTERVS successit auctus abbatis dignitate, & obijt, vt opinor anno 1140.
2. GINARDVS anno 1154.
3. RODVLFVS 1185.
4. FREDERICVS 1230.
5. LAVRENTIVS 1237.
6. LAMBERTVS 1263.
7. WALTERVS 1296.
8. BODO 1308.
9. HENRICVS 1345.
10. IOANNES A CORNV 1387.
11. BERTRANDVS DE MONTE REGALI 1400.
12. EVSTACHIVS DE MELEN.
13. IOANNES DE BODEVR viuebat 1432.
14. GERARDVS DE HOSDEN viuebat 1454.
15. BALDVINVS A VALLE de Messe obijt 1491.
16. BALDVINVS DE CONTWEN obijt 1520.
17. NICOLAVS MOLLIN obijt 1539.
18. HVBERTVS DE PREA 1545.
19. PHILIPPVS DORIO 1555.
20. IACOBVS DOREY 1573.
21. BALDVINVS SILVIVS 1578.
22. THOMAS STREEL 1597.
23. IOANNES STREEL 1606.
24. NICOLAVS PERILHEVX 1608.
25. THOMAS DE VINALMONT 1625.
26. HENRICVS IAMART 1636.
27. Successit & magna laude præest adm. R. D. GVILIELMVS DE HEMRICOVRT. Felicitatem det Deus in multos annos.

ABBATES S. GERTRVDIS LOVANII.

HOs opportunius alibi non collocabo. Conditum fuit hoc cœnobium anno post millesimum & ducentesimum sexto a duce Brabantiæ Henrico Godefridi filio, traditumque canonicis regularibus S. Augustini.

PRÆPOSITI.

ANte conditum monasterium in S. Gertrudis ædicula perpetui vicarij munere functus, canonicis deinde regularibus præesse jussus

1. FRANCO, postquam illos cum prępositi dignitate rexisset annis tredecim, obijt 1219.
2. FRANCO II. obijt 1222.
3. LIBERTVS obijt sub annum 1229.
4. ADAM DE BRVXELLA obijt 1248.
5. GOSVINVS DE STADEN obijt 1289.
6. HENRICVS DE BOENSBEKE obijt 1296.
7. ARNOLDVS DE CASTROVVLGO VANDER BVRCHT vir magni animi & prudentiæ, toto monasterio pęne instaurato obijt 1307.
8. GODEFRIDVS DE VDECHEM apud ducem Brabantię & alios gratia valuit. Obijt 1320.
9. GVILIELMVS DE WILRE obijt 1325.
10. IOANNES IOLYS ædificia valde innouauit & obijt 1327.
11. HENRICVS DE FVRA postquam septemdecim annis pręposituram egisset,

egisset, tribus annis abbas dictus obijt 1347. successores id nominis neglexerunt.

12. HENRICVS DE RODE vir prudens, humilis, bonus œconomus.

13. LEONINVS DE ERPE obijt 1402.

14. CONRADVS VANDER BALCHT obijt 1420.

ABBATES.

1. WALTERVS MOILLART præpositi munere functus annis viginti nouem abbatis dignitatem a sede apostolica obtinuit anno 1449. item designatus conseruator priuilegiorum vniuersitatis Louan. Cum dignitatem abbatis posuisset anno 1464. triennio post obijt.

2. THEODORICVS DE BRAKEL dictus de Overdeel sodalitatem S. Gertrudis instituit, & multa ædificauit. Obijt 1488.

3. IOANNES DE MOERE decretorum licentiatus, & hic nonnulla construxit. Obijt 1514.

4. ANTONIVS VAN NIEVWENHOVEN multa etiam ædificauit. Obijt 1526.

5. PETRVS WAS collapsam monasticæ disciplinam restituit, in egenos valde pius obijt 1553.

6. PHILIPPVS DE HOSDEN cœnobium & templum splendidis ædificis, bibliothecam bonis codicibus instruxit. Obijt 1569.

7. IOANNES VANDER LINDEN interfuit nomine ordinum Belgicorum pacificationi Gandensi anno 1576. & 1579. Coloniensi, & 1581. regi Catholico factus a consilijs status, obijt 1585.

8. ADRIANVS DE BEAVFORT difficillimis temporibus, Belgio varie in se diuiso, inter summas familiæ difficultates, in primis religiose studuit monasticæ disciplinæ restituendæ & conseruandæ. Obijt 1593.

9. ARNOLDVS AB EYNTHOVTS pietate, vigilantia, prudentia clarus, porticu hortos cinxit. Obijt 1607.

10. LVDOVICVS AB EYNATTEN a Lichtenborch nonnullis ædificatis obijt 1626.

11. IOSEPHVS GELDOLFVS A RYKEL ab Orbeeck varia posteritati scripsit, & pro fidelibus defunctis sodalitium instituit. Obijt 1642.

12. Successit admodum R. & nobilis D. WINANDVS DE LAMARGELLE e baronibus de Esden. Pia eius consilia Deus ad æternam felicitatem promoueat.

Die nono

S. AGILOLFVS

martyr episcopus Colon. & abbas Stabul. *Vita S. Suitberti, Molanus, Officium Coloniense, & quæ misit R. D. Franciscus Laurentij prior Malmundariensis.*

FVit domo nobilis; & traditus a parentibus Anglino abbati Stabulensi monasticis institutionibus imbuendus, sic in virtute profecit, vt magistro mox simillimus, illi postea vita decedenti successor datus sit. Neque illo gradu continenda fuit virtus tanta: ad episcopatum Coloniensem deinde euecta est. Vtramque dignitatem retinuit Agilolfus, & diu religiosissime administrauit: eaque sapientiæ fama celebratus est, vt Gregorius II. pontifex maximus Bonifacium mittens in Gallias ad euangelij prædicationem, Agilolfo commendauerit; cujus consilio vir peregrinus in alieno solo rem tantam aggrederetur.

Anno septingentesimo decimo quarto cum imminenti morti præsidium quæreret Pipinus, Werdensem episcopum Suuitbertum ad se vocauit tum egregia sanctitatis opinione insignem. Coloniam hic ex itinere venit ad Plectrudem Pipini conjugem, eius mentem super hac profectione consulturus. Iupiliam (vbi morbo laborabat Pipinus) illum cum Agilolfo dimitit Plectrudis; ac rogauit vt principem virum suum deterrerent

rent ab injuria, quam irrogaret filio, si prognatum e pellice Carolum scriberet heredem. Iupiliam vt venit cum Suuitberto Agilolfus, ad colloquium ambos perhumaniter admisit Pipinus, audiuitque magno pietatis sensu, quamdiu de morbi molestijs generose sustinendis, de concipienda spe Diuinæ misericordiæ disseruerũt. Sed vbi ejusdem Dei seueram justitiam merito formidandam esse docuerunt, nisi turpes suas delicias domo & animo propelleret: excanduit ad sancta hæc monita male sanus princeps; statimque jussit facessere. Et ipsa Alpais vbi se episcoporum legatione petitam accepit, verita ne quod forte vulnus acciperet, si conatum iterarent, illos excedere Iupilia quamprimum imperauit. Infecta re Coloniam redijt Agilolfus; suamque ecclesiam qua cœperat caritate sapientiaque regere perrexit.

Illam tamen ad Pipinum legationem ad trutinam non immerito quispiam reuocauerit. Adolescens enim Agilolfus in disciplinam Anglino Stabulensium abbati traditus fuit, & post eum abbas designatus; qui tamen vita nequaquam decessit ante annum septingentesimum quadragesimum sextum; quandoquidem illo anno concessum Anglino abbati a Childerico rege diploma in hunc diem seruetur. Agrippinensis autem præsul paulo post factus est. Erat certe anno quadragesimo octauo, quando illi Bonifacium apostolicæ sedis legatum summus pontifex commendauit. Quomodo igitur Agrippinensis episcopus erat anno decimo quarto? Relinquitur nimirum vt dicamus imperiti cujusdam librarij factum errore, vt Agilolfus legatur episcopus, qui Giso vel fortassis Anno scribi debuerat. In hanc sententiam non grauate mecum, vt opinor, veniet, qui mature excusserit, quæ alias de scriptore vitæ S. Suuitberti annotata produxi.

Ceterum alias ab Agilolfo res gestas temporum injuriæ posteris rapuerunt. Amblauæ in Arduenna silua (locus est a præterlabente flumine sic dictus) martyrio coronatum fuisse proditum est. Quo anno, qua de causa, quo pugnę genere, de quo hoste tam gloriose triumphauerit, certi nihil haberi existimo. Malmundarij in S. Laurentij sepultus fuit. Vnde anno post millesimum sexagesimo primo Coloniam auexit S. Anno archiepiscopus, & in monasterio suo ad Gradus collocauit.

Die decimo

I. S. AMALBERGA

virgo. *Vita S. Bertulfi, Molanus, manuscr. Tempsecæ, & Rubeæ vallis.*

Rodingivillæ in Arduenna nata est Amalberga clarissimis parentibus, Christiano patre, matre Eua. Generis nobilitatem a tenera ætate virtutibus superauit. Ædiculam in paternis hortis ingenio puerili construxerat suis ipsa manibus: quo propendentem nimirum in sacra indolem testabatur. Ex ea quidpiam furto sustulit domesticus puer: obriguere mox illi manus; nec ante restitutus est incolumitati, quam precibus eam impetrasset Amalberga. Circiter annum 691.

Epternaci monasterium ponebat Willibrordus: & forte eo proficiscebatur, quando Rodingivillam venit ad Christianum; ejusque filiam vidit & admiratus est Diuinarum rerum appetentiorem, quam ætas ferre videretur. Veritus ergo ne pro regionis ingenio fortassis inculta quodammodo siluesceret, eam permissu parentum Belisiam misit ad Landradam sanctissimam virginem; quæ ductu & præceptionibus Lamberti Tungrorum episcopi, nouellum illud seminarium nobilissimis plantis complebat. Virginitatis velum hic suscepit Amalberga manu Willibrordi & Gertrudis; vt quidem placet scriptori vitæ S. Bertulfi. Sed cum ante annos ferme triginta diem obierit Gertrudis, atque adeo Willibrordum videre numquam potuerit; hoc equidem Landradæ tribuere mallem. Belisiæ educatur.

Ceterum graue certamen sanctæ virgini fuit ineundum. Potentissimus juuenis Carolus Martellus eam deperire cœpit, & multis illecebris ad turpitudinem inuitare. Restitit illa generosissime, & os brachij potius sibi passa est confringi, cum vis tentaretur, quam pollui virgineum pudorem. Decoro hoc inclyta vulnere, de juuenis intemperantia gloriose triumphauit; valdeque deinceps in virtutum consecutione profecit. De impudicitia gloriose triumphat.

DIE 9. Vitæ denique metam attigit innumeris palmis decorata, quandoquidem ferme centenaria diem obierit; si quidem Molano credimus asserenti mortuam esse circiter annum septingentesimum septuagesimum secundum. Sepulta est Tempseçæ sui juris villa ad Scaldim: vbi ostenditur eius sepulcrum. Sacras B. virginis exuuias Balduinus Ferreus Gandauum transtulit ad Blandiniense S. Petri monasterium, vbi conjunctæ S. Bertulfi reliquijs coluntur.

Circiter annum 772.

II. S. AMALBERGA vidua. *Surius, Molanus.*

NVllo nisi sepulcri jure ad nos pertinet. Tacita nihilominus a nobis prȩteriri non debuit, quȩ præclaro sacri sui corporis pignore patriam ornauit.

Illustri gente procreata, morum integritate fuit illustriori. Cum tenera adhuc esset ætate, parentibus orbata, opimam adijt hereditatem, Sanctasque oppidum possedit. Adolescentiæ leuitates & illecebras auersata, cælestium tantum cogitatione & amore capiebatur. Et quamquam sui contemptu gauderet, numerosam tamen alebat familiam, non tam ex eo gloriam vt captaret, quam vt suis facultatibus quamplurimis bene faceret.

Circiter annum 630. Nubilem matrimonio jungendam esse censuerunt tutores & consanguinei: eamque quamuis renitentem Pipinus S. Gertrudis parens nuptui dedit Witgero egregio adolescenti, quem generis claritudo, opes, virtusque commendabant.

Beatum cōjugium. Sanctum fuit ac felix conjugium, quod beata fecunditate produxit D. Ablebertum postea Cameracensem episcopum, & Sanctas Reinildem, Faraildem, Ermelindem, & Gudulam; quæ omnes illibatum virginitatis florem Deo consecrarunt. Cum vtero Gudulam Amalberga gereret, ab angelo didicit prolem, quam erat editura, eximia sanctitate celebrandam. Illam porro a primis annis Gertrudi traderet sanctioribus moribus imbuendam; dum ipsa virque pariter contemptis mundi delicijs monasticen amplecterentur. Ita factum est. Sacrum velum a S. Autberto Cameracensi episcopo suscepit Amalberga, sanctissimamque instituit vitam. Instituit & alia parte Witgerus non minore laude: priorque defunctus est.

Denique vbi suus Amalbergæ dies aduenit; Dei sui desiderio æstuans, atque vt animo sic & ore identidem illud repetens: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ:* beatam animam exhalauit. Sed cum Malbodij ad eum diem e meliore nobilitate nemo, nec ipsa S. Aldegundis, quamquam cœnobium condidisset, sepulta esset; B. Amalbergam Lobium auehere placuit: vbi plurimis etiam miraculis celebrata est: donec cum alijs sanctis Binchium asportaretur.

Ps. 25. 8.

III. MARIA VAN LILLE virgo. *Nouale Sanctorum Brab.*

HOnesto loco Distemij nata est opulentis parētibus. A primis annis in Diuina ferri visa est, eximio potissimum Diuinæ majestatis timore, quo studiosissime reuocaretur a noxis vel leuissimis; ac insigni clareret in egenos caritate. Iam tum scilicet in sponsam sibi Christus præparabat, inuitabatque suauissimis e cælo delicijs in illam animulam immissis. Tantam Dei dignationem agnouit pia virgo; & cum decimum sextum ætatis annum attigisset, virginitatem illi dicauit, coluitque quoad vixit intaminatam.

Sacratam Deo virginitatem ANN. 1409.

E sæculi senticetis illam sponsus eduxit, vt Herendati in sacro Beguinarum plantario ceu pulcherrimam rosam collocaret. At profecto numquam sine spinis vixit: in acie semper illi standum fuit, vt inuadentem acerrimum hostem repelleret. Eius pudorem ille potissimum petebat, quem impurarum saltem cogitationum næuis inspergeret: subornatisque nonnumquam lasciuis adolescentibus illam lacessebat, vt castæ menti procacibus eorum verbis aculeum infigeret. Sed protegente sponso fortissime semper in gradu stetit inuicta virgo, ac denique insigni gloria victrix triumphauit.

constanter tuetur.

Præter incensum illum pudicitiæ amorem eluxit in illa mirabilis sui contemptus, animique demissio, obtemperandi studium, & caritas vere Christiana aduersus egenos,

&

& animas illas quę purgantibus flammis cruciantur. Quibus virtutibus sane eximijs postquam annos quadraginta tres se exercuisset, illi Christus præmium reponere constituit. Verum vt tota vita grauissimis ærumnis fortissime toleratis Christum proxime secuta fuerat beata hęc Christi sponsa, magnas pariter ante mortem morbi molestias sustinuit, & totos septem dies inter acerbissimos cruciatus infracta constantia cum morte colluctata, vitam immortalem victrix inijt anno post millesimum & quadringentesimum quinquagesimo secundo.

Die duodecimo

BARTHOLOMÆVS

prior Cartusiæ Ruræmund. *Dorlandi chronicon & bibliotheca Cartusianorum, Trithemius in Viris illustribus, & Scriptoribus eccles.*

TRajecti natus, theologicarum disciplinarum eam assecutus est cognitionem, vt publice illas docuerit. Sed nominis mox exosus celebritatem, in Cartusiam se abdidit, vt hominibus ignotus, vni se Deo probaret. Latere non potuit, qui monasticæ disciplinæ accurata obseruatione, pręclarum religiosæ illius familiæ sidus effulsit. Ruremundanæ Cartusiæ præpositus, insigni vigilantia, judicio, caritate, sed eximijs præsertim integerrimæ vitę exemplis suum munus gessit. Magna humanitate, suique demissione carus omnibus, vnum se ipse implacabili odio persequebatur, suumque corpus sponte susceptis afflictationibus acerbissime castigabat.

Tantam hominis virtutem audijt supremus totius Cartusię pręfectus, meritoque amore complexus est ac suspexit: atque adeo ad generalem totius ordinis conuentum euocare solitus est. Aggressus tantum iter ducentorum milliarium Bartholomæus, non equo vel mulo vehi voluit, sed castigandi corporis gratia, pedibus totum iter emensus est. Venientem excepit magna veneratione supremus pręfectus ceterique patres, non aliter ac splendidissimum totius ordinis lumen: & cum virtute sapientiaque plurimum polleret, in expendendis ac decernendis, quæ in deliberationem vocabantur, grauissimum eius sententijs pondus vniuersi tribuerunt.

Scripsit complures libros, non minus ingenij, quam virtutis certa monumenta; qui manu exarati in Coloniensis Cartusiæ bibliotheca seruantur. Anno denique millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto Coloniæ religiose vita decessit.

Die decimo tertio

I. HENRICVS HARPHIVS

Franciscanus. *Raissius.*

GEnte Leodiensis, vitę instituto Franciscanus fuit. Eam inter suos virtutis opinionem adeptus est, vt pluribus sui ordinis familijs pręfectus, ac vicarius etiam totius prouinciæ creatus fuerit. Diuinarum rerum contemplationi adeo se totum dedit, vt humanis non raro abreptus, totas sex horas quandoque poneret in celebrando missæ sacrificio. De mystica theologia scripsit distributum in tres libros commentarium: quem qui legerit, satis intelliget, quam puro mentis oculo arcana cælestia peruaserit. Cum denique Mechliniensi familiæ pręesset, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo vita hac mortali feliciter abijt, vt in immortali Diuinarum rerum clariore frueretur aspectu.

Digitized by Google

II. HENRICVS DIONYSIVS e Societate IESV. *Ol. Manaræus, Jmago primi sæculi Societatis, Doutremanus.*

Magno studio rem diuinam curat.

NEomagi in patria canonicus, priusquam Societati nomen daret, egregio jam tum augendi honoris Diuini desiderio tenebatur. Frequenter ad populum in templis dicebat, pænitentibus præbebat aures, S. Eucharistiam distribuebat, docebat in scholis, nullo nisi Dei gloriæ stipendio. Tẽpla, aras studiose ornabat. Sed præcipua fuit ei religio in Ven. Sacramentum, cui vt prælucerent in templis lampades, faces in plateis cum ad ægrotos deferretur, perpetua vectigalia procurauit. Christianæ doctrinæ capita, quæ catholicos inter & hæreticos disceptantur, tanta explicabat eruditione, vt altiore subsellio dignum nemo non judicaret. Suo omnia hæc arbitrio, non suscepti cujusquam muneris nexu peragebat: mentemque præterea religiosis commentationibus priuatim exercebat, omnino ex more Societatis.

In Germania vtiliter laborat.

Quam denique ingressus, Romæ cum egisset aliquanto tempore, Coloniam a S. Ignatio missus anno sesquimillesimo quinquagesimo sexto, theologiam ibi docuit, & ad summi templi suggestum vocatus, magna cum dignitate fructuque personam sustinuit. His in magni boni spem adductus dux Brunsuicensis Henricus, cum expetijt oratorem, qui populum in hæresim fœde prolabentem concionibus sustineret. Paruit Dionysius non paruo operę pretio, sed breui tempore, quandoquidem in Hispaniam a rege dux euocatus abierit. Antuerpiæ præterea quamquam nullum adhuc esset collegium, vtilem operam nauauit. Post id Ottone cardinale Trucsesio aduocante Dilingam profectus, acadamiæ rector solemni ritu inauguratus est, ibique eruditionis, eloquentiæ, sed potissimum ardentis cælesti igne mentis pręclara statuit monumenta.

Inclinabat annus post millesimum & quingentesimum sexagesimus quintus cum Leodiensium antistes Gerardus Groësbecanus suo gregi in tanta circumstantium, totoque Belgio grassantium luporum rabie sollicitus pastor, a Leonardo Kesselio Societatis Colonię pręfecto suppetias flagitauit. Datum par nobile, Franciscus Costerus vir pietate, doctrina, rebusque religiosissime gestis celebratus, & noster hic Dionysius: ille Hasseletum, hic Trajectum ab episcopo destinati sunt. Vterque fidei, religionisque re aliquamdiu strenue gesta, cum jam nihil magnopere necessarij viderentur, Coloniam vocati rediere.

Trajectum missus rem catholicam fortiter tuetur

Haud sane diu pedem retulerant, cum ecce tibi insanum illud sacrilegumque cum templis & imaginibus bellum eo, vnde abierant, confestim reuocauit. Ex eo die mansit Dionysius, quoad vixit, in Trajectensi statione: obque rem catholicam sua virtute restitutam apostoli cognomentum inuenit. Tantum enim audaciæ, roborisque sumpserant hæretici, vt non modo insana sua dogmata proponere palam auderent, sed etiam sacro pulpito catholicum oratorem armis absterrere conarentur. Sed neque terroribus hic vincendus erat, & catholicis assurrexerunt animi, quibus ducem jam Deus submiserat. Itaque Dionysij ad concionem prodeuntis, domumque redeuntis latus stipabant aduersus hæreticorum odia carbonarij armati tamquam milites prætoriani, sanguinem vitamque pro suo, sic vocabant, apostolo profundere parati. Ipse tamen quo furorem aduersariorum declinaret, domicilium omnibus noctibus mutabat. Tanta porro fuit post aliquod tempus auditorum frequentia (etiam illustres viri ex agro vicino concurrebant) vt angusta essent concioni templa, & ex eo loco dicere cogeretur, vnde sacras sanctorum reliquias singulis septennijs proponi solemne est.

ingenti vrbis bono.

Hominis eloquentiam ac integritatem, vimque veritatis sustinere nequijt ministellus Caluinista; turpiterque stationem deseruit. Quo factum vt Groësbecanus ipse datis ad Margaretam Belgicæ gubernatricem litteris, tam facilem subitamque vrbis conuersionem vni Dionysio referre non dubitarit acceptam; qui hæresum doctoribus ad certamen quotidie prouocatis, quotidie deuictis, ad pristinam fidem moresque omnia reuocasset. Eadem fuit præsidiarij militis sententia, qui Dionysij doctrinæ ac virtuti potius, quam regijs armis adscribendam vrbis incolumitatem passim affirmabat. Quare cum in Prussiam eum Hosius cardinalis abducere cogitaret, obstitit Albanus dux post Margaretam Belgio præfectus, palam professus Dionysium vnum quantouis militari præsidio sibi esse potiorem.

Etiam

Etiam aduersus vitia fortiter dimicauit optimus pater, & gloriose triumphauit. Illustris fuit in Nicolao Stratio victoria. Vir erat genere, decanique dignitate conspicuus, sed liberiore vita obscurus. Eo Dionysij consilijs & exemplis adductus est, vt ob felicem morum immutationem omnibus esset admirationi. Cilicino sago corpus sic asperabat, vt illud vix deponeret: Dei laudibus in templo concinendis aderat primus, postremus abscedebat: absque pauperibus cibum vix sumebat; vt eorum jam pater, & canonicorum decus indigitaretur.

Cum inter vtrumque coaluisset haud vulgaris amicitia, pepigere inter se de communi amborum sepulcro. Prior morbum incurrit Dionysius rupta pectoris vena ex dicendi contentione. Hinc enim tabes orta, ex tabe mors. Apud Crucigeros sepultus est, cum nullum adhuc in ea vrbe domicilium Societas haberet. Mortuo post biennium decano tumulum aperturi dum veniunt vespillones, ecce tibi recessisse terram sponte sua, & nudatum feretrum Dionysij, locumque condendo ad latus corpori aptissimum conspiciunt attoniti. Quo statim vulgato vniuersa ciuitas ad spectaculum effusa, ingens prodigium magna voce prædicauit. Mors prodigijs ornata.

En alterum. Ægrotanti lac caprinum deferre consueuerat puella ab ipsis muta incunabulis, sed propter morum innocentiam illi singulariter cara. Hæc ipso jam mortuo, nocte quadam accepit linguę vsum, subitoque exclamans, patrem Dionysium multa luce conspicuum sibi adstitisse cōfessa est: & sermo ipse miraculum loquebatur. Vtrumque fidis tabulis consignatum est.

Vere scilicet dictum: Æterna viri memoria est; quam nec dominantis ea vrbe hæreseos linor extinguet.

Die decimo quarto

I. S. LIBERTVS martyr., *Theodoricus abbas S. Trud.*

CVm Mechliniam primum venit S. Rumoldus, viuebat in ea vrbe, comitisque munere fungebatur Odo vt genere sic virtute clarissimus, conjugemque duxerat matronam nihilo inferiorem: sed ex qua post multos annos nullam sustulerat prolem. Hic aduenienti sancto antistiti magna humanitate hospitium obtulit: notioremque in dies virtutem cum etiam religiosius veneraretur, illum Rumoldus remuneratum cupijt. Ex eo matrimonio prolem a Deo precibus obtinuit, atque (ita vaticinatus erat) sustulit nascentem e sacro fonte, Libertumque appellauit. S. Rumoldi precibus nascitur

Sed quod in primis maximi parentes æstimabant, adolescentem litteris rectisque moribus sapientissimus magister instituit. Eo ducatu feliciter ad virtutem tendebat facilis Liberti indoles & magna spe parentes recreabat, quando omnem familiam funestus casus turbauit. Lapsus in profluentem Libertus, & vorticibus haustus interijt, neque diu post emersit. Donec adueniens tandem Rumoldus, post factas preces, e medio flumine ad ripam, ad vitam a morte illum reuocauit, & parentibus incolumem restituit. & aquis suffocatus ad vitam redit.

Pro tanto beneficio sua hi omnia liberaliter offerebant: aream exstruendo cœnobio Rumoldus postulauit, quod ab vlmis Vlmetum nuncuparunt. Hic monasticen professus est Libertus, & præceptore Rumoldo ad eam se virtutum omnium honestatem prouexit, vt cęteris prępesse jussus sit. Præfuit multis annis, & singulari vigilantia eximium religiosę disciplinæ nitorem coluit. Monasticen professus.

Gloriosior ei laurea parabatur. Sub annum octingentesimum octogesimum Normanni magnis classibus in Scaldim inuecti, funestis late populationibus omnia fœdauere, atque adeo incendere Mechliniam. Anteuertit eorum crudelitatem Libertus; & Sarchinium ad S. Trudonis secessit, ibi vitæ reliquum acturus. Sed anno proximo cum innumerabilis ejusdem barbariei multitudo se in Mosam intulisset, & vicina quæque fœdum in modum vastaret, Sarchinium deuenit. Hic Libertum inuenerunt barbari, quos fugerat: & ipse palmam, quam toto animo ardebat, inuenit. Non enim alio jam sibi fugiendum esse credidit, quam ad S. Trudonis aram. Ante quam dum orationem facit, Numinique vitam deuouet, illum impie obtruncarunt Normanni. In S. Trudonis occiditur.

In vrna lapidea tum humatum est sacrum corpus. Sed post annum a Christo nato mille-

millesimum ac centesimum sub Werico abbate, in S. Trudonis ara repositum est cum alio ejusdem certaminis socio.

II. S. HENRICVS imperator. *Historia & archia Leodiensia.*

AVdebo S. Henricum imperatorem nostratibus accensere? Natione Bauarus fuit: fateor. Sed ingrati animi arguar, si quæ apud nos, vel pro nobis gessit religiosissimus imperator, silentio præteream.

ANN. 1002. Tres insignes episcopos dedit,

Florentem multa religione Leodiensem ecclesiam suspexit, magna humanitate beneuolentiaque complexus est, & ad sanctiora incitauit. Suis episcopis tertium destituta est hęc ecclesia, dum ipse teneret imperium; accepitque eius designatione Baldricum, Wolbodonem, Durandum, præsules sanctitate & sapientia præstantissimos, quibus quid tota diœcesis debeat, suo tempore narramus. Henrico scilicet omne id acceptum referri debet, cujus illi beneficium ac munus fuerunt.

& S. Popponem Stabuleto:

Sed quantum illud est, quod Popponem ceu quoddam alterius cœli clarissimum astrum ad nos transtulerit, & Stabulensem abbatem crearit? Mirabili certe luce hanc ecclesiam, atque adeo Christianum orbem pæne vniuersum collustrauit.

Ecclesiæ opes auxit.

Leodiensis ecclesiæ fortunas omnes, prædia, eximiasque prerogatiuas olim a principibus regibusque concessa, sua Cęsaris autoritate habuit rata, datisque rescriptis firmauit. Nec ijs contentus, opima multaque addidit etiam latifundia. Condidit Aquis canonicorum collegium in S. Adalberti martyris honorem. Conditum Leodij S. Crucis collegium, & Florinis S. Ioannis Baptistæ monasterium scripto diplomate confirmauit, ornauitque priuilegijs.

Autor est condendi cœnobij S. Iacobi.

S. Iacobi cœnobium suum hunc ferme præcipuum autorem fatetur. Inchoabat illud Baldricus episcopus; & quia magnæ molis templum meditabatur, ne sua vota longius differre cogeretur, S. Andreæ cryptam primum exstruxit; sacras ejusdem apostoli reliquias ibi reponendas donauit pius imperator. Sed mortuo deinde Baldrico, cum opus illud intermitteretur, Leodium imperator forte venerat anno supra millesimum decimo nono: ad eum venere supplices Baldrici consanguinei, rogaruntque vt vel inchoato S. Iacobi monasterio summam adhiberi manum imperaret, quod erat in votis maxime; vel attributa a cognato suo prædia in suos vsus Cæsaris beneficio liceret auertere. Cęsar cum animo suo propenderet admodum in sacra, proprio quodam studio ferebatur in nouellam illam S. Iacobi areolam; vbi repositas a se meminerat apostoli Andreæ reliquias. Eo venerabundus accessit, & precatione facta, altaris ornatum magni pretij largitus est. Tum ad Wolbodonem episcopum conuersus, imperauit vt prouentu prædiorum, quæ contulerat Baldricus, ædem monasteriumque reliquum absolueret. Strenue pro sua pietate rem suscepit Wolbodo, & perfecit.

Hęc pauca sunt de pluribus, & illustriora sancti imperatoris in hanc diœcesim beneficia. Sed cur alienius a meo consilio videatur commemorare, si quid boni vicissim ab ecclesia nostra Henricus acceperit.

Eum S. Heriberto reconciliauit Wolbodo,

Primum hoc est non ignobile. Infensior erat S. Heriberto Coloniensi archiepiscopo S. imperator, & sibi a sycophantis imponi, facesque subjici patiebatur: jamque Coloniam venerat, vt injurias vlcisceretur, quas sibi persuadebat illatas. Aduenit in tempore Wolbodo noster, cui egregiæ sanctitatis opinione plurimum tribuebat Augustus: & ea dicendi libertate simul & ardore sycophantias detexit, Heribertique fidem, imo sanctitudinem probauit, vt tum quidem imperatorem admodum perculerit: sed proxima nocte Deus sic immutauit, vt sequenti mane Heribertus in gratiam sincere reciperetur.

& Poppo inhumano spectaculo absterruit.

Alia fuit a Poppone opportuna castigatio. Spectaculo Cæsar animum oblectabat, quod præbebatur sane inhumanum. Nudus homo membra melle inunctus, vrso objiciebatur. Apertum erat vitæ discrimen. Ejuscemodi voluptatis exhorruit atrocitatem Poppo: tacentibusque ceteris vnus ipse monachus imperatorem corripuit intrepide: & damnata crudelitate ne similem deinceps admitteret oblectationem, deterruit.

Prætereo illa quæ ad nos non spectant, quamquam alias longe dignissima æternitate: quam beata morte consecutus est sanctus imperator anno vicesimo quarto; postquam moriens admirabile illud omnibus ętatibus edidisset [a] *Recipite, quam mihi tradidistis virginem*

Digitized by Google

ginem vestram: Chunegundem conjugem intelligebat, quacum illibatam tota vita virginitatem coluerat. Tanti principis mortem merito deplorauit vniuersum imperium: at proprio quodam jure hoc debuit ecclesia Leodiensis; cui summum decus fuit sanctissimo imperatori caram fuisse.

III. S. RAGENVFLA virgo. *Molanus.*

REgnante Dagoberto, Brumbaziæ nata est Hasbaniæ pago, parentibus genere inclytis, religione Christianis. Patrem Aium, Aiam matrem dictam esse, constans est ab antiquo fama: vnde pago Aijcuriæ nomen superest. A tenera ætate nihil puerile animo reuoluens, seria omnia sectari cœpit. Hæ potissimum eluxerunt in ea virtutes: incensa in Diuina religio, modestia, patientia, longanimitas, mansuetudo, comitas, temperantia, in egenos munificentia. Fuit caritate sincera, fide certa, spe alacris.

Cum ea connubium ardenter ambijt Ebroïnus primæ nobilitatis, & magnæ spei adolescens. His fere machinis virgineum pudorem oppugnat cacodæmon, & frequenter expugnat: sanctiorem inquam facem cęlo generosis mentibus illapsam extinguit, offusa vani nescio cujus fulgoris nubecula. Eo delusi fascino Ragenuflæ parentes, & nuptiarum a nobilissimo juuene propositarum claritate perstricti, filiam constituunt cogere, diemque nuptui præscribunt. *Circiter annum 648. Contempto nuptiarum splendore*

Verum cælesti perfusa lumine Ragenufla, celsiorem intelligebat esse illibati pudoris dignitatem, quam vt humanis quibuscumque honoribus illum subijceret: fortiorique robore animum obfirmarat, quam vt cogi posset. Inuicta ergo constãtia, Christo sponso suo fidem integram seruatura, præeuntes eadem via cognatas suas Gertrudem & Aldegundem sequi constituit. Quamobrem vbi instare præstitutum nuptiarum solemne sensit, ancillula vna comite, in vicinæ siluæ latebras se abdidit, procul ab hominum oculis; sed in pura luce cum cælitibus innocentem actura vitam. Non est, crede mihi, non est ea solitudo: melius cum apostolo vocaueris *multorum millium angelorum frequentiam*: quorum scilicet suauissimæ sunt deliciæ, cum illis frequentes agere, qui quamquam in corpore, cælestium tamen geniorum puritatem, quam proxime conditio naturę patitur, consectantur. *fugit domo paterna* *Heb. 12.22.*

Inconcussam suę sponsæ fidem, constansque propositum longioribus ambagibus periclitari Deus noluit. Paulo post quæ angelorum nitorem vitæ castimonia studuerat æmulari, eorumdem manibus ad ęternum cælestis sponsi thalamum euecta est. *& virgo moritur,*

Parentes acri dolore perculit properata filiæ mors. Violentię intentatę pęnitentia ducti, tum quidem exanime corpus sepelierunt pro dignitate: at ædem sacram postea superstruxerunt. Deus vero quo suum in carissimam sponsam amorem palam faceret, eodem loco plurima prodigia diutissime perpetrauit. Aijcuriæ seruatur, coliturque sanctæ virginis sacrum corpus: & eius nomen fons retinet, e quo potata aqua hydropem, aliosque morbos pellit. Pridie porro supplicationis anniuersariæ ipsis festis pentecostes, sacrum ferculum ad fontem incolę deferunt, vt aquas eius contactu veluti consecrent: & suffragante B. Ragenufla curandis morbis vis major addatur. Canonicorum autem collegium, in eius honorem Aijcuriæ conditum, Louanium ad S. Iacobi jam inde ab anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto translatum est. *& miraculis celebratur.*

IV. OLBERTVS I. abbas S. Iacobi. *Manuscr. S. Jacobi & Gemblac.*

NAtus est Lernę non procul Thudinio. Puer Lobium receptus, monasticis disciplinis imbui, simul & litteris erudiri cœpit. Primum pręceptorem habuit Harigerum virum religione sapientiaque celeberrimum, ac denique abbatem. Parisios deinde missus, ad S. Germani strenuam virtuti non minus quam litteris operam dedit. Trecas postea profectus, eam sacrarum disciplinarum cognitionem adeptus est, vt illas etiam docere jussus sit. Fulbertum tamen Carnotensem nactus, virum sanctitate omnique sapientia longe clarissimum, in eius disciplinam libens transijt. *Litteris clarus*

Lobium

DIE 14. eas Lobij docet. Lobium denique redijt illustri Diuinorum humanorumque cognitione instructissimus. Quam ne terræ infoderet inutilem, suorum præsidum jussione docendi munus suscepit. Eximia quippe litterarum gloria celebrabatur hac ætate Lobium: doctissimique Lycei famam insigni laude propagauit Olbertus, morum integritate non minus, quam eruditione spectabilis. Illustrissimum suæ scholæ monumentum reliquit Burchardum: qui Lobij hoc tempore monachus, Olbertique auditor, tantam litterarum cognitionem attigit, vt incredibili Christianę reipublicæ bono descriptum in viginti libros decretorum volumen luci dederit, & Wormatiensem ecclesiam episcopus administrauerit egregiæ sanctitatis opinione.

ANNO 987. fit abbas Gemblaci. Teneri non debuit eo gradu Olberti virtus. Gemblacum accitus est Erluino successor: qui monasterij illius primus abbas magna laude monastices fundamenta jecerat. Secutus tantum præsulem Olbertus, nihil intentatum reliquit, quo efflorescentem disciplinam perduceret ad dignam Deo maturitatem; perfecitque magna Diuini nominis gloria. Templum sacra supellectile, libris optimis bibliothecam studiosissime instruxit. Emicuit præsertim in pauperes liberalitas, cum per omnes Gallias sub illa tempora grauissima fames grassaretur.

tum Leodij ad S. Iacobi. Felicem eius administrationem audijt Wolbodo Leodiensis episcopus: qui cum Leodij anno millesimo decimo nono S. Iacobi monasterium perficeret, illum Gemblaco aduocauit, jussitque nascens hoc cœnobium vna cum Gemblacensi regere. Onere simplici plus satis impeditum se credebat Olbertus, & sibi priuatim viuere maluisset, quo Deum penitius in animum reciperet. Verum episcopi reuerentia prouinciam etiam alteram recipere coëgit. Ergo pietate, industriaque sua breui vniuersa monasterij ædificia perfecit, & prima religiosæ disciplinę rudimenta feliciter posuit. Collectos enim honesti studiosiores viros in religiosum cœtum coëgit, informauitque maxime disciplina Richardi: qui S. Vitoni Virdunensis abbas longe lateque sub hoc tempus accuratę monastices gloria celebrabatur.

Felicia in Domino auspicia non potuit non probare Wolbodo: quoque non modo currentem incitaret Olbertum; verum & ne suam virtuti mercedem & gratiam deesse quis objiceret; suo quo potuit nomine ratum habuit, quidquid ab eius antecessoribus haberent Gemblacenses: illisque insuper libertatem concessit; aut certe restituit, cum sese antea Leodiensi ecclesiæ subdidissent, quos omni dominationi Romanus pontifex exemerat.

Postquam annos viginti octo in S. Iacobi præfuisset Olbertus, sanctissimisque legibus eam familiam instituisset, quam præclaro Leodiensis vrbis ornamento videmus in hunc diem perseuerare; præmium tandem ei Deus constituit anno quadragesimo septimo. Quo moriens Wazo Leodiensis episcopus adesse sibi voluit Olbertum, & sacra mysteria ministrare, & ab eo precationum præsidio communiri, quem sanctitudinis nomine venerabatur. Paruit abbas: & inter obeunda illa munia, cum sanctum episcopum religiosissime morientem admiraretur (virtutem enim in alijs optime ille agnoscit, quisquis in se amat) Numinis impulsione, has in voces erupit: Deus optime, da vt plus diebus septenis episcopo Wazoni non supersim. Obtinuit: diem obijt Wazo VIII. idus Iulias; secutus est ex animi sententia Olbertus pridie ipsas idus, clarus prēmio laborum, quos sub abbatis onere annos sexaginta sustinuerat. Situs est ante aram principem.

ABBATES S. IACOBI.

1. OLBERTO (de quo jam) successit anno 1048
2. ALBERTVS. Quo abbate reliquias SS. Iacobi & Bartholomęi Cõpostella, donatas a rege Garsea, detulit Robertus hujus monasterij monachus: & rursum S. Iacobi Alphei brachium a Stephano P. missum, eidem monasterio dedit Theoduinus episcopus: ipse autem Albertus obijt anno 1066.
3. STEPHANVS mortuus est anno 1076.
4. ROBERTVS mortuus est anno 1095.
5. STEPHANVS II. vir magnæ virtutis, neque minoris eruditionis, quam editis monumentis posteritati testatus est. Obijt anno 1112.
6. OLBERTVS II. quo regente Richardus cardinalis, custosque ac canonicus Compostellanus nouo nexu firmauit

firmauit fædus quod erat inter Compostellanos canonicos, & hoc monasterium; & S. Apostoli reliquias donauit. Mortuus est Olbertus anno 1134.

7. STEPHANVS a nobis suo loco memoratus obijt anno 1138.

8. ELBERTVS cum pręfuisset annis duodecim, vtroque orbatus oculo dignitatem abdicauit anno 1150. mortuusque est anno 1160.

9. STEPHANVS item abdicauit anno 1155. vrgente Gerardo, qui e canonico Leodiensi factus cardinalis, & legati apostolici munere fungens, Leodij synodum celebrabat. Obijt autem Stephanus anno 1160.

10. DROGO e monacho Florinẽsi creatus abbas monasticam disciplinam, templique ornatum, ac monasterij sarta tecta strenue procurauit, mortuusque est anno 1173.

11. HVGO postquam pręfuisset annis duodecim pedum abdicauit anno 1185. iterumque postea redijt ad dignitatem.

12. HERMANNVS obijt anno 1188.

13. GOSVINVS (quemadmodum suo loco narramus) e monacho S. Laurentij factus abbas sponte cessit anno 1197.

14. GERARDVS ex abbate S. Laurentij factus abbas S. Iacobi præfuit tantum sex mensibus & mortuus est anno eodem 1197.

15. HVGO qui ante aliquot annos dignitatem posuerat, iterum concordibus omnium suffragijs electus pręfuit annis quatuor, iterumque abdicauit anno 1201. & sequenti mortuus est.

16. THEODORICVS e priore S. Trudonis factus abbas abdicauit anno 1202.

17. HENRICVS IOPILIVS e monacho S. Laurentij abbas post septem annos abdicare jussus est anno 1209.

18. WASELINVS (de quo alias) posita dignitate factus est monachus in Valle S. Lamberti anno 1229.

19. THEODORICVS 14. mensibus præfuit, & Hoij in synodo mortuus est anno 1230. & sepultus in Valle benedicta.

20. IOANNES ab Innocentio IV. primus mitra ornatus, antequam vteretur obijt anno 1248.

21. MICHAEL obijt anno 1283.

22. GVILIELMVS IVLEMONTIVS post restitutam primo decori disciplinam (vt suo loco commemoramus) mortuus est anno 1301.

23. MICHAEL e monacho Gemblacensi abbas sponte cedens 1305. redijt Gemblacum.

24. GVILIELMVS DE BEVER vir in castigando corpore admodum seuerus, alias comis & humanus, post cœptum ędificari dormitorium mortuus est anno 1316.

25. HENRICVS COSINS post 26. annos dignitatem reliquit & statim mortuus est anno 1342.

26. IOANNES PVLLVS fuit magnus sui contemptor, & multis ædificijs domum instaurauit. Obijt anno 1351.

27. GERARDVS DE AWANS obijt anno 1361.

28. HELINVS DE MEFFE obijt anno 1372.

29. NICOLAVS DV IARDIN multa domi ædificauit, & obijt anno 1393.

30. BERTRANDVS DE VETERI VINETO epidemia cum duodecim monachis interijt anno 1401.

31. IOANNES SORDELHE de Leodio vir sincerus, probus ac timens Deum, postquam rexisset annis septem, dignitatem lętus & sponte posuit, quam inuitus susceperat. Longa ægritudine senioque confectus, obdormiuit in pace anno 1424. in porticu S. Leonardi; quæ tum ad hoc monasterium spectabat; hodie cœnobium est canonicorũ regularium S. Augustini.

32. RENERVS DE S. MARGARETA siue DE HEYENDALE magnas aggressus est ædificationes. Sed hoc multo gloriosius, quod aliquot S. Iacobi monachis Treuiros ad S. Mathię euocatis sumserit initium disciplinæ per Germaniam instauratio, quam Bursferdiensem appellant. Mortuus est autem Renerus anno 1436.

33. RVTGERVS DE BLOEMENDAEL vir admodum humanus & religiosæ hospitalitatis amans obijt anno 1471. Sub hęc tempora monasticæ disciplinæ tanta fuit integritas, vt hinc exempla & institutiones quærerent plurima per omnem viciniam cœnobia.

DIE 14. 34. CONRADVS DE MOLENDINO morum honestate conspicuus, maturam grauitatem prudentiamque cum religiosa hilaritate pulchre conjunxit. Præmatura morte raptus est anno 1474.

35. ARNOLDVS DE BERCHT Distemiensis magna prudentia ac diligentia recuperauit bona monasterij deperdita ob bellorum injurias, & antecessoris immaturam mortem. Anno 1483. vna cum priore, cantore, œconomo, æditiuo, & alijs quinque peste sublatus est Distemij, & ibidem in S. Sulpicij ante majorem aram sepultus.

36. GERARDVS DE HALIN ingenio, litteris, & probitate clarus obijt anno 1500.

37. SERVATIVS MOENS Trajectensis obijt anno 1506.

38. IOANNES CVRVIMOSANVS mortuus est anno 1522. Et hoc tempore floruit monastica disciplina, & & per Iacobianos multis locis primæ integritati restituta est.

39. NICOLAVS BALIS Limburgensis cœptum ab antecessoribus templum magnifico opere perfecit. Mortuus est anno 1551.

40. HERMANNVS RAVE multa monasterij ædificia instaurauit, obijtque anno 1583.

41. LEONARDVS GERARDI mortuus est anno 1594.

42. MARTINVS FANCHON magnificum odæum construxit & mortuus est anno 1611.

43. ÆGIDIVS LAMBRECHT postquam annis plurimis & magna laude rexisset obijt 1646.

44. Successit admodum R. D. ÆGIDIVS DOZIN: cui det Deus antiquum illustris hujus monasterij decus generose & feliciter sustentare.

Die decimo sexto

I. S. MONVLFVS

episcopus XXI. *Harigerus, Ægidius, manuscr. Leod.*

ANNO 558. DOmitiano successit in episcopatu Tungrensi Monulfus Dionantensis toparchæ filius, vir illa cathedra dignissimus. Primum suæ religionis argumentum edidit in S. Seruatium; qui nouis in dies miraculis celebratior, ingenti populorum concursione colebatur. Pergebat Deus jam inde ab eius morte ligneas ædiculas, quæ a confluente multitudine sepulcro superstruebantur, aliquo turbine disijcere, velut indignas tanto suo famulo; cujus tumulum repetito tot annis miraculo, a niuibus intactum seruasset. Aggressus est ergo Monulfus, perfecitque & magnis opibus ditauit dignam sancto antistite basilicam: atque in illam qua par erat, reuerentia sacrum eius corpus inuexit. Quoque loci dignitatem augeret, addunt Harigerus & Anselmus sedem episcopalem ibidem collocasse, quam deinde Leodium transtulerit S. pontifex Hubertus. Scio nonnullis placere, hoc a S. Seruatio factum fuisse: alios etiam malle numquam Trajecti fuisse cathedram episcopatus. Quod disceptare, ad me modo non attinet. Certa est saltem Monulfi gloria positi S. Seruatio primi templi.

S. Seruatio templum exstruit.

Sed multo illustriorem consecutus est, quod vrbis Leodiensis prima veluti fundamenta jecerit. Lustrabat aliquando suam diœcesim vigilantissimus præsul: & quinto ferme a Trajecto lapide, substitit loci captus amœnitate, vbi Mosæ Vrta confunditur. Cujus aspectu dum fruitur (vt solent religiosi homines a rebus conditis animum attollere ad æternarum meditationem) ecce multa luce coruscantem e cælo crucem conspicatur loco imminentem: simulque Diuinum menti radium infundi sentit, quo ventura longe prospiciens exclamat: Nimirum hic ille locus est, quem ad plurimorum salutem æterna Numinis prouidentia destinauit: illustrabitque olim suo sanguine inuictus Christi martyr,& nobilissimis ciuitatibus æquabit. Cumque e proxima villa didicisset, præterlabentem Legiam riuum loco nomen dedisse; aream designauit exstruendo sacrario: quod ipse deinde sanctis martyribus Cosmę & Damiano dicauit. In illo ipso coronatum martyrio Lambertum narrauimus. Ita Monulfo suæ amplitudinis non vaticinium modo, verum & prima debet fundamenta ciuitas Leodiensis: imo ipse principatus. Nam ex ingentibus opibus, quas hereditate a majoribus acceperat, episcopio suo Dionan-

Vrbis Leodiensis amplitudinem prædicit.

Ecclesiæ Dionantum addicit.

Dionantum vrbem attribuit. Ea prima sunt principatus initia; quorum vlla saltem memoria superfit.

Episcopi munificentiam a Deo compensatam asserit Ægidius, principe quodam e flammis purgatorijs liberato. Ad eum terræ mandandum accersitus in viam se dederat: cum forte per vmbrosum lucum infelicibus olim genijs impietate gentilitia dicatum iter faciens, subito inter opaca nemoris, & horrendas ferarum voces, pueruli gemitus & clamores audit lacrymabiliter opem implorantis. Sistit ipse gradum; & pro Christianorum more in repentinis casibus, efformaturus crucem, dextram attollit. Sed horror insolitus omnia percellit membra; manumque ac linguam ita constringit, vt nec vocem formare posset, nec crucem. Comitum etiam plerique in gradu consistere non poterant, horrore attoniti. Cum ecce pulcherrimus juuenis episcopo se videndum offert; monetque posito metu in vrbem se referat; vbi cum clero populique multitudine, totum triduum precibus, iejunijs, eleemosynis Deum demortuo principi propitiet, quem sepultum ibat. Acerbissimis illum propter admissa peccata cruciari supplicijs; cruciandumque diutius, nisi subueniret ipse. Exacto denique triduo cœptum iter repeteret: & si in eodem nemore quieta reperiret omnia; tum denique certum haberet, illius principis animam cruciatibus ereptam esse. Vnum aliquem e superis hęc nuntiasse, non dubitauit Monulfus; & reuertens in vrbem, post tres dies Christianæ pietatis officijs ex angeli præscripto transactos, priorem viam relegit, & emensus est magna tranquillitate. Atque ita demum principis corpus terra condidit, eo lætior, quod animam cælo receptam sciret.

Principis cujusdam animam cęlo asserit.

Denique postquam annos vndequadraginta magna sui nominis gloria, sed majore Tungrensis ecclesiæ emolumento munus suum impleslet, XVII. Kalendas Sextiles anni nonagesimi septimi supra quingentesimum, migrauit ex hac vita, percepturus beatæ immortalitatis præmium. Sepultus est media æde Seruatiana a se condita & dicata, vbi sepulcro suo locum elegerat: episcopus gloriosam ab ecclesia promeritus laudem non tam religiosis sacrarum ædium constructionibus, aut adjecto principatu, quam animarum cultura, propagationeque virtutum.

II. S. GONDVLFVS episcopus XXII. *Ijdem.*

Monulfi episcopatum excepit Gondulfus, vir generis claritate, sapientia, & maxime morum sanctimonia antecessoribus suis haudquaquam impar. Tungrorum vrbem e ruinis excitare voluisse, quidam prodidere; diuinitusque impeditum eo prorsus modo, quo Iulianum constat prohibitum, Ierosolymis templum restaurare. Verum cum numquam eius meminerint antiquiores; & narratio parum ipsa secum hæreat, rem totam arbitror esse confictam.

ANNO 597. Frustra Túgros instaurare conatur.

Ruinas alias meliore conatu instaurare aggressus est Gondulfus, probante cælo, & successum promouente. A vitijs turpior est, quam a ferro flammaue aut vetustate clades: virtutum pretiosior est ornatus, quam pretiosi marmoris, auri, gemmarum; quanto scilicet animæ corporibus, terræ cęlum antecellit. Has sui muneris præcipuas esse partes cum intelligeret, nec ignoraret inferos hominibus perniciem ac interitum omnibus machinis moliri; omnibus contra neruis obstitit: denuntiatoque vitijs internecino bello, integram virtutibus tueri dignitatem contendit. Ita non vrbem vnam, sed vniuersam gentem feliciore studio instaurauit.

Sancta eius consilia abrupit prępropera mors. Post ecclesiam Tungrensem septem annos religiosissime administratam abijt ad brauium cęleste XVII. Kal. Augusti. Corpus proxime S. Monulfum terræ conditum est.

ANNO 604.

Digitized by Google

Die decimo septimo

I. S. FREDEGANDVS confessor. *Molanus.*

Circiter annum 630.

FVit Fredegandus natione Ibernus; & sancto studio propagandi cultus Diuini, olim in Gallias venit cum S. Foillano; susceptisque ea de causa magnis laboribus immortalem in cęlo gloriam promeritus est. Suos etiam in terra honores tulit. Turnini, vbi sepultus erat, cœnobium in eius honorem conditum fuit. Vrbs erat Turninum, non procul eo loco, vbi hodie est Antuerpia. Cujus ciues multis sceleribus inquinatos cum plectere Deus statuisset; Normannis Lotharingiam crudeliter populantibus anno octingentesimo octogesimo, sacrum S. Fredegandi corpus alio jussit asportari. Disce vel hinc, mi lector, qua reuerentia, quo religionis ardore par sit te cælitum aliquem tuæ patriæ pręsidem, sanctasque eius exuuias colere, si tuam, si publicæ rei salutem amas, quando meritas sceleribus pęnas auertit sola sacri corporis pręsentia.

Accipe S. reliquiarum præsidium.

Turnino vix auectum erat S. Fredegandi corpus: ecce non aliter ac si omni præsidio murisque ac turribus vrbs destituta fuisset, irrumpunt barbari, omnia ipsumque adeo monasterium ferro, flammis sic perdunt, vt vrbs nulla hodie sit.

Delatum est sacrum corpus in diœcesim Leodiensem Monasterium ad Sabim: vbi cœnobium a S. Amando positum fuerat: ibique perseuerat in hunc diem a nobilibus virginibus asseruatum, ac meritis honoribus colitur.

II. IOANNES BEETZIVS Carmelita. *Trithemius in Illustribus viris.*

MOnasticen professus est Thenis in ordine B. Marię de monte Carmelo: in quo sic litteris mentem excoluit, vt affirmante Thritemio euaserit *in Diuinis scripturis eruditissimus, & in sæculari philosophia (quam Aristotelicam vocant) doctissimus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, vita quoque & conuersatione deuotus, declamator sermonum popularium non minus doctus, quam facundus.* Neque vero lingua dumtaxat, verum & stilo grauiter expressit, quam auditorum vel lectorum animis impressam cupiebat erga res Diuinas religionem. In his conatibus anno supra millesimum & quadringentesimum septuagesimo sexto Thenis mortuus est.

III. BERTHA MARBESIA abbatissa I^a^. Reclinatorij B. Virginis. *Manuscr. monasterij, Buselinus.*

PRænobili Marbesiorum genere in agro Namurcensi procreata, humanarum rerum splendore primum perstricta, connubio nequaquam impari conjuncta est domino Molembasio. Verum ad illustriora cum Deus illam destinaret, breui his vinculis expedijt. Viro moriente tam caducam experta mortalium felicitatem, ijs conculcatis ad illa se conuertit, quorum gloriam speraret nullo nisi æternitate terminari. Vniuersis tantam animi magnitudinem admirantibus, Cisterciensem disciplinam Aquiriæ complexa est. Mirabili sanctitudine clarebat sacrum illud Gynæceum: in quo inter plerasque virgines eximiæ virtutis, velut inter ignes luna minores sanctissima virgo Lutgardis & Elisabetha Wansia Leodicæ nobilitatis illustre germen, monasticæ integritatis clarissimum spargebat fulgorem. Prouocata religiosis illarum exemplis Bertha, tantum in virtutibus breui spatio progressa est, vt cum anno post millesimum ducentesimum vigesimo sexto Ioanna Flandriæ comes, & Balduini imperatoris Constantinopolitani filia Marquettæ non procul Insulis illustre cœnobium condidisset, quod Cisterciensibus legibus regi cuperet, & Reclinatorium B. virginis appellarat, Aquiria Bertham aduocarit. Morum enim in illa innocentiam potius quam sanguinis propinquitatem amplexata, maxime

Spreta mundi gloria

monasticen sequitur.

Creatur 1. abbatissa Marquettæ.

maxime idoneam esse credidit, quę prima religiosæ asceseos fundamenta jaceret. Commissam prouinciam suscepit anno proximo Bertha, & incredibili vigilantia tantam monasticarum virtutum molem superstruxit, vt præ illa flocci faceret Ioanna omnem illam regię munificentiæ gloriam, qua magnificum illum parthenonem construxerat. Nihil igitur illo habebat antiquius, nusquam alibi jucundius commorabatur, animum molesta principatuum administratione distractum nihil opportunius colligebat, quam religiosa Berthę sodaliumque consuetudo. Hęc vna grauissimas humanarum turbarum molestias & sollicitudines non tantum aptissime leuabat, sed Diuinarum rerum desiderio fortiter erigebat; illisque tantum sensim adstrinxerat, vt si sui juris fuisset, abdicato omni principatu, Berthæ imperijs se læta subjecisset: adeo eius virtutem, insignemque religiosæ totius familiæ sanctimoniam præ omni hominum celsitudine amabat.

Voti compotem Deus tandem fecit. Anno quadragesimo quarto graui correpta ęgritudine cum a medicis vicinæ mortis admoneretur, a viro precibus obtinuit, vt extrema saltem vita monasticen amplecti liceret. Ad Reclinatorium B. Virginis delatam excepit omni veneratione cum suis sodalibus Bertha, & sacro illi cœtui adscriptam religiosa veste ornauit. Ornatiorem illa se numquam fuisse existimauit. In sancta ergo paupertate, suique depressione, incredibili gaudio exultans, triumphum hic inchoare visa est, quem æternum in cælo mox perageret. Illustre fuit hoc argumentum florentis in eo monasterio disciplinę; sed pręterea præclaræ virtutis in Bertha, quæ tam salutari semente in hoc platario posita, eximiam suauissimorum fructuum in dies enascentium laudem merito referebat. *Ipsam comissam sodalibus adscribit.*

Totos viginti annos huic culturæ adeo felici dederat, quæ fecundam multa sanctitate frugem in omnes secuturas ætates proferret, quando in cælum abijt, suorum laborum perceptura fructum. Vitam posuit anno quadragesimo septimo. *Moritur.*

Die vigesimo octauo

I. SS. ODILIA, IDA, ET IMMA virgines & martyres. *VVarnantius, chronicon Gemblac. officium Cruciferorum, Brustemius, Molanus.*

FVit e fortissimo illo virginum exercitu, quæ duce Vrsula generose dimicarunt, & debellatis crudelissimis barbaris, duplicem virginitatis & martyrij honorem consecutæ sunt. Postquam tot ætates in obscuro sepulcro mortalibus ignota jacuisset, anno demum millesimo ducentesimo octogesimo quinto, qua inter cælites gloria frueretur, manifestare cœpit, nouisque inter homines honoribus clarescere.

Delectus ad hoc fuit prouidentia Numinis vir, vt fere solet, humilis & abjectus: nam *cum simplicibus sermocinatio eius.* Agebat in Parisiensi Cruciferorum cœnobio Ioannes de Oppa ex ordine conuersorum, egregia virtute prædictus. Huic aliquando nocte quiescenti ostendit sese virgo quædam formosissima, regio cultu, sanctissimæ Crucis insigni notata: obstupescentemque sic allocuta est: Ego vna sum de primis decem B. Vrsulæ sodalibus, quæ veluti chiliarchæ millenis alijs virginibus præeramus, easque hostibus instantibus ad Christianam fortitudinem adhortabamur. Parentem regio genere Maromeum habui. Odilia mihi nomen fuit. Æternum jam totus ille sanctissimarum virginum exercitus parta nobili victoria triumphum agimus. Quia vero singulari quodam studio & amore, quamdiu vita mansit, amantissimi sponsi Crucem prosecuta sum, fidei tutelæque meæ vniuersum ordinem sodalium sanctissimę Crucis commisit Diuina pietas, eoque consilio Hoium ad princeps totius ordinis domicilium corpus meum deferri constituit. Tua hæc esto cura. Illud inuenies Colonię Agrippinæ non procul æde S. Gereonis, in viridario opulenti cujusdam ciuis, Arnulfi nomine, sub piro domui proxima. Quo dicto ex oculis abijt sancta virgo. *Prou. 3. 32. Hoium adduci vult.*

Paruit Ioannes, annuentibus pręsidibus suis. Omniaque dictis consentanea euenerunt. In marmoreo loculo inuenta est cum sacro corpore vrna, & in hac schedion S. virginis genus gloriosumque certamen describens. Inuenta pariter corpora sanctarum eius sodalium *Inuenta Coloniæ*

Digitized by Google

DIE 18. lium Idæ & Immę. Quę poteſtate ſibi facta cum ſuſtuliſſet, impetratis a Sifrido archiepiſcopo litteris rei geſtæ fidem facientibus, in iter Hoium verſus ſe dedit Ioannes cum ditiſſimo illo theſauro.

In Veteri vineto Ciſtercienſium parthenone, ſanctimonialis quædam paralytica ſolo ſacri feretri contactu integræ valetudini reſtituta eſt. Poſtero die, cum Leodium ire nollet Ioannes, ne qua pro conſilio fortaſſis injiceretur remora, deflexo per Haſbaniam itinere, Hoium peruenit ad ædem S. Petri ſuburbanam.

adducitur. Sequenti mane præeuntibus Cruciferis, vrbs omnis profani æque ac ſacri ordinis obuiam effuſa, ſacrum corpus intra portas celeberrima pompa inuexit. Hic infirma mulier alienis deportata manibus, in oculis multitudinis feretro manum admouet, & firmam extemplo recipit valetudinem. In Dei parentis baſilicam itum, decantatoque hymno *Te Deum laudamus*, habitæ Numini gratiæ pro tanto munere. Denique in ædem Cruciferorum ſacra B. Odiliæ, item SS. Idæ & Immę virginum & martyrum corpora deportata ſunt: vbi & perpetratis a Deo miraculis in hoc tempus clarent, & perpetua concurrentium veneratione celebrantur.

II. GODEFRIDVS BVLLIONIVS rex Ieroſolymorum. *Guil. Tyrius, Cantatorium S. Huberti, Ægidius Aureæ vallis, VVaſſeburg. Molanus.*

Boloniæ Francici nominis vrbe ad oceanum Britannicum natus eſt parentibus generis claritudine, opibus, & religione inclytis. Patrem habuit Euſtachium Boloniæ comitem, virum præſtanti virtute celebratum: matrem Idam viro nihil inferiorem, ſeu morum, ſiue ſanguinis nobilitatem expendas: pater huic fuit Godefridus Barbatus regni Lotharienſis prætor, ſiue dux, quemadmodum tum appellabant. Ida vero ea fuit morum innocentia, qua omnes Occidentis principes feminas longe antecellebat; vt quidem Vaticinium. prodidit Guilielmus Tyri archiepiſcopus autor hiſtoriæ belli ſacri: nonnulli ſanctam etiam vocitant: neque deſunt, qui vatibus illam annumerent. Ludebant aliquando filij tres Godefridus, Balduinus, & Euſtachius in oculis matris; & cum forte ſub matris veſtem ſe recepiſſent, ibique ſeſe agitarent, adfuit pater; & e conjuge quæſijt, quid ſub veſte latitaret: non dubitauit illa reſpondere; tres eſſe magnos principes, quorum primus dux eſſet futurus, alter autem rex, tertius comes. Dictis profecto fides ſtetit: nam Godefridus Lotharingię dux fuit, & Ieroſolymitani regni ſubinde moderator: fratri Balduinus in regnum ſucceſſit: paternam Bolonienſis comitatus hereditatem excepit Euſtachius.

Godefridi virtutes. Prior vt ætatis prærogatiua fratres anteceſſit, ita egregia morum honeſtate. Religioſus erat in primis, Diuinę majeſtatis veneratione ſimul & amore. Æqui tenax abhorrebat ab omni injuria: eximia animi moderatione, ſui potens fuit: inconcuſſa fide quod ore promiſerat, manu conſtanter exequebatur; & quod in adoleſcentia vitaque militari nemo non miraretur, humanarum rerum inanitatem mira ſapientia flocci pendebat: in precando Deo, ceteriſque religionis exercitationibus aſſiduus, munificus, perhumanus, in miſeros pius, omnes denique Chriſtiani principis partes impleuit. Grandi fuit corpore, pectore lato, inſigni membrorum robore, cæſarie barbaque ſubflaua, arte militari neminem ætate ſua parem habuit omnium judicio. In hunc ferme modum deſcribit illum Tyrius.

Quibus ornamentis inſtructum nepotem ſuum amauit Godefridus Gibboſus Lotharingiæ dux, quem nobilitati addita virtus, opes, prudentia, animi magnitudo, reique militaris peritia vere magnum toto imperio fecerant, quamquam corpore deformis. Illum igitur e ſorore natum adoptauit, cum careret ipſe liberis; annoque milleſimo ſeptuageſimo ſexto Antuerpiæ indigna morte ſublatus, heredem reliquit. Auunculo ſucceſſit noſter hic Godefridus; ejuſque hereditatem, atque inter alia Bullionum adijt, ex quo Bullionij nomen manſit in omnes poſteros. Marchionatum Antuerpienſem dedit rex Henricus, at Lotharingiæ ducatum Conrado filio ſuo retinuit ad annum vſque vndenonageſimum: quo tandem etiam illum conceſſit Godefrido, quo probatam virtutem bellicam, peritiamque rerum agendarum merito munere ornaret.

Fortitudo. Bellanti ſane aduerſus Saxones glorioſam nauauit operam Bullionius. Cum enim prętorium Cæſaris ſignum in acie ferendum accepiſſet, in medio certaminis ardore in medios hoſtium cuneos inuectus ferociſſime, perruptis ordinibus ad ipſum Rodulfum regem

regem penetrauit, eumque ipso Cæsaris vexillo transfixit, & consternatum tanto facinore exercitum in fugam auertit. Verum fortitudinis major ea laus fuit, quam virtutis, cum impias schismatici Cæsaris partes tueretur; quarum denique impietatem vbi deprehendit, religionis studio deseruisse fertur, suscepto in Palæstinam sacro bello.

Sed aliud Christianæ fortitudinis specimen ab illo proditum est. Quo tempore in Henrici Cesaris aula versabatur, diem illi dixit princeps quidam Germanus: suamque causam validis adeo rationum firmamentis ambo stabilierunt, vt neutri æquitatem addicere judices facile possent. Quod ergo priscis illis rudibusque temporibus solemne fuit, jussus est vterque singulari certamine controuersiam dirimere. Non credidit Bullionius posse se pro dignitate datam legem declinare. In descriptam igitur arenam dicto die descendit; & dum fortiter cum aduersario dimicat, dissilijt in partes gladius, relicto in manibus fragmento vix sesquipedem longo. Perstitit nihilominus in gradu, & de certaminis ardore nihil remisit. Iniquitatem pugnæ miserati qui frequentes aderant e principibus spectatores, a Cæsare colloquendi facultatem impetrarunt, quo pax aliqua componeretur. Sed Godefridus non secus ac si æquo marte pugnandum fuisset, iniquiorem nullam conuentionem admittere sustinuit. Ad certamen ergo redit, sed tanta animi promptitudine, vt paulo post antagonistam læua comprehensum crebris diffracti gladij ictibus circum tempora contuderit, tandemque sub pedibus in terram abjecerit: & statim ad adstantes principes conuersus obnixe rogauit, vt concordiam procurarent; non nobiliore profecto aduersarij quam suiipsius victoria. Christiana animi magnitudo.

Tanto corporis animique robori gloriosiorem materiam mox Deus obtulit. Bellum ad sacra Palæstinæ loca in Christianam libertatem e graui pudendaque Mahometanorum tyrannide vindicanda indicebat toto Occidente Vrbanus II. pontifex anno nonagesimo quinto: incredibili ardore crucem belli tesseram susceperunt omnis ordinis conditionisque mortales innumeri. Inter quos non potentia dumtaxat eminuit Bullionius, verum singulari potissimum religione, incensoque desiderio terræ sanctæ ab impiorum jugo liberandæ: quo permotus est ad distrahendas possessiones suas, vt earum pretio gerendi belli sumtus sustineret. Bullionum quidem ecclesię Leodiensi tradidit acceptis in pretium marcis siue selibris auri tribus, mille vero & trecentis argenti purissimi: at Virdunensem comitatum addixit Balduino fratri; ex quo & ipse necessariam expeditioni pecuniam colligeret. Studium Diuini honoris.

Profectus cum præcipuo copiarum omnium robore per Germaniam, Hungariam, Bulgariam, Thraciam, transmisso Hellesponto in Asiam minorem peruenit: ibique receptis in vna castra ceteris qui præcesserant, ingressus hosticum mirabili felicitate plures barbarorum exercitus multitudine propemodum innumerabili sese objicientes fudit, fugauit, celeberrimas ciuitates recepit, inuicto vbique corporis & animi robore mirabilis. Tandemque post celeberrimas victorias, post vltima pericula non aliter quam Numinis ope vitata, peruenit ad sanctam ciuitatem anno nonagesimo nono; eamque die trigesimo nono obsidionis Idibus Iulij in Christianorum potestatem redegit.

Octauo post die, publico principum omnium consessu decretum est, qui Syriam tenerent, qui in Europam ad suos reuerterentur. Bullionius vitæ reliquum ibi agere amauit, vbi nostri causa dux vitę Christus Dominus mortem oppetierat: & ceterorum suffragijs rex Ierosolymorum salutatus est. Hoc illi visum est deberi, qui summo cum imperio vniuersis copijs prępositus, non consilio tantum sapientissime, verum etiam fortissime manu rem gesserat. Corporis illi robur fuit prodigio proximū. In obsidione Antiochena equitem armatum ita gladio medium secuit, vt ab vmbilico pars superna decideret in terram, reliqua insidens equo fugienti in vrbem reueheretur. Princeps quidam Arabs gloriosa ducis fama inuitatus, ad illum venit eius spectaculo colloquioque fruiturus, & cum de fortitudine mira inaudisset, rogauit vt camelo, quem ingentem adduxerat, collum abscinderet. Quod cum fecisset Bullionius conatu non admodum magno, credidit ille ensis aciei potius quam viribus adscribendum esse; sed Godefridus accepto principis acinace alteri camelo eadem facilitate caput abstulit. Verum hoc etiam generosius fuit in obsidione Ierosolymitana, quod omnium primus in vrbem irrumpens, muralis coronæ decus fuerit promeritus. Mirandæ vires.

Ab animi magnitudine sincerior illi gloria fuit, qua contempto rerum humanarum splendore, viliora semper amauerit, nec efferri se passus fuerit vel fama rerum gestarum, vel delatis honoribus, vel sui nominis terrore finitimis gentibus illato. Hoc admirationi Humilitas.

fuit

fuit dynastis quibusdam e montibus Samariæ, qui illum Antipatrida obsidentem salutatum venerant. Hi in castra admissi regem inuenerunt sedentem in sacco stramine referto: & obstupefacti quæsierunt ex illis, a quibus deducebantur, quo pacto fieret, vt qui ex vltimo Occidente profectus victricibus armis totum Orientem terruerat, sibique subjecerat adeo potens regnum, ita se abijceret, nullo regiæ majestatis prælato insigni. Audijt admirantes Bullionius,& ipse respondit: eam sedem homini mortali sufficere,quę post mortem perpetuum esset præbitura domicilium. Admirati etiam illi responsionem, cum discederent affirmare non dubitarunt, tantę virtuti non modo illarum gentium, sed etiam totius orbis imperium merito deberi.

Religiosum dictum.

Sanctius & majori honore dignum fuit aliud ipsius pronuntiatum. Rex Ierosolymorum designatus cum auream sibi parari coronam vidisset, numquam admisit, indignum esse professus, in ea ciuitate mortalem quempiam aureo redimiri diademate,in qua immortalis Dei filius hominum gratia sertum spinis contextum sustinuisset.

Sacrorum cultus.

Neque minus religiose in administrando regno fecit, quam dixerat. Vbi primum tenuit sceptrum, pro suo illo singulari studio, quo totus in decorem domus Dei ferebatur, a Diuini cultus amplificatione suum imperium auspicari placuit. Canonicorum quippe collegium in S.Sepulcri basilica, item in principe siue Salomonico templo collocauit, opimaque vectigalia cum opportunis habitationibus addixit, eadem disciplina illis commendata, quam in Occidente a canonicis vsurpatam meminerat:majoresque opes adscribere mens fuit, si vita diutius mansisset.

Receperat in comitatum ex Europa veniens bonum numerum ascetarum, qui e religiosissimis quibusque monasterijs delecti, vt eximia virtute pollebant, ita toto itinere Diuinas laudes statis horis, non aliter ac in suis cœnobijs constanter concinuerant. Ea fuerat optimo principi itineris faciendi ratio. Regnum assecutus, cœnobium ijs postulantibus in valle Iosaphati posuit, magnisque ornauit facultatibus. Quæ præterea varijs ecclesijs regia munificentia donauerit, longius esset enumerare, inquit Tyrius;cum satis id constare asserat e donationum tabulis publica fide consignatis: adeo vt illum appellare non vereatur regum excellentissimum regem, sanctum, Dei amicum,Deoque plenum. A quo in Syria postliminio restituta res Christiana, diutius sustineri digna non fuit. Annum quippe solidum non tenuerat regnum Godefridus Bullionius,quando suscepta prius religiosissime VEN. EVCHARISTIA XV. Kal. Sextiles anni millesimi centesimi,mortali hac vita decessit, majus in immortalitate regnum quęsiturus, quando par eius virtutibus in terra nullum erat. Proxime Seruatoris nostri sepulcrum inhumatus est.

Moritur.

III. OTTO

e decano S. Pauli abbas S. Laurentij. *Quæ e monumentis sui monasterij mihi exhibuit admodum R. D. Gerardus Sany abbas S. Laurentij, & e sui collegij admodum R. D. Paulus Simonis decanus S. Pauli.*

ORtus nobili genere Pratanorum, multa virtute, atque in primis Diuini honoris studio suam claritatem auxit. Creatus enim ad S. Pauli decanus, monasterium construxit secundum Mosam eo loco,quem ad sinistram ripam Sartum tunc appellabant, hodie Vallem benedictam dicimus; canonicisque regularibus dedit inhabitandum, quos e nosocomio S. Matthęi ad catenam euocauerat, vbi magna morum integritate vitam agebant, vrbemque totam præclarorum exemplorum luce collustrabant.

Condit Vallem benedictam

Non stetit hic viri magnanimi religio. Templum aliud posuit Leodij, vbi in Mosam influens Vrta cum aquis nomen perdit loco, qui Graueria dicitur: commodaque ibidem habitatione adjecta, illuc canonicos regulares e Valle Benedicta transtulit, postquam templum dicasset episcopus in honorem Virginis Matris, insulamque B. Mariæ nuncupasset. his postea Scholares successerunt. In Vallem vero benedictam Robertimontanas virgines immisit, quorum vniuersa domus ante paucos dies hostilibus flammis in fauillas & cineres abierat. Ibi sedem illę fixerunt, & in hoc tempus magna Cisterciensis disciplinæ gloria perseuerant.

& Scholares

Abbas

Abbas præterea fuit Otto in S. Laurentio, felicique progressu monasticen illustrauit: ac Hugoni Petrapontio, qui magna sapientia Leodiensem ecclesiam regebat, carus in primis fuit ex virtutis admiratione: eumque comitatus fertur ad concilium Lateranense, quod anno millesimo ducentesimo decimo quinto coëgit Innocentius: qui episcopi prudentiam arcte complexus, magno illum honore habuit, discedentique donauit linteolum, quod olim Christi Domini lacrymis perfusum credebatur, item articulum e digitis S. Pauli. Ab Hugone vtrumque hoc munus accepit Otto; Leodiumque reuersus alterum in S. Pauli, in S. Laurentij alterum collocauit. Ac tandem anno vigesimo septimo dignitate simul & vita laudabiliter defunctus est.

Die decimo nono

WIBOLDVS

abbas XLII. Stabuleti. *E longiore illius vita, quam ex archijs & commentarijs monasterij conscripsit admodum R. D. Franciscus Laurentij S. theologiæ licentiatus, & prior Malmundariensis.*

CAPVT I.

VValciodori fit monachus, tum Stabuleti etiam abbas, deinde Cassini.

Natione Arduennas, nobili gente oriundus, vbi annum vitæ vigesimum primum attigit, monachus Walciodori factus est. Cujus egregiam indolem vt deprehendit Widericus abbas, Stabuletum ad litteras discendas illum misit; vbi longo plurimorum annorum lapsu litteræ magna gloria floruerunt. Hic tantam eruditionis suæ acrisque judicij concitauit opinionem, vt consentiente quamquam ægerrime illius abbate, Stabulensibus annumeratus sit. Inter quos ea prudentię ceterarumque virtutum laude claruit, vt per omnes religiosæ illius familię gradus feliciter prouectus, anno ætatis trigesimo tertio vna sodalium omnium sententia renuntiatus sit abbas Stabulensis XVI. Kal. Dec. ANN. 1119.

Aggressus erat religiose tantum munus, quando Lotharius rex anno post millesimum & centesimum trigesimo primo Leodij IV. Kal. Apriles ab Innocentio papa coronatus, Stabuletum Idibus Aprilis venit, S. Remaclum veneraturus. Hic velut in theatrum se dedit Wiboldi virtus, & ipsi regi cœpit admirationi esse. Non ergo difficile fuit omnem Stabulensis ecclesiæ libertatem autoritate regia confirmari. Qua fretus abbas rem monasterij non leuiter dissipatam sapienter collegit, & prisco restituit splendori. Regi carus.

Abierat interim in Italiam Lotharius, & Innocentium pulso illius æmulo Petro Leonis, supremæ sedi reddiderat. Cum in Germaniam redijsset, Herbipolim Wiboldum aduocauit ad conuentum principum imperij: ejusque prudentiam magis quam prius admiratus, cum Petro Leonis Romę denuo turbante, alteram pararet in Italiam expeditionem, abbatem a se passus non est abire, cum eius consilijs regi amaret.

Compressis feliciter vrbanis motibus, ejectoque Campania, & Apulia Rogerio Siculo schismatis propugnatore præcipuo, venit in Cassinum montem: vbi Romualdum antipapæ & Siculi partes secutum abbatis dignitate pepulit. Innocentio jubente cum in suffragia monachi irent, in Wiboldi cooptationem vniuersi conspirarunt. De quo Lotharius ipse in aureo quod vocant diplomate sic ait: *Post multos labores & pericula, quæ pro nobis & nobiscum in administratione nostri imperij in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus, in monasterio Casinensi a fratribus ejusdem loci & vniuerso populo violenta & admirabili prorsus electione in abbatem raptus est.* Sic imperator. ANN. 1137. Cassini abbas creatur.

At Wiboldus cum Stabulensem dignitatem haudquaquam abdicaret, intelligeret tamen in Italia sibi manendum esse, quo vel sui monasterij vel imperij negotia procuraret,

raret, veritus interea ne absentiæ suæ damna Stabulenses sentirent, eorum priuilegia libertatesque obtinuit vt confirmarentur Cæsareo diplomate, quod aureum appellant, quia litteris aureis exaratum, aureum item habet sigillum.

CAPVT II.

Cassino pulsus redit Stabuletum. Creatur abbas Corbeiæ Germanicæ.

MInime diuturna præter opinionem in Italia fuit Wiboldo mora. Nam & Lotharius cum Germaniam repeteret, Veronæ mortuus est: & Rogerius in Campaniam e Sicilia redijt. Cassino igitur cedere compulsus abbas, venit Romam ad Gerardum cardinalem sibi longa necessitudine junctissimum. Is est, quem pontificem postea creatum, Lucium II. appellarunt. Veneratus Romę sacra loca Wiboldus, ad suos redijt. Et postquam aliquamdiu religiosa quiete respirasset, aurei diplomatis probationem impetrauit a Conrado rege, qui Henrici quondam imperatoris e sorore nepos Lothario successerat: insignis enim sapientiæ commendatione multum apud illum gratia valuit. Qua de causa summi quique principes, atque adeo Orientis imperator Emanuel, imo ipsi Romani pontifices, si quam ad Conradum adornarent legationem, obnixe Wiboldo commendabant, qui vel prudentia sua dirigere, vel gratia apud Cæsarem promouere negotia posse credebatur: hodieque seruantur in archijs Stabulensibus, acceptæ ab illis, & a Wiboldo redditæ litteræ. Neque ad externos ita se effundebat religiosus abbas, vt suorum oblitus, domi disciplinæ integritatem non summopere procuraret, aut rem negligeret familiarem.

ANN. 1138.

Quare anno quadragesimo sexto, cum a synodo Leodiensi Malmundarium redijsset, sanctorum omnium festum celebraturus, accepit a Cæsareis legatis Stabuleti se exspectari. Eo reuersus, obstupuit primum, vbi tale nihil opinantem se abbatem Corbeiæ Germanicæ designatum audijt: tum deliberando noctem postulauit. Multis animum in varia distrahentibus, cum certi secum aliquid statuere non potuisset, Deum precatus vt bene verteret, toti sodalium cœtui rem definiendam reliquit, studiose prius omnes obtestatus, id vt pronuntiarent, quod e republica potius esse iudicassent. Corbeiensium postulatis & Cæsaris imperio obsisti non potuit. Totos quinquaginta annos grauissimis difficultatibus colluctata nobilis illa familia, ruinam minabatur, nisi sustinendæ humeros subijceret, qui virtute, sapientia, autoritate fulciretur. His instructum præsidijs Wiboldum cum fama Corbeienses comperissent, sibique animis designassent abbatem; Conradum Cęsarem rogarunt, suis suffragijs imperium vt adjungeret.

Abbatiam Corbeiēsem suscipere coactus,

His ergo victus abbas cessit: & graue profecto subijt onus, sed insigni operæ pretio. Nam vt præteream quos sustinuit labores pro tuendis monasterij facultatibus, prædijsque ac libertate; quamque imperio nauarit operam; felici euentu restituere monasticam aggressus est, quam profecto non modice labefactatam inuenerat. Sic enim ad suos Stabulenses rescripsisse habemus. *Apud eos, sicut in plerisque claustris, quæ regiæ ditioni & ordinationi subjecta sunt, nullus de regula sermo, nulla de consuetudine Cassinensi vel Cluniacensi seu antiquorum monasteriorum fit mentio. Sed canones, decreta, appellationes, concilia, jura, leges, condemnationes, taliones, argumēta, probationes, infamationes, assidue loquuntur. Quotidie nouos abbates, nouos priores habere desiderant. Nullus præpositus, nullus cellerarius placere potest. Panis, cereuisia, pulmentum semper est in culpa. Villicationes, beneficia principum & ministerialium ordinant. Hæc prima in capitulo dicendi initia: in his diem consumunt. De moribus, de religione, de patientia & humilitate, de obedientia, & caritate nullum vmquam verbum. De vestitu moderato, de tonsura & incessu prorsus extincta memoria. Et cum omnia die ac nocte peruertant, tamquam censores castigatissimi, omnia primi reprehendunt, ne ipsi reprehensibiles deprehendantur.* Hęc ille.

corruptam ibidem disciplinam

Pudendam ejusmodi corruptelis disciplinam cum inuenisset, non animum propterea bonus pastor despondit. Verum Stabuleto peritos asceticæ monachos acciuit, qui sapientibus consilijs, & pręclaris religiosæ vitæ exemplis prælucerent, ac Corbeienses ad dignam ordine vitam reducerent. Religiosis consilijs Deus aspirauit: & breui primæua monasterio facies redijt pristinusque monasticæ splendor. Sed hoc abbatis ea prudentia perfectum est, vt se Corbeienses eo sensim deductos mirarentur & amarent, quod vel

feliciter restituit.

cogitare

cogitare antea exhorruerant. Sincero igitur caritatis fœdere monasterium vtrumque jungi placuit: Wiboldique imperijs ita gaudere cœperunt illi, vt precibus non semel institerint, quo abdicata Stabulensium administratione totum in vnam Corbeiam animum intenderet. Sed constantius illum retinuit, quæ prima sibi junxerat ecclesia Stabulensis.

CAPVT III.

Patriæ, tum imperio præclaram operam nauat: & moritur.

In diœcesi Leod.

præclara eius opera.

VAstus præsulis animus se in diuersa quasi partiebatur, vt singulis quod rogabatur impenderet, nec vsquam deesset. Præter illam quam imperio sępissime nauabat egregiam operam: alternis Corbeiæ modo, modo Stabuleti agebat, vt præsens inspiceret, si quid vsquam illius præsidium, autoritatem, consiliumve posceret: magno fere publicæ rei bono. Quid aliquando pręclare Stabuleti gesserit, in hunc modum ad Corbeienses scripsit. *Ratio poscebat vt apud Stabulaus moram longiorem faceremus. Vt autem sciat vestra fraternitas tempus nobis otiosum non præteriisse: inter comitem Namurcensem & comitem de Roz, & comitem de Dasburch* (qui Mohanus aliter dicitur) *quorum discordia totam terram lacerabat, pacem Deo autore fecimus: atque inter comitem de Rupe, qui noster aduocatus est, & comitem de Monte acuto, qui multorum incitamentis maxima inter se bella mouebant, finitimam & toti terræ salutarem concordiam reformauimus. Aduersarios nostros, qui bona ecclesiæ nostræ diripuerant, Diuina potentia subegit, vt nobis nostra cum ingente satisfactione restituant.* Virum habes magnum, & publicæ vtilitati natum.

Ita sentiebat Conradus imperator: qui profecturus in Syriam, Henricum filium suum regio nuper diademate coronatum illi credidit regendum ac sapienter educandum: pluresque ad eum e Græcia Palæstinaque litteras dedit, quibus ostenderet quanti hominem faceret ac veneraretur. Ac denique in Europam reuersus, legatum cum Arnoldo Coloniensi archiepiscopo Romam misit ad grauissima imperij negotia.

ANN. 1152.

Walciodori controuersiam componit

Vix redierat in Germaniam abbas, rebus ex animi sententia Romæ confectis, quando Walciodorenses eum in abbatem suum cooptarunt. Prius enim quam Romam proficisceretur, dedignabantur Hasterienses Walciodoro subijci, suisque viuere legibus, ac suum habere abbatem moliebantur. Pro suo Walciodoro stetit Wiboldus, & qua valebat apud Cæsarem gratia obtinuit, vt Walciodorensium prærogatiua nouo imperatoris rescripto probaretur. Idem & Romæ ab apostolica sede procurauit. Verum interea Theodorico abbate mortuo, machinis omnibus tentarunt Hasterienses impedire ne quis substitueretur, cui cogerentur subesse. Et cum a rebus nouandis illos frustra deterruissent episcopi Leodiensis & Metensis; vt primum audierunt Walciodorenses ex Italia Wiboldum redijsse, eum renuntiarunt abbatem, rati scilicet tantum virum reuerituros Hasterienses, quem autoritate maxima non ignorarent excellere. At ille plus satis jam duorum monasteriorum cura distractus, ac tantum non obrutus importunitate palatinorum negotiorum, nouum onus hoc detrectauit. Quo tamen in officio retinerentur Hasterienses, diploma pontificium misit: ac denique post longas disceptationes inter vtrumque monasterium conuenit, vt antiquum teneretur.

abbatis dignitatem recusat.

Magna agit cum imperatoribus

Inter eximia hæc prudentię, integritatis, fideique argumenta, totos duodetriginta annos non modo Stabuletum & Corbeiam rexit, sed de Christiano orbe quam optime meritus est, summis quibusque vtriusque ordinis principibus percarus. Bis Constantinopolim ad Orientis imperatorem Emmanuelem, Romam sæpius ad pontifices ab Occidentis imperatoribus legatus, grauissima tractauit negotia, feliciterque confecit.

pontificibusque

Imperatoribus Lothario, Conrado, Frederico suam fidem & industriam adeo probauit, vt rem aliquam grauiorem nisi de eius consilio non facile aggrederentur: ideoque sæpissime illum apud se esse peroptabant: & vbi alijs distinebatur negotijs (quod euenire non raro necesse erat illi, qui celeberrima duo regebat monasteria) multas ad illum & familiares dabant litteras, quibus & rerum a se gestarum quasi rationem redderent, & consulerent illum de gerendis: vicissimque ab illo ad se scribi amabant. Stabuleti seruantur in hunc diem epistolæ cum alijs pluribus, ab Emmanuele imperatore, summisque pontificibus Innocentio, Cælestino, Lucio, Eugenio, Anastasio, Adriano datis, & ad illos ab eo redditis. E quibus nemo non intelligat quanti eum facerent summa illa

mundi

Digitized by Google

DIE 19. mundi capita: tum quam virtutem sapientiamve fuisse in illo necesse fuerit, qui tantam apud tot summos principes sibi compararit gratiam, & ad mortem retinuerit. Quamquam enim extrema jam ętate, Herbipolim tamen ad imperij conuentum inuitatus, atque inde Constantinopolim missus ad grauissima negotia, cum obitæ legationis gloria clarus reuerteretur, in itinere mortuus est anno Christi post millesimum & centesimum duodesexagesimo, vitæ sexagesimo primo. Reuectus Stabuletum, ante majorem aram conditus est.

& illis feliciter immoritur.

Die vigesimo primo

S. VASTRADIS

Sustereni mater S. Gregorij. *Molanus 25. Aug. & quæ Iacobus Kritzraedt e Societate JESV collegit e veteribus manuscr. Sustereni & ad me misit.*

QVando conditum fuerit Sustereni monasterium, nusquam inuenio. Hoc constat: dum viueret S. Gregorius S. Willibrordi discipulus & Vltrajecti successor (de quo vigesimo quinto Augusti dicemus) magna jam tum sanctimonię fama celebrabatur Susterenum, eaque de causa frequentabatur ab eodem episcopo. Illicne Vastradis eius mater vixerit, etiam incertum est: sepulta certe fuit; eamque sanctis adscriptam veneratur posteritas.

Die vigesimo tertio

RICHARIVS

episcopus XL. *Anselmus, Ægidius, VVasseburgius, Petrus Rouerius Soc. JESV, R. D. Franciscus Laurentij S. T. L. prior Malmundariensis.*

COmitis Hannoniæ filius fuit, teste Wasseburgio; sed virtute profecto illustrior. Probant hoc congestæ in illum dignitates. Andaini primum abbas creatus est anno octingentesimo nonagesimo quarto, & post quadriennium Stabuleti; ac deinde proximo anno Prumiam administrare jussus est. Sed annis quadraginta septem vix vmqnam Stabuleto potiri quieto licuit; turbante nimirum, & monasterium vi vsurpante primum Raginero totius Lothariensis regni duce, tum Euerardo eius nepote, deinde Gisilberto filio, ac denique Conrado item Lothariensi duce. In gradu nihilominus stetit inter hæc aduersa Richarij virtus; atque adeo impulit Carolum Simplicem Francorum & Lotharingiæ regem vt illum ad episcopatum Leodiensem eueheret, depresso Hilduino, qui ad eumdem malis artibus adspirabat. Iudice summo pontifice dicenda fuit causa. Richarium commendabant omnes ordines, atque in primis Guibertus genere & virtute clarus, & breui post Gemblaci conditor; sed maxime rex Carolus. Damnato Hilduino, renuntiatus est Romæ & consecratus Richarius Leodiensis episcopus: & a pontifice pallium accepit. Quod quamquam archiepiscopis proprium sit, nonnullis tamen antiquiorum episcoporum fuisse concessum inuenimus: sed primus omnium Richarius non tam sibi, quam ecclesiæ suæ proprium impetrauit; aut certe euicit vt quod pridem, sed incerto autore vsurparant antecessores, posteri deinceps apostolica autoritate retinerent. Creatus episcopus Andainense pedum abdicauit; seruauit tamen Stabulense, ne scilicet in profanis manibus relinquere videretur. Annis decem rexerat ecclesiam, quando super antecessoris sui Stephani tumulum aram posuit & sanctissimæ TRINITATI dicauit; quod eam nimirum singulari religione ille coluisset; atq; (vt suo loco meminimus) illius officium concinnasset. Ea porro Stephani vestigia non inferiore studio pressit Richarius: & hoc anno, qui erat a nato Christo nongentesimus trigesimus secundus, omnium primus id officium executus est octauo post Pentecosten die; atque adeo

Condit festum SS. Trinitatis.

in hujus ecclesiæ mores inuexit. Secuti sunt exemplum alij plures sola piæ mentis inductione, nullo cujusquam imperio; imo nonnullis improbantibus, quod Pentecostes cultui octavus dies detraheretur. Recepta nihilominus est paulatim a varijs ecclesijs consue udo: & post annum millesimum centesimum vndeuigesimum censuit Rupertus eam tum fuisse veluti communem omnibus legem. Quamquam Honorius Augustodunensis centum ferme annis post fatetur non fuisse vsurpatum Romę id officium. Sed denique Rodolfus de Riuo qui ducentis propemodum annis post Honorium scripsit, non tantum Gallicam, sed etiam Romanam, ac fere Germanicam ecclesiam in eius officij celebrationem ætate sua testatur conspirasse. Primus itaque Richarius, (quæ non parua sit eius gloria) nullo alterius nisi Stephani antecessoris exemplo, Augustissimæ TRINITATIS festum Leodij celebrauit, quod quingentis ferme post annis ab vniuersa ecclesia vsurpatum est.

l. 11. de Offic. Diuin. c. 1.

de canonum obseruantia propos. 16.

Aliud anno sequenti cogitandum Richario fuit. Comes quidam Bernardus (quis ille fuerit, aliter proditum non habeo) proxime Arceias in Leodiensi solo castellum erexerat, quod suis rebus credidit aduersari episcopus. Quare sumtis armis eo duxit, munitionesque disjecit. Sic arma subinde etiam nolenti induenda sunt. Felix, qui cito potest exuere. At quanto felicior, cui procul ab armis, & in alta pace vitam agere, superi concesserint!

Armis ecclesiam defendit.

Positis armis Richarius mox ad pacis studia conuersus, deformatam Normannica vastatione ciuitatem restaurare occœpit. Iacuerat jam inde ab anno octingentesimo octogesimo primo disjectum inter rudera monasterium S. Petri, barbaricæ impietatis triste monumentum. Ædem cum reliquo cœnobio erexit & dicauit, addixitque vectigalia, quæ satis essent alendis triginta canonicis, quos illic vice monachorum viuere voluit. Ipsum etiam S. Lamberti collegium noua fertur auxisse dignitate, quando sacrorum antistites duodecim, quos abbates sæculares appellamus, ex illo vt deligerentur sanxit. Hi porro sunt: abbas S. Mariæ Leodij, Masecę, Amanij, Tungris, Messiæ, Cellis (Visetum transtulit Adolfus a Marca) Dionanti, Namurci, Maloniæ (Trajectum Notgerus transtulit) Alnæ (idem Notgerus Thudinij voluit esse) Mechliniæ, Cennaci.

Instaurat S. Petri templum canonicis attribuit.

Leodij præterea templum in S. Seruatij memoriam posuit, dicauitque eodem loco, vbi ædiculam olim condidisse fertur ipse Seruatius, fixoque in terram scipione fontis scaturigini viam aperuisse. Eam item aquam dicitur in forum perduxisse Richarius, commodo populi permagno.

Eius autem felicitati, si non & virtuti, tribuendum est, quod Bronij S. Gerardus, Gemblaci S. Guibertus, Walciodori S. Forannanus hoc tempore religiosissimam ascesseos monasticæ palæstram excoluerint illustri totius diœceseos ornamento.

Inter quæ omnis sanctitatis celeberrima decora, magna sua laude, bonoque cum diu vixisset Richarius, anno demum quadragesimo quinto viuendi finem fecit. Conditus est in crypta basilicæ S. Petri ante sepulcra monachorum, ait Ægidius: sed postea sacerdoti cuidam magna morum integritate spectabili cum se videndum præbuisset, transferri se jussit ante altare B. Petri apostoli ad lævum cornu.

Die vigesimo quarto

S. CHRISTINA MIRABILIS virgo. *Cantipratanus, Vitriacus.*

CAPVT I.

Sancte primum mortua redit ad vitam.

TRudonopoli nata est honestis parentibus. Quibus vita defunctis, inter hanc & duas sorores ita conuenit, vt religiosam quidem Deoque dignam omnes instituerent vitam, sed quæ natu maxima erat, cælestibus tantummodo rebus commentandis vacaret; quæ vero media, domus & rei familiaris curam haberet; vltima denique hæc

Christina

DIE 24. Christina curaret pecora & ad pascua duceret: quæ licet ad viliora videretur abijci, magna tamen animi promptitudine infimam illam sortem amplexa est: neque propterea se rebus cælestibus abstinuit. Imo quo lætior Christi causa ad abjectissima quæque se dimittebat latebatque in obscuro ignota, eo sibi Deus cariorem euexit ad sublimiora, & suorum arcanorum fecit participem. Humana quippe lege alia nulla Deus magis regit, quam hac Pauli: *Ignobilia mundi & contemptibilia elegit.*

Abjectam ad viliora Deus elegit.

1. Cor. 1. 28.

Mortua ANN. 1182

Altioris porro contemplationis exercitationibus adeo corporis vires mox infregit, vt ad vitæ finem peruenerit; quo ętatis anno, nusquam inueni proditum: agebatur a Virginis partu millesimus centesimus octogesimus secundus. Corpore in medium templum elato justa persoluebantur, quando vniuersis rei nouitate attonitis de subito reuiuiscere cœpit, & cum suis domum reuersa est.

redit ad vitam

Necessarijs quid cum illa fuisset actum percontantibus respondit, animam suam corporis ergastulo solutam ab angelis deductam esse in teterrimos carceres, in quorum altero sempiternis supplicijs mactabantur improbi, in altero næuos omnes expiabant, qui cœlo necdum essent maturi. Hinc in cælum perlata, cum amico Christi vultu se sensisset excipi, incredibili fuisse gaudio delibutam, quod crederet in beatam cęlitum sortem se receptam esse. Tum Christum se ita allocutum: Hæc certe gloria te manet: sed optionis modo hanc tibi copiam facio; vel jam frui incipe gloria, quam modo spectas & tuis tibi meritis comparasti; vel eadem olim fruitura, nunc ad vitam redi, cujus exemplis & sanctitate mortales a peccandi consuetudine reuoces, aut spontaneis redimas supplicijs, quos tam diris torqueri cruciatibus conspicata es. In dubio nequaquam diu se hęsisse aiebat, arrepta quamprimum hac optionis parte. Atque ita Christo pium propositum collaudante, ad corpus se fuisse remissam. Rem ita narrauit ipsa virgo.

vt a mortuis in purgatorio detentis opem ferat.

Et vero vitam deinceps egit tot prodigijs stupendam, vt in posteros Mirabilis appellata sit. Cum fidem ęgre suis dictis inuenturum se crederet, qui eius vitā scripsit Cantipratanus, in hanc sententiam præfatur. *Non temere dixerim certa me commemoraturum, cùm tot plane testes producere liceat in permultis, quæ a me proferentur, quot tum in vrbe Trudonensi homines rationis compotes fuerunt. Neque enim in angulis & latebris hæc gesta sunt; sed plane in luce & oculis plurimorum. Neque tam longa temporum spatia intercessere, vt ea potuerit obliuio abolere, & hominum memoria excludere; cum ab illius obitu vsque in hunc diem, non nisi octo anni fluxerint. Ea vero quæ nullus mortalium præter ipsam nosse potuit, ab illis didici, qui se illa ex ore eius percepisse testati sunt. Certus autem sit, quisquis hæc legerit, ijs me testibus fidem adhibuisse, a quibus tam longe abfuit fingendi libido, vt vitam potius ipsam posituri fuerint, quam a veritatis tramite deflexuri.* Ita Cantipratanus; qui præterea Iacobi a Vitriaco Acconis episcopi, & postea cardinalis fide se potissimum niti profitetur.

Quę fides dictorum.

CAPVT II.

Mirabilem vitam agit: ac in primis horrenda patitur pro mortuis.

REddita vitæ Christina cœpit incredibili horrore hominum congressum atque adeo oculos vitare, eorum odore cruciari, quem nimirum efflabant animæ vitijs contaminatæ. In auia ergo loca & solitudines se abdebat; & cum mirabili corporis agilitate jam esset prædita, in arbores, in ædium, templorum, turrium altissima quæque fastigia euadebat. Obstupescebant vniuersi, & infelicibus genijs infessam suspicabantur plerique. Miserti eius amici, labemque illam amolituri, magno tandem labore comprehensam ferreis etiam vinculis constrinxerunt. Hominum odore nihil hic illi grauius fuit. Diffractis denique Diuina ope compedibus, in siluarum densissima aufugit, instar auis vt plurimum in arboribus agens: durissimamque famem sustinere & sola cum Deo suo agere maluit, quam ad hominum conuictum redire. Et visus est ipse Deus consilium probare: e virgineis eius mammillis lac eduxit, quo nouem totas hebdomadas pasta vitam tolerauit.

Mirabilem aggressa vitam

vinculis constringitur

& liberatur.

In suam denuo potestatem cum amici redegissent, & vinxissent catenis, Dei voluntate denuo liberata Leodium venit: vbi sacerdotem ad S. Christophori rogauit sacrosanctam EVCHARISTIAM: cumque ille impertiri se posse negaret, ante horam elapsam; ad alium mox abijt, qui eius desiderio fecit satis. Et ecce repente quodam impe-

Digitized by Google

impetu incitata, se templo proripit. Miratur presbyter, & cum S. Christophori sacerdote fugientem insequitur ad ipsum vsque amnem Mosam, vbi illam se comprehensuros sperabant; sed per altos gurgites illæsa in alteram ripam euasit. Mosam sicco pede calcat.

Tum aggredi cœpit id vitæ genus, cujus causa redierat ad vitam. Succensos coquendis panibus clibanos ingressa horrendum in modum cruciabatur, dirosque clamores edebat. Integra tamen ab his tormentis egrediebatur mirabilis virgo, Numine incolumitatem præstante, quo nimirum prompta semper esset ad noua supplicia. Sæpe manus, alias pedes in ignem mittebat, & retinebat tam diu, vt in cineres redigi possent, nisi prodigio Deus seruasset illæsos. In cacabos aqua feruente plenos lumborum aut pectore tenus se demergebat, quæque exstabant membra, feruente perfundebat. Horrenda supplicia subit.

Hiberno tempore cum gelu rigerent omnia, crebro, & quandoque sex eoque amplius dies sub aquis Mosæ perdurabat, donec sacerdote, qui eius curam gerebat, per Christi nomen obtestante tandem exiret. Alias rigida item hieme sub moletrinę rota aquam ex alto delabentem capite, totoque adeo corpore excipiebat. Interdum cum ipsis aquis in rotam delata, horrendum in modum circumagebatur. Verum ex his omnibus denique incolumis abibat: quemadmodum & a rotis, quando inter illarum radios brachia tibiasque contorserat. Nonnumquam inter fures e patibulo se suspendebat ad vnum alterumve diem. In sepulcra quandoque inter mortuos se abdebat, vbi hominum peccata lugeret.

Sæpe corpus vniuersum fœde lacerabat vel in spinis & vepribus volutata, vel noctu concitatis in se canibus vrbis Trudonensis ad horrendam lanienam. Sanguinis inter hæc magnam vim profundebat, vt toto corpore cruentatam plerique viderint, nec vlla tamen postea potuerint notare vulnerum vestigia. Mirabantur porro tantam sanguinis copiam posse ex vno corpore profluere; quem præsertim imminueret ipsa frequentissima venæ sectione.

Porro aggressa hoc anno sancta virgo mirabile hujusmodi vitæ institutum, produxit in longissimum tempus, quotidie mortis dolores sustinens, nec vmquam moriens; sępissime totis artubus lacerata, ac veluti consumta, & semper integra ad nouos cruciatus: e quibus incredibile solatium percipiebant, qui flammis expiantibus torquebantur. Viderat nimirum tormentorum acerbitatem in illis alterius vitę carceribus: quid si sensisset? Pro aliorum expiatione tam atrocia sustinuit: quid pro se tulisset? Et heu mortales! in peccata, hoc est in busta illa, in illas cruces & lanienas quotidie tam laxis habenis præcipitamus, ceu in delicias.

CAPVT III.

Velut insana detinetur vinculis, & denique dimittitur.

MIram fuisse corporis agilitatem leuitatemque diximus, qua se efferret Christina ad summa ædium turriumq; fastigia, ad cacumina arborũ, e quarum tenuissimis etiam ramis velut auicula penderet. Hoc autem illam fecisse video, cum Diuinarum rerum commentationi, fundendisque ad Deum precibus vacare vellet. In quibus serenam debere esse mentem cum probe intelligeret, ab hominum consortio quam longissime recedebat, quorum animos graui peccatorum odore fœtentes non nisi cum horrore & cruciatu ferre poterat. Imo & terram eorum vestigijs quasi contaminatam attingere permolestum fuit. Quare in palis, quibus pro sepibus horti fere muniuntur, persępe visa est stare, cum Deum oraret, ne pollutæ quodammodo terrę attactu, a puriore Diuinorum meditatione retraheretur. Terræ peccatis contaminatæ cõtactum vitat. vt purius Deo vacet.

At vero quemadmodum inter meditandum mens in vnum colligi solet, sic animo corpus ipsum obsequebatur, vt instar liquescentis ceræ omnia Christinæ membra in quamdam globi formam conglomerarentur. Donec se remittente sensim orationis contentione, sensus denique suas sedes, suaque in membris loca repeterent; & quod in erinacei speciem conuolutum fuerat corpus, & informis cujusdam materię speciem præ se tulerat, ad pristinam paulatim formam rediret.

Quę vt insolentia sunt, & naturæ leges transgrediuntur, plerosque abducebant in nescio quas opiniones, vt hæc omnia dęmonum pręstigijs tribuerent. Quam labem vt abolerent Christinę sorores, cognatique, robustum quemdam virum pretio conducere, qui

Detenta

qui illam comprehenderet, catenisque vinctam domum reduceret. Aggressus est ille ferociter quod jussus erat; & diu secutus per auia loca, cum manibus attinere nequiret, impacta denique viribus omnibus claua tibię os illi confregit. Domum igitur ad sorores, ac deinde Leodium curru auecta est ad chirurgum. Hic illam vt seruaret, vti monitus erat, in cubiculum abdidit firmo vndique muro cinctum, vinculisque ad columnam religauit: & postquam opportunis medicamentis fouisset tibiam, fascijsque strinxisset, abijt ipse. Verum illa mortalem medicum dedignata, fascias omnes abstraxit, abstersitque medicamenta, ab vno Deo curationem exspectans, qui in quotidianis supplicijs sanitatem prębstabat. Obtinuit. Solutis quadam nocte vinculis, quibus tenebatur, persanataque tibia, per cubiculum libere primum cœpit obambulare, ejusque laudes concinere, qui illam curauerat, & cui viuere morique constituerat; tum e cubiculi pauimento saxum eruit, vique multa murum perfregit: *& quemadmodum* (inquit Cantipratanus) *arcus quanto fortius tenditur, tanto validius a se vibrat sagittam: ita spiritus eius, plus quam par erat pressus, (vbi enim Domini spiritus, ibi libertas) cum ipsa mole corporea carnis, perinde vt volucres, per aëra volitasse fertur.*

rursum euadit.

Rursus detentam

Neque sic ab ea insectanda destitere sorores aut cognati: reuertentem illam rursum attinuere, durisque alligatam vinculis, veluti canem exiguo pane & aqua nutriere. Diutius teneri hic & affligi suam sponsam Christus sustinuit, quo alio miraculi genere suam vim ostentaret. Duritia ligni, ad quod religata erat, attriti artus computruerunt, tantumque dolorem accenderunt; vt suum illum panem edere non posset. Cum a ceteris negligeretur, suam aduersus illam prouidentiam mirabili prodigio testatus est Deus. E virgineis illius vberibus oleum manare cœpit, quod & pani condimentum esset, & putrescentia vulnera curaret. Admirationem omnibus, at sororibus consanguineisque commiserationem & facti pænitudinem excitauit hoc spectaculum. Quare vinculis soluerunt, & ad illius genua prouoluti, cum lacrymis injuriæ veniam postulantes, liberam eam dimiserunt.

miraculo Deus alit.

CAPVT IV.

Moderatius se habet. Eius paupertas & in peccatores caritas.

Reddita sibi denique Christina, debitas hominum peccatis a se pænas exigere perrexit ea seueritate, cujus ante meminimus. Cujus exciti fama, cum multi ad spectaculum e dissitis etiam regionibus concurrerent; veriti sunt prudentiores aliqui, ne offendiculo esset tanta rerum admirabilitas, quæ humanæ mentis captum excedebant, & perperam fortassis acciperentur, quæ Diuina virtute fieri non ambigebant, maxime quando congressum hominum cauens, instar auis in ardua loca refugiebat, aut in aquis vt pisces diutius latitabat. Deum ergo rogarunt vt suę potentiæ miracula magis ad communem humanæ vitæ normam temperaret. Impetrare visi sunt. Cum forte aliquando vehementiore abrepta spiritu, in pagi Wellensis templum deuenisset, sacrosque baptismatis fontes patere vidisset, in eos se totam immersit: emersitque prorsus immutata. Nam ex eo se moderatius habuit, nec hominum odorem aut congressum adeo deinceps auersata est.

Ad communem vitam propius redit.

Paupertatem in primis amauit. Alba tunica, pallioque albo vestiebatur: at varij coloris partes, aut inæquales disparesve manicas assuere, non pudebat. Tegi cura erat, non ornari. Consuendo pallio tilię cortex, salicum vimina, vel tenues e ligno hastæ pro filo fuerunt. Numquam vel rigidissimo cælo calceis pedes texit. Vilissimas escas, & scutellarum purgamenta pro epulis habebat. Frigida sitim pellebat. Panis acerosus erat ac durissimus, sed aqua maceratus. Ijs porro post biduum, plerumque etiam triduum vescebatur.

Paupertatem amat.

Omnem hereditatem, & quascumque facultates, quas Christi causa semel abdicauerat, numquam induci potuit vt repeteret, aut ijs vteretur ad vitam sustentandam. Sed ostiatim quotidie victum emendicabat, vt eorum peccata lueret, quorum eleemosynis victitabat. Affirmabat vero ea de causa diuinitus se compelli ad efflagitandam a sceleratis hominibus stipem, vt eam illi largiti ad peccati horrorem & resipiscentiam perducerentur: Deum quippe nullo alio magis flecti ad veniam peccatoribus condonandam, quam officiosa eorum aduersus proximos

Digitized by Google

ximos caritate. Aliquando certe vexata intolerabili siti, ingressa est instigante Deo, ad instructam opipare mensam scelerati cujusdam hominis, a quo potum petijt. Vinum ille perhumaniter præbuit. Quod cum illa delibasset, abijt: asseueravitque postea, (contra quam opinarentur, qui virum nouerant) hanc illi salutis causam fuisse; qua seriam nimirum in morte promeritus sit suorum peccatorum detestationem ac veniam. *Vis eleemosynæ.*

Cum e rebus male partis, aut datam ab improbo homine stipem edebat, bufonum & colubrorum viscera mandere videbatur, & parturientis instar clamitabat: Pie IESV, quid ita mecum agis? Quid adeo me excrucias? Pectusque manibus tundens, aiebat: Infelix anima, quid hæc horrenda concupiscis? Quid his sordibus vesceris? Sentientis dolorem, non respuentis hę voces erant: ijsque cruciatibus læta salutem flagitiosis promerebatur. Et plus semel accidit, vt si stipem petenti malus quispiam homo negaret, ipsa vi tolleret, diceretque: Quod modo negas, ablatum esse postea non dolebis; olimque plurimum proderit, quod modo nihil. Nec temere dicebat hæc, aut faciebat pia virgo; quam nihil nisi ducente Deo, & quasi cogente aggressam fuisse certum est. *Male partis cruciatur.*

Incredibili vero dolore conficiebatur, si quem æternis addictum cruciatibus accepisset; lacrymas ejulatusque profundebat; contorquebat horrendo cruciatu brachia digitosque, perinde ac si sine ossibus flexibilia fuissent. Nemo quamquam adamantini pectoris ejusmodi spectaculo non percellebatur. Vbi contra cælo receptum aliquem intelligebat, tanta voluptatis dulcedine perfundebatur, vt illam animo tenere non valeret, sed in oculos, linguam, totumque vultum, in manus pedesque exundare pateretur. Ita qui familiariter illam nouerant, non ægre colligebant, qui cum illis ageretur, qui ex ipsi notis vita decesserant.

Porro morituris libenter & officiose aderat, adhortabaturque illos suauissima orationis vehementia ad peccata detestanda, sacerdotique confitenda, ad spem salutis concipiendam. Docebat autem Christi summam esse clementiam erga eos, qui ad illum conuerti vellent; ipsumque valde inuitum in peccata hominum animaduertere; & dolore quodammodo affici, quoties ad id peccatis hominum adigeretur: sedulo autem inquirere in omnes occasiones eos ad salutem perducendi. Quæ dum eloquebatur, mira oris gratia, frontisque serenitas elucebat. Affirmabat pręterea vicinum inferis esse locum, in quo illi ex Diuinæ justitiæ decreto plecterentur, qui immanium scelerum rei, sub ipsum vitæ finem se peccasse doluissent. Eum autem locum propter cruciatuum acerbitatem nihil ab inferorum supplicijs discrepare aiebat, nisi quod qui in illo torquebantur, spe veniæ respirarent. Ijs vero cruciandis dæmones præesse, qui quo breuius esse spatium intelligerent, eo crudelius in eos sæuirent. *Dei clementia.*

CAPVT V.

In precatione qui se habuerit, quasve passa sit ecstases.

AVgustissimum EVCHARISTIÆ sacramentum crebro, maximeque Dominicis diebus insigni veneratione percipiebat, vnde corpori robur, tranquillitatem ac lætitiam menti sentiebat accrescere, vt contemptis humanis Diuina tantummodo suspiraret: in quæ tanta vi se quandoque efferebat, vt se ipsa deseruisse videri posset. At sibi denique cum restituebatur, magno animi dolore exclamabat: O miserandam mundi conditionem, qui suum ignorat conditorem! Munde miser, cur illi non seruis? Cur eius patientiam & longanimitatem vsque adeo parui pendis? Immensam Dei tui bonitatem si perspectam haberes, ab eius amore numquam abstrahi te patereris, cujuscumque conditæ rei gratia. Sed o te miserum, qui te ab illo auertisti; qui oculos clausisti; qui nec illum videre vis, nec intelligere! Sub hæc sua membra ceu parturiens contorquebat, volutabaturque humi, & cum tristi ejulatu identidem repetebat: Infelix munde, conditorem tuum cur non agnoscis? *Mundi dementiam deflet.*

Perfamiliaris erat Benedictinis virginibus ad S. Catharinæ (hodie Milenij) degentibus. Cum illis forte aliquando de cælestibus rebus colloquebatur, quando subito præter omnium exspectationem, agente spiritu, corpus eius instar ludentium puerorum tanta rapiditate in orbem conuerti cœpit, vt nulla oculo discerni membra possent. Aliquanto post, quasi tantam corporis agitationem diutius ferre non valeret, conquieuit. Et ecce

Mirabilis in ea cantus.

guttur inter & pectus audiri cœpit admirabilis melodia, quam mortalium nemo vlla industria & arte posset imitari. *Audiebatur quidem* (ait Cantipratanus) *musicus concentus, sed verba melodiæ, si tamen verba dici queant, modo quodam incomprehensibili exprimebantur. Nulla enim vel de ore vel naribus eius vox aut spiritus proficiscebatur: sed solummodo inter pectus & guttur angelica melodia resonabat, interim membris omnibus quiescentibus, & ipsis quoque oculorum palpebris clausis, haud secus atque dormientibus.* In hunc modum ille.

Paulo post reuersa nonnihil ad se Christina, consurgens velut ebria sed *a vino virgines germinante*, sanctimoniales omnes acciri petijt, quæ secum vna omnes summę benignitatis Dominum IESVM collaudarent. Illis propere conuenientibus (eius enim consuetudine plurimum delectabantur) occœpit illa canticum *Te Deum laudamus.* Quod cum ceteræ prosequentes absoluissent, ipsa prorsus sibi reddita, vbi ex alijs audijt quid egisset, pudore suffusa, inde fuga se proripuit. Quod si alias vi forte detineretur, immodico dolore tabescebat.

Abibat cum socio nocte quadam ab antelucanis precibus venerabilis Thomas, qui postea S. Trudonis abbas fuit, quando Christinam vidit rapido impetu se in templum inferentem. Subsecuti ambo post columnam se abdiderunt, quid ageret illa, exploraturi. At ipsa ante aram se non aliter ac saccum quemdam aridis ossibus plenum in terram abjecit: ibique grauiter ingemiscens, pugnisque crebro contundens pectus, animæ primum partes egit aduersus corpus, cujus grauitate detineretur illa, prohibereturque cæli ingressu. Tum pro corpore dixit in animam, quæ tam valido nexu corpori adhærescens, non abiret ad æternam cum superis gloriam, placidam interea corpori quietem relictura, donec tuba canente rursum inter se nexu meliore jungerentur ad æternam vtriusque gloriam. Paululum deinde quiescens cum in silentio & sancta meditatione purius in Deum incaluisset, sereniore fronte, apprehensos manibus pedes osculari cœpit, corpusque consolari, quod breui tempore duriter tractatum, suauissimis denique in omnem ęternitatem frueretur delicijs. Inter quæ mirabile illud (de quo jam diximus) pectore carmen erupit, tanta animi exultatione, vt corpus dirumpi videretur.

Colloquiũ inter corpus & animam.

CAPVT VI.

Sacræ paginæ sensum peruasit. Præuidit futura multa, & enuntiauit.

HVmanis rebus, imo corpore suo abstracta Christinę mens; in arcana Christianæ religionis mirabili luce penetrauit, atque adeo se ducem nonnullis præbuit ad sanctiorem philosophiam. Quamquam enim rudis, & litterarum prorsus expers esset, sacræ tamen paginæ Latinam orationem intelligebat, & reconditam peritissime peruadebat arcanorum mysteriorum cognitionem. Cujus cum subinde specimen aliquod imprudenti elaberetur; aduerterunt familiares. Et suaui sapientiæ reconditioris dulcedine capti, licet eximia intelligentię vi, mentisque acie prędit, sedulam ac diuturnam litteris operam dederant; redibant tamen ad illam quandoque, & e sacris libris quæstiones proponebant. Tenebras illa quamquam densissimas clarissima luce, & mira dicendi facultate discutiebat, inuita tamen, & raro: sacerdotum id esse munus aiens. Hos quippe insigni semper reuerentia coluit, & venerata est, ceu Christi sponsi sui legatos, nullis quorumdam odijs & insectationibus acrioribus alienata. Peccasse illos si quando audiebat, conueniebat exclusis arbitris, sed ea veneratione, quæ patribus deberetur: rogabatque & obtestabatur, darent operam, vt ne apud multitudinem propter ipsorum peccata sacrosanctum Christi nomen proscinderetur. Hisce studijs conualescebat Christinæ sanctitas. Nam sine modestia & caritate numquam stetit germana virtus.

Sapientia celebratur.

Sacerdotes colit.

Futura etiam eminus prospexit. Multis sæpe proximum peccandi discrimen aperuit, quo suæ saluti consulerent: alios sæpius de occultis criminibus secreto arguit, & vt resipiscerent, autor fuit. Sub ipsam Steppeanam pugnam, qua Brabantiæ dux cladem accepit, exclamauit illa magno animi horrore, gladijs & sanguine plenum aëra se videre: sanctimonialesque S. Catharinæ (apud quas tum agebat) rogauit vt suis precibus Deum sedarent, ne contineret in ira sua misericordias suas. Quamdam in primis virginem serio ibidem commonefecit, vt in preces studiosius incumberet, cujus parens eodem prælio in præsentissimo salutis periculo versaretur.

Futura vel ignota enũtiat, aliorũ bono.

Ejus-

Ejusdem parthenonis aliam virginem non dubitauit pronuntiare vas esse inane, religiosoque cœtui magno dedecori futuram. Et sane quam tum meditabatur, impiam mox illa fugam arripuit turpissima populi Christiani offensione. Resipuit tamen postea, & priori se vitæ reddidit. Sed cum reijcerent illam ceteræ virgines, sacroque cœtu judicarent indignam; arguit eas fortiter Christina, quod illius animæ salutem negligerent, imo darent in præceps, quæ ipsi Deo tanti steterat, vt suum ipse sanguinem, atque adeo vitam pro illa profundere non piguisset. Euicitque tandem vt illa reciperetur.

Christinam rogarat, & obtestata fuerat nobilis matrona, vt suis ad Deum precibus incolumem eius virum reduceret e Palæstina, quo religionis ergo sacra loca lustratum abierat. Rogantis importunitati cessit pia virgo; multisque precibus & corporis afflictationibus obtinuit vt saluus rediret vir ille nobilis. Tum vxori velut subirata dixit: Ecce tuæ obtestationis importunitate compulsa, tuum tibi maritum reddidi incolumem: at hoc habe; diuturnum non erit beneficium. Dictis sua mox fides fuit. Ille vita decedens, vxori liberisque acre sui desiderium reliquit.

Denuntiarat pridem Christina Syriam, ipsamque adeo Ierosolymam in impiorum Agarenorum potestatem redituram. Verum anno millesimo centesimo octogesimo septimo cum forte Loscastri ageret IV. Kal. Octob. magno derepente gaudio mentem perfusa, teneri non potuit, quo minus vultu proderet, quod animo sentiebat. Mirantibus qui aderant, causamque sciscitantibus respondit, Christum Dominum in cælo cum beatis omnibus magna exultare lætitia, quod se daret salutis occasio innumeræ hominum multitudini. Cumque rursum illi quærerent, quam illa diceret occasionem: subjunxit sanctam ciuitatem ab impijs expugnatam esse; & illius recuperandæ causa (inquit) plurimi mortales Christi sanguine redemti, ab iniquitate ad justitiæ studium conuertentur, fundentque suum sanguinem, & quamdam morti Seruatoris vicem fortitudine vere Christiana rependent. Diem annotarunt, qui aderant, & nihil illam aberrasse compererunt.

Captam nūtiat Ierosolymam.

CAPVT VII.

Loscastri agit: morientemque item & mortuum juuat comitem Lossensem.

LOscastri sub idem tempus parua se casa concluserat, & religiosam agebat vitam Ivera. Cujus egregia morum integritas, vitæque sanctimonia, eodem cum illa tuguriolo claudi non potuit. Sui famam mox diffudit in omnem viciniam, exciuitque Christinam: similium enim consuetudine similes capiuntur. Venientem excepit amanter, totosque nouem annos retinuit B. Ivera: inter quas mutuæ virtutis admiratio, & amor sinceram conciliauit necessitudinem. Ex hac ait Cantipratanus se habere, quæ Christinam hic egisse commemorat.

Ivera clausa Loscastri.

Post nocturnas preces, ceteris templo domum abeuntibus, ibi subsistebat Christina, & obseratis janius per ædem sacram obambulans tantæ suauitatis cantus orep romebat, vt ab angelo potius quam homine viderentur. Omnium enim musicorum instrumentorum harmoniam, mortalium omnium symphoniam cantus ille dulcedine vincebat: tametsi multis partibus cederet suauissimæ alteri melodiæ, quæ animo in Diuina rapto, inter eius guttur & pectus admirabili suauitate audiebatur: quemadmodum ante jam meminimus. Latinus autem erat cantus, tinnulis quibusdam rhytmis, & pulchre consonantibus inter se dictionibus ornatus. Latinas enim dictiones, potissimum sacræ paginæ, imo & sublimiora illius mysteria, quamquam litteras numquam didicisset, (sic ante monuimus) probe intelligebat.

Verum multo gratior virtutum omnium concentus in illius amorem eos illiciebat, quicumque familiarius ea vterentur. In his fuit Ludouicus comes Lossensis, alias omnis honesti perstudiosus: qui sanctitudinem admiratus, magna animi sui voluptate cum ea sermocinabatur, eius audiebat consilia, venienti assurgebat, matremque solebat appellare. Ludouici vero beneuolentiæ id officij lubens ipsa reponebat, vt si quid aduersus rectam rationem, & ecclesiæ jura quandoque designaret, non modo matris instar erratum deploraret; verum sancta etiam libertate castigans, euinceret, vt ad æqui semitam ille se reflecteret.

Cara comiti Loss. Christina

DIE 24. Sub meridiem aliquando Ludouicus in suo castro Lossensi, cum Limburgensi duce, & comite quodam alio colloquebatur; cum subito Christina voce animoque intrepido exclamat: O te miserum! quocum agis? En amicum simulat, qui proditionem hostili animo meditatur. His verbis dux veluti deprehensus, primum obmutuit; facetijs deinde dissimulauit animum: sed denique facto ostendit arcana mentis nequaquam sanctæ virgini fuisse ignota, quando fide parum sincera Ludouici fortunam euertit, qui Hollandiæ comitatum vxorio jure suum, relinquere coactus est.

futura illum docet:

Sed præcipuum illi ab ea præsidium fuit in consequendo beatę immortalitatis regno. Vt in morbum incidit, quem periculo non vacare medici judicabant; sibi Christinam adesse voluit: rogauitque obnixe vt ne ad vltimum vsque spiritum se desereret. Recepit illa perlubenter. Tum comes remoto omni arbitro, qua potuit virium omnium contentione, se ad Christinę pedes abjecit, coortisque vberrime lacrymis, quidquid ab vndecimo ætatis anno deliquisset aduersus rectæ rationis præceptiones, candide aperuit: non vt absolutionis beneficium impertiretur ipsa, cui nullam ad id esse potestatem satis intelligeret, verum vt statu animi cognito, ipsa ad eum subleuandum, ille ad peccata detestanda magis induceretur. Tum reuocata familia, suas ille res ex eius arbitrio disposuit. Et paulo post ipso mediæ ætatis flore, mortalitatem hanc deseruit. Animam tamen illius acerrimis expiandam esse pænis diuinitus illa didicit: & ipse Ludouicus ei post mortem oblatus precum subsidium implorauit. Promisit illa liberalissime, neque segnius impleuit, modo in flammas torrendam se, in aquas modo vi frigoris adstringendam suo more immittens. Quædam etiam loca subinde petijt, quasi lacrymis, cruciatibusque susceptis, ac precibus expiatura, quę suis ipse peccatis polluisset. Adfuit iterum post tempus modicum Ludouicus, magno splendore illustris: & cum pro impensa ope gratias Christinæ habuisset, in cælum abijt.

ANN. 1218. morientem juuat

& mortuũ.

CAPVT VIII.

Sanctissime comparata moritur.

SVb autumnum anni vicesimi tertij, vitam in siluis fere, & procul ab hominum oculis agere cœpit: ad quorum societatem subinde tamen reuertebatur, sed raro: vbi nimirum ad procurandam hominum salutem, vel corpus curandum diuinitus ducebatur. Eius receptus sępissime fuit in cœnobium Benedictinarum virginum ad S. Catharinæ pro muris Trudonensibus. Cibo vtebatur parcissimo, vix aliquo somno. Breuis ei semper sermo fuit, isque cum hominibus, qui cælestibus rebus capi solerent; sed hoc tempore ferme nullus. Ridentem nemo vidit: at dejecto incedebat vultu; quo modo, qui doloris magnitudine vix sui potentes sunt. Mœrori lacrymisque preces ardentes jungebantur.

Silentio se parat ad mortem.

Existimabant qui familiarius nouerant virginem, solito frequentius eam clariusque a beatis genijs edoceri criminum multitudinem simul & indignitatem, quibus hominum genus inuoluebatur. Certe non raro in voces & ejulatus prorumpebat, quod infami intemperantiæ vitio, quod mollitiem Paulus appellat, pollueretur orbis propemodum vniuersus; atque adeo vindicem aduersum se Numinis manum non diu sane quieturam concitaret.

Mundi sordes deplorat.

Inter has animi corporisque exercitationes, quamquam totius vitæ lapsu Diuinorum assiduæ contemplationi institisset; extremo jam tempore adeo in illa ferri cœpit, vt non nisi magna vi, animoque vehementer reluctante, ad alia posset a cælestibus abstrahi. Ita parabatur ad generosum cum morte agonem.

Quem vicinum vt sensit, in eodem asceterio virginem quamdam Deo sacram Beatricem nomine rogauit, lectum sibi sterneret; morbum enim imminere. Decubuerat tres hebdomadas, cum morbo fortissime colluctata; sacrosanctam Eucharistiam Extremæque Vnctionis sacramentum sibi petijt impertiri. Quibus perceptis; in genua Beatrix prouoluta illam rogauit, vt contractæ necessitudinis nomine, priusquam viuis excederet, quorumdam arcanorum, quæ vellet edoceri, se faceret certiorem. Christina quæ summis sæpe votis a Deo petierat, vt ingloriam sine honorę mortem oppeteret, cum ad hæc nihil responderet, Beatrix illam sanctis cum sponso Christo sermocinationibus rata distineri, solam sine arbitris reliquit, ad aliquod ipsa negotium con-

Secedit ad S. Catharinæ.

Digitized by Google

confiiendum abitura. Non longo post tempore redierat ad cubiculum, & ecce B. Christinæ sacrum corpus exanime videt in terra depositum eo situ, quo solent vita defunctorum corpora: creditum est angelorum opera factum. Afflicta tam inopinato casu Beatrix, effusa in lacrymas & lamenta, querebatur se ita nullo vale facto desertam. Conuenerat ad eius clamores tota familia; nec cessabat Beatrix: tandemque obtestata per sponsum eius CHRISTVM IESVM, mandauit vt pro eo, quod viuens semper retinuerat, parendi studio, rediret ad vitam, responderet ad interrogata, quæ suspensam adhuc sollicitauerant, & ante mortem ex ea quærere fuerat animus. En dictu mirabile. Omnium sacrarum Deo virginum cœtu vniuerso teste, quæ ante jacuerat exanimis, viuere, moueri, loqui cœpit, & interrogantibus respondere. Cum tandem Beatrici fecisset satis, protensa ad sanctimoniales manu, crucis signum effingens, eis bene precata, jam tertium animam exhalauit, fruituram indubie æterna beatitate, in corona & inter plausus tot cęlitum expiatorijs flammis ereptorum eius opera beneficioque, spatio duorum & quadraginta annorum, quos vixit post primam mortem vitæ restituta. Corpus in eodem sacro S. Catharinæ gynæceo conditum est, & Milenium postea cum sanctimonialibus auectum, septimo post mortem anno, magna deducentis cleri, populique Trudonensis religione, non sine prodigio exspirantis e corpore suauissimi odoris. Curati item plerique ægri eius apud Deum gratiam orbi testatam fecerunt.

Mortua ad vitam secundo redit, & tertium moritur.

Die vigesimo quinto

I. S. IOANNES AGNVS episcopus XXV. *Harigerus, Anselmus, Ægidius, Vita S. Mononis, manuscr. Leod.*

Anno 631.

SAncto Ebregiso Tungrorum episcopo suffectus est Ioannes Agnus; cui animi mansuetudo id nominis dederat: sed propter eximias virtutes ceteras ad Tungrensem episcopatum euexit nihil minus cogitantem æterna Numinis prouidentia.

Vitam rure agebat innocentem, tam a vitijs omnibus, quam rerum humanarum turbis, & omni ambitione alienus. Veterum patriarcharum sanctis insistens vestigijs agros colebat; vt quo labore corpus domabat, eodem mentem excoleret puriorem. Ita quas a majoribus opes non paruas, generisque claritudinem acceperat, illustriore augebat animi nobilitate: quem altiore dignam loco Deus judicauit.

Agriculturæ deditus

Forte cælestium rerum intentus meditationi per agros suos obambulabat Tihonij (paternum hoc illi prædium fuit sub vrbe Hoiensi non procul dextera Mosæ ripa) occurrit peregrini hominis specie angelus; nuntiauitque Diuinæ mentis consilio destinatum esse ipsum Tungris episcopum. Obstupuit tam insolenti nuntio Ioannes, qui se omnibus diceret doctrinæ præsidijs destitutum; imo & conjugio profanum: quodque caput esset, virtutibus ijs omnibus nudum, quę maxime sunt ad tantam dignitatem necessariæ. Sed ijs nihil illum magis ornare potuit, quam sincera ejusmodi confessio. Perstat ille nihilominus: & negat episcopum se prius futurum, quam scipio, quem forte manu tenebat, frondesceret in arborem, fructusque proferret. Dixerat, simulque terræ baculum infixerat: en subito radices agit exsuccum aridumque lignum, ramos diffundit, frondes aperit, profert fructus. Ferunt id pomorum genus fuisse, quę hodieque S. Ioannis poma nuncupamus.

audit ab angelo episcopum se fore miraculo.

Dedita mox in omnem partem fama tanti prodigij, Trajectum perfertur, vbi pro episcopo designando comitia habebantur. In suffragia itum vltra non est. Quid enim diutius in deliberationem vocent mortales, quod illustri prodigio constet, Diuino jam sancitum esse decreto? Et Ioannes ipse, quamquam priorem modestiam, vitæque tranquillitatem honoribus omnibus anteferret, manifesto Diuinæ voluntatis decreto non ausus est reluctari.

Designatur episcopus.

Sacrosanctam auspicaturus dignitatem, Romam contendit, non quo religiosa tantummodo peregrinatione Diuinum sibi demereretur præsidium; sed maxime quo summi pontificis autoritate, faustaque instructus apprecatione tantum aggrederetur munus. A pontifice pallium obtinuisse proditur, proprium quidem archiepiscopis insigne,

Romam profectus.

Tun-

DIE 25. Tungrensi tamen episcopo fortasse concessum ob eximiam illius ecclesiæ dignitatem. Eumne primus tulerit honorem, non inuenio. At sibi sane, non item successoribus impetrauit. Perpetuum illud decus Richario debet posteritas, quem id successoribus omnibus anno nongentesimo vicesimo secundo impetrasse meminimus.

occurrit Manoni. Alpes jam in reditu reliquerat episcopus, quando Mononi Romam e Scotia petenti occurrit, & perspecta hominis sanctitate, illum in suam diœcesim inuitauit. Venit ille; positoque Nassoniæ cœnobio, Arduennam sua primum, suorumque virtute, tum etiam martyrij laurea illustrauit.

Ornamenti præterea non parum Agno episcopo reliqua diœcesis accepit sanctissimis Amandi laboribus; qui Landoaldo socijsque opem indefessam conferentibus, mirabiles sanctimoniæ fructus produxit. Inter ceteros eminuerunt maxime Bauo & Gertrudis.

ANNO 636. Sed Ioannis episcopatum nihil æque nobilitauit, ac ortus Lamberti; qui episcopus deinde ac martyr inuictissimus suæ sanctitudinis luce prȩsidioque Leodiensem ecclesiam vnus omnium maxime cōmuniuit. Sex annos episcopatum tenuerat Ioannes Agnus, quando non annis quam meritis exantlatorum laborum grauior, ad æternas cælestis agni nuptias euocatus VIII. Kalendas Sextiles anni tricesimi septimi naturæ concessit. In arce Hoiensi conditus est in æde sanctis martyribus Cosmæ & Damiano sacra. Agrorum, quos Tihonij habebat amplissimos, heredem scripsit clerum suum; at decimarum ex ijs colligendarum eosdem sanctos martyres.

II. IOANNES SORETHVS

Generalis Carmelitarum. *Vbalterus de Terra noua, Trithemius, Vita Franciscæ Ambasiæ, manuscr. chronicon collegij Societatis IESV Leodiensis.*

PArum ad nos hic pertinet: nec tamen silere possumus, quȩ in Leodico prȩclare gessit, optime de hac diœcesi meritus. In Normannia Franciæ prouincia natus sub annū a nato Christo millesimum quadringentesimum vigesimum, Cadomi Carmelum ingressus est. Et litteras cum virtute tam beato fœdere conjunxit, vt sacræ theologiæ doctor renuntiatus sit, & sodalium præpositus primum prouincialis, tum etiam generalis magna totius ordinis consensione. In ea præfectura tantam præ se tulit integritatem, & primæui splendoris desiderium, vt nonnihil labefactatam disciplinam restituere aggressus, post superatas ingentes difficultates & ærumnas, præclaram primorum parentum sanctitatem suscitare visus sit. Leodij sane in vtroque tam virorum quam virginum cœnobio, & Dionanti in eiusdem ordinis parthenone magna omnium approbatione quasi nouam religiosȩ virtuti dignitatem reduxit. Quamobrem cum sub eadem tempora Franciscæ Ambasiæ Armoricorum duci persuasisset, vt spreto humanarum rerum splendore monasticam humilitatem amplecteretur, adeo Carmelitanarum virginum Leodij Dionantique degentium sanctitudinem præ ceteris commendauit, vt sibi prius ipsa bene esse non crederet, quam aliquæ ex ijs scholis magistræ adessent. Per tanta igitur terrarum spatia venientes excepit magna læti animi significatione: conditoque illis cœnobio, per summos honores calcatos ad euangelicam paupertatem conuolans, in earum se contubernium abdidit, eamdem cum illis disciplinam professa. Neque suam spem sensit elusam. Optimo religiosarum virginum ducatu & exemplis, dirigente in primis Sorethoad illustrem & toto orbe celebrem sanctitatem euasit.

Magna fuit vbique, sed & Leodij tanti viri fama. Nam etsi turbulentissimus tum esset reipublicæ status (acerrimum exsurgebat bellum inter Ludouicum Borbonium principem & populum Leodiensem) a multitudine tamen sedatis animis audiebatur, orationisque grauitate concitatiores tumultus quandoque componebat: & concordiam inter diffidentes fortassis reduxisset, nisi quidam exteri, qui bellum suadebant, in inuidiam illum vocassent, populumque aduersus illum adeo concitassent, vt vim facere non vererentur. Ille tamen imperterritus, nudato pectore, sed fortitudine tectus vere Christiana: En scopum, inquit, huc tela dirigite: Christi nomine pati non recuso. Qua constantia tumultuantes quidem repressit; sed populi concione facessere, & publicis rebus se deinceps abstinere jussus est. Sȩpe tamen Leodij subinde fuit monasticam suorum disciplinam

Digitized by Google

sciplinam inspecturus: & post aliquot annos forte tum erat in vrbe, quando a Carolo Burgundionum duce capiebatur. Audijt sublata in aliquo templo hierotheca sacrosanctum & ipsi cælo venerabile Sacramentum jacere in terra effusum: contemptoque omni periculo inter tela & cædes advolauit; & qua decebat veneratione sublatum e terra angelicum illum panem, ad sociorum suorum ædem sacram retulit.

Hæc pro nostra diœcesi vir ille reuera magnus: cetera insigni laude in omnem posteritatem digna prætereo, vno hoc Trithemij elogio contentus. *In Diuinis scripturis doctissimus, & secularis philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, eloquio dulcis & clarus, vita & conuersatione deuotus, singulariter religiosus & sanctus; Carmelitici ordinis decus, gloria, splendor, & reformator, qualem nostra raro viderunt secula, rarius cernent ventura: totus Deo deditus, totus lectioni & orationi intentus, contemptor mundi; amator, norma, & speculum monasticæ conuersationis, angelicæ puritatis imitator, virtutum custos, vitiorum acerrimus hostis.* Ita Trithemius.

Veneno Andegaui interijt anno post millesimum quadringentesimum septuagesimo primo VIII. Kal. Augusti.

Die vigesimo nono

I. BALDRICVS II.

episcopus XLVII. *Anselmus, Ægidius, & quæ ex archijs suarum ecclesiarum adm. RR. DD. Nicolaus de Rocourt decanus S. Bartholomæi, & Ægidius Gryte prior S. Iacobi, mihi exhibuerunt.*

GEneris nobilitate, integritateque morum æque conspicuus fuit. Gisleberti comitis Lossensis fratrem fuisse, habeo ex archijs Bartholomæanis. Notgero Leodiensium omnium episcoporum facile celeberrimo successor datus est anno post Christum natum millesimo septimo. Illustre virtutis eius testimonium illud est.

Optimi antecessoris sui cum studeret inhærere vestigijs, in exornandis templis, eorumque rebus augendis illum adeo magnificum fuisse affirmat Anselmus, vt nullam in episcopatu suo ecclesiam, nullum præteriret cœnobium, quod non aliquo vel agrorum, vel decimarum fructu donauerit, prædiaque addiderit e paterna hereditate. Admirabilis profecto fuerit ea munificentia, licet breui sententia perstringatur. Addidit bonus pastor Lambertiano collegio vectigalia, quibus pauperes viginti quatuor in æuum alerentur. Hæc de suo. Quæ tamen pio Baldrici studio cum haudquaquam essent paria, religiosissimo imperatori Henrico autor fuit, vt ecclesiæ Leodiensi regia liberalitate bene faceret. Eximia liberalitas.

Religiosa hæc consilia obturbauit funesta calamitas. Bellum id fuit, quod Baldricus gerere coactus est, sed infelix. Lambertus Louanij comes in Cęsarem res nouas moliebatur, magno Leodiensium periculo, qui belli pondus primi sustinerent. Quibus vt consuleret Baldricus, Hugardiæ munitionem excitare cœpit. Indignabatur Lambertus suis consilijs veluti repagulum objici. Contra Baldricus affirmabat, sibi consilium esse non quemquam infestare, sed ecclesiam tantummodo tueri: inanes ergo ipse suspiciones animo pelleret, datæque S. Lamberto fidei meminisset. Accenderunt illa comitem: qui immisso in Leodienses fines milite, populationem instituit. Episcopus ne pręferuido impetu videretur ad arma prouolasse, mittit oratores, comitemque rogat suos ab injuria reuocaret, ne sacrum anathematis telum intorquere ipse cogeretur. Quas minas vt vidit esse contemptui; facto decreto sacrorum communione Brabantum eijcit. Eam ratus contumeliam comes, in agrum Leodiensem sæuijt; missosque rursum oratores, & ab hostilitate dehortantes rejecit. Ecclesiæ suę præsidio ANN. 1013. arcem Hugardiæ molitus

Tum denique Baldricus auditis suorum sententijs bellum decreuit. Ad arma ergo concurritur: in hosticum inferuntur signa ingentibus animis. Sed cum e cælo sperandam potissimum victoriam sciret episcopus, imbelli turbæ, cleroque supplicationes imperauit. Concurrerunt acies VI. Kal. Oct. primoque statim congressu perrupti sunt comitis ordines. Verum mox stitit victoriam Deus, qua Leodienses justo suo judicio cladem accipit.

dignatus

Digitized by Google

DIE 29. dignatus non est. Perculsus enim prima nepotis sui Louaniensis fuga Namurci comes, deserta Leodiensium acie, ad hostem transijt, recreatumque insperato hoc subsidio, ad pugnam reuocauit, restituit ordines, in episcopum duxit ab ipso nihil tale metuentem; ejusque copias in fugam auertit. Trecentos Leodiensium cecidisse fama est, pręter vulneratos captosque.

Altum vulnus animo Baldrici hæc clades inflixit. Quamquam susceptum pie bellum pro injuria a grege sibi credito propulsanda proponere posse videretur, animo tamen obuersabatur cruenta strages: & qui seruandas susceperat animas, in exitium ne propulisset verebatur. Suauis ei necessitudo cum Ioanne quodam episcopo Italo intercesserat, quem episcopatu pulsum, Norgero commendauerat Otto III. imperator. Hic vbi sensit non tam jacturæ dolore, vel cladis pudore tangi præsulem, quam tot animarum sibi creditarum percelli periculo; æquum illum esse dolorem, episcopoque dignum judicauit. Quare templum Deo monasteriumque vt poneretur, autor fuit, in quo venturis omnibus ætatibus incumberent monachi in leuandas tormentis miserabiles illas animas.

In cęsorum solatium

Consilium accepit episcopus: statimque occurrit perficiendum, quod inchoauerat Eraclius episcopus S. Laurentij cœnobium. Dissuasit Ioannes, ratus fortasse non defuturum, qui alienis fundamentis superstrueret; vt reuera euenit. Euicit ergo vt nouum moliretur Baldricus. Caput insulæ, quam nuper fecerat Norgerus, ædificando delectum est. Hic S. Iacobo monasterium inchoauit episcopus VII. Kal. Maias anni millesimi decimi quarti. Et quia magnæ molis templum meditabatur, sua vota longius differri non tulit. Primum omnium S. Andreæ cryptam exstruxit, dicauitque VIII. id. Sept. collocatis in ea sacris ejusdem apostoli reliquijs, quas S. imperator Henricus donauerat. Tum attribuit prędia: & in ędificationes magnis sumtibus deinde incubuit.

S. Iacobi monasteriũ inchoat.

Comitatus Loss. datur S. Lamberto

Sanctam hanc eius munificentiam alia majore Deus mox compensauit. Arnulfus Lossensis comes, cum mortem sentiret imminentem, illum aduocauit; & postquam eius opera se ad deserendam Christiane vitam comparasset, solemni ritu omnem suam ditionem B. martyri Lamberto donauit. Eodem tempore Lambertus Louanij comes illatarum in ecclesiam injuriarum agitatus conscientia, legationem ad antistitem adornauit, petijt pacem, & in ecclesię gratiam recipi, soluto anathematis vinculo precatus est. Difficilem se minime præbuit Baldricus pro innata clementia: paceque concessa, comitem sacris ecclesięque restituit, & opimum prædium nomine Horrentium ab illo donatum, nouello S. Iacobi cœnobio attribuit.

& marchionatus Francimontanus.

Tradunt præterea Transmosanus & Stabulaus Reginardum Francimontis marchionem, cum profecturus in Syriam, liberis careret, scripsisse heredem S. Lambertum. Sic ecclesiam suam profanis etiam incrementis vidit augeri Baldricus.

Dicat templum S. Lãberti.

Sed anno decimo quinto templum S. Marię & S. Lamberti constructum a Notgero, tandemque perfectum, cum Heriberto Coloniensi archiepiscopo (quem in sanctos postea relatum ecclesia veneratur) dicauit ipso SS. Simonis & Iudæ festo. Tertio post die basilicam S. Bartholomæi pariter dedicarunt, quam Godescalcus Morialmæus S. Lamberti prępositus extra vrbis pomœrium exstruxerat, addixeratque vectigalia alendis duodecim canonicis.

ANN. 1017. Placidam denique Baldrici mentem vltima ætate bellici motus turbauerunt. Theodoricum Frisiorum comitem nouarum rerum auidiorem armis compesci mandauerat imperator: regni Lothariensis juuentutem ad arma vocauit Godefridus dux, delectu adeo seuero, vt nec episcopis parceretur. Grauis ætate, sed magis corpore male affecto Baldricus noster immunitatem postulauit. Non audijt dux, & prorumpens in probra, episcopo dubiæ fidei crimen impegit, ducto argumento a cognatione, qua Theodorico jungebatur. Ipse quo repelleret a se omnem criminis suspicionem, proficisci statuit, ingrauescente quamquam valetudine. Trajectum delatus, Dei parentis ædem ingreditur, vbi sacrarium condiderat. A precatione cum ad naues redijsset, soluente vniuerso exercitu; ecce totum illud sacrarium cum ara ipsa subuertitur. Sinistrum vel reipublicę vel episcopo visum est omen. Ducem tamen hic secutus est. Verum defectis viribus, substitit in vico Heremandoutio: vique mali inualescente, vitam reliquit IV. Kal. Aug. eodem temporis articulo, quo Flardarbergæ infelix pugna committebatur. Leodium corpus relatum est: & post justa ab omnibus ordinibus magno doloris sensu persoluta, terrę mandatum in crypta S. Andreę: nam S. Iacobi templum ad fenestras dumtaxat assurrexerat.

Diem obit.

BAR-

Digitized by Google

II. BARTHOLOMÆVS conditor Floridæ vallis, Lintrensis, & Nazarethanus. *D'Assignies e manuscr. Nazarethano.*

NAtione Thenensis, ordine plebeius fuit; opibus, sed magis virtute diues. Vxorem duxit Gertrudem lectissimam feminam. Fortunatum fuit liberis conjugium. Virtutem omnes insigni studio coluerunt. Filius natu maximus Præmonstratensem disciplinam, Cisterciensem Rameiæ filiarum maxima amplexata est.

Matrimonij jugo liber Cisterciensem ordinem ingressus est ipse cum filio Wilberto tribusque filiabus Beatrice, Christina, Sibylla: exstructaque Florida valle, totos sex annos instar generosi athletæ hoc in stadio se diligenter exercuit. Tum monasticæ vitæ commoda expertus, cum in quamplurimos ea transfundere desideraret; Lintris celebri vico primo a Thenis lapide parthenonem alterum condidit, quem Virginum vallem appellarunt. Eo cum reliquis liberis migrauit, sanctissimeque vixit annis tredecim. Tertium denique gynęceum ad Lirenses muros posuit, quod dixit Nazarethanum: quo se rursum cum liberis contulit, & eximia integritate, vitæ reliquum egit. Cœnobium condit in Florida valle Lintris Nazareth.

Coluit in primis temperantiam, acrique seueritate corpus domuit. Aliena salus ita cordi fuit, vt eam procurare modis omnibus satageret. Sanctioribus colloquijs multum promouit, plurimos a vitijs ad meliora, nonnullos ad monasticen traducens. In subleuandos egenos toto animo propendebat, cauebatque diligenter quoties negotiorum causa exibat, ne vacuis loculis, stipem roganti negare cogeretur. At detentas purgantibus flammis animas studiosius juuabat: quarum solatio quinquagesimum psalmum in dies singulos centies & quinquagies recitare solitus est. Animi puritatem insigni vigilantia sectabatur. Ab otio quam maxime abhorrebat. Diebus labore corpus fatigabat, mentem noctibus reficiebat precandi diligentia. Christi Domini cruciatus numquam memoria dimittere videbatur: de illis creberrimus erat sermo; oculisque lacrymæ veluti perenni fonte profluebant; sed tum maxime, cum canonicarum precum pensum exsolueret. Decē annis ante mortem eximia reuerentia, incensoque mentis ardore sacrosanctam Eucharistiam quothebdomadis sumere instituit. Iucundum erat religioso illi cœtui spectaculum, & acre incitamentum ad imitationem sodalibus omnibus, cum senem viderent ad annum vsque nonagesimum quintum citato constantiq; gradu ad virtutis culmen eniti. Eius virtutes.

Plurimis denique tot annorum victorijs inclytus, cum illum ad promeritum triumphum euocare Deo visum est, lenta febri consumtus est. Conspicatus aliquando filias apud lectum proximam mortem vbertim deplorantes, omnem eas dolorem ponere jussit; sed hilari potius animo secum Deo gratias agere, qui e mundi turbinibus non modo in securissimum monasticæ portum deduxisset, sed promisisset præterea sibi liberisque omnibus æternam felicitatem. Cujus promissi fiducia cum morbi molestias generose sustineret, fatiscente denique corpore, sacrosanctis Christianę religionis mysterijs refecit mentem, & in beatam denique æternitatem immisit. In extrema senectute vita defungitur circiter annum 1250.

III. B. BEATRIX. prior Nazarethana. *D'Assignies e manuscr. Nazarethano.*

CAPVT I.

A pueritia virtutem, ac in primis precandi studium sectatur.

PAtrem habuit Bartholomæum, de quo jam sermo erat, digna religiosissimis parentibus filia. A tenera ætate pueriles leuitates, sed scurrilia maxime verba sic auersata est, vt ea domestici non auderent in illius conspectu. Vix primam a ratione lucem acceperat, quando rerum fluxarum inanitatem perspicere cœpit, atque adeo parui æstimare aurum, argentum, delicias, ornatum corporis, parentes. Suspexit contra pau- Prima ętate ad virtutem propendet.

 pertatem,

pertatem & amauit: admissisque domum vt sit ad calefaciendum egenis, statim ipsa locum dabat. Indolem ita felicem nacta est, vt omnes Dauidis psalmos memoria quinquennis teneret: quorum etiam postea intelligentiam consecuta est nemine nisi Deo docente.

Scholas amat.

Matre septennis orbata est. Eam pater Christianæ vitæ rudimentis imbuendam tradidit quibusdam virginibus honesti perstudiosis: quas adeo tenere dilexit ipsa, præsertim magistram, vt numquam ita parentes amasse testata sit. Ab his nimirum naturam, at quæ supra naturam sunt, ab illis se accipere intelligebat. Sodalium nugamenta cupediasque, sed & earum irrisiones contemnebat in scholis, in hoc vnum intenta, vt quæ tradebantur disciplinæ, parato animo exciperet.

Floridam vallem ingreditur.

Octauum ętatis annum jam supergressam duxit pater in Floridam vallem recens conditam, vt vna cum liberis religiosam vitam institueret. Cisterciensem vestem maxima voluptate animi sumsit Beatrix, cui mentis ipsius habitum consentire voluit. Quamobrem monasticam viuendi normam vt intelligeret, de ea frequenter disserebat, audiebatque disserentes, quæstionesque non raro proponebat. Rarissimus jam illi sermo erat, nisi de rebus ijs, quę ad Dei obsequium pertinerent. Ea porro intellectu comprehendisse parui faciebat, nisi consentaneam illis, quę audierat, vitam ageret. Præcipua ergo hæc illi fuit cura. Et tantum reuera progressum nemo non in illa ætate mirabatur.

Orationi se dat.

Precandi studio in primis se dedit frequentibus suspirijs lacrymisque incenso. Salutationem angelicam e genibus centies & quinquagies in dies singulos recitare cum instituisset, deprehensa est a magistra, & prosequi deinceps prohibita. Ad Diuinas ergo res meditandas se conuertit. Nec aliam rem vllam menti libentius objiciebat, quam cruciatus, quos hominum causa Christus sustinuit: de quibus si quid audisset, vel æqualibus illud explicabat, vel tacita secum ipsa reputabat.

Porro verita ne conceptus hic mentis ardor sensim intepesceret, cum sodali pactum inijt, vt mutuis sibi colloquijs & exemplis veluti faces subijcerent: feceruntque magna constantia. Cum longior somnus illis ætatis gratia permitteretur, eadem nihilominus cum reliquis hora stratis se clam omnibus noctibus subducebant: & in templi vestibulo quas memoria tenebant nocturnas preces de Dei parente, vel pro vita defunctis psalmos recitabant; & quod supererat temporis, repetita sępius precatione Dominica religiose transigebant: donec digredientibus suo choro sanctimonialibus, ad suos ipsæ lectos se referrent.

CAPVT II.

Stupenda austeritate vitam instituit.

Austeritas.

ORandi vero studium veluti condiebat Beatrix magna seueritate, qua corpus macerabat. Inedia flagrisque carnem afflixisse non contenta, aquifoliæ frondibus lectum insternebat, vt nulla toto corpore pars maneret integra: recentiaque folia mane pectori sub vestibus admouebat. Rejecta omni interula linea, cilicino cingulo renes acriter constringebat. At decimum quintum annum vbi attigit, contexto spinis duplici cingulo cœpit vti, atque vna cingulo alio pluribus nodis aspero. Aliud denique supra vestes addebat quinquaginta nodis perplexum, quo interiora cingula arctius astringerentur. Circumligabat præterea coxendicibus similes funes; atque ita noctes agebat, vllum vt somnum vix caperet. Ea porro omnia quothebdomadibus semel iterumve seponebat, non quo sibi indulgeret, sed vt reparatis viribus, obductisque nonnihil cicatricibus grauiora pateretur. Dormiebat in stramine, quoties deprehendi non timebat: capiti vero rude lignum, aut etiam lapidem supponebat. Nemo Sardanapalus curando molliter corpori, inueniendisve nouis voluptatibus studiosius videtur inuigilasse, quam aptis affligendo corpori inuentis tenera hęc virgo exultasse. Neque valetudinis infirmitatem

Morbi.

excusa, quisquis ejusmodi imitati one abhorres. Innumeris propemodum morbis toto adolescentiæ tempore Beatrix conflictata est. Tertianis sæpe febribus, sæpe quartanis æstuauit. Perpetui pæne catarrhi pectus obruebant: omnibus membris vlcera turgebant. Inter quę cum vt plurimum ægre gradum promoueret, ad scholam trahebat se potius, quam ibat; aut certe vt duceretur, multis precibus obtinebat. Tantum ipsi fuit discendi studium! Cum nonnumquam deessent, quæ solarentur infirmam, aut necessaria

Digitized by Google

ria viderentur, numquam induci potuit, vt ea peteret. Suauius ipsi fuit in illa egestate cum egeno sponso perdurare.

Paupertas.

Vestium vilitate gaudebat; vt famulam sæpe dixisses. Si conueniendus erat pater, meliorem aliquam vestem a sodali commodato sumebat, vt vel sic patri faceret satis; aut ab illo in ea, quam tantopere amabat, paupertate relinqueretur. Atque ita vsu veniebat non raro, vt manus pedesque a frigoris asperitate grauia paterentur: sed inuicta semper animi fortitudine, imo hilaritate. Tria vero numquam satis se defleuisse credidit, Christi Domini patientis dolores & cruciatus, hujus vitæ peccata miseriasque, & exilium a cælesti patria. Quæ scilicet alia deflemus, lacrymas minime merentur.

Quæ deflenda.

CAPVT III.

Magna virtute euehitur ad miram cum Deo familiaritatem.

QVanto distat interuallo generosa mens ab ignaua! Beatricem in stadio tanta celeritate decurrentem, quis modo metæ proximam non existimet? At ipsa carceribus emissam necdum se credit. Religiosæ profecto vitæ tirocinium adhuc ingressa non est. Huc ardentissimis votis adspirabat. Verum vt sentiebat de se quam abjectissime, omnem animi sui statum diligenter expendere constituit, ne quis illius oculos næuus fugisset, cujus turpitudine sodales offensæ, pio eius desiderio moram inijcerent. Quas diligenti excussione noxas deprehendit, singulas aggressa velut singulari certamine tam feliciter dimicauit, vt nobilissimas breui tempore victorias consecuta sit.

Monasticen amplectitur,

Multis precibus antistitam omnemque sanctimonialium cœtum obtestata vt in tirocinium reciperetur, cum ætatis corporisque teneritudo monasticarum legum impar seueritati opponeretur, ea mentis fortitudine constantiaque confutauit objecta, vt quod pridem habuerat in votis, consecuta sit. Nihil illi jucundius adhuc acciderat: nec vmquam deliciosius quam proxima nocte somnum cepit, quando non jam furtim, vt antea, sed ex domus instituto decubuit in stramine. Postquam se præsidibus annum solidum probasset, nuncupatis votis se Deo consecrare permissa est. Quod vt primum audijt, exundante lætitia, in lacrymas tota solui visa est, sed eo potissimum die, quo vitæ sanctioris professione in Dei sponsam se cooptari credidit.

& profitetur.

Missa Rameiam vt chori libros conscribere disceret, arctam ibi necessitudinem contraxit cum sanctissima illa virgine Ida, de qua nos suo loco. Cum enim hæc Beatricem amare, venerari, religioseque caritatis officijs colere cœpisset; rogata causam, confessa est se diuinitus accepisse selectam esse illam a Deo in sponsam, celebrandaque sponsalia proximis post Christi natalem diebus. Attenta forte meditatione Beatrix illud expendebat: *David cum cantoribus citharam percutiebat*: in ecstasim derepente rapta, vidit sacrosanctam TRINITATEM in augustissimo suæ majestatis fulgore; & Dauidem cum omnibus sanctis eius gloriam suauissimo concentu celebrantem; angelos vero illius arcana contemplantes, & mirabilibus encomijs prædicantes. Abibant interim choro sodales; ignara mansit hæc, vt immobilis corpore, ita mente in beatum illum cælitum conuentum intenta; donec e sodalibus vna importune & fortiter concutiente, ad se tandem ipsa redijt, incredibili obruta mœrore, quod a tantis fuisset abstracta delicijs.

Rameiam missa

ecstasim patitur.

Scribendi denique perita, redijt in Floridam vallem, semper secum vbicumque esset, semper cum Deo, cui familiarius in dies arctiusque jungebatur: quo fiebat vt quererentur identidem sodales, quod grata eius consuetudine, colloquijsque rarius fruerentur. Suspiciebant porro illam, & venerabantur ceu eximia aliqua sanctitudine spectabilem. Quæ verita ne nimia sui ipsius æstimatione efferretur, præter statas ordinis exercitationes nihil amplius aggredi constituit; eo scilicet consilio, vt quod præ ceteris mirarentur sodales, in se nihil inuenirent. Ita vixit a Paschate ad medium vsque Septembrem, quando meliori denique radio prælucente, dæmonis eam fuisse fraudem cognouit. Et cum ad priorem viuendi normam se referre cogitaret, eo torpore, socordiaque mentem velut obriguisse sensit, vt excitari non posse videretur. Quod cum e cælo didicisset Ida Niuellensis, ei significauit auxilium a VEN. EVCHARISTIA quærendum esse. Paruit Beatrix, & ad Deum conuersa, postquam majorem in eius obsequijs constantiam promisisset, in priorem gratiam recepta est.

Imprudenter a bono abducta

resipiscit.

Hæc vero capita sane opportuna sibi proposuit, quibus ad altiorem virtutem speraret euadere.

Digitized by Google

DIE 29. euadere. Primum incremento virtutum valde intenta, serio constituit omni diligentia cauere, vt ne quid temporis, auxilijve Diuini pateretur lucro vacuum elabi. Alia cura fuit, sodalium recte facta studiose inspicere, vt haberet, quod imitaretur: plurimum vero recreabatur tanta virtutum copia, quas in illis obseruabat; quibus cum se destitui crederet, grauissimo dolore affligebatur. Tum quo veram sui cognitionem assequeretur,

Quibus modis ad virtutem contendit

1. quinque specula, quæ inspiceret, sibi proposuit: primo cælum supra se, quod vitæ san-
2. ctimonia promereretur: tum terram infra se, quo suam vilitatem agnosceret, & quoad
3. vita maneret, suæ meminisset infirmitatis: deinde proximum juxta se, non aliter ac viæ
4. ducem, cujus virtutes imitatione sequeretur: post ante se confixum cruci IESVM
5. CHRISTVM, cujus exemplis animaretur ad aduersa toleranda: ad latus denique mortem ipsam, quæ vt mundi voluptatibus, sic & difficultatibus omnibus Christi nomine superatis finem, vnaque suum vtrisque præmium longe diuersissimum ferret.

At quotidianas actiones ex monasticæ legibus quo ad trutinam vtilius reuocaret, expenderetque, lepido juxta ac religioso inuento, quoddam quasi cœnobium in mente sibi figurauit, cui supremo jure veluti cum abbatis autoritate Deus præerat; abbatissa Ratio regebat; Sapientia prioris partes agebat, subprioris Prudentia, proma conda erat Caritas, infirmos Misericordia curabat, Actio gratiarum & Constantia præcentrices agebant, ęditui Fides & Spes templum ornabant, altari assidue Oratio adstabat, cenaculo præsidebant Sobrietas & Patientia, hæc vt penuriam solaretur, illa excluderet lautitias, Sollicitudo moderabatur omnes animi affectiones, corporisque membra, vt otio desidiaque pulsis singula suis muneribus fungerentur, fenestris Castitas assidebat, excipiendi hospites cura Vigilantię demandata erat, quæ amicos admitteret, & submoueret hostes, ad portam stabat Prouidentia egressum ęque ac ingressum moderatura, excubias deniq; agebant Humilitas & Obedientia. His autem omnibus in eum modum constitutis quotidie sub solis occasum ad capitulum (vt vocant) omnes sancta virgo conuocabat, & instituente quæstionem Conscientia, videbat vt singulæ suas partes impleuissent. Si quas officio defuisse deprehenderet, ipsa mox abbatissæ judicio se submittebat, & abbatis decreto pænas subibat.

præsertim memoria Passionis.

Sed nullo alio mentem æque permoueri sensit, ac memoria Christi patientis. Nulla jucundior ei meditatio, suauior nullus sermo fuit. Inter quæ sic animus velut a se quandoque abripiebatur, vt pręsentia non magis perciperet, quam absentia. Hic vero & solatium durioribus omnibus rebus inueniebat, & materiam aptissimam excitando alendoque Diuini amoris igni.

Suauissimũ a Deo solatium.

Sub rem Diuinam aliquando cęlestia meditabatur, ecce Dominum videre visa est cor suum amoris flamma ceu ignita quadam sagitta transverberantem, & dicentem: Inter res alias conditas ego te singulari cura selegi, & in libro vitę nomen tuum exaraui. Ad hæc animum Beatrix collegit pro sua modestia, & apud se tacita quærere cœpit, quæ posset esse tanti beneficij causa. Antevertit Deus, &: Causam aliam, inquit, ne quęre præter meum tui amorem, certamque voluntatem: cui fidem faciunt tria hæc. Primum: ab omni mortifera noxa te semper immunem seruaui. Alterum est, ex quo mortalem hanc vitam primum es ingressa, ad summam virtutem breuissima via te perduxi. Postremum denique est, quod ad mei imitationem te vehementius pertraxi. Vim magnam in illius animo hęc dicta habuere. Pepulere nimirum omnem mortis dolorem & desiderium, quę molesta vicissitudine mentem illius non raro vexabant: acrem accendere cupidinem amplectendæ Diuinæ voluntatis: animoque robur addidere, quo se paratam exhiberet ad durissima quęque, etiam inferorum flammas & corpore & animo perferendas, quo Diuinæ justitiæ faceret satis.

CAPVT IV.

Illustratis sua sanctitate tribus monasterijs, religiose moritur.

Lirras migrat,

ANnos sex posuit Beatrix in Florida valle, tredecim in Virginum valle quo cum patre, fratre, & duabus sororibus migrauerat. Eximia vtrobique sanctimonia floruit. Vicesimum septimum ætatis annum attigerat, quando patrem incessit desiderium condendi tertium monasterium: quod inconsulta filia noluit aggredi. Hæc ipsum Deum putauit consulendum. Post fusas insigni ardore multas preces, didicit e cælo Di-

Diuinę id esse voluntatis, & ex illo amplificandam non leui incremento Dei gloriam. Ita patri suo significauit, eumque cum fratre suo Wicberto validis rationibus accendit ad opus adeo gloriosum generose perficiendum.

Abierunt ambo Lintris siue e Virginum valle Kalendis Nouembris, & ad portas Lirenses parthenonem construere cœperunt, quod Nazarethum appellarunt: spatioque sex mensium necessarijs ædificijs instruxerunt: tanta fuit piorum hominum alacritas. Neque segnius cum vtraque sorore Christina & Sibylla dabat operam Beatrix describendis libris choro necessarijs. Quibus pari diligentia comparatis, Nazarethum ad patrem abierunt ternæ sorores sacrum illud plantarium consituræ. tum & Nazarethum.

Felicia fuere auspicia, concurrentibus magno numero virginibus, quæ se suaque Numini consecrarent. Nota breui Beatricis virtus quam plurimas inuitabat. Ad se receptas illa magna sollicitudine monasticis disciplinis imbuere cœpit; & constituta jam nonnihil familia, priorem agere jussa est. Sui demissionem & contemptum ipsa prætulisset; sed parendum fuit: magnumque nascens hoc seminarium tali præside emolumentum tulit. Prior creata

Monasterij finibus non se tenuit eius virtus. Diffusa in omnem late viciniam fama plurimos exciuit ad consilium, auxiliumve ab illa quærendum. Quos adeo officiosa & Christiana caritate suscipiebat illa, vt nemo non discederet magna cum animi sui voluptate. virtute celebratur:

Neque mirum adeo sit homines tanta sanctitudine captos fuisse. Visæ sunt volucres immansuetæ, & siluis assuetæ quasi jam cicures ad eam frequenter conuolare. Sæpenumero tanta luce mens illius perfundebatur, vt eam oculis emicantem familiares omnes viderent.

Denique æternitati matura, sub Christi natalem anni millesimi ducentesimi sexagesimi septimi, morbo tentari cœpit; quo conflictata ad vsque sequentem Iulium, postquam denique Sacramentorum presidijs fuisset communita, beatam animam feliciter efflauit, æternis Christi sponsi amplexibus fruituram. & moritur.

FLORVM

FLORVM ECCLESIÆ LEODIENSIS AVGVSTVS.

Die primo EVERARDVS MERCVRIANVS

praepositus generalis Societatis IESV. *Oliuerius Manaraeus, & Petrus Doultremannus e Societate* IESV.

CAPVT I.

Paraecia non ex animi sententia administrata, Societatem ingreditur.

NATVS est anno sesquimillesimo vicesimo tertio, Mercuriæ pago agri Luxemburgensis, diœcesis Leodiensis, a quo cognomentum sumsit. Parentes habuit tenuioris fortunæ, quam probitatis: qui perspecta filij indole ad virtutem & litteras velut efficta, illum ad scholas Leodium miserunt. Hic in collegio Hieronymiano (quod Societati IESV postea cessit) litteris humanioribus operam dedit, ac deinde Philosophiæ Louanij. Creatus artium magister anno quadragesimo quarto Leodium redijt. Domum suam illum recepit Ioannes Huetius canonicus & officialis Leodiensis, juuenemque probis moribus, modestum ac prudentem vsque eo amauit, vt opimum canonicatum illi dare constituerit. Sed Diuini honoris major ei cura fuit, quam vt priuati commodi studio diuitias aut quietem sectaretur. Curionis munus prætulit; quod in ejusdem diœcesis pago Vœtio nactus, obire voluit quam maximo creditarum animarum emolumento.

Pastoratum adeptus

Morum grauitate, insignique temperantia, & reliquis Christianæ vitę exemplis subditos primum allicere studuit ad virtutum prosecutionem. Ab eorum ergo conuiuijs & cœtibus seuere se abstinuit, vt ab ebriositate, vitio temporibus & locis illis heu nimis familiari eos abduceret. Et illi quidem pastoris sui sobrietatem, castimoniam, incensumque alienæ salutis desiderium satis agnoscebant, admirabantur, prędicabant: nemo sequebatur, sacramenta nemo frequentabat; omnes ab homine quasi siluestri alienabantur. Vno, alterove anno secutus hoc vitę genus cum parum se profecisse animaduerteret; eorum moribus seruire statuit, Christum Dominum pastorem bonum, & pastorum principem secuturus, quem etiam publicanorum adijsse conuiuia non ignorabat, vt a peccatis abduceret: ita secum philosophabatur. At neque sic optatam frugem assecutus est: experimentoque didicit plus aliquos posse perditis moribus ad suam aliorumque perniciem, qũam se vnum ad alios ad saniora consilia reducendos.

ex animi sentẽtia non procurat.

Cœpit ergo propositi pænitere: redijtque cogitatio eorum, quę Louanij viderat magno operæ pretio pręstari a P. Petro Fabro alijsque e Societate IESV; quibus se cogitarat olim adjungere: verum vtiliorem se daturum operam sibi persuaserat in munere pastoris

pastoris rite procurando. Ad priora se consilia retulit, at secreto, ne quam pater propinquive, aut plebs ipsi commissa moram iniiceret. Quare post ecclesiam suam fideli amico commendatam, Parisios profectus, Societatem iniit: & statim ad Theologicas disciplinas applicatus est: sic tamen vt Dominicis ac festis diebus salutis animorum studio, fructuque pari pœnitentibus in æde Cartusianorum aures daret. Sed omnium, vt par est, præcipua erat cura, mentem ad germanam Societatis normam effingere; breuique ceteris admirationi fuit & exemplo. Societatem ingreditur.

CAPVT II.

Primus rector Perusinus, tum Germaniæ inferioris prouincialis, in magna vtrobique egestate versatur.

SVbitum & graue bellum principio anni quinquagesimi primi exarsit inter Cæsarem Carolum V. & Henricum II. Franciæ regem. Quare coactus solum vertere Mercurianus Romam missus est, cum aliquot adolescentibus, quos in Christo genuerat. Confecto perdifficili itinere venientem excepit magna caritate S. Ignatius, quem præclaris animi ornamentis excultum audierat: vsu vero & experientia didicit, regendis alijs idoneum in paucis esse. Quare vt sua ipse manu ad consentanea Societatis legibus imperia illum efformaret, sibi substituit, suasque domi vices obire jussit. Quo in munere Euerardus ita S. patri, ita ceteris, quibus præerat, se probauit, vt post paucos menses missus sit Perusium celeberrimam Vmbriæ ciuitatem & academiam, vt collegij fundamenta primus rector ibi poneret. Magnas hic difficultates, rerumque necessariarum inopiam sustinuit bonus pater, & inuictæ fortitudinis exemplo socios ad eas perferendas animauit, quas tandem superauit Diuinæ pietatis fiducia. S. Ignatio carus alijs regendis designatus

Hoc veluti rudimento exercitatus, Societatem ad Rhenum & in Belgio regere jussus est. Ingentibus terrarum spatijs pauci socij, pauca tum erant domicilia, quæ prouinciam vnicam constituerent: duas in Belgio hodie videmus; numerat item Rhenus duas. Sed tum Societas non satis nota multa pati debuit tum a rerum egestate, tum a raritate sociorum, quos ea de causa multiplici labore pæne obrui necesse erat. Præcipuum ab hæreticis malum erat, qui sensim per Belgium inualescentes, probatissimos quosque catholicos, atque in primis Societatem insectabantur. Verum optimus pater tum prudentia, qua pollebat singulari, tum egregiarum virtutum exemplo, prælertim mansuetudinis & modestiæ sua facta sic temperabat; sic prouinciç totius, cui prçpositus erat, animos erigebat, vt summa mentis tranquillitate, sed spiritus ardore incenso, sua quique munera obirent, nullis temporum incommodis deterriti. ANN. 1557. Germaniam inferiorem sapienter regit.

Nemini grauia videri poterant paupertatis incommoda, quam adeo hilari animo complectebatur, qui ceteris præsidebat Euerardus. Eam velut in matrem a primo tirocinio adsciuerat, quando Parisijs agebat. Vbi cum de præsidum suorum voluntate cum viris grauibus & quandoque dignitate pollentibus frequens esset, attritam vestem jussus est cum noua permutare. Quod illi tam graue accidit, vt præsidem suum obnixe rogarit, & cum lacrymis obtestatus sit, vt in sua paupertate relinqueretur. Paupertatem colit.

Nec vero jam illam dimisit, quamquam prouinciç prçpositus. Collegia lustraturus, pedes vt plurimum iter faciebat, quamquam amici nonnũquam vel equi, vel vehiculi subsidium liberaliter offerrent. Louanium aliquando Bruxellis ibat jejunij die: defecerunt eum vires, & collabi cœpit. Quæ res cum illius socium valde sollicitum haberet, cui nihil ad manum erat, quo bonum patrem recrearet; ad spineta quædam recurrit, & paucos inde rubentes ac siluestres baccas colligens, in eius os qua potuit celeritate immisit. Quo subsidiolo animum ille viresque nonnihil recuperauit, Deoque juuante reliquum iter paulatim peregit.

Cum Bruxellis versaretur, cum proceribus quçdam Societatis negotia procuraturus, in magna semper inopia vitam duxit, constanterque perseuerauit. Panem arborumque fructus per socium comparari jubebat, absque vllo alio obsonio; quibus cereuisiæ potum adjiciebat. Tornaci e socijs pauci illis principijs agebant, magnaque laborabant rerum penuria. Quo suo illos exemplo recrearet, solidum pæne annum ibi commoratus est,

Dominicis interim festisque diebus verba faciens magna populi frequentia, parique fru-ctu. Hieme magna frigoris sæuijt inclementia, neque domi ligna suppetebant, neque de vestibus satis prouisum erat. Ipse quo frigoris vim superaret, in refertum stramine vel fœno corbem pedes immittebat; atque ita totos sæpe dies libris & meditationibus intentus summa animi alacritate transigebat.

CAPVT III.

Apud externos Dei causam feliciter promouet.

Margaretã Austriacam conciliat

MAxima hominis prudentia fuit in conciliandis principum animis. Quibus paulatim Societatis innocentiam, institutum, consilia, facta sic explicauit, vt illam plerique singulari beneuolentia complecti cœperint. In primis Margareta Austriaca dux Parmensis, cognita Euerardi integritate ac sapientia, eo familiariter vti voluit in grauibus rebus ad religionem vel animi sui statum pertinentibus. Accersebat illum non raro; secreto etiam quandoque, quo diutius eius colloquio frueretur, aut etiam omnem amoliretur inuidiam & maleuolentiam.

& Maximilianum a Bergis

magno illius bono

At Maximilianus a Bergis Cameraci archiepiscopus pia Euerardi consuetudine sic captus est, vt emendatioris vitę desiderio, ei se quasi discipulum spiritualibus exercitationibus erudiendum tradiderit; tantumque retulit bonum, vt in alterum hominem mutatus, familiaribus omnibus esset admirationi. Qui secundo tertiove singulis annis rem Diuinam facere consueuerat, singulis postea mensibus, ac etiam deinde hebdomadibus, ad extremum deniq; diebus pæne omnibus facere instituit. Nec absimilis fuit reliqua vita. Suam familiam, atque adeo diœcesim vniuersam crebro magnaque diligentia lustrauit, expurgauit corruptelis, sanctioribus legibus instruxit. Euerardum vero totamque adeo Societatẽ sic amauit & amplexus est, vt publice priuatimq; aduersus obtrectatores, acriter tueri non dubitaret, & cum suspirijs optaret vt similis illis, imo vnus ex illis esset. Affirmauit aliquando nihil sibi tristius esse, quam quod per facultates non liceret suum in Societatem animum hominibus testari: præsentius enim impendentibus malis remedium adhiberi non posse, quam si moribus & litteris homine Christiano dignis in collegijs Societatis imbueretur iuuentus. Et sane Cameraci condere collegium aggressus, præuertente morte non potuit absoluere.

& Gerardũ Hamericurtium

Euerardo præterea plurimum se debere profiteri solitus est Gerardus Hamericurtius ex abbate Bertiniano primus episcopus Audomarensis. Qui spiritualibus pariter exercitationibus per illum excultus, vitam egit tanta dignitate non inferiorem. Atque vt id boni, quo per Euerardum ejusque socios se frui sentiebat, in totam diœcesim venturis ætatibus promanaret, duo condidit collegia, certisque instruxit vectigalibus. Ipsi Societati alterum addixit, alterum adolescentibus ferme quadraginta, qui litteras humaniores, moralemque theologiam in scholis Societatis docerentur, Christianisque moribus ad cleri ordinem compararentur.

ac Ioannem Lentailleur.

Tertium addo Ioannem Lentailleur abbatem Aquicinctinum, quem religiosa consuetudine, pijsque consilijs iuuit Euerardus, eoque perduxit vt etiam ipse sanctioribus exercitationibus secundum S. Ignatij normam excoli mentem pateretur: earumque gratam vim expertus, pluribus e suis autor fuit, vt ijsdem se meditationibus exercerent. Super hæc extra monasterij sui septa melioris mentis ardorem protulit. Societati IESV collegium in academia Duacensi excitauit, in quo humaniores litteræ, philosophia & præcipua quædam theologiæ capita auditoribus traderentur. Veritus nonnemo ne tantis molitionibus ille rem familiarem euerteret, aut certe obrueret multo ære alieno; episcopum Atrebatensem rogauit, omnes eius rationes vt inspiceret. Inspexit diligenter episcopus, & ad calculum reuocauit omnes sumtus factos in ædificationem vtriusque collegij, & coëmtionem perpetuorum vectigalium. Et cum nullas domi reconditas ab antecessore pecunias inuenisset abbas; opus vero tantum molitus esset temporibus difficillimis, & quando in parata pecunia vix decem aureos nummos haberet, subductis tamen rationibus inuenit episcopus superesse abbati septemdecim millia Florenorum. Diuinæ prouidentiæ beneficium id esse, nemo dubitauit.

Alios.

Alios minoris notæ plures prætereo, quos religiosa sua sapientia iuuit Euerardus, & ad ardua Christianæ virtutis erexit. Celeberrima Tornaci multis post annis fuit optimi

patris

Digitized by Google

patris memoria inter principes vtriusque ordinis viros, quod eius consilijs exemplisque plurimum se profecisse lęti prædicarent.

CAPVT IV.

Fit Societatis in Septemtrione assistens, & collegia Franciæ lustrat.

ROmam Euerardo proficiscendum fuit anno sexagesimo quinto ad generalem totius Societatis conuentum, vbi crearetur qui vniuersam Societatem administraret. Designatus est Franciscus Borgia, quem hodie Beatis adscriptum colimus. Illi jussus est adesse Euerardus noster, in ijs quæ ad Septemtrionis prouincias attinerent: ipse vero Franciscus eumdem sibi substituit in regenda domo Romana. Quod vtrumque munus tanta prudentia Mercurianus obiuit, vt omnibus non modo domesticis sed externis se plurimum commendaret. Omnes enim in ea domo, si quæ vel cum ipso tractanda, vel eius mandato exequenda haberent, non imperio se cogi, sed vi caritatis in omnem partem inflecti sentiebant: adeo vt illo tamquam carissimo patre libenter omnes vterentur. Quod si difficilioris ingenij (quod in numerosa omni familia non insolens est) quempiam se nactum esse cognosceret, ea illum humanitate tractabat, paternoque animo eius errata perferebat, vt præsidis oblitus, æqualem se & socium prębere. Ita fiebat vt mentis duriores homines, paulatim mansuetiores, illi sua se sponte crederent, penderentque ab eius arbitrio volentes lubentes. Huc præterea facit, quod cujusque indolem vel primo congressu facile perspiceret; ita tamen, vt eorum animos, qui sua illi committebant, nulla ratione deprimeret, sed erigeret potius, & suauiter quocumque voluisset impelleret.

Creatur assistens pro Septemtrione.

Magna moderatione se habet.

In omni quam gessit præfectura insigni semper se moderatione habuit, & grauitatem humanitate quadam ita temperauit vt merito dubitarent, qui illo familiarius vtebantur, vtra virtus in illo antecelleret. Quare tritum illud sermone non minus vulgato quam vero, frequens & ipse in ore habebat: Suauiter & fortiter: vel inuerso ordine: Fortiter, modo suauiter. Quam sententiam vt a S. Ignatio acceperat, ita omnibus e Societate, potissimum superioribus sæpe commendabat.

In Franciam aliquanto post a præposito generali missus est, vt sociorum disciplinam, qui in illius regni prouincijs degebant, inspiceret, & pro autoritate sibi commissa decerneret, quæ esse e re publica judicasset. Sapienter omnes sui muneris partes impleuit in ijs collegijs, quæ per belli tum sęuientis pericula licuit adire: vt alterum Ignatium videre se prudentissimi quique dictitarent. Socios diligenter adhortabatur ad omnes virtutes Societatis instituto consentaneas: sed omnium maxime fraternam caritatem, sinceramque animorum conjunctionem commendabat; quam Societati id esse docebat, quod sal est cibis seruandis; suumque illi vigorem ac decus mansurum, quamdiu concordiam coleret; eamque ruituram, quamprimum hæc negligeretur.

Franciam lustrat.

Suo denique munere feliciter (quantum quidem temporum iniquitas tulit) in Francia perfunctus, Romam redijt: atque vt jussus erat, in rebus ad Septemtrionem spectantibus præposito generali adesse perseuerauit ad vsque Kalendas Octobris, anni septuagesimi secundi, quibus sanctissime, vt vixerat, vitam clausit P. Franciscus Borgia. Comitia successori creando indicta sunt in principium veris sequentis.

ANN. 1572.

CAPVT V.

Præpositus Generalis creatus, vtiliter munus gerit.

IN varijs muneribus, quæ magna sapientia succensoque religiosioris disciplinę studio noster Euerardus obierat jam inde a temporibus Sancti Ignatij, ita se vniuersæ Societati probarat, vt X. Kalendas Maias anni septuagesimi tertij renuntiatus sit IV. Societatis IESV præpositus generalis. Quod vt accepit Gregorius XIII. pontifex, qui secundo sacris operatus Sancti Spiritus gratiam implorarat, vt ille designaretur, qui tam Societati, quam ecclesiæ vniuersæ quam maxime vtilis esset, magnam animi sui voluptatē testatus

Fit præpositus generalis.

Digitized by Google

status est, quod quam optarat ecclesiæ vtilitatem, ab illo magnopere speraret, cujus integritatem, & eximiam agendarum rerum peritiam & pridem agnouerat, & arctissime complexus erat.

Rem vbi audijt in Belgio frater, litteras ad eum dedit, quibus modeste petebat, vt suæ propinquorumque inopiæ memor subuenire vellet. Respondit vero ille perhumaniter, se quidem generalem ac seruum totius Societatis ab eadem creatum esse; at se nihilominus eo loco esse, vt nihil amplius haberet, quam minimus Societatis coquus. Se tamen nihil omissurum eorum officiorum, quæ vel æqua ratio, vel Christiana caritas ab ipso poscere viderentur: prospiceret interim ipse frater, quibus in rebus a se juuari vellet. Nihil postea frater mouit.

Regulas cō scribit.

Aliorum porro exspectationem in administranda tanta familia minime fefellit Euerardus. Eam Societati nauauit operam, quæ non modo tum illam in flore seruauerit, sed etiam propagauerit in sequētes ætates. Eas enim leges, quę ad omnes socios promiscue spectant, tum illas, quæ ad singulas functiones recte obeundas conferunt, magno Societatis commodo ipse collegit e constitutionibus a S. Ignatio conscriptis, & obseruandas vniuersæ Societati proposuit.

Eius auspicijs penetratur in Sinas,

Ecclesię vero totius vtilitati seruire omni studio laborauit, & expeditiones sane illustres aggressus est. In excolendis Indijs antecessorum secutus exemplum, illos etiam superare visus est, quod operas plures in eam Dominicæ vineæ partem miserit. Quo factum, vt in vastissimum illud Chinarum imperium eius auspicijs penetratum sit, & primum sparsa Christianę religionis semina. Apertum item ostium in magni Mogoris fines vberrimę messis spem ostentare cœpit. Itum est & in Angliam, ducibus Roberto Personio & Edmundo Campiano; & in hunc diem felicissime magnoque catholicæ rei subsidio laboratum. Quid, quod & Suecia hæresibus alias inquinatissima non paruo operæ pretio tentata sit? Sanctissimum illud S. Birgittæ monasterium Wastenense vulgo dictum, multis annis tum vacuum, volente rege restauratum est, & sacrum B. illius matronę corpus argentea theca inclusum. Sed quod maximi momenti nemo non judicauerit; regis filius Sigismundus, qui Poloniæ regnum postea tenuit, catholicis sacris imbutus est. Transiluaniæ insuper nauata opera rogante principe Stephano Battorio: positumque Claudiopoli collegium insignes produxit fructus, donec obturbauit defectio Hungarica. Meliores fuerunt inter Maronitas conatus. Populus est ad montem Libanum, Iacobitarum aut Nestorianorum erroribus infectus, in episcopatus quindecim descriptus, quibus archiepiscopus præest. Suscepta ad illos expeditio, rem catholicam admodum promouit: & quo perennaret, conditum Romæ illi genti collegium Societati regendum Gregorius XIII. commisit.

Mogorem, Angliam, Sueciam, Transiluaniam, Maronitas.

Propositam mihi breuitatem transeo. Pauca breuiter e longe plurimis attingere mens fuit, quo lector intelligeret quantos, & quam vtiles ecclesiæ labores paucis annis, quibus Euerardus Societatem administrauit, indefesso studio susceperit amplificando Numinis honori.

CAPVT VI.

Vita religiose acta feliciter defungitur.

Doctrina.

NOn poterant non maxima quęque exspectari ab ijs, quibus pollebat animi ornamentis. Cum eximia prędituss esset Diuinorum humanorumque cognitione, Latinamque præterea, Græcam, ac Hebræam in paucis calleret, ea semper se modestia continuit, vt nullum vmquam, nisi res bene seria postularet, specimen ediderit. Mirabilem in illo tractandarum rerum peritiam omnes suspiciebant; at ipse nihil æque ac sui demissionem contemptumque, & sincerum animi candorem amabat, requirebatque magnopere ab omnibus in Societate, potissimum ab ijs, quibus aliquod regendi munus crederetur. Verum quod illis omnium maxime commendatum voluerat S. Ignatius, arctissima in Euerardo eminuit mentis cum Deo conjunctio. A quo tantam accepit lucem, vt præuidisse arcana, vaticinatumque fuisse nonnulli crederent.

Prudentia.

Prædicit Belgicos tumultus

Cum in Belgio prouinciam regeret, politicus tum quidem publicę rei status non infeliciter fluere videbatur; amicis tamen asseueranter sic aliquando locutus est. Lugubrem totius Belgij mutationem, mihi credite; mox videbitis. Videbitis catholicorum

perdito

Digitized by Google

perditos mores, impiam hæreticorum audaciam, sacrarum imaginum confractionem, altarium demolitionem, euersionem templorum, ac denique multorum aduersus regem conjurationes ac rebelliones. Visus est oculis vidisse, quæ post aliquot annos euenerunt.

Multas fundi preces jusserat, vt daret Deus, qui necessaria alendo Romano collegio vectigalia addiceret. Hoc ipse pontifex plus semel in se receperat. Affirmauit tamen confidenter Euerardus Deum hoc opus famulo suo præposito generali quinto seruare. Et reuera quod diu fuerat in votis, effectum dedit successor.

Cum aliquot annos desudasset in colligendis Societatis legibus,& alijs ad ejusdem institutum pertinentibus, asseruit tamen euenturum Societati, quod olim familiæ S.Dominici de statutis,& constitutionibus illius ordinis;vt nimirum ea omnia generalis quintus prorsus absolueret. Cui fides etiam ab euentu fuit.

At sancta illa cum Deo familiaritas impressit Euerardo potissimum mirabilem mentis æquitatem, quæ nulla difficultatum vel aduersarum rerum iniquitate tangi videbatur. Hoc in illo suspicere, magnisque laudibus celebrare solitus est Iacobus Mironus,vir illis temporibus in Societate vt grauissimus, ita celebratissimus; germanumque S. Ignatij alumnum ac discipulum appellabat, quem nimirum optime vita moribusque referret.

Ioannes item Aluaresius Mirono haud facile inferior, summis quibusque muneribus in Lusitania perfunctus, & qui pro Lusitanicis rebus præposito generali Claudio Aquauiuæ fuit a consilijs, affirmabat Societatem IESV tantum debere Euerardo Mercuriano ob res in summo magistratu ab illo gestas, quantum vlli alteri præposito generali, si quidem vnus excipiatur ordinis parens S. Ignatius. Quod ex ore Aluaresij se accepisse testatus est nuper datis in Belgium e Polonia litteris Nicolaus Lancicius, homo rerum Societatis IESV longe peritissimus, nec tantum gestis in ea muneribus, sed maxime virtute præclarus. Germanus S. Ignatij discipulus.

Postquam denique Mercurianus septem annos vniuersæ Societati eximia animi integritate præfuisset, vixisset autem annos sexaginta sex, ad omnem Dei voluntatem religiose comparatus, ipsis Augusti Kalendis, quibus se pridie moriturum dixerat, sancte vita defunctus est anno septuagesimo nono, toleratorum tot annis Dei causa laborum mercedem accepturus. Moritur.

Dicta hæc a me pauca sunt pro tanti viri magnitudine: satis esse tamen existimaui pro instituti mei ratione. Qui fusiorem de eo narrationem desiderauerit, propediem satis illi fiet, quando historiarum Societatis IESV pars alia prodibit in lucem.

Die quinto
S. ABEL
archiepiscopus Rhemensis, & abbas Lobiensis.
Fulcuinus, Molanus, VValdeus.

HVnc ignorant homines, quem Deo cælitibusque notum venerantur. Res ab illo gestas opinatur Molanus Normannicis populationibus interijsse: at virtutibus promerita in cælis palma numquam marcescet. Scotum gente, dignitate Rhemorum archiepiscopum fuisse ferunt,quamquam alij chorepiscopum fuisse dumtaxat affirment. Circiter annum 730. Conscriptis sapienter quibusdam legibus, auctisque ecclesiæ facultatibus, postquam aliquamdiu res præclare gessisset, sanctæ quietis desiderio dignitatem posuit: aut certe pulsus est impotentia quorumdam principum,qui res illius ecclesiæ pro libidine occupabant; quod sacrilege vsurpari cœperat archiepiscopo Rigoberto, qui Abelis antecessor creditur.

Rhemis Lobium venit Abel, & pro dignitate exceptus est. Virum enim tantum religiosus ille cœtus abbatem suum designauit, aut vt alijs placet, coabbatem. Affirmant quippe eodem simul tempore abbates fuisse Erminum, Abelem, Wlgisum, & Amoluinum; quod scilicet in jaciendam sementem euangelicam dum incumberent, quemadmodum alias meminimus,a monasterio diutius abesse cogerentur.

Digitized by Google

Ceterum cum sanctitatis laude decessit: & Lobij sepultus est in monasterio superiore; posteaque cum ceteris Binchium auectus.

Die vndecimo

I. NICOLAVS CVSANVS

ex archidiacono Leod. cardinalis. *Trithemius, Spondanus.*

CVsæ natus ad Mosellam in Treuirensi diœcesi, a patria nomē accepit; sed eius claritudinem a mira rerum cognitione, virtuteq;. Illam his commendat Trithemius: *Vir fuit in Diuinis scripturis eruditissimus, & theologorum sui temporis facile princeps, in secularibus quoque litteris egregie doctus, philosophus, rhetor, ingenio subtilis, eloquio disertus, linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Latinæ peritus; supra opinionem eloquens: historias omnes memoria retinebat, in disciplinis mathematicis suo tempore doctior eo fuit nemo. Ius ciuile, & pontificium, & patrum decreta memoriter recitabat. Philosophiæ Aristotelicæ acutissimus disputator fuit, theologiæ vero Christianæ interpres ac magister.* Illius autem virtutem in hunc modum depredicat idem scriptor: *Vita & conuersatione integerrimus, & singulariter deuotus fuit, salutis animarum sincerus & feruidus amator, declamator sermonum facundissimus, vitiorum omnium hostis acerrimus, constantia animi immutabilis, honestorum laborum etiam in senectute patientissimus.*

Doctrina.

Virtus.

His præsidijs cum archidiaconi dignitatem in ecclesia Leodiensi consecutus esset, collegam ibidem habuit Iulianum Cæsarinum (de quo nobis alias est sermo) virum virtute & doctrina præclarum, eoque nomine sibi carum. Cum illo Basileam iuit ad concilium, ibique cum ceteris aduersus Eugenium pontificem maximum insurrexit, quamdiu de recta ecclesiæ administratione credidit agi. Verum vbi primum a supremo ecclesiæ capite secessionem moueri animaduertit, sese mox inde cum Iuliano suo proripuit, & ad Eugenium transijt: eumque deinceps acerrime defendit, tum Nurembergam autoritate apostolica cum alijs doctissimis viris profectus anno post natum Christum millesimo quadringintesimo, tum pluribus alijs in Germaniam, Galliamque legationibus. Quibus cum magna gloria defunctus esset, in purpuratorum patrum collegium a pontifice cooptatus est cum titulo S. Petri ad vincula anno quadragesimo octauo. Laborum strenue & inuicta fide positorum in defensione sedis apostolicę præmium id fuit, simul & grauius momentum ad feliciter obeundas quæ committebantur prouincias. Nam in Germaniam denuo missus est ad corrigendas ecclesiarum, monasteriorumque corruptelas. Quo in genere quid valeret cum eruditione, tum spectata morum innocentia Dionysius Richelius, cum probe tum ipse perspexisset, quando in ecclesia Leodiensi agebat, illum sua Cartusia euocatum sibi adesse voluit toto legationis tempore, quo eius consilijs vteretur. Cum vero inualesceret in Bohemia Hussitarum hęresis, ad arma capienda populum Christianum aduersus illam pontificis imperio concitauit; imo & stilo fortiter ipse dimicauit, quo illorum errorum impietatem confutaret. Tantumque fuit illius disputationis robur, vt eo pestilentem hydram confici posse pontifex sperauerit. Eius igitur jussione profectus cardinalis, vt Bohemiæ fines attigit, eam hæreticorum contumaciam ac superbiam inuenit, vt rejecta omni veritatis expensione, nihil nisi arma spirarent. Ad alia se ille conuertit, nec irrito consilio. Imperatorem Sigismundum jam pridem a pontifice diffidentem ecclesiæ conciliauit. In Oriente ad imperatorem Constantinop. legatione functus est. Ista gestarum rerum gloria clarus, quam ad annum ætatis sexagesimum tertium magnis laboribus comparauerat, Tuderti in Vmbria viuere desijt anno ętatis sexagesimo tertio, Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto III. Idus Augusti. Cusę in patria cor sepultum est: vbi nosodochium opimis vectigalibus instruxerat.

E via minus recta

reditad meliorem.

Magna gloriose patrat.

B. IDA

II. B. IDA NIVELLENSIS
Sanctimonialis Rameiæ. *D'Assignies e manuscr. Cameræ.*

CAPVT I.

A prima ætate sanctitatem orditur, & nuptias respuit.

DOminus vniuersorum Deus est. Quos vult, & quando vult arbitrio suo seligit ad eam quam ipse designauit sanctitatis altitudinem. Prope ab incunabulis hanc Idam singulari beneuolentia deligere visus est. Niuellis nata est sub annum Domini millesimum centesimum nonagesimum nonum. Necdum ab vberibus illam mater remouerat, quando quædam e vicinia mulier illi asseuerauit futurum vt monasticen filia profiteretur. *De ea prædictio.*

Vbi primam rationis lucem accepit Ida, vaticinio fidem aliquam conciliare cœpit. Ante septimum vitæ annum pueritię leuitates & ludos ita fastidiebat, vt sodalium consuetudinem auersata, teneret se domi, vniusque matris lateri adhærere amaret. Vix domo pedem efferebat alio, quam ad templum. Eo autem se conferre jam tum in delicijs ponebat: reique Diuinæ potissimum gestiebat interesse. Non ergo absterrebatur hiemis asperitate, non difficultatibus viæ alto luto sic impeditæ, vt ægre nonnumquam pedes educeret. Eam vero animi teneritudinem in pauperes peregrinos sentiebat, vt si quibus occurreret, magna alacritate erogaret, quæ panis frusta domi nancisci potuerat. *A primis annis pietatem colit.*

Anno nono ætatis patre orbata est. Cogitarunt amici eam juueni cuidam despondere: sed altiora virginis erant consilia, mensque generosior, quam vt in seruitutem aliena voluntate abduceretur. Vili tecta vestimento, sumtoque in manus Dauidis psalterio, per fenestram materna domo se proripuit, & ad S. Sepulcri apud septem virgines, pauperes illas quidem, sed multa virtute opulentas se recipiens, ibi abjecta esse potius elegit, quam apud matrem terrenis delicijs indulgere. Hic sanctam humilitatem amplexata, miro obsequendi studio spectabilis vixit non solido triennio. Suam enim sponsam Christo visum in libertatem asserere, erepta viuis illius parente. *Contemptis nuptijs*

Consanguinea quædam femina rerum cælestium in paucis amans eam apud se accepit. Hic omnibus virtutibus, sed Christiana potissimum sui ipsius demissione se magno totius mentis conatu virgo sancta exercuit. Viles & laceras vestes amauit, reluctante quamtumuis cognata. Cum ea vixit aliquamdiu, illaque familiariter vsa est Maria Oeniacensis, illa sanctitatis nomine celebratissima; tantamque in tenera virgine deprehendit morum innocentiam & suspexit, vt affirmarit nullam in illa vel leuem animi perturbationem vmquam animaduertisse. Egregium est illud testimonium ab oculo tam sagace. *in virtutem incumbit serio:*

Sodales ægras potissimum ac pauperes tenera pietate prosecuta est Ida. Quarum egestati vt subueniret, humile nihil, nihil laboriosum refugiebat. Non erubescebat in earum solatium ostiatim per vrbem stipem emendicare, aut in adjacentes pagos excurrere ad amicos & familiares, a quibus aliquid subsidij speraret. Reuersa, quamuis viarum incommodis oppido fatigata, si cujus alterius infirmitatem aut inopiam acciperet, ipsa sui oblita, & velut recens eo properabat, vt quam posset opem ferret. Neque hęc eius studia spiritualibus commentationibus illam abstrahebant, sed retinebant potius tenaciore glutino. In orationibus domi vel in templo tam assidua fuit & ardens, vt necessarium non raro crediderint sodales eam abducere & ad se recipere, ne imbecilliores vires justo plus attererentur. *in pauperes pia.*

CAPVT II.

Monasticen professa, feruet mira proximi caritate.

IN sæculo versanti ne quid forte sæcularium rerum contra quam optabat, adhæreret; atque adeo vt sacrosancta Diuinorum mysteriorum communione liberius frueretur,

DIE II. retur, qui fuit illi pręcipuus amor, in monasticam se abdere solitudinem cogitauit. Kerchumi non procul Thenis Cisterciensis disciplinæ parthenon exstruebatur: & quia fere principia feruent, magisque ardua sunt, eo se recepit annos sedecim nata. Hoc tamen illic incommodi sensit, quod Teutonicum sermonem non intelligeret. Sed illud e cælo solatij percepit, vt quamquam sacrum oratorem non intelligeret dicentem in vberrimas lacrymas mirabili mentis dulcedine tota colliquesceret. Sacræ paginæ lectio suaues ei delicias pariebat, sed tum maxime cum sacra illa occurrerent nomina Deus, IESVS CHRISTVS, Emanuel. Tanta vi namque cordi librum apprimebat, vt pectus violaret. Aliquam e sodalibus mœrore obrutam conspicata, cum sermone non posset, vel solo aspectu non semel solata est: tanta in vultu innocentis mentis serenitas nitebat.

Monasticen sectatur.

Anno duodeuicesimo tirocinium aggressa, nihil grauius experta est, quam quod ceteris VEN. EVCHARISTIA se reficientibus, se ipsa diebus Dominicis abstinere juberetur. Annum illum beato virtutum auctu emensa, professionem monasticam edidit magna animi sui voluptate. Deserto sub hoc tempus Kerchumo propter rei familiaris angustias, Rameiam migrauit totus ille viginum cœtus, ibique sedem ad hanc vsque nostram ætatem statuit.

Nouum vitę genus, nouæque sedes acres illi subijciebant stimulos ad contendendum vehementi nisu ad Dei sincerum amorem, quem insignis in proximum pietas consecuta est. Exempla profero. In cælum aliquando mente rapta, Deo quamdam sodalem commendabat; cui Deus: Si de peccatis agis, jam illi condonata sunt. Non satis est, inquit hæc: da mihi salutis eius signum. Tum ille: En gloriæ gradum, ad quem illam destinaui. Omnem porro timorem ponat, memor spiritualis illius dulcedinis, quam in templi vestibulo sic in animum eius infudi, vt gradum promouere non valeret. Quo audito, acquieuit illa eius sodalis magna animi sui voluptate.

Multis e cælo solatium obtinet.

Idam e sodalibus alia rogauit, vota faceret pro patre vita functo. Obsecuta est illa sedulo diuque; neque de illius statu quidquam e cęlo potuit accipere; donec ad messem forte egressa, intellexit illum flammis expiari. Ipsa eius miserta, febri optauit corripi, cujus ardoribus illius flammę mitigarentur. Ardentissima mox ad sex hebdomadas correpta est. In templo deinde precibus intenta, vidit illum a vertice ad vmbilicum candida veste conspicuum: intellexitque condonata jam peccatorum parte altera, alteram superesse expiandam: eam alijs obnixe commendauit. Quanta seueritate Deus a morte peccata castiget, vide sapiens lector, & tibi caue.

Alias audijt pia virgo pudicitia grauiter periclitari quemdam sacerdotem, qui mulieris cujusdam se familiaritati nimium implicuerat: Deumque supplex rogauit, sibi morbum vt immitteret, vt tanto ille periculo eximeretur. Obtinuit: quartana laborauit ipsa totos sex menses; periculo liberatus ille, cautior deinceps vixit & castior.

Idæ placebat illud pietatis genus ipsi adeo graue. Importuno blasphemiæ spiritu vexabatur aliqua eius sodalis: obtinuit vt in ipsam totum malum incumberet. Laborauit grauissime toto triduo, vt statu suo mens pęne dimoueretur: illa vero tranquillitati omnino reddita est. Hæc scilicet maxima caritas est, *vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. 13.

CAPVT III.

Diuinis rebus ita se permittit, vt alienæ salutis non obliuiscatur.

TAntam pijssimæ virginis caritatem suscitabat incensus Dei amor: qui profecto amari sincere non potest, nisi veniat in amoris partem proximus, quem tantopere diligit ille, qui natura sua caritas est. Dei vero sic amore desiderioque tenebatur Ida, vt acerbum illi supplicium esset, ea omni eius consuetudine non gaudere, quamcumque poterat adipisci.

Summas illi ab adolescentia delicias fuisse meminimus, quas e sacrosancta EVCHARISTIA percipiebat. Creuerunt illę cum annis & virtute. Cum sodalibus aliquando Kerchumum ad messem ire jussa, totos octo dies eoque amplius illic mansit. Graue fuit sanctæ virgini per tantum temporis spatium vnico suo solatio destitui: atque adeo corpus ipsum vires defecerunt, vt ferendo communi cum ceteris labori par non esset. Ingrauescebat autem animi dolor, simul & corporis infirmitas, quoties rei Diuinæ signum

Desiderio Ven. Sacramenti æstuat.

signum ære campano dari audiret. Transibat forte aliquando ante ædes feminæ, quæ morbo prostrata cum morte luctabatur: sodales rogauit, vt ad impendendum aliquod solatium ingrederentur. Ingressæ fusis ad Deum precibus impetrarunt, vt loquendi facultatem ægrota recuperaret. Tum Ida hortãte sacerdos aduocatus est, qui Diuinum illi viaticum porrigeret. Adfuit sacerdos & porrexit: sed in stomachum illa numquam potuit demittere. Cum igitur ore sacerdos extrahere coactus esset, roganti Idæ obtulit. Quo tantam intimo animo voluptatem percepit amantissima Christi sponsa, vt rapta in ecstasim anima, immotum aliquamdiu corpus deseruisse videretur. At sibi denique reddita, alacris surexit ad labores. Nimirum qui religiosæ menti vigorem dabat, idem angelicus panis corpori vires restituerat.

Eas porro carissimi sponsi delicias potissimum amabat, quas proximo non inutiles esse intelligeret: & ijs maxime suam sponsam perfundere visus est Deus. Dum preces funderet aliquando, inter alia cælestium rerum arcana diuinitus accepit nefarium cujusdam flagitium. Cohorruit primum, & illudi sibi verita, fidem non habuit. At secundo facta certior, aduocatum ad se hominem Diuini judicij terrore percellere cœpit, & ad resipiscentiam hortari: sed cum ille non paucas quidem sed leuiores noxas libere confessus, grauius illud scelus subticeret: Carissime frater, ait illa, miseret me tuę cæcitatis, qua te non moueri video, doleoque grauissime. Tum in lacrymas vbertim soluta: De minoribus, subdit, te erratis accusas, & infandum illud taces, quod cum filia flagitium perpetrasti. Attonitus ille, cum ab vno Deo id haberi posse certum haberet, emendaturum se sincere appromisit. *Animorum arcana penetrat ad proximi bonum:*

Cuidam e Præmonstratensi familia multis conscientiæ terroribus & scrupulis agitato autor fuit nonnemo, vt ab Ida subsidium quæreret: sed grauibus ille sui monasterij negotijs distentus cum ad eam adire diu distulisset, Rameiam forte venit eius mater, & sanctam virginem conuenit. A qua ad filium ire jussa est jam pridem de arcanis animi sollicitum, & cum ipsa colloquendi cupidum. Iuit ad filium mater, eique suum de ipsius anxietate dolorem aperuit. Negauit ille primum vlla se angi sollicitudine: sed vbi manifestati secreti autorem accepit, tum denique obstupuit. Nec mora, profectus Rameiam, sanctæ virgini omnem animi statum candide aperuit. Ipsum illa consolans, suæ togę manicam in manus illi dedit; &: Tam certus esto, ait, de condonatis tibi noxis omnibus, quam hanc a te contingi vestem. Omnem hoc dicto perturbationem visa est abstergere; magnaque deinceps ille vixit tranquillitate. *iterum:*

Alias religiosa quædam femina quæsijt ex ipsa studiose, nihilne de rebus ad eius animam spectantibus e cælo didicisset: Respondit illa: Quod tibi probe notum est, quid quæris? Terna quippe peccata tua, quæ minime ignoras, tu corrigere negligis. At certe propter primum diu peregrinaberis a Domino: alterum diuturnis supplicijs a morte castigabitur: ac denique tertij causa minorem in cælo gloriam consequeris; nisi quidem resipueris. Tum nominibus expressit errata singula; subjecitque eam abbati suo illa confessam fuisse. Suspicio mox illam tacitam incessit, abbatis indicio ipsam rescijuisse. At Ida: Vero aberras: non abbas, qui vir alias integer est, sed idem ille tua mihi peccata significauit, qui iniquam hanc tuam modo cogitationem. Attonita illa suspicionis confessa leuitatem, alia illa deinde peccata corrigere studuit. *iterum.*

CAPVT IV.

Miris virtutibus clara, sancte moritur.

Non potuit esse tanta virtus sine inferorum inuidia; sed neque sine superorum præsidio. Sæpe illi intentare mala, sæpe in illam sęuire machinati sunt, modo horrendi canis, simij alias, alias ridicula alia specie conspicuos se illi sistentes: sed qui dixit: *Capillus de capite vestro non peribit*: numquam injuria aliqua carissimam sponsam violari passus est; sed vt pupillam oculi semper immunem & intactam seruauit. *Luc. 21. 18.*

His crescebat virginis in Deum amor; totisque viribus studebat hæc omnem vicissim ab illo peccatorum injuriam amoliri. Improbos igitur sedulo a sua peruersitate contendebat reuocare, glorioso sane operę pretio. Plurimi quippe noxio omni posito pudore ad eam ventitabant, quo illius auxilio in rectitudinis orbitam reducerentur. Sancte vero solita est affirmare, jucundam sibi fore grauium ærumnarum diuturnitatem, si quod *Peccatores studiose juuat.*

ex

DIE 11. ex ea leuamentum peccatoribus & miseris hominibus sperare fas esset: alienis enim peccatis affligi beatum esse, non item implicari. Sodalibus autem præsertim ęgrotis omni obsequio aderat, etiam supra vires.

Pati amat. Aduersa non aliter quam Diuini amoris arrham suscipere consueuerat: & vero Deus vt eam tenere diligebat, ita malis omnibus immunem raro relinquebat. Quod si quando eueniret, vel in templum abibat ad augustissimum EVCHARISTIÆ Sacramentum, vel ad imaginem pendentis e cruce Christi Domini; ibique amanter & modesta fiducia se deseri querebatur. Vbi malum aliquod ceruicibus immineret, sæpe diuinitus præmonita est, ne scilicet accideret imparatæ.

Se contemnit. Miranda fuit illi familiarisque cum Christo necessitudo: vt nec ipsa posset satis admirari incredibilem eius benignitatem, qui & illam tanto dignaretur amore, & tot prodigijs supra naturæ vires perpetratis celebraret, cum suam ipsius vilitatem clare perspiceret; omnique potius ignominia se notandam arbitraretur. Et vero honoris a mortalibus delati semper illam puduit, quæ contra hilari semper animo quæcumque suscepit opprobria.

Ex morbo triumphat. Quibus sanctę vitæ exercitationibus cum Octobrem anni supra millesimum & ducentesimum tricesimi attigisset, grauissimis cōflictari morbis cœpit, simulque mira mentis alacritate de illis triumphare. Post actum generose in ea militia ferme annum, dignas inuicta fortitudine laureas innumeras consecuta, ipsa se fortior rogauit augeri dolores, & obtinuit. Nam acutissima mox febri correpta, cuidam e familiaribus affirmauit exacerbandos semper dolores ad vsque diem extremum. Dicto fides ab euentu fuit; sed & felicitas. Quo namque morbis atterebatur magis corpus, hoc expeditior animus in Deum tollebatur.

Septimo denique idus Augusti sacro inungi voluit oleo, & quinto post die sancte mortua est, cum annos vixisset omnino triginta duos & nouem menses; in monasterio sedecim annos menses item nouem. Plurimis a morte miraculis celeberrimam apud homines gloriam consecuta est.

ABBATISSÆ RAMEIANÆ.

CONditum Kerchumi primum haud procul Thenis sacrum hoc gynæceum, cum paucas numero sanctimoniales ęgre sustētaret, quemadmodum antea narrauimus, in Brabantię fines Geldoniam versus translatum est in eum locum, qui a ramorum multitudine Rameia dicitur. Nouem abbatissarum nomina, quæ primæ rexerunt, & aliarum aliquot sequentium, iniquitatibus temporum interciderunt.

10. MARIA ordine decima fuisse fertur: neque quando inierit dignitatem, aut posuerit, habemus.
11. ELISABETHA.
12. ODILIA.
13. EREMBERGA.
14. ELISABETHA II.
Hic rursum hiatus est vsque ad vigesimam.
20. MARIA II.
21. CATHARINA.
22. AGNES.
23. MARIA III.
24. CATHARINA III. post quam iterum series interrumpitur. Aliquarum tamen nomina habentur: quas etsi suo ordini reddere non possimus, hic tamen collocare visum est, ne pereant.
ELISABETHA DE RIVO.
ELISABETHA KERCKEM.
BEATRIX DE CORBAIS.
Trigesimo tertio loco inuenitur
33. MARIA DEL BARRE.
Omissis denuo duabus, reliquæ suo ordine sequuntur.
36. BEATRIX DE CAMPO obijt 1478.
37. HELWIDIS COMMEL primæuo spendori monasticen restituit; eaque de causa prima post reformationem appellatur. Obijt 1504.
38. MARIA HERRICI obijt 1514.
39. IOANNA VALKENBOVRK. ob. 1541.
40. FRANCISCA DE TVLLO. ob. 1566.
41. MARGARETA DE HERMOYE. obijt 1578.
42. CATHARINA DES CLOQVIR. obijt 1608.
43. CATHARINA SIMONIS. obijt 1640.
44. Huic successit nobilis & Reu. D. IOANNA SEVERY, hodieque præest insigni religiosæ disciplinæ ornamento.

Die

Die decimo tertio
S. ZVENTIBOLDVS

rex Lotharingiæ. *Brustemius, alij in historia Leod. notati: & quæ Iacobus Kritzraedt Societatis IESV collegit e veteribus monumentis Susteren. & ad me misit.*

PAtrem habuit Arnulfum Germaniæ & Lotharingię regem, illum qui donato Lobio de ecclesia Leodiensi optime meritus, de cęsis præterea Normannis celeberrima victoria Louanij triumphauit. Idem ille anno octingentesimo nonagesimo quinto Wormaciæ in publico principum conuentu Zuentiboldum filium suum Lotharienſibus regem dedit. Regnum hic auspicatus est & administrauit insigni religione, quam præcipuam omnis principatus partem ducebat. Templa, monasteriaque Normannorum furore vel excisa vel impie fœdata purgare, restaurare, sacrisque cœtibus complere in delicijs habuit. Susterenum illi carum fecit eximia sanctitudo antiquitate veneranda, sacræque sanctorum reliquiæ. Ab imis ergo fundamentis sic instaurauit, vt a nonnullis creditus sit condidisse. Insignis religio,

Sacrum illic parthenonem regebat Amelberga virgo illustris sanctimoniæ, miraque disciplinæ integritate sodales instituebat. Eo monastices splendore perstrictæ tres regis filiæ, virgines selectissimę, (de quibus decimo septimo Augusti) vt ad puriorem cælestium rerum amorem magna patris sollicitudine ducebantur, ita contempta omni regia majestate, religiosum vitæ institutum amplexæ sunt. Et duę quidem ad vltimum vsque spiritum ibidem sanctissime perseuerarunt. Sed ad seueriorem solitudinem cum anhelaret tertia, Flemaliæ templum cum tuguriolo rex pater construxit; quo illa conclusa vitam egit sanctitate admirandam. Ejusmodi studijs cum se totum daret Zuentiboldus suos optimates offendit; qui mulierculas & homines nihili (sic illi loquebantur) arcanorum omnium conscios, & regi solos in amoribus esse, se vero contemptui indignabantur. His se ducem præbuit Raginerius dux, homo magnæ inter suos autoritatis, sed turbulenti ingenij. Eum æquo plus insolescentem dignitate rex spoliauit, regnoque ejecit. & liberorũ sanctitas.

Verum graues aduersum se motus ab eo sensit: illumque cum Odacro comite, plurimisque alijs conjuratum, & in arce, quam Durfosiam appellabant, sese communientem aggressus, nihil promouit, prohibitus inuijs paludibus, fluctibusque Mosę illo loco late stagnantibus. Illi obsidione liberi Carolum Simplicem Francorum regem ad Lotharingię sceptrum aduocarunt: & collectis copijs progressi obuiam, Aquas induxerunt, atque adeo Neomagum. Inopino territus malo rex, trepida fuga se Leodium recepit ad Franconem episcopum. Quo auxilia colligente, confluxit ad suum regem tota nobilitas; & in hostem itum est. Collatis castris, cruentum expectabatur prælium: sed commeantibus vltrocitroque legatis pax composita est. In regnum suum relicta Lotharingia Simplex se conuertit. Patitur gratia

Pro turbine tam periculoso non infeliciter sedato, Zuentiboldus cælitibus gratias acturus, auxit ecclesiam Leodiensem donato S. Martyri Lamberto nobili prædio, quod Tecta nuncupant: estque hodie pars prima Francimontani marchionatus. Res tamen suas necdum in vado collocatas existimabat, quamdiu inulti, & altioribus spiritibus tumidi manerent conjuratij, quibus audaciam adderet munitio hactenus inexpugnabilis. Eam ergo aggreditur denuo, sed fortuna nihilo meliore. Quare vbi anno nongentesimo parenti suo Arnulfo imperatori successisset Zuentiboldi frater Ludouicus, ei conjurati regnum detulerunt. Quod cum armis retinere contenderet Zuentiboldus, ad Mosam acie congressus, cum vita regnum amisit: at cæleste recepit, justum suæ religionis præmium. Susterenі sepultus, sanctorumque fastis additus est. ac tandem opprimitur.

Digitized by Google

Die decimo septimo

I. CAROLOMANNVS

e principe Austrasiæ monachus Cassinensis. *Vitæ S. Huberti & S. Bonifacij, Eginhardus, Regino, Leo Ostiensis, Baronius.*

CAPVT I.

Principatum religiose auspicatus, terra S. Huberti corpus educit.

CAroli Martelli filius fuit, fratremque habuit natu minorem Pipinum, Franciæ postea regem. Cum diem obijsset pater anno septingentesimo quadragesimo primo, inter se filij paternam hereditatem ita diuiserunt, vt Austrasiam cum Transrhenanis omnibus prouincijs teneret Carolomannus, Pipino reliqua Francia relinqueretur.

Religionem strenue procurat.

Carolomannus horrenda patris morte fortasse perculsus, quem propter violatas injurijs ecclesias, æternis addictum esse cruciatibus aiebant, principatum vix prius inijt, quam animum adjecit ad expurgandum turpissimis corruptelis ecclesiasticum ordinem: eoque consilio Bonifacium rogauit apostolica mente virum & Germaniæ apostolum, vt coacto episcoporum conuentu in commune dispiceret, quibus optime rationibus deprauata corrigerentur. Fecit anno proximo Bonifacius autoritate apostolica; voluitque synodo Carolomannus interesse, quo suum principis momentum adijceret. Nulla scilicet humanæ majestatis illustrior est gloria, quam a propagata religione. Pijs hisce principatus auspicijs Leodiensem diœcesim ceu natale solum illustrabat. Nam vt pater, sic & ipse Iupiliæ natus, ibidem fere degebat. Leodij certe fuit anno quadragesimo tertio, vt sanctissimum antistitem Hubertum cælo receptum qua par erat veneratione coleret. Nonnulli quippe (de quorum fide dubitari minime pateretur eorum spectata virtus) aiebant e cælo se accepisse, certam esse Dei voluntatem, vt eductum terra S. Huberti sacrum corpus, Christiano populo deinceps ad cultum proponeretur. Dictus est ergo dies III. ante Nonas Nouembris. Post noctem publicis supplicationibus exactam processit vniuersus clerus cum multa nobilitate, quæ Iupilia a principe venerat, & multitudine populi. Aperto magna omnium religione sepulcro suauissimus ecce odor effunditur in adstantem turbam. Sed & oculis suum fuit prodigium. Integrum sine vllo putredinis vitio post totos sedecim annos a morte corpus S. antistitis inuentum est. Admirationem primum, tum etiam ingentem omnium exultationem consecutæ sunt voces inclamantium miraculum.

Excitus prodigiorum fama princeps adfuit, suauissimisque perfusus lacrymis, quas eliciebat jucundum illud tam nouæ rei spectaculum, eductum sepulcro proprijs manibus sacrum corpus in novum intulit feretrum, & ex inferiore crypta, vbi jacuerat, ad aram majorem superioris basilicæ, religiosa exultantis animi significatione suis ipse humeris deportauit: atque vbi destinato loco reposuit, sacram illam pompam principali munificentia cumulauit. Non enim vasa dumtaxat argentea, multamque vestem peregrino opere elaboratam in templi supellectilem donauit; sed & monasterium S. Petri, in quo sepultus fuerat S. præsul, agris, prędijs, clientelis auxit, locupletauit, exornauit.

CAPVT II.

Abdicato principatu in monasterium se abdit.

Ditat Fuldam.

BOnifacij sanctimoniæ plurimum tribuebat optimus princeps. Eius rogatu Fuldensi monasterio agri tantum attribuit, quantum in omnem partem tribus passuum millibus clauderetur. Quod propensissimis animis probarunt, quicumque toparchæ

chę aliquos agros in illis finibus possidebant. Ea nimirum fuit antiquitatis religio, & in ditandis ecclesijs liberalitas: tantaque vis est principum exemplis in animos subditorum.

Nihil porro Carolomannus dedisse sibi visus est, nisi omnia & se ipse daret. Quod quidem eo pluris ęstimandum, quo majora felicissimus rerum cursus pollicebatur. A bellicosissimo parente non generosam dumtaxat indolem, sed amplissimum adeptus imperium, principatum feliciter auspicatus erat. Nam a morte patris rebellantem in Aquitania Homaldum, in Bajoaria Odilonem, grassantes Saxones superauerat, & noua tentantes Alemannos prælijs victos compescuerat; quando omnibus alijs gloriosiorem de se ipse victoriam consecutus est. Pipino enim fratri potentissimum principatum autore Bonifacio cessit, vt priuatam deinceps ageret vitam, Deoque consecraret. *Contempta principatus felicitate*

Iupiliam ergo deseruit magno Leodiensis ecclesiæ detrimento, quæ tam religiosi principis vicinia & quasi suburbanitate destituebatur, nisi se solaretur clariore exemplorum luce, quam e tanto demissa fastigio virtus diffunderet etiam in dissitas regiones. Romam contendit, & apostolorum limina primum veneratus, postquam omnem humanæ magnitudinis fulgorem generose proculcasset, in clerum vt attonderetur a summo pontifice obtinuit. Tum circumspiciens quo potissimum loco religiosiorem institueret vitam, Soracten montem elegit, vt ibi crudeles mundi blanditias effugeret, vbi tyrannorum immanitatem vitarat olim S. Siluester. Sed cum toto monte nihil appareret, præter impressa a Longobardis barbaricæ crudelitatis vestigia, in S. Siluestri memoriam cœnobium construxit; collectisque pluribus ejusdem propositi sodalibus, in eo monasticam professus est. Illustre fuit, omnibusque sæculis memorandum tanti principis exemplum. Ad cujus spectaculum cum frequentes ex itinere Romano concurrerent, Franci suumque principem immodice mirarentur, & laudibus in cælum efferrent: exosus eam frequentiam tantasque admirationes, qui latebras tanto molimine quæsierat; vno comitatus Achate, ceteris ignaris fugam inijt. Cassinum venerat: monasterij præsidem supplicis more in terram abjectus, rogare & obtestari cœpit, vt in sacrum illum cœtum reciperetur. Se homicidam & multis criminibus contaminatum e Francia fugisse, quo seuerioribus pænis pręteritas omnes noxas expiaret. Vere nimirum hominis cædem fateri potuit, qui multa nec incruenta bella gesserat. Flexit abbatem illa obtestatione: & in tirocinium receptus, eo majore seueritate probatus est, quod aduena ignotus esset. Anno denique peracto ceteris aggregatus, Benedictinæ regulę professionem edidit humana omnia jam demum arbitratus ses relinquere, quando vni Deo notus, hominum oculos & admirationem se fugisse credidit. *In Soracte fit monachus* *tum Cassinum ignotus se recipit.*

CAPVT III.

Miro sui contemptu se ipse exercet: & moritur.

VIlissima sui abjectione lętior, quam omni olim amplissimi principatus gloria, regi regum aliquamdiu magna animi exultatione deseruierat, quando generosum athletam & heroico facinore periclitari, & in claram lucem, aliorumque exemplum educere Deo visum est. *Humilitas.*

Accidit vt de more hebdomadarius coquinę ministraret magna quidem animi promptitudine, sed in multis ex imperitia offenderet. Non tenuit se coquus, &: Itane religioso cœtui ministras? ait, & simul colaphum impingit. Nihil ille commotus, placido vultu respondit: Tibi frater, Dominus indulgeat & Carolomannus. In deferendis cibarijs iterum errarat, iterum a coquo percussus, eadem mentis æquitate sustinuit. Cum tertio denique inhumaniter cæderetur, facti indignitatem diutius ferre non potuit ille, qui ipsi comes venerat, atque vna monasticen fuerat amplexus: itaque inflammatus: Nec tibi, inquit, parcat Deus, serue nequam, neque Carolomannus indulgeat: simulque totis viribus coquum verberat. Indignum facinus sodalibus visum est: interrogatusque ille, qua fiducia sibi tantum aduena sumpsisset; intrepide respondit ferri non potuisse vt postremus omnium seruus indignum in modum non modo verbis, sed & verberibus illum haberet, qui ceteros & vita & genere antecelleret. Illius nomen jussus edere, Carolomannum esse, quondam Francorum principem affirmauit. Mox ad eius pedes vniuersi procidere, priorisque contemptus veniam rogauere. Ingemuit vero ille, *Eximia patientia.*

 qui

Digitized by Google

DIE 17. qui principem prorsus oblitus, nihil magis quam latebras amabat: & quamquam ceteri tantam in ea majestatis demissionem venerarentur, ille qui semel exierat extra castra, crucis improperium portans, vilissimis semper mancipari seruitijs maluit.

Oues pascit

Sanctis eius desiderijs obsecutus abbas, pascendas monasterij paucas oues illi commisit. Paruit ille non aliter ac ipsius Dei mandato. Forte aliquando irruentes latrunculi nonnullas ex ijs abducere conabantur, obstitit ille fortiter: & sibi quidem creditas oues omnibus se viribus defensurum ostendit; at de se, quod Deus sineret, ipsi statuerent; per se licere. Illum ergo vestibus omnibus spoliant. Sola femoralia ille pudoris gratia vi extorsit, & intactum gregem ita domum reduxit. Hominis mentem exploraturus abbas, cum acrioribus verbis eius ignauiam castigasset, nihil ille præter modestissimam culpæ confessionem reposuit. Illud certe est germanæ virtutis certius omni lapide Lydio testimonium.

& humeris refert.

Alias a pascuis oues reducebat: ægra vna gregem sequi non poterat; eam in humeros sustulit, ne præstituta hora tardius domum rediret. Quam dum gestaret, illum eius lotio perfundi contigit: nec onus propterea deposuit, aut vllum prætulit iniquioris animi signum. Quam in tanto principe virtutem admiratus abbas, voluit vt dimisso grege, vicinum deinceps hortulum excoleret.

Legatus ad fratrem

Sancti hominis beatam solitudinem obturbauit impius Longobardorum rex Aistulfus: qui cum indignissimis injurijs Romanam ecclesiam diu vexasset, audiretque anno quinquagesimo quarto Pipinum Francorum regem florentissimas aduersum se copias parare, Carolomannum ad fratrem voluit legatum ire, & ab illo bello dehortari. Immanem tyrannum irritare veritus abbas, ne in Cassinense monasterium furorem is effunderet, qui sacrilege ipsam sedem apostolicam exagitare non exhorruerat; Carolomannum misit. Profectus quidem hic illo jubente, quem sibi vice Dei præsidem sequi proposuerat, cum apud fratrem regem aduersus S. ecclesię jura nihil egisset, imo nec tentasset (ita creditur) in monasterium secessit. Vbi placide mortali hac vita defunctus transijt ad immortalem. Clausum aureo conditorio corpus Pipinus rex Cassinum remisit; digna sane pompa: vt qui viuus regnum contempserat, eidem mortuo regia opulentia seruiret.

moritur.

II. SS. BENEDICTA ET CÆCILIA abbatissæ Sustereni, & RELINDIS clausa. *Brustemius, & quæ Jacobus Kritzraedt Societatis* IESV *collegit e veteribus monumentis Susteren. & ad me misit.*

SORORES fuerunt; natæ Zuentiboldo Lotharingię rege & Arnulfi imperatoris filio: de quo nobis sermo fuit decimo tertio hujus mensis. Augustam suæ gentis majestatem sanctæ illæ virgines paribus omnes animis posuerunt, vt Christi humilitatem sectantes, religiosam vitam instituerent. Condiderat nuper rex pater, aut potius instaurarat, quod Sustereni fuerat inclytum multa virtute, sacrisque aliquot Sanctorum exuuijs cœnobium, sed in fauillas & cineres Normannica rabie corruerat. Hoc regebat insigni sanctitate virgo nomine Amelberga: cujus XI. Kalend. Decembris meminerimus. Eius magisterio se subjecerunt ternæ sorores, & dignam suo genere virtutem assecutæ sunt.

Fuga honorum.

Ac Relindis quidem (quam natu minimam aiunt fuisse) cum solida sanctioris vitę fundamenta posuisset, nullo sui contemptu satis contenta, cœnobio solitudinem prætulit, quo soli Deo nota, mortalium omnium oculis se subduceret. Flemaliam secessit ad Mosam supra Leodium, vbi rex pater religioso filiæ suæ desiderio (vt quidem opinor) obsecutus, Virgini Matri templum posuit. Hic se Relindis abdidit in tuguriolum, quod sacræ ædi adherebat: eoque clausa totam vitam egit eximia integritate spectabilem. Illam multis olim miraculis Deus ornauit; sed omnem eius memoriam oblitterauit temporum iniquitas.

Iterum.

Sustereni substiterunt ambæ sorores aliæ tanta morum puritate, vt cum naturæ concessisset antistita Amelberga, toti sacrarum virginum cœtui jussa sit præesse Benedicta. Susceptum munus obiuit, religiosæ disciplinæ magno splendore: ac tandem quæ terrenum

num regnum Christi causa contempserat, ab eodem euocata est ad cæleste. Successit Cæcilia, sorori nequaquam impar: præclarisque exemplis non minus quam consilijs postquam aliquamdiu parthenonem illustrasset, vita sancte defuncta est. Eumdem vtrique diem ecclesia consecrauit.

Die decimo octauo

V. THEODORVS CELLENSIS

autor aut instaurator ordinis Cruciferorum. *Russelius, manuscr. Leod.*

CAPVT I.

Dei Matris pius cultor, in Syriam profectus, in Crucem religiose afficitur.

NObili Cellensium gente natus, adolescebat Leodij, quando suauiter ad se fortiterque Deus illum inuitauit. Aprili mense anni post Christum natum millesimi centesimi duodenonagesimi, terruit vrbem horrenda tempestas, qua noctu vim imbrium inauditam effuderunt nubes in montem S. Walburgis: ex quo decurrentes in vrbem rapidissimo impetu torrentes, e sepulcris etiam eruerunt cadauera, mortales vero non paucos vorticibus abreptos extinxerunt. In his quemdam e clero; qui quamquam vitæ non optimæ, ea tamen fuit in Virginem Matrem religione, vt eius officium quod appellant, quotidie persolueret. A morte sua visus est cuidam consanguineo suo Cisterciensem disciplinam professo, & pro se preces ad Deum fundenti: affirmauitque Dei parentis benignitate se pænis ereptum, quas promeritus fuerat: & præsidium eius singulare pariter experturum, quicumque simili venerationis officio illam sibi fuisset demeritus. Præsidio B. V.

Vt audijt Theodorus, in amorem optimæ Matris exarsit, quam intelligebat suis clientibus opem adeo opportunam impertiri. Idem igitur horarum pensum quotidie instituit in eius honorem euoluere: illamque in sancto proposito tenuit constantiam, vt nullo deinceps die vmquam prætermiserit; tametsi parum firma valetudine longam & difficilem cum suo principe suscepisset expeditionem. Vires nimirum & animos suppeditabat pijssima patrona, simul & amor crucis, cujus sacræ adscriptus militiæ, non illam tam vesti assuerat, quam alte infixerat intimo pectori; nouum bellandi genus breui post sublato hoc signo auspicaturus. inducitur ad eam colendam.

Episcopo quippe Radulfo se comitem adjunxit, qui mouentem in Palæstinam cum lectissimis copijs Fredericum Augustum sequebatur, cum ceteri ferme Belgæ mari proficiscerentur. Superatis innumeris difficultatibus in Asiam penetrauit imperator anno nonagesimo, Iconij Soldanum cum quadringentis equitum millibus occurrentem ingenti prælio fudit, fugauit. Iconium cœpit: aliaque barbarorum equitum ducenta millia rursum in fugam auertit. Felicibus auspicijs arrectos in spem ingentem Christanos dejecit acerbissimus casus. Nam IV. idus Iunias dum a prandio corpus in amne quodam ablueret Cęsar, vorticibus abreptus interijt, longe maximo Christianę rei detrimento. Patris vices implere constituit filius Conradus Sueuiæ dux, & quas potuit retinere copias in Syriam duxit. Verum & ipse in obsidione Acconitana diem obijt extremum. Sic euanuere spes omnes, quas concitarat tam nobilis expeditio. Tendit in Syriam:

Accepit contra vires, & radices agere cœpit sanctum Theodori consilium. In sanctam vsque ciuitatem penetrauit, fruiturus spectaculo venerationeque sacrorum locorum. Supra votum & exspectationem suauissima diuinitus perfusus est voluptate, cum illud vitæ institutum oculis animoque vsurpauit, quod sub fide tutelaque sacrosanctæ Crucis in Golgothana basilica sectabantur canonici nuper a Godefrido Bullionio restituti ad eam normam, quam inuenta quondam Cruce ante multa sæcula conscripserat Cyriacus, postea Ierosolymæ antistes. Quamquam & hunc restauratorem dumtaxat, sanctaque consilia cōcipit:

non

Digitized by Google

non primum sacri ordinis autorem fuisse contendant. In hunc modum narrat Russelius; verum (vt quidem opinantur nonnulli) fide non vsque adeo certa. Nam ardente bello Christianum militem a barbaris in sanctam ciuitatem receptum esse, non facile credunt. Quemadmodum neque arbitrantur, sic inflammatis vtrimque odijs in mutua sacra, permissum fuisse Golgothanis canonicis in templo suo suis legibus viuere. Malunt scilicet canonicos alios ejusdem cum Golgothanis instituti & disciplinæ, alijs per Syriam locis inter Christianos vixisse, quorum amauerit religionem Theodorus, atque alte demiserit in animum imitandi cupiditatem, ne minus in Occidente & patria, quam in Oriente, reliqua vita cum sodalibus, quos ejusdem secum studij colligeret, S. Cruci militare daretur. Nulla quippe alia præda vel trophæo gloriosius patriam exornare se posse credidit. Ceterum propter eximiam tota expeditione fidem, reuersurum in Lotharingiam episcopus Radulfus cooptauit in S. Lamberti collegium: atque vna cum eo sacræ militiç sacramento solutus, in iter se dedit: sed proxime Friburgum in natali solo mortem inuenit. Leodium Theodorus redijt.

ANNO 1191. Factus S. Lamberti canonicus redit.

CAPVT II.

Cruce insignitus aduersus Albigenses, Cruciferorum ordinem inchoat.

IN patria firmabat religiosa exercitatione, quem in Palæstina hauserat sacrosanctæ Crucis amorem; & S. Lamberti collegium eximia vitæ sanctimonia plures jam annos ornabat; quando reducendis ad officium & fidem Albigensibus, populum Christianum ad sacrum bellum proposita peccatorum condonatione summus pontifex excitauit. Eam militiam pro suo in sanctam crucem incenso studio professus est Theodorus, sumta belli tessera de manu Cisterciensis abbatis. Sed vbique sui memor, etiam inter arma bellique strepitus, virtutem quæsijt, inuenit. Eius gratia suauissimam contraxit necessitudinem cum B. Dominico, qui posita insigni opera hæresim exterminare conatus, sanctæ suæ familiç jam tum fundamenta ponebat. Fulconem pariter ignorare non potuit, virum integerrimum, & Tholosæ episcopum, & e primis vnum nascentis hæreseos impugnatorem. In mutuam familiaritatem & amicitiam pertrahebat morum studiorumque similitudo. Huic in Lotharingiam venienti comitem se, imo itineris ducem adjunxit, deduxitque ad Mariam Oegniacensem; quam item familiariter nouerat.

Proficiscitur in Albigenses

ANNO 1211.

Accingenti se ad reditum Theodoro mandarat apostolicus legatus iret, & pro sua facundia quotquot posset populares suos cruce insignitos sacræ huic militiæ adscriberet: sodalesque insuper e clero adsciceret, qui legendo pariter militi sacris concionibus operam darent. Imperium hoc tam arcte complexus est, quam alte pectori crucis amor inhærebat. Oegniacum vt attigit, piumque animi sui propositum B. Mariæ precibus obnixe commendauit, Leodium statim profectus est, quo rerum omnium humanarum leuatus onere, nouam in arenam descenderet fortis athleta. Abdicato Leodiensi canonicatu, petijt ab episcopo Hugone Petrapontio locum statuendæ religiosæ familiæ, in qua cum sodalibus non minus exercitatione virtutum, quam dictionis grauitate populum Christianum pelliceret ad militiam S. Crucis profitendam. Addixit Petrapontius Clarum locum ad portas Hoienses, vbi S. Theobaldo sacra ædes erat, jam tum a principatu Theoduini, quando per intempestæ noctis tenebras clara lux inter præaltas quercus loco affulsit, nomenque reliquit inter posteros.

reuersus

colligit socios

Hic in consiliorum societatem quaterni se dederunt socij e clero lectissimi, & ad leges S. Augustini vitam sic instituerunt, vt cruce insigniti non minus acre bellum vitijs, quam Christiani vel catholici nominis hostibus indixerant, ad eam normam, quam in Golgothanis canonicis in Syria Theodorus notauerat. Crucem tamen non in humero, quod solebant in Syriam profecturi, sed in pectore gestare maluerunt, quod insigne fuit militiæ aduersus Albigenses hæreticos. Prima hęc incunabula sunt sacri ordinis Cruciferorum, aut celeberrimæ illius domus, quę totius ordinis tum nascentis his in regionibus hodie caput est.

quibuscum ordinem Cruciferorum auspicatur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Steppeanam victoriam orationibus promouet. Vitam religiosè claudit.

NVmero paruum, sed præstanti virtute insignem hunc cœtum ad sanctitatem, & magnam apud Deum gratiam sapienter juxta ac religiose Theodorus ita deducebat, vt non modo aduersus Albigenses aut Agarenos illorum adhortatu Christiani generose armarentur, sed precationum præsidio Leodiensis ecclesia muniretur.

Sub ipsum tempus, quo in campis Steppeanis Leodiensium ac Brabantorum acies concurrebant, quando victi Brabanti nobilem Leodijs victoriam reliquerunt, Leodij Ioannes Abbatulus vir magnæ sanctitatis, ardenti studio preces ad Deum fundebat, deprecatoremque inuitabat B. martyrem Lambertum, quando ad cælestia supra se raptus, videre visus est viros quinque habitu monastico conspicuos ad S. martyris mausoleum ascendere, & sacrum hoc carmen concinere: *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis; quæ sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera; salua præsentem cateruam in tuis hodiè laudibus congregatam.* Quo suauissimo concentu animum sensit mirabili perfundi voluptate, quasi aliquo victoriæ omine, cujus pars non modica deberetur virtuti & precationibus Theodori Cellensis & sociorum, qui ordinis S. Crucis prima fundamenta jaciebant. ANN. 1213. Precibus juuat remp.

Quem in socijs formare Christum studebat Theodorus, eodem ita plenus erat, vt ex abundantia cordis præter Christum nihil ore prodiret; & tanto cordis ardore de rebus Diuinis disserebat, vt ab omnibus humanis abstrahi videretur: sed tum maxime, vbi Dominicæ passionis mysteria recolebat; quæ nimirum imis animi medullis impresserat, ne quid amplius supra vestem ante pectus hominibus ostentaret. Verum vt modestiam tota mente complectebatur, & sui contemptor erat eximius; ne illam animi affectionem animaduerterent mortales, si qua inter sermocinandum Christi patientis occurreret mentio, orationem prudenter abrumpebat, alium exorsus sermonem, ne quid eximium in ipso notaretur. Eius virtutes.

Denique postquam sanctum suum ordinem ab Innocentio IV. pontifice maximo probandum curasset, illumque religiosissime non magis optimis legibus præceptionibusque, quam præclare factis ac saluberrimis exemplis rexisset, ad æternum brauium euocatus est anno tricesimo sexto.

MAGISTRI GENERALES ORDINIS S. CRVCIS.

FAciet ad ipsius Theodori gloriam omnes eius successores describere, qui sacrum illum ordinem ad hoc tempus rexerunt.

1. THEODORO igitur vita decedenti successit
2. PETRVS WALCVRIVS e gente Rupefortensium, Lossensium, & Ciniacensium comitum procreatus, sinceriorem a religiosa humilitate magnitudinem sibi comparauit. Congenitas illi virtutes fuisse, solitus est asserere Theodorus. Postquam insigni diligẽtia ordinis sui splendorem auxisset, mortuus est anno 1249.
3. IOANNES SACRIFONTANVS litteras & sanctioris contemplationis dulcedinem insigni nexu conjunxit. Obijt 1277.
4. IOANNES RYCK de Cuick vir prudentia, animi fortitudine, virtute magnus. Hoc magistro S. Odiliæ & sodalium allata sunt sacra corpora. Obijt 1298.
5. IOANNES DE HARENGIER obijt 1304.

6. IA-

6. IACOBVS ANGLVS obijt 1308.
7. PETRVS DAVIVS electus IX. Kal. Apr. sequenti Iulio mortuus est.
8. NICOLAVS RVPEFORTIVS siue WALCVRIVS Petri nepos obijt 1320.
9. MARTINVS D'AWANS genere scientiaque clarus obijt 1344.
10. LIBERTVS DE HVNBVSSET valde laudabiliter rexit & mortuus est 1355.
11. IOANNES A MANNA VILLA vir magnus (vt suo loco dicimus) cessit 1358.
12. IOANNES DE SVVOLIS ob. 1363.
13. PETRVS PRINCHARIVS theologus & orator eximius, labefactam antecessoris ignauia disciplinam fortiter restituit maxime in Gallia, Anglia, Scotia: & cum schismate laboraret ecclesia, semper Vrbanum pontificem constanter defendit, etiam inter Francos alioqui Clementinos. Mortuus est 1382.
14. FERRICIVS PVTEANVS obijt 1393.
15. NICOLAVS DEOCRESCENTIVS languide rexit, obijtque 1396.
16. IOANNES D'AVIVS e priore Namurcensi creatus est post longam cum alio contentionem summi pontificis sententia sedatam. Sed cum parum feliciter regeret, Hoium totius ordinis cœtum conuocauit; & ex mente cordatorum quorumdam hominum dignitatem abdicauit 1410.
17. LIBERTVS siue LVBBERTVS IOANNIS e priore S. Agathæ post multam tergiuersationem creatus generalis, de sententia totius cœtus disciplinam restituere cœpit, sed octauo die Ianuarij sequentis cum sanctitatis opinione decessit prope Distemium in Cartusia.
18. IOANNES DE MEITEN cœptam disciplinę correctionem fortiter promouit & obijt 1415.
19. HELMICVS DE AMORE idem constanter vrsit, & tandem sponte cessit in conuentu generali anno 1433. obijtque anno 1441. postquam varias domos rexisset.
20. HENRICVS NEOMAGVS antequam religionem profiteretur curio Leodij fuit in S. Martini. Electus generalis, cum magna clareret virtute, & in se seuerior esset, omnium tamen amorem conciliauit: item pro disciplina fortiter stetit. Obijt 1451.
21. GEORGIVS BRVGIVS in precibus mira animi suauitate, lacrymisque perfundi solitus, Deo se præsentem retinebat; disciplinam strenue procurauit, Leodij obijt 1458.
22. THEODORICVS DE HALL inuitus successit, & quinto anno propter infirmitates corporis cessit anno 1463.
23. PEREGRINVS A CAMPIS magnæ vir prudentiæ & disciplinæ amans obijt 1473.
24. NICOLAVS HARLEMIVS disciplinam diligenter procurauit. Colonię obijt 1482.
25. EVERARDVS AB ORSOY a nobis alias commemoratus obijt 1493.
26. GERBRANDVS ANGLVS SNEKIVS optime rexit, obijtque 1500.
27. CORNELIVS A CLOTINGEN inter grauissimos morbi dolores solitus est dicere: Augeat Deus meus dolores, sed augeat & patientiam. Mortuus est 1512.
28. GVILIELMVS A RIVO mollior in regimine fuit. Cum prior Parisiensis eius potestati se subduxisset, ipse dignitatē abdicauit 1521. obijtque Londini post annos septem.
29. LAVRENTIVS GLADBACHIVS precibus lacrymisque dignitatem amoliri frustra conatus, Parisienses sodales ad concordiam reduxit, & mortuus est 1529.
30. THOMAS GOVDANVS consentire numquam voluit vt e sodalibus aliquis episcopatu consecraretur, rogante quantumvis Erardo principe. Ordinem ingredientes docebat non aliter ingrederentur quam carcerem ad expianda prius peccata, quam judex ad judicium aduocaret. Obijt 1537.
31. HENRICVS A DAVENTRIA obijt 1539.
32. THODORICVS VBACHIVS repugnans electus est. Vir placidissimis moribus, contra vitia rigidior fuit. Singularis in cultu B. Virginis obijt 1561.
33. ANTONIVS FRISSEMIVS ODORPIVS obijt 1575.
34. GVILIELMVS HINSBERGIVS digni-

Digitized by Google

dignitatem abdicare jussus, obijt 1603.

35. GEORGIVS CONSTANTINVS prior Leod. vir eximiæ virtutis obijt 1603.

36. HERMANNVS HASIVS integerrimis exemplis, atque graui adhortatione rem asceticam procurauit. obijt 1618.

37. Reuerendissimus Pater RENERVS AVGVSTINVS NEERIVS feliciter hodie sacram hanc familiam regit.

Die vigesimo

I. S. BERNARDVS

abbas Claræ-vallis. *Bernardus abbas Bonæ vallis, Sugerius, manuscr. Leod. Villar. Aln.*

QVamquam externus, ad nos tamen aliquo modo pertinet S. Bernardus abbas Claræ-vallis, ob præclare facta, quæ vel apud nos, vel in hujus diœceseos bonum perpetrauit. Ea paucis explicabo, vt ne posteritas ignoret, quid illius sanctitati debeat.

Profugus Roma Innocentius II. anno post Virginis partum millesimo centesimo tricesimo primo Leodium venit, quo Anacleti pseudopontificis tyrannidem vitaret; Bernardumque secum adduxit, opportunum profecto suis rebus præsidium, quandoquidem sanctitate sapientiaque mirabilem toto orbe Christiano autoritatem collegerat. Venienti pontifici Lotharius rex cum splendidissimo comitatu processit obuiam, & inter structos cleri deducentis ordines ex aduerso progressus, pontificem pedes ipse salutauit: stratorisque munere perfuncturus, virgam altera manu ad arcendam turbam, altera frenum accepit, deduxitque pontificem, non aliter ac dominum suum; descendentem denique ex equo sustinuit brachijs. Illustre Christianæ venerationis exemplum. *Insignis veneratio sedis apostolicæ.*

Verum aliam mox res induere faciem. Existimauit rex adesse tempus, imperio pristinam designandorum præsulum potestatem recuperandi, cui non ita pridem renuntiarat Henricus imperator, post atrox illud bellum, quo diutissime laborarat orbis Christianus. Cum enim imperatorem hortaretur pontifex ad Anacleti antipapæ effrenem ambitionem coërcendam, & majorum exemplo tuendam ecclesiæ Romanę dignitatem: annuit Lotharius, si nuper ademptum inuestituræ jus, operæ nauatæ præmium referret. Cohorruit pontifex, veritus ne imperatore ad vim conuerso, Leodij reuiuiscentis Henricianę hæreseos Scyllam incurreret, qui Romæ pseudopapæ Charybdim vitare crediderat. Suspensi trepidatione hęrebant omnium animi, consilijque inopes: quando surrexit in pedes Claræ-vallis abbas Bernardus, seseque opposuit murum pro domo Dei. Lotharium vix bene sopiti belli fauillas importune suscitantem, intrepide sanctaque libertate redarguit, ac mire autoritate regem monachus compescuit. *Imperatorem grauem motum in ecclesiam suscitantem compescit Bernardus.*

Roberti montem ijsdem diebus lustrauit sanctus abbas, jam ante centum annos habitari cœptum a pijs virginibus nullo dum monasticæ nexu constrictis, eximia nihilominus virtute celeberrimis. Sacrum locum dum oberrat, Diuino afflatu prædixit futurum, vt Cistercienses olim leges amplecterentur illæ virgines. Vaticinio fides fuit anno post sexagesimo secundo. Ex quo ad nostram ætatem magno Diuini honoris incremento ibidem floret Cisterciensis disciplina. *De Roberti monte vaticinatur. ANN. 1193.*

Denuo redijt in hanc diœcesim anno quadragesimo sexto, quando pontificis Eugenij jussione ad sacram militiam adhortari cœpit, quo Christianæ rei in Syria grauiter laboranti subueniretur. E Flandria Gemblacum venit, inuitatus gloriosa fama religiosæ asceseos, quæ ex illo monasterio Leodiensem late diœcesim illustrabat, & per finitimos populos celebrabatur. Exceptus est magna omnium exultatione; & mutuę virtutis admiratione, se vtrimque ad altiora consectanda animarunt. Seruant Gemblacenses sacram togam (casulam appellamus) qua Diuinam rem isthic operatus est vir sanctus. *Gemblacum venit.*

Post lustratum Gemblacum, diœcesi nostra pedem efferebat: grauiter indoluere plurimi, qui tantum virum magno reipublicæ commodo diutius illic hæsurum sibi persuadebant. Verum quando intelligerent vltra esse non licere per negotia totius ecclesiæ, saltem eius discipulos relinqui desiderarunt, qui sanctissimum magistrum vita moribusque referrent, & suis precibus vniuersam rempublicam sustinerent. Neque grauate concessit

DIE 20. cessit Bernardus. Claram-vallem vbi redijt, prima cura fuit vt fidem liberaret. Duodenos e toto numero monachos delegit cum sodalibus quinis e conuersorum genere; paucisque post Pascha diebus dimisit, ducente Laurentio viro præstanti sanctitate, quem abbatem designauerat. Villarium deuenere, locum ea tempestate incultum & horridum. Hic sedem posuerunt, laboribus ac ærumnis eo grauioribus, quo lętiora quondam erant consecutura. Vix aliter quippe grandia molimur, quam ingenti arduoque nisu. Prima hæc sunt & auspicatissima, quamquam exigua sacri Cisterciensis ordinis in diœcesi Leodiensi exordia, amplificata deinde auctu longe felicissimo.

colonıam Villarium mittit.

ANN. 1147. Germaniam interim peragrauerat S. Bernardus, quando diœcesim rursum ingressus, Aquas venit, ibique multis claruit prodigijs. Nec obscurior Trajecti virtus eius eminuit. In B. Mariæ basilica cum pernoctasset, postridie eductus est in locum editiorem, vt nihil incommodis passus a concurrente multitudine, miseris opem ferret. Quod vbi cumulate fecisset, exiturus vrbe jam progrediebatur, ex causa deflexit ad S. Seruatij. Hic claudum offerunt, cui manus imponeret: At vero, ait Bernardus, illudne mihi cum gratia S. Seruatij licebit in eius æde? Affirmantibus omnibus ingenti clamore; conuersus ad claudum: In nomine, inquit, Domini nostri IESV CHRISTI & S. Seruatij surge & sta in pedes. Surrexit illico, & sanis pedibus ambulauit. Consecutus est exultantis populi clamor lætissimus: exeuntemque vrbe deduxit ingenti admiratione & reuerentia.

Aquas venit, Trajectum,

Leodium, miraculis vbique clarus

Toto itinere Leodium versus miraculis sanctum abbatem non destituit Deus: adeo vt suspensis tanta prodigiorum admirabilitate omnium animis, in vrbe exspectaretur auidissime. In episcopium hospitio receptus est: quo clerus vniuersus in primis conuenit, illum dicentem auditurus. Oratori suo Deus audientiam fecit prodigio; quod plurima deinde alia multis diebus secuta sunt in S. Lamberti, in episcopi palatio, spectante sæpius Henrico episcopo, & oculis manuve prodigiorum sinceritatem explorante. Quibus omnibus cum sui miram apud omnes concitasset opinionem: accederet præterea vitę sanctitudo, suauissimumque dicendi genus; non facile quis explicauerit, quos in animis mortalium faceret motus. In episcopi prato, (vetus forum hodie appellant) basilica multitudinem non capiente, nonnumquam verba habere compulsus est. Militiæ sacræ inscripti complures sanctam crucis tesseram susceperunt. Alij nonnulli non imparibus animis Cisterciensem disciplinam amplexati sunt. In his tres inuenio S. Lamberti canonicos Philippum, Walterum, & Werricum, de quibus suo loco dicimus.

Episcopus vero ex ejusmodi virtutis admiratione, aliquos desiderauit tanti magistri sanctissimis institutionibus informatos, qui positis in solo Leodiensi sedibus, sacrum veluti seminarium constituerent, vbi salutaribus eorum pręceptionibus adolescerent neophyti, qui vi suarum precum vitæque integritate adeo sanctam sobolem in perpetuum propagarent. Obtinuit quod in votis habebat Henricus, habitandamque addixit Alnam, canonicis regularibus obnixe flagitantibus, vt eius arbitrio Cisterciensi norma institueretur, quæ alias ante leges non felicissime sequebatur. Magna porro vbertate melioribus Bernardi auspicijs pullulauit, & pulcherrimos in nostram ætatem per tot sæcula flores produxit.

Gēblacum, Villarium.

Rebus denique Leodij feliciter gestis, tertio die Gemblacum rursus petijt, tum & Villarium, vt quos eo miserat tirones conspectu alloquioque recrearet, animaretque ad asceticam strenue colendam: nec vsquam prodigiorum multitudo vel admirabilitas eum deseruit: quæ satis est indicasse: enumerare non possumus. Ita tum diœcesim deseruit.

Denuo Villarium venit

Sed cum tardis incrementis adolesceret Villarium; & tantam rei familiaris egestatem tolerari posse monachi desperarent, vna omnium sententia locum censuerunt esse deserendum, repetendamque Claram-vallem. Quod vt accepit Bernardus, ne suis deesset sollicitus pater, aduolauit: blandeque suos consolatus, relicta priori sede, proximam vallem jussit occupari. Erat hæc monasterij Florinensis prædium vt vocant liberum, siue allodium: quod sancto abbati nouam illic virtutis scholam suis discipulis collocaturo non grauate concessit Guasselinus abbas Florinensis. Non dubitauit autem afflatus Numine Bernardus suis asserere, multis futurum saluti locum illum. Erectis hoc vaticinio animis ad nouas sedes illi migrarunt: oraculoque sua fides constitit. Liberaliter deinceps adfuit monachis sustentandis hominum beneficentia: tantaque virtuti dignitas accessit, vt nullum habeamus toto Belgio ejusdem instituti domicilium, quod plures

eiusque sanctitatem prędicit.

plures eximiæ sanctitatis surculos protulerit. Id non ęgre fatebitur, quicumque meos hosce virtutis flores oculo non iniquo percurrerit.

Rursum Villarij Bernardus adfuit quarto post inchoatum cœnobium anno, cum III. abbas Fastradus designaretur. Indefessam habes, & nusquam desideratam prouidi parentis vigilantiam; impressaque toties his terris sanctissimi viri vestigia, quæ posteris non tam gratissimam memoriam conseruent, quam stimulos addant ad strenue consectandam virtutem. ANN. 1150.

His porro B. abbatis peregrinationibus factum existimant Namurcenses, quamquam certum tempus non adstruant, vt in vrbis suę conspectu ad Sabim Salsiniç conditus sit Cistercienfis instituti parthenon, quem B. Virginis in valle S. Georgij appellarunt.

Calamum hic sisto. E plurimis a S. Bernardo præclare factis hęc paucula, quæ ad nos pertinerent, proposito nostro satis fuit attigisse. Conscriptam fusiori oratione vitam publico dederunt plures alij; nemo vnus tantam sanctitatem vmquam scribendo exhauriet. Omnium est suspicere ac venerari, quam anno Christi quinquagesimo tertio æterna Deus gloria compensauit. ANN. 1153.

II. B. GOBERTVS monachus Villariensis. *Manusc. Villar.*

CAPVT I.

Religionem cum militari fortitudine jungit.

ILlustri Asprimontiorum gente in Lotharingia oriundus fuit, Ioannis episcopi primum Virdunensis, ac deinde Metensis frater natu minor, vir ad magna natus, sensim ducente Deo ad insignem terrenorum contemptum, cælestiumque cognitionem simul & amorem deuenit. Largus in pauperes, ecclesiæ defensor, infirmiorum contra potentiores ex æquo propugnator, suis contentus, subleuabat subditos, offensas facilis remittebat.

Cum magno desiderio teneretur asserendę in Christianam libertatem Palęstinæ, anno post millesimum & ducentesimum duodetricesimo sacram illam expeditionem suscepit Fredericus imperator, Gobertumque ob peritiam militarem ad belli societatem inuitauit, & recepit data prius fide bellum id suscipi religionis causa. Cum magna militum manu initer se dedit Gobertus, minime ludicris & vanis pro militari licentia intentus rebus. Officium B. Virginis memoriæ credidit, eidemque in singulos dies pijssime recitauit: in conspectu suo Missæ sacrificium celebrari, precesque omnes canonicas legi mandauit. Reliquo tempore militem instruebat, & hortabatur ad Dei causam pie fortiterque propugnandam. *Inscriptus sacræ militiæ*

Appulsus in Syriam Fredericus, exposita parte copiarum, terra marique satis ostendit, non auxilio se Christianis venisse. De quo monitus a Templarijs & Hospitalarijs equitibus Gobertus, mox ad eos cum suis transijt, & quo bonis adderentur animi, statui pro vallo sua signa & explicari voluit. Neque diu post hęc in Europam se recipiente Frederico, ille quo se voto exsolueret, loca sancta Ierosolymis inuisit. Vbi, licet ante lucem domo pedem efferre periculosum esset, quotidie tamen armis tectus ad officium Diuinum pergebat in tenebris æque ac clara luce. Digressus inde, per Galæciam tandem in patriam redijt. *rem fortiter & magna fide in Syria gerit.*

Vastabat illam igne ferroque comes Barrensis, eius absentia fretus. Gobertum a bello jam alieniorem subditi tot malorum impatientes, grauissimis querelis impulerunt vt arma caperet: statimque territo ac abeunte retro comite, suis pacem restituit. Sed audito paucis post diebus agrum Metensem, vbi fratrem eius episcopum fuisse memini, ab eodem comite infestari; ille quo subditorum parceret sumtibus, dissimulato habitu, duobus tantum in comitatum admissis, in vrbem penetrauit. Quod vbi hostibus innotuit, pacem illi petierunt. Perlubenter annuit hic, cui alia jam placebant arma. Inferis, atque adeo sibi ipse bellum graue meditabatur. *Reuersus patriam tuetur.*

Digitized by Google

CAPVT II.

Villarij monaſticen amplexus, religioſe viuit.

RELigioſam quærebat academiam, in qua recta diſciplina inſtituerentur aſcetæ; multaque jam viſitarat loca, quando tandem Niuellas deueniens ad ſanctimonialem quamdam ſibi notam, virtuteque eximia ſpectabilem, nomine Grimelotam, animi ſui propoſitum aperuit. Alacrior illa hoc audito, Villarium miſit ad Abundum ejuſdem aſceterij pugilem multis jam probe exercitatum. Excepit hic magna caritate venientem; Deoque conſulto, diuinitus a B. Virgine edoctus, eum a Numine Villarium euocari pronuntiauit. Ille veluti ſi audiſſet oraculum, abjectis quamprimum omnibus terræ inanitatibus, Ciſtercienſe inſtitutum ibidem amplexus eſt.

Villarium ingreditur.

Infracta fortitudine,conſtantiaque quærendis virtutibus operam dedit. Eminuit inter ceteras eximius Dei parentis cultus,& erga ſacerdotes reuerētia. Notatum eſt numquam niſi poſt ōnes ſacerdotes,ante menſam lauiſſe manus. Vlli grauis aut importunus ne eſſet, ōni ſtudio cauebat. Aduerſis duriſve gaudebat,aduerſus egenos pius,in jejunijs ac vigilijs lætus,aſſiduus in commentandis Diuinis fuit. Breuis illi ſomnus,dura veſtis,cibus parcus. Cum iter aliquando faceret, liberaliorem cenam ſocius apparari juſſit: cui poſtridie admiſſam in ea fuiſſe dixit immoderationem. Excanduit ſocius: & paulo poſt cum ex equis ambo deſcendiſſent ad fundendas preces, Gobertus ſubmiſſis genibus & incumbentibus in terram cubitis,ſuppliciter cum lacrymis veniam rogauit. Cognata neſcio quo modo videtur generoſis mentibus modeſtia.

Illius virtutes.

Ad monaſterij portam paupercula femina calceos ſibi dari petebat : ille diligenter domi conquiſitos attulit. Quos cum illa duriores eſſe quereretur , & ſebo oleove emolliri poſſe diceret; quæſiuit ille oleum. Quod dum afferret , occurrit viro nobili ſibi perfamiliari. A quo ne deprehenderetur,ſub veſtem vaſculum abdidit:ſed inter officioſos amplexus effudit oleum, & adſtantibus omnibus riſum mouit. Sed rideri gratum illi fuit, ſi egenti ſubueniret.

Humilitas.

Infirmo cum eſſet ſtomacho, pullaſtros deſiderarat : quos vt ſibi vidit appoſitos,caſtigata acriter gula, adduci non potuit vt attingeret; ſed ad illos vt mitterentur obtinuit, quos e ſodalibus infirmos eſſe acceperat. Villam aliquam forte præterierat,cujus canes latratu moleſtiores fuerant :conuerſus ad ſocium: Latrantes tantummodo, inquit, at non mordentes canes, garrulis hominibus & alienę famæ detractoribus ſimiles ego quidem exiſtimo ; atque adeo hos illis non magis timendos eſſe. Aptum ſimile inconcuſſam hominis conſtantiam demonſtrat. Sed vide patiendi deſiderium cum caritatę conjunctum.

Temperantia.

Acerrimo gelu iter faciebat, quando mendicabulo ſtipem flagitanti cum dediſſet, veſtem ille prætereа petijt. Ipſe quidem ſuorum præſidum prohibitionem excuſauit : verum aliquanto poſt tempore ſubſtitit , & veſtes exuit. Quod cum ſocij mirarentur, & ſerio monerent de periculo mortis in tanta frigoris acerbitate : Si Chriſti membris, inquit , ſubuenire non datur , vna cum illis ſaltem pati liceat. Hæc amoris in proximum teneritas mirum animo robur addebat , maxime ſi ſalus æterna periclitaretur. Monaſterij ſeptis turpiter ſe proripuerat monachus quidam : audijt Gobertus, & ſecutus eſt illum citato curſu, atque adeo aſſecutus ; cum rationibus nullis, precibuſve aut minis a facinore deterrere, aut reducere ad meliora poſſet , medium corripuit hominem, impoſitumque humeris Villarium retulit , velut ouem perditam , quamquam ipſe non paſtor.

Pietas in proximum.

CA-

CAPVT III.

Insigni caritate Gemblacensis cœnobij libertatem tuetur, & ex eo mortem obit.

ALia caritate multo gloriosiore vltimam consecutus est palmam. Aleidis Brabantiæ dux mortuo conjuge pro liberis rerum summam administrabat: & fortè anno sexagesimo tertio Gemblacensis monasterij libertatem non leuiter impugnabat. Abbas tentatis frustra ceteris omnibus, quasi redactus ad triarios, confugit ad Gobertum, quem præstantissimè sanctitatis opinione collecta, non ignorabat Aleidi esse in magna veneratione. Ingressus erat viam Gobertus cum cœnobitis aliquot e Gemblacensi familia: accidit vt equus, quo vehebatur, arrepto dentibus freno, concitatus in præcipitem cursum, sessorem in terram effusum suo pondere ferme oppresserit. Concurrentes itineris socij jacentem erexerunt, & erumpentem vndique vt notarunt sanguinem; suaserunt Villarium se reciperet, ad curandum corpus. Sed ille constans in proposito, venit vt erat sanguine perfusus ad Ducem. Cohorruit ipsa tam tristi spectaculo, & de autore quæsijt. Ducem ipsam, ille respondit: cumque subdidisset Aleidis, nullo cujusvis rei conditæ pretio se quidquam simile designaturam. Atqui, objecit Gobertus, nisi Gemblacensis ecclesiæ libertatem violares, nequaquam hic mihi casus contigisset. Si qua sit in me culpa, refert Aleidis, tu valetudinem cura quibuscumque sumtibus; liberaliter omnes subministrabo. Ille vero præsentius sibi nullum esse remedium, ejusque item saluti conuenientius affirmauit, quam si Gemblacenses Dei famulos suo jure legibusque viuere permitteret. Permitto, ait ipsa, ab hoc tempore, & illos omni molestia libero. Ita rebus ex animi sententia confectis, Villarium redijt Gobertus, at pessumdata prorsus valetudine.

Suscepta Gemblacensium causa

lapsus equo

post confectum negotium

Præcipua religione, quoad vixit, sacrosanctam EVCHARISTIAM veneratus est: eoque fortassis nomine suauissimam cum Iuliana Corneliana necessitudinem contraxerat, quemadmodum suo loco narratum est. At modo quamdiu valetudinario detentus est, obtinuit vt ara ibidem posita quotidie res Diuina perageretur, & sæpe Diuinum ad immortalitatem viaticum perciperet. Deficientibus denique corporis viribus, cum animum rite sacris omnibus ad extremum certamen refecisset, ipso S. Bernardi festo die, in corona fratrum, tam sancte vitam conclusit, quam duxerat ad prouectam ætatem.

moritur.

III. FRANCO
monachus Villariensis. *Manuscr. Villar.*

GOberto hic admodum similis fuit, nobili Arkennensium equitum genere natus, domi militiæque celeberrimus. Cruce insignitus Asiaticam expeditionem suscepit cum duobus filijs: vbi multis prælijs victor rem Christianam aduersus Saladinum fortissime propugnauit. Ac postquam vterque filius in gloriosa adeo causa sanguinem & vitam generose profudit, in patriam ipse redijt.

Post expeditionem Asiaticam

Circiter annum 1190.

Monasticen deinde Villarij professus, magna totius mentis contentione omnibus se virtutibus exercuit: ne quid minus in hac sanctitatis schola, quam in militari præstitisse videretur. Nec inutiliter operam posuit. Omnes expleuit religiosissimi monachi partes. Singulari fuit in Diuina pietate. Sacrosanctam in primis EVCHARISTIAM mira veneratione coluit, suauissimaque perfundebatur voluptate, quoties intererat Diuino missæ sacrificio: numquam vero aberat, si per negotia liceret: nec vero illum auocabant febres quamquam ardentissimæ, quibus frequentissime æstuabat; etsi non deessent qui per causam valetudinis dehortarentur.

Villarij monachus

acta religiosissime vita

Dei Matrem tantopere amauit, vt intimis animi medullis infixam gerere videretur, & gratissimi essent omnes de illa sermones, cujus fide ac tutela omne salutis discrimen euadere sperabat.

Magnus fuit sui contemptor; ob religiosam humanitatem, animique promptitudinem

nem ad omne officium, vniuersis carus; cælestium rerum auditor auidissimus. Ceteris denique mentis corporisque exercitationibus religiosissimo asceta dignis cum vitam egisset; mortique vicinus promeritam tot virtutibus coronam veluti proximam spectaret, mira animi exultatione suauissimum carmen occinuit. Epinicion illud fuit ob insignes vtriusque militiæ victorias, quibus immortales triumphos promeritus erat: ad quos vocante Deo feliciter euolauit.

In magna pace moritur.

IV. BERNARDI DVO alter Villariensis, alter Salsiniensibus a confessionibus.

Chrysostomus Henriquesius.

Matt. 6. 18. Circiter annum 122.

CÆlestis Pater, *qui videt in abscondito*, virtutem etiam in occulto latentem numquam relinquet inhonoram. Villarij vixit hic Bernardus in celeberrima illa omnis honesti academia; ignotus tamen: neque de rebus ab illo gestis quidquam litteris proditum est. Vita denique functus adfuit Abundo notæ sanctitatis monacho (Martio mense de illo dictum) & mirabili exultans lætitia dixit: Quam magna, quam mira de Dei omnipotentis natura disserere possum! Quam jucunda simul & stupenda enarrare possum de æterna superorum felicitate! Quibus subjunxit: Ex quo nuncupatis votis monasticen professus sum, e capitis totiusque corporis infirmitate, ac mentis ægritudine miseram, durisque grauissimam ærumnis vitam egi: eaque de causa bonorum omnium fons & origo Deus, glorioso martyrum collegio permistum me immortali beatitate cumulauit. His dictis e conspectu abijt. Tanti Deus facit malorum tolerantiam, quam non æternis tantum bonis compensat, sed a mortalibus etiam vult ornatam.

Eximium patientiæ præmium.

Huic subjiciendus alius item Bernardus, etsi nesciam e quo monasterio. Insigni alioqui morum integritate, vitæque sanctimonia spectabilis, diu Salsiniæ sacris virginibus a confessionibus fuit: quas non magis religiosis institutionibus, quam potioris vitæ exemplis ad omnem monasticæ disciplinæ perfectionem sapienter perduxit: ac tandem venerandam senectutem optima morte clausit. Diem mortis ignotum existimo: optime tamen sancto eius Patri jungendum putaui.

Die vigesimo primo

HELINVS abbas Floreffiensis. *Bibliotheca Præmonstratensis.*

MAgnus omnino hic vir fuit, & celeberrimi Floreffiensis monasterij abbas VII. De quo pauca prodidere majores; sed breuiter grauem a Bibliotheca Præmonstratensi commendationem accipe. Fuit *moribus grauis, pietate & vitæ sanctitate conspicuus, doctrina insignis, dicendi facundia pollens. Iacobo Vitriaco se socium dedit tum in prædicatione crucis, tum in transmarina expeditione.* Multa paucis habes comprehensa. Datas porro ad patriarcham Ierosolymorum litteras a Geruasio abbate Præmonstratensi in hæc verba, testatur idem scriptor. *Cum D. Papa scripserit ven. & dilecto fratri Helino abbati Floreffien. latori præsentium pro suscipiendo ad petitionem D. Acconensis episcopi transmarinæ peregrinationis onere; laboriosaque peregrinatione suscepta ad præsentiam vestræ paternitatis accedat; vestra pro eo præeminentia supplicamus, quatenus ipsum habeatis in Domino commendatum, vtpote virum vita commendabilem, & qui multos labores in terra sua sustinuit: & ad liberandam hereditatem Domini fidelium mentes exemplo monuit & verbo. Specialiter siquidem vos rogamus, vt cum regratiatus populo suo Dominus funiculum suæ hereditatis reddiderit adoratoribus crucis suæ, possessiones ecclesiarum nostri ordinis, videlicet S. Samuelis, & S. Abacuc, quarum prima est Præmonstratensis, secunda Floreffiensis filia specialis, eidem abbati restitui curetis: vt cum fidelis populus gaudebit gentium incredulitatem confusam, & terram debito cultui restitutam, nos eo plenius possimus congaudere gaudentibus, quo prædictis reuersis ad ordinem, nihil nostro deesse gaudio sentiemus. &c. In omnibus quæ ad ordinem nostrum pertinere noscuntur, eidem abbati nostro plenitudinem pote-*

Digitized by Google

potestatis concessimus. Quibus facultatibus instructus quid perfecerit Helinus, ab eodem autore accipe. *In eo itinere infinitos terra marique labores & ærumnas sustinuit, multos infideles conuertit, & fideles e barbara seruitute liberauit. Re Christiana in melius restituta, factus est abbas S. Abicuc, licet reluctans. Vbi dum strenue laborat, aduersariorum perfidia illud deserere coactus, recepit se in Cyprum ad monasterium Episcopiæ Præmonstratensis ordinis diœcesis Nicosiensis. Vbi vitæ sanctitate florens, multis reuelationibus, & diuersis charismatis illustratus, die & hora mortis diuinitus acceptis, lento morbo confectus feliciter obijt 21. Augusti.* Floreffiam regere cœpit post annum 1209. desijt autem viuere anno Christi 1218.

Die vigesimo secundo

S. MAVRVS

presbyter & martyr. *Molanus.*

EXternus hic est gente & vita, sed noster sanctissimo corporis sui deposito. Rhemis illud attulit anno supra millesimum octauo Gerardus Arnulfi toparchæ Florinensis filius: qui quod in solo patrio condiderat S. Ioannis Baptistæ cœnobium, sacro hoc pignore nobilitatum volebat. Obtinuit autem ab Arnulfo Rhemorum archiepiscopo. Qui ne tanti martyris præsidio suam ecclesiam spoliaret, eius caput eburnea conditum theca retinuit, substituto S. Timothei capite; quod & Florinas misit: vbi in hunc diem ambo venerationi sunt, multitudine ex omni vicinia religiose concurrente. Florinas aduectus est

Rhemos imperante Nerone Roma venerunt, & magno Christiani nominis incremento sementem euangelij sparserunt. Comprehensum vtrumque Lampadius præses in vincula misit, multisque iussit torqueri cruciatibus. E lictoribus quidam nomine Apollinaris, cum Timotheum cæderet, binos angelos vidit eius plagas extergentes & suauiter demulcentes. Quo perculsus spectaculo, cum ad illius sacra se transire velle affirmaret, aduocatus a Timotheo Maurus presbyter sacris vndis illum abluit. Circiter annum 68. qui Romę fortiter vicerat.

Quod vbi accepit Lampadius, varie illos cruciari mandauit, multisque conscissos vulneribus calce & aceto aspergi, tum in ora feruens liquidumque plumbum infundi. Sed cum inuicta fortitudine omnem illius inhumanitatem superarent, porta vrbis educti, cum socijs quadraginta, quos Christianis sacris initiauerant, securi percussi, illustre martyrij decus adepti sunt.

Die vigesimo quarto

I. S. THEODORICVS

abbas S. Huberti. *Cantatorium & catalogus abbatum S. Huberti.*

CAPVT I.

Lobij monachus, litteris & virtute clarus, abbas creatur.

SVb annum a Christo nato millesimum sextum nobili genere natus est Lernę non procul Thudinio: & cum adoleuisset, Lobij monasticam amplexus. Peritissimum hic asceseos magistrum habuit Richardum S. Vitoni abbatem: de quo fuit suus dicendi locus. Tanti viri disciplina insignem morum integritatem, cognitionemque litterarum collegit, cui prężter inditam a natura indolem, eximia præsidia Deus submittebat. Litteris & virtute clarus.

Illustri illo virtutum ac sapientiæ vinculo ita celebrari cœpit, vt sine inuidia gloriam assecutus videretur. Omnem quippe tumorem, quo litterę animum inflare, & alios offendere solent, euangelica reprimebat modestia, suique ipsius contemptus. Carus igitur omnibus, ab omnibus expetebatur. Creatum a Gerardo Cameracensi præsule sacer-

dotem

Digitized by Google

DIE 24. dotem, desiderarunt abbates plerique suorum cœnobiorum scholis præfici. Obtinuit Stabuleti Poppo, Virduni Gualeranus Richardi successor, Mosonij Rodolfus. Vbique ille tam sedulam ac vtilem nauauit operam, vt relicto non minus sanctimoniæ, quam eruditionis suauissimo odore, longo post tempore gauisa sit posteritas.

multis in cœnobijs docet.

Tendens in Syriam

Inter hæc incessit eum religiosior cupido illa Palæstinæ loca lustrandi, quę suis vestigijs Christus Dominus olim consecrauit. Hugone Lobiensi abbate potestatem faciente profectus, Pannoniæ jam imminebat, quando territus periculorum varietate, quę orto Germanos inter & Pannonios bello non poterant non esse frequentissima, transmisit Adriaticum, & Romam deuenit, in Syriam deinde nauigaturus. Huc venerat Theoduinus Leodiensis episcopus, Leonem pontificem e Lotharingia redeuntem comitatus anno vndequinquagesimo. Improbauit hic Theodorici consilium, illique persuasit, secum vt in patriam rediret. Viri consuetudine admodum delectatus est toto itinere, suauique illum beneuolentia complexus, Lobium reduxit.

Roma Lobium reducitur

Non longo post tempore Theoduino mandauit imperator, monachum vt ad se mitteret Richardi abbatis imbutum disciplina, qui Fuldensibus scholis præesset. In Theodoricum mox episcopus animum conuertit, illumque aduocauit Lobio, missurus ad imperatorem. Verum sub idem tempus vita simul & abbatis munere Andaini decessit Adelardus. Existimauit Theoduinus nullo Cæsareæ majestatis contemptu, primam posse haberi propriæ diœceseos rationem. Alio itaque designato, qui Fuldam proficisceretur, de cleri & sapientiorum consilio Theodoricum creauit S. Huberti abbatem; probauit clerus vniuersus autore Godescalco magnæ sapientiæ viro, & Anselmo S. Lamberti decano, quibus hac ætate in ejuscemodi negotijs multum tribuebatur. Excusauit ille suam agendarum rerum imperitiam, penuriamque virtutum tanto muneri necessariarum. Verum eo magis hominum acuit studia, quo sentiebat & loquebatur de se abjectius. Humeros ergo coactus imposito oneri subijcere, ab abbatibus Gonzone Florinensi, & Stephano S. Laurentij IV. nonas Februarias anni quinquagesimi quinti abbas consecratus est.

ANN. 1055.

& abbas S. Huberti fit

CAPVT II.

Præstanti virtute suam dignitatem ornat.

LEodio discedens ad creditum sibi gregem pascendum, vt summum eminus monasterij prospexit culmen, equo statim delapsus, Deum de genibus supplex rogauit, bene verteret, quam susceptum veniebat prouinciam. Tum capite pedibusque nudatis, cum asperrima hiems esset, itineris reliquum fecit. Exceptus quo par erat honore, suam mox exornare Spartam aggressus est, non magis verborum sententiarumque grauitate, quam sanctitate exemplorum. Et quamquam præfractiores aliqui antiquum amarent, primæ libertatis illecti dulcedine, salutaribus tamen Theodorici consilijs factisque conuicti, manus tandem dederunt. Graue pondus addidit Lambertus quidam; qui ceterorum animos ad imitationem eo validius permouit, quo pertinacius, pijs Theodorici conatibus obstiterat. Hominis contumaciam fregit ipsius Dei benignitas. Ita narramus suo loco. Auspicijs ergo sancti abbatis ea refloruit monasticæ disciplinę dignitas, vt non in S. Huberti dumtaxat, sed alijs præterea pluribus monasterijs diu pullularint præstantia germina Theodorici manu sata, & studio exculta.

Nonnullis repugnantibus

disciplinæ corruptelas corrigit.

Reuulsis stirpitus corruptelæ zizanijs, lętior incubuit abbas in nouellarum plantarum culturam, & omnis honesti sationem. Verum cum nihil docere constituisset, quod ante omnes prior ipse non faceret: quod primo tirocinio didicerat, ceterorum magister jam factus, minime dimittendum existimauit. Nullo vmquam die plus quam semel cibum sumsit, eumque tam parce, vt numquam non esuriret. Non carne dumtaxat, sed ouis & caseo se semper abstinuit. Aduentu & quadragesima biduo nonnumquam, sępe triduo solido prorsus nihil gustauit. Vilissimus fuit, quo vtebatur, lectus, eique asperum insternebat cilicium. Breui contentus somno, sodales omnes ad orationem anteuertere solitus est.

Illius virtutes.

Præter canonicas preces, quas eximia religione cum toto sodalium cœtu recitabat, Dauidis Psalmos omnes quotidie legebat ipse, aut si quo graui prohiberetur impedimento, mandabat ab alio legi. Suos omnes insigni caritate complectebatur: nec quemquam

quam

Digitized by Google

quam fortuna, genere, amicorum potentia, vel alia quauis naturæ præstantia; sed religione & integritate morum æstimabat. Omnium se aptabat ingenijs; nec vllam bene faciendi dimittebat occasionem, dum in singulis vitę sanctitate formaretur Christus. Supra statas, & ab antiquo vsurpatas eleemosynas, nouem in singulos dies alebat egenos: in quibus Christum ipsum veneratus, ad eorum manus & pedes lauandos, tergendosque, eximia se pietate demittebat.

CAPVT III.

Odio dæmon, amore Deus & miraculis illum prosequitur.

IIs quas commemoraui artibus vt Numinis gratiam & amorem, ita dæmonis odium in se concitabat. Intempesta nocte preces in ęde sacra fundebat aliquando; ecce cerua circumcurrere visa, strepitu pedum orantem aggreditur fatigare. Insolentiam ille miratus ad cœnobij portam abit, ratus per eam aliqua negligentia tum temporis patentem irrupisse illam e vicina silua. Euntem mox præcipiti cursu præuertebat illa, mox conuersa pone sequebatur; tum in sanctum virum toto impetu incurrebat. Vt portam rite clausam, & firmiter obseratam vidit, diabolicas tum denique suspicatus præstigias, Crucis signo dextera efformato: *Ecce crucem Domini* (inquit) *fugite partes aduersæ*. Fugitque statim turpiter inimicus, succussa vehementer tota domo, vt ruere videretur. Dęmonem a se repellit.

Non multo post ante principem aram abiecto in terram Theodorico, clarissima lux cęlo demissa templum omne perfudit: vna adfuit colore niueo & eximia specie columba, omnesque basilicæ angulos læto primum volatu lustrauit, tum altaria singula grato alarum plausu, & voce suauissima salutauit, ac insedit denique oranti abbati: donec dato vigilijs signo cum luce euanuit columba. Spectarunt hæc, qui ad monasterij custodiam e sodalibus excubabant: & orto die cum abbati velut ignaro gratulabundi visa narrarent, indoluit vero vir modestus, vt se deprehensum accepit: & ne cuiquam quoad ipse viueret, significarent seuere inhibuit. Cælesti luce radiat.

Aliud accipe pluribus comprobatum testibus, & illustre Diuini in illum amoris monumentum. Iuliaci mulier quædam diuturniori corporis infirmitate propinquos omnes fatigabat, cum insomnijs ac inedia nullam conualescendi spem relinqueret. Forte huc aduenerat Theodoricus (Coloniam ad Annonem archiepiscopum contractæ necessitudinis gratia itabat nonnumquam) visa est infirma mulier per noctem virum videre veneranda specie, & ab illo moneri, ad abbatem adiret orto die sacris operaturum, & panem fausta eius precatione consecratum efflagitaret; confideretque recuperandam eius precibus valetudinem. Amicis ægram mane deportantibus, & abbatem obnixe pro illa rogantibus, cum ante recitatos Dauidis psalmos silentium soluere non consueuisset, abnuere primũ & reniti signis nutibusq; cœpit; & quando importunius vrgerent, contestari supra suas id esse vires & virtutem. Denique concurrentium multitudine, precibus, & lacrymis euictus, consecrati panis frustulum in os feminę immisit: & integram extemplo adepta est valetudinem. Ille a mortalibus venerationem reformidans, sese mox vrbe proripuit; neque per illam deinceps iter vmquam habuit. Ægram feminam persanat.

CAPVT IV.

Principibus viris carus, moritur, miraculis celebratur.

SEquentem non magis gloria fugit, quam fugientem prosequitur: Theodoricum profecto deserere non poterat, quem Diuina certis testimonijs volebat ornatum prouidentia. Venerationi fuit non modo suis, sed etiam fama longius euagante, dissitis. Nam præter Theoduinum & Henricum I. episcopos Leodienses, carus in paucis fuit S. Annoni archiepiscopo Coloniensi, Metensi episcopo Adalberoni, Helimando Laudunensi, Manassi Rhemorum; qui Theodorici consuetudine admodum delectabantur, quod ab eius consilijs ac precibus non exiguum suis rebus pręsidium sperarent, at sibi potissimum acrem stimulum ab illius exemplis. Pluribus episcopis carus est.

Neque sibi ipse deerat, dum explorabat sedulo quid in tantis præsulibus imitaretur. Eum aliquando mensæ suæ adhibuerat Adalbero Metensis, & illatas pirorum primitias

DIE 24. mitias cum sæpe manu contrectasset, admouisset naribus, & aspectu visus esset admodum delectari; in accubantes denique diuisit, nulla sibi vel minima portione seruata. Theodorici perspicaces oculos non fugit illud factum. Remotis mensis, & procul ab arbitris, ex Adalberone causam abbas petijt: accepitque illum, cum adolesceret, contemptis temperantię finibus, fructuum dulcedine plus æquo capi solitum: quod peccatum saltem ætate matura censeret sic expiandum, vt per quæ deliquerat juuenis, per eadem senior plecteretur.

Insignis sui victoria.

Salutare Theodorico fuit illud documentum: quod non contentus vsurpare, nonnullis præterea familiaribus commendare solitus est, prodesse id affirmans, non ad noxas tantum præteritas expiandas, sed vitandas etiam in posterum alias. Quid enim a prohibitis timeri debeat, quando nec admittuntur concessa?

A principibus amatur.

S. abbatis virtutem suspexerunt insuper principes multi. Nam vt inferioris notæ nobilitatem prætercam, amplectebantur illum & colebant Arnulfus Ciniaci comes, Cono Montis acuti, Albertus Namurci, Adeladis Aræ leonis, Godefridus Bullionius Lotharingiæ dux cum conjuge Beatrice, & qui successit alter Godefridus, ac denique rex ipse Gallię Philippus. Qui omnes non modo grauissimas causas eius arbitratu decidendas reliquerunt, sed in eius gratiam permulta liberaliter Hubertensi cœnobio largiti sunt. Adeo vt plura addiderit monasterio Theodorici vnius virtus, quam accuratissima plurimorum abbatum œconomiæ ratio: atque illi regnum Dei & justitiam eius primum quærenti, cetera profuse Deus adijcere voluisse videatur.

Sācte moritur.

Vltima denique ætate, virtutibus tamen quam annis maturior, cum supremam adesse sentiret necessitatem, eamque Henrico Leodiensi episcopo & Beringero abbati S. Laurentij nuntiasset, adfuerunt ambo rejecta omni mora: suauissima quippe virtutis glutino coaluerat inter ipsos necessitudo. Deposita episcopo in aures peccatorum sarcina; Christianisque ad extremam pugnam instructus armis Theodoricus sancte diem obijt anno supra millesimum octogesimo sexto. Annos vixerat octoginta: e quibus vndesexaginta post editam Benedictinæ disciplinæ professionem acti erant, duos & triginta cœnobio præfuit.

Quem multa virtutis dignitate viuentem Deus ornarat, innumeris mortuum celebrauit prodigijs. Patrum tamen nostrorum memoria ausa est hæreticorum e Francia erumpentium impietas corpus miraculis nobile redigere in cineres & fauillas. Sed impijs flammis viriditatem decusque suum numquam amittet virtutis laurea.

II. S. SANDRADVS abbas I. Gladbacensis. *Molanus.*

TReuiris ad S. Maximini monachus fuit, sanctitudinis opinione celebratissimus circiter annum a Cristo nato nongentesimum septuagesimum. Forte sub idem tempus jussus erat diuinitus Gero Coloniensis archiepiscopus in S. Viti memoriam monasterium exstruere, sed nullo loci cujusquam indicio. Cum Sandrado virtutis nomine plurimum tribueret, illi ad se euocato dedit id negotij, diligenter & religiose vt quæreret, quem Deus locum designare videretur.

Piam hanc ille prouinciam sedulo aggressus, inuenit non procul Nouesio, sed intra Leodiensis diœcesis fines Gladbacum: vbi sacram ædem fuisse memorabant Hungarorum populatione subuersam. Et reuera diligentius rudera dum lustrat, marmoreum loculum inuenit, & in eo S. Viti reliquias. Quod vt Geroni nuntiauit, nullus de Numinis voluntate dubitandi locus relinqui visus est. Construxit ergo monasterium archiepiscopus, & augendæ religionis gratia S. Laurentij martyris caput in eo collocasse fertur; Sandradumque præfecit abbatem; ac tandem vita decessit.

Cui substitutus Warinus, cum ab æmulis nescio quibus accepisset plus tribuere Sandradum Leodiensi ecclesiæ quam Agrippinensi, eum dignitate repulit, altero substituto. Nulla sine spinis rosa est. Nec facile sine aduersis floret virtus.

Adnitente Adelheide Augusta (cui sanctitatis gratia carissimus erat) restitutus dignitati Sandradus, rem monasticam simul & familiarem non leuiter absente se labefactatam in primum reuocare splendorem postquam generose, & magna Diuini nomi-

Digitized by Google

nominis gloria studuisset, ad beatam denique immortalitatem abijt. In Coloniensem DIE 24.
diœcesim, facta aliqua permutatione, transijt deinde Gladbacum.

Die vigesimo quinto

I. S. GREGORIVS episcopus Vltrajectensis. *Molanus.*

GEnte fuit inter Treuiros nobili. Palatioli educabatur ad sacrum gynæceum, cui præerat Adula, vitæque annum agebat decimum quintum, quando Bonifacio Frisiorum & Germanorum apostolo ad Hessos & Turingos illac iter faciente, jussus est ANNO 718. super mensam sacrum librum legere. Pueri delectatus indole Bonifacius, ab eo voluit illa explanari, quę legerat. Cumque suam ille imperitiam excussasset; aggressus dissere ep scopus, ea disputauit de humanarum rerum contemptu, dignitateque cælestium, quæ in Gregorij animum demissa sic illum immutarunt, vt tanto magistro discipulum se mox tradiderit, & mirabiles in morum vitæque totius innocentia fecerit progressus: nec alium matura post illius ætate sapientiaque voluerit sibi Bonifacius in ecclesia Vltrajectensi esse successorem.

Imbutus adeo sanctis institutionibus Gregorius, episcopatum non impari sapientia gessit. Non lingua magis, quam manu, non salutaribus magis præceptionibus, quam integerrimis exemplis absolutam Christianæ vitę formam suo gregi expressit bonus pastor. ANNO 771. Septuaginta jam annorum, affectus paralysi de prioris vitæ studijs & contentione, quoad poterat, nihil remisit: sanctisque saltem cohortationibus discipulos ad altiora semper efferre non cessauit.

Totos tres annos cum ægritudinis molestias insigni fortitudine sustinuisset, morti ANNO 774. jam proximus, dejectiore animo discipulos esse accepit, quod Albricus abesset ille, quem e toto auditorum grege virtutum imitatione magistro suo similiorem existimabant, optabantque etiam successorem: sed anno superiore sibi comitem esse voluerat Carolus Magnus aduersus Longobardos profectus in Italiam. Tum Gregorius: Macti animis, inquit: pijs desiderijs Diuina pietas obsequetur. Vita prius non abibo, quam ad vos redierit meus Albricus. Euenit: X. Kalend. Septemb. redijt ille: tertioque post die sanctus episcopus ad Saluatoris sacrarium deportatus, post percepta sacrosancta mysteria, fusasque preces religiosissime simul & placidissime mortuus est. Cultam studiose tot annis sanctitatem miraculis Deus celebrauit. Sacrum corpus in Susterenensem parthenonem auectum est. Eum locum, quamquam in Leodiensi diœcesi, cum viueret, amauerat, ibique freqnens fuerat, ob eximiam sanctimoniæ dignitatem in illo cœnobio jam tum emicantem.

II. CORNELIVS VISHAVÆVS e Societate IESV. *Oliu. Manaræus, Historia Societatis, Imago primi sæculi, Doutremanus,*

CAPVT I.

Religiosam in sæculo vitam agit.

MEchliniæ non minus pijs, quam honestis parentibus natus, ad annum vsque duodeuigesimum non sine peculiari Dei prouidentia multis in ærumnis & incommodis educatus est: vt jam tum ad bajulandam crucem & religiosam disciplinam videretur institui. Parisijs puer Latinis vix tinctus litteris, reuocatus est in patriam: in qua contra omnem animi nutum voluntatemque a litteris ad opificia traductus, cum robustior accessisset ætas, ad ingenuas artes, quo toto impetu ferebatur, parentum permissu Louanium se retulit: eosque breui habuit in doctrina progressus, vt ad magisterij gradum, & sacerdotij decus præter spem omnium exspectationemque conscenderit.

Sacerdotio ibidem in æde S. Petri donatus, in rem catholicam egregie laborauit. Abhorrebat ab hęreticorum hominum vsu, prauorumque consuetudine: quorum dum miserabiles redarguit insanias, perniciem a sanis, fraudem a simplicibus propulsabat. Assiduus erat æque ac pius in accurata procuratione sacrorum: sedulus ac benignus in admouenda confitentibus aure: nec animorum modo saluti, verum etiam corporum egestati, quoad poterat, consulebat. Virginitatis & vitę cœnobiticæ tam erat amans, vt complures virgines adolescentesque varijs in ordinibus collocaret; ejusdemque consilio feminę non paucæ Deo dicatam virginitatem in ipsis sæculi fæcibus custodirent. Cujus multiplicis in Christo prolis spectata sanctitas, eximięque virtutes in communem patrem spiritus redundabant; vt jam tota illa regio Cornelij nomine personaret: nec deerat, qui res ab illo gestas litteris consignaret, spargeretque in omnem late viciniam.

Egregia virtus.

Creditus est intimam cum Deo familiaritatem contraxisse, absentiaque ab illo, futuraque didicisse. Adolescentulam neptem suam alebat domi: cui aliquando discessurus ad preces antelucanas in D. Petri, serio mandat vt ne cuiquam fores aperiat ante horam, quam dicebat: sibique etiam fidem haberi vetat: ni paruerit, male illi cessurum. Aliquanto post tempore semel iterumque pulsantur fores: silet illa primum; sed cum tertio rursumque pulsaretur, aperturam illa se negat absente patruo. Paulo post denuo pulsatur: quærentique puellæ quis adesset, respondetur patruum esse. Paret puella, vultuque, voce, ac gestu patruum agnoscit: & sui mox impos inuitantem ad egressum sequitur in tenebris, pluuio cęlo, per vias valde lutulentas. Deuenitur ad fluuium, & ad infimum ripæ gradum descenditur, in quo mulierculę pannos lauare consueuerunt. Hic oculis velut apertis periculum misella cognouit, & fugam meditabatur; cum diabolus, qui puellæ patruum hactenus simulauerat: Nisi meæ, inquit, morem geras voluntati, in amnem te præcipitem dabo. Sed illa ad Diuinam pietatem se conuertente, & S. crucis signum objiciente, e conspectu se confestim is proripuit. Sibi denique hæc reddita, eo se deuenisse animaduertit, vbi vrbe fluuius elabitur proxime portam S. Iobi. Domum incolumis redijt patrui præsidio, vt creditum est. Nam cum in S. Petri basilica diuinitus didicisset ille neptem dictis non obtemperasse, domum reuersus est, quam inuenit patentem, & dum in preces incumbit, tandem & ipsa redijt.

Neptis periculum præuidet

& repellit.

CAPVT II.

Societatem JESV ingredi constituit.

Mirabantur de vulgo plerique, cur Vishauæus, qui tam multos ad religiosa castra submitteret, viuere ipse cum populo mallet: quibus ille respondebat; præstabilius sibi videri, si nullius ipse religionis institutis adstrictus, religionum claustra repleret; quam si in eorum aliqua semel inclusus, paucos ad ea in posterum excitaret. Verius fortasse diceret, ne se quidem de populo diu fore: sed jam tum præmittere, quos haud ita mox impigro cursu consequeretur, & quidem in eam familiam, quæ in medijs collocata cœtibus, ad eamdem vitæ perfectionem ceteros inflammaret. Diuino consilio factum putes, vt dum nullam ad disciplinam animum applicat, ei se potissimum reseruaret, vbi suæ sitis ardorem in aliena perquirenda salute, defendendisque ab hæresum labe catholicis mitigaret.

Societatem diuinitus agnoscit

Certe paucis ante diebus, quam Louanium aliqui de Societate primum venirent, mos Cornelio fuerat in precatione frequenti supplices ad Deum manus tendere, vt auxilia sibi aliqua piorum hominum demonstraret, quorum societate fruges in ecclesia Dei vberiores ferret. Itaque Diuino admonitu exaudiuit interius, propediem Louanij sodalitatem quamdam euangelicorum hominum, cui ipse se conjungeret, affuturam. Aduenerunt illi anno quadragesimo tertio: quibus hac occasione Cornelius adhæsit.

Petro Fabro vni e primis S. Ignatij socijs, asceticis meditationibus exercendum se crediderat Petrus Canisius eo successu, quem omnibus amicis optaret: is quippe omnis boni genius est: se mox quam latissime diffundere amat. Scripsit igitur ad Nicolaum Eschium suum olim præceptorem, Distemij tum commorantem, rogauitque vt Franciscum Stradam insignem ex eadem Societate juuenem conueniret, eius audiret consilia, sed pijs maxime commentationibus ab eo se pateretur excoli. Adiuit ad Franciscum Eschius, sed canos suos imberbi juueni non submittendos esse cum censuisset, autor

Cor-

Cornelio fuit, vt Stradæ ingenium periclitaretur. Acquieuit hic perlubenter; & ab eo de Societatis institutis edoctus, inspectoque diplomate pontificio, exultare gaudio cœpit, palmasque in cælum tollere, ruere in amplexus Stradæ, & eam, quam sibi narrauerat, Societatem ardenter expetere.

Nec mora: sorori satis amplæ familiæ procuratione relicta, compositisque domesticis rebus, ad exercitia magno ardore animi recessit. Recessus autem is exitus fuit, vt inter sacrificandum in abditissimis EVCHARISTIÆ mysterijs Christo pręsenti Societatem se vouerit initurum. Quamquam inter exercendum congelare quodammodo visus est, & expers esse lacrymarum ac gemitus, expers intimi doloris ac gaudij; quibus animi motibus tangi plerumque solent, has exercitationes qui primo attingunt: vt affirmaret Strada frigidiorem in eis se vidisse neminem: cum tamen, vel ipsa vociferante fama pernosset, quanti candoris & innocentiæ Cornelius esset, qui tam ardenti pænitentiæ studio corpus domuerat, vt quatuordecim ipsis annis, siue ad tutelam virginitatis, quam perpetuo coluisse creditur, siue ad placandum cæleste Numen non tam culpis suis, quam alienis offensum, textum horrenti crine cilicium continenter induerit.

Ceterum ijs exercitationibus solido magis animi fructu, quam sensu quodam teneriore perfunctus, susceptoque certo ac stabili de Societate consilio, Stradę socijsque autor fuit, vt relictis, quas conduxerant ædibus, migrarent in suas. Ea res Societatis in illa vrbe famam & nomen auxit. Cum enim e sociorum præscripto Cornelius sacrarum confessionum prouinciam, ne apud sanctimoniales quidem & gynæcea deponeret, novum videlicet vitæ genus profitebatur vbique: & eam vbique familiam, cujus in vsum possessionemque transierat, pervulgabat. Hoc Louanij primum, deinde etiam in tota illa prouincia propagationis pignus Societati Diuina liberalitas obtulit. & ad eam aspirat.

CAPVT III.

Reddita Petro Fabro sanitate, Societatem ingressus, aduersum se certare mirabiliter edocetur.

NOn multis post diebus Petrus Faber is, cujus ante memini, Louanium Colonia venit, Cornelio & socijs expectatissimus. Quos vt aspexit, & jucundissimis excepit amplexibus, conuersus ad Cornelium, qui propter eius aduentum festum diem agere videbatur: Age, inquit, Corneli, satis jam habeo te de facie nosse: quem etsi meis oculis antea non vidi, te tamen noui. Nihil est cur de nobis vehementius angaris; postridie hinc in Lusitaniam obedientia nos auferet. Cui Cornelius: Aduersari, inquit, imperio isti & obedientiæ nec ausim equidem, mi pater, nec omnino debeo. Ceterum illum ipsum, qui obedientibus frænum injicit cum vsus est, Christum inuoco, ne te hinc abire permittat: sed quamdiu huic populo vsui fueris, remoretur. Subrisit Faber; & Antuerpiam ad Lusitana inspicienda nauigia postero die pergit. Quę vt ad soluendum expedita jam vidit, confestim nauigationis socios deducturus Louanium repedat. Prodigio Fabrum Louanij detinet,

Vix eo redierat, cum tertiana febris accessit. Hæc penitus strauit hominem, & lecto affixit ne moueri loco posset, adeo pertinax (quippe bimestris) vt eius jam curationi diffiderent. Sed cum ei Cornelij preces pro sua Louanij commoratione venissent in mentem, hominem ad se accersitum rogat, jam vota vertat, & argumenta precandi; & qui tam pertinacem febrim fusis precibus aduocasset, is denuo adhibita precatione discutiat. Fecit imperata simplici candidoque pectore; & exinde melius factum est laboranti, vt e lecto subinde surgere, suisque niti pedibus medico admirante jam posset. & sanat.

In morbum vero videtur idcirco fuisse delapsus, & ex eodem releuatus Cornelio supplice, vt illius virtutem ac sanctitatem diligentius excuteret, cujus esset tanta vox commendationis in vulgus. Cum enim illum jam dudum auide desiderantem Societate tandem recepisset, sensit continuo periculum esse, ne viro bono ac simplici angelus præstigiator illuderet: eoque exquisitius toto trimestri veluti rudem integrumque discipulum quotidianis experimentis exercuit modo tolerantiæ & suiipsius victoriæ, modo Christianæ humilitatis, & rerum humanarum despicientiæ, idque non tam in vmbra domestica, quam in luce clarissima ciuitatis, cujus ille in honore habebatur ac pretio. Societate receptus

Exer-

Digitized by Google

DIE 25. Miro modo exercetur.

Exercebat eum per Stradam longe ætate posteriorem, necdum sacris initiatum, & adjungebat concionaturo pedissequum sacerdotem, vt clepsydra in manus sumta de suggesti gradibus coram populo dicendi spatia metiretur. Sæpe etiam hominem increpabat jure injuria: sæpe domesticorum in auribus oculisque, quo majore illum rubore perfunderet, accusabat. Alias etiam ad explorandam in omnem partem æquitatem eius animi atque constantiam, mutabat ea quæ deprimebant, cum ijs quæ tollebant animos & augebant; & probra vertebat in laudes, dedecora in reuerentiam. Interdum vero jubebat eum aliquid exscribere: quod cum ille vt poterat exscripsisset; Faber eo conscisso tamquam male vitioseque descripto, jubebat eadem iterum sæpiusque describi; & quo plures haberet ansas ad reprehendendum, modo litterarum apices inuenustos, modo crebras lituras, quæ scripturæ speciem obtererent, vitio dabat: nunc obliquos linearum ductus, nunc aspersas papyro labes, & atramenti maculas vituperabat: obseruans interim velut ex insidijs, num quod impotentis animi verbum ex ore excideret: num quid ab eo fieret turbulenter & iracunde.

Consueuerat secundum cenam ei prescribere, quæ postridie ab illo geri vellet, & ad periclitandam accuratius obedientiam, plurima illi in eam diem, quæ certo ordine & ratione digereret, imperabat. Iubebat (verbi causa) iter aliquod ab eo suscipi, & simul viarum numerum & ordinem perturbatissimum describebat, quem in eo itinere conficiendo seruaret; mandabatque negotium aliquod, & quibus simul id verbis gereret, peruersis scilicet ac preposteris imperabat. Exacto die rationem mandatorum, & præscripti simul ordinis reposcebat, vtrum in conficiendis negotijs viciniora prius in loca quam remotiora suo arbitratu, an prius se in hec, quam in illa prescripto ex ordine contulisset. Similique ratione vtrum hæc & illa verba quemadmodum ab se acceperat, eodem ordine reddidisset, an commutato ordine suum ad arbitrium exposuisset. Pugnantia quoque, & quę fieri vno eodemque tempore ab eo nullo modo possent, imperare consueuerat: vt quem afferret diuersa inter imperia conatum ad obtemperandum, ex ipsa animi pugna atque ancipiti cura perspiceret.

His demum experimentis contra ludibria callidissimi hostis præmunitus, sua voluntate judicioque spoliatus est, altisque inniti radicibus humilitatis inuentus. Hinc eius in Fabrum singularis fuit obedientia, tamquam discipuli in magistrum, filij obsequentis in patrem; vt in eius conspectu præ reuerentia & pudore vix hisceret, mandataque eius vel tenuissima religiosius exhauriret.

CAPVT IV.

Vtiliter laborat Louanij, in Sicilia, Romæ. Optime Laureti moritur.

VOcatus alio, Louanium Petrus Faber reliquerat, quando Cornelium ceteri rectoris loco, dum nutus exspectatur Ignatij, sibi delegerunt. Probauit eam lectionem S. pater. Quamquam quid imperio hominis opus erat, vbi Dei spiritus rector erat? aut quid erat negotij continere eos in officio, qui sibi ipsi lex erant? Plus molestiæ fuit ab vno Romualdo Cornelij nepote, egregio alias adolescente. Quem ad Societatem a Deo vocari cum patruus existimaret, diuque nequicquam vrgeret alia omnia cogitantem: Diuino tandem afflatu: Itane vero, inquit, Deo mentem occludes? Seueram illius manum haud ita mox senties; intelligesque tuo malo, quam graue sit vocanti non obtemperasse. Ita euenit. Acerba febri correptus adolescens, diu non posse viuere creditus est. Ingressus ad eum Cornelius, familiaribus affirmauit nullum ab eo morbo periculum esse. Quem vt conspexit nepos: O patrue, inquit, turpiter peccaui, consilijs tuis non obsecutus. Ecce pro merito punior, citatoque gradu feror ad mortem. Contra patruus: Non modo moriere; verum doceri te oportuit, Deo hominem non tuto reluctari. Inclamat Romualdus, Societati velle se adscribi; patruumque obtestatur, vt se in ea petitione adjuuet. Adolescentem consolatus erat Cornelius: breuique post cessit morbus, & recuperata valetudine Romualdus Societati se dedit, in qua religionis amans, & recte factis clarus, vita decessit.

Nepotem ad Societatem adducit.

Non vna fuit Cornelio nepotis cura; sed mora breuis in Belgio. Cum enim totus in repur-

Digitized by Google

repurgandis & instituendis ad orandi rationem animis versaretur: ejusque opera bene multi religionum claustra peterent, inuidiam hoc ipsi conflauit. Romam igitur euocatus est, ac inde jussus in Siciliam progredi. Vbi strenuam primum Mamertinis operam posuit, energumenis impuro dæmonum hospitio liberandis. Libentissime cum feris ijs tortoribus conserebat manus: ad quos ex obsessis corporibus pellendos multum illum valere constabat. Eius tamen moderatores, qui potiorem semper duxerunt ex animis, quam e corporibus abigendorum dæmonum curam, non nisi raro congressum ejusmodi permittebant; quod præsertim vis magna populi spectatum accurreret. Ille autem fręna illa obedientiæ æquus ferebat, animi eius tranquillitatem non leuiter mirantibus rerum gnaris. Messanam postea translatus, procurandam accepit tirocinij domum; quę ea in vrbe prima e cunctis Societatis locis sejunctam a veteranorum congressu habitationem habuit.

DIE 25. Energumenos liberat.

Neque domi se ipse tenuit. Eius nomen tota vrbe celebrari cœpit, quod ipso autore magnus puellarum numerus viridem suæ virginitatis florem partim intra septa religiosi gynęcei, partim domesticos intra parietes Deo dicaret. Eaque vox jactabatur in vulgus, vix Messanæ reperiri virginem seu viduam, quam non ille Deo, si in eius forte manus incideret, consecraret. Qua populi voce inductæ tres virgines, quæ certo deliberatoque jam animo mortales sibi sponsos destinabant, cum se Cornelio, vt eius rei periculum facerent, credidissent, magno suo bono senserunt, vera esse, quæ de eo fama ferebat. Princeps ex ijs vna confessionis nomine cum accessisset, in medio cursu repente mutata, non prius enumerandi peccata finem fecit, quā Cornelio sibi esse in animo confirmaret, non alium sponsum quęrere, præter Christum. Cujus ille mente consilioque probato, ne quid duabus comitibus indicaret, admonuit. Accedit deinde altera, & tertio tertia; singulæque in eamdem mentem, cum de alijs aliæ nihil nossent, repentino Dei afflatu similiter impulsæ, terrenas extemplo nuptias cum cælestibus commutarunt. Ita quæ per ludum experiundi gratia venerant, eæ ipsæ sanctius veriusque delusæ, & meliori spiritu imbutę recesserunt.

Castitatem feliciter propagat.

Mulier erat supra cetera flauo rutiloq; decora crine: qua specie cum ipsa nimium sibi placeret, & plauderet, cœnobij nomen horrebat, ne decus id cogeretur aliquando tondenti committere. Monuit eam Cornelius, si crines illos pluris quam Deum faceret, caueret ne in illis ipsis crinibus, quos tantum diligeret, pęnas daret. Diebus interpositis non ita multis sensit patrem verissimum fuisse vatem. Laborare ex capite cœpit, totaque illa pulchritudo capilli morbo vrgente defluere. Ergo ne caluitij turpitudinem evulsis ad vnum crinibus ostentaret, necessitatem in virtutem vertit, seseque cœnobij latebris, quod ante sic horruerat, occultauit.

E Sicilia reuocatus in vrbem Vishauæus, alumnis collegij spirituali disciplina imbuendis præfuit: eius enim hoc in genere monita magni fiebant; quę non tradebat alijs accuratius, quam in rem ipse, cum tempus posceret, conferebat. Supersunt in hunc diem; eaque lectori proposita fructum non exiguum productura sperarem, si breuitas mihi præfixa pateretur. Ex ipsa Societatis historia quæri possunt. *Parte 1. l. 3.*

Sed mirare Dei judicia, nec vmquam in terris securam virtutem. Vir optimus, cum singularia a Deo munera accepisset, haud procul abfuit, quin & initio cum ad Societatem accessit (qua de causa tantopere probatus est a Fabro) & postea in Romano collegio pręstigijs dæmonis illuderetur. Sed solidam virtutem obedientiæ constantia mire probauit. Nam & principio versari se velut puerum a Fabro patientissime tulit: & nouissime missus ab vrbe Lauretum, in omnes partes fingendum se summa æquitate permisit Oliuerio Manarço. Hunc item Belgam primum isti collegio rectorem S. Ignatius præposuerat.

Biennio postquam Lauretum venerat Cornelius, Deo ad æternam tranquillitatem euocante, VIII. Kalendas Sept. anni sesquimillesimi vndesexagesimi, ex morbo adeo placide animam efflauit, cum quidem robusto & succi pleno corpore esset, vt vitæ mortisque confinia circumstantes fefellerint. Oculi, quos semiclausos turbidosque multas horas habuerat, reserati, exhilaratique sunt repente, vbi excessit. Color vivus ori, rubicundiorque suffusus, ac tota facies lætior, signa edebant vitæ potius, quam mortis. Ea res conceptam prius de viri sanctitate opinionem vehementer affirmauit, auxitque. Moritur.

Die

Digitized by Google

Die vigesimo sexto

I. NICASIVS VOERDANVS.

Tritbemius illustribus viris & scriptoribus eccles.

Cęcus

MEchliniæ natus papularum multitudine lucis vsuram sic amisit tertio ætatis anno, vt se aliquando vidisse, numquam postea meminisse potuerit. Verum admirabili prodigio alterum sua ætate Dydimum Alexandrium se præbuit, maximam adeptus Diuinarum humanarumque rerum cognitionem. Louanij liberalibus artibus ac philosophicis disciplinis vbi dedisset operam, magisterij laurea donatus est. Tum Mechliniæ scholas aliquo tempore rexit. Sed Louanium reuersus ad sacram theologiam animum applicauit eo successu, vt licentiam non sine laude consecutus, & summo pontifice potestatem faciente sacerdos consecratus fuerit. In templis igitur ad populum verba facere, confitentibus peccata aures præbere, sub rem Diuinam euangelium recitare instituit: sacrum tantummodo non faciebat. In scholis sæpenumero mira facilitate de quæstionibus difficillimis disputauit : atque adeo commentarijs in quatuor libros distributis magistrum sententiarum explicauit, eosque in lucem emisit. Hinc Coloniam abijt: atque ex itinere Leodium venisse, & in S. Lamberti ad multitudinem dixisse fertur, vniuersis tantam cæci hominis sapientiam demirantibus. Porro in gymnasio Coloniensi operam juri dedit, legesque vniuersas tam pontificias quam Cæsareas solo auditu didicit, & memoria complexus est. Omnium ergo doctorum sententia, doctor canonici juris renuntiatus, leges publice docuit: ediditque libros quatuor super institutis, opus celeberrimum, quod e dictantis ore pendentes plus centeni auditores exceperunt. Mortuus Coloniæ anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, & ad S. Columbæ sepultus.

theologiæ licentiam adipiscitur

& juris doctoratum.

II. IOANNES HORRION

e Societate Iesv. *Alegambe, & quæ ad me scripsit R. P. Hermannus Bauing.*

CLarissima majorum nobilitas, felicitas indolis, ingenijque specimen insigne pro ętate editum in adipiscenda humaniorum litterarum cognitione, maxima quæque sperare Ioannem jubebant. Ioannes patruus Leodij canonicus, vir acris judicij, rebusque pręclare gestis de republ. bene meritus, nepoti suo non modo magnarum opum, quibus ipse fruebatur, hereditatem, sed suum etiam canonicatum in illustri illo S. Lamberti collegio offerebat. Tantam spem contempsit generosus adolescens vt euangelicam paupertatem in Societate IESV sedecennis amplecteretur. Eam ingressus anno post natū Christum sesquimillesimo nonagesimo primo, religiosis primū tirocinij exercitationibus mentem excoluit, ad vberem illam deinde segetem producendam, quam non modico Diuini honoris incremento Societas collegit. Post nauatam sedulo Philosophicis disciplinis operam, Romam profectus, theologiæ studuit eo successu, vt in Germaniam remissus, doctor deinde creatus fuerit. Philosophiam enim secundo docuit: scholasticam etiam ac moralem theologiam explicauit Moguntiæ & Paderbornæ, sacramque scripturam interpretatus est plurimis annis magna omnium approbatione, eaque fama, vt ex inferiore Saxonia plurimi suas e morali theologia dubitationes ad eum referrent, & tamquam ab oraculo responsa in rebus difficillimis acciperent. Illustrissimo principi Bambergensi Ioanni Gaudefrido ab Aschausem ad pontificem pro Cæsare legato comes additus est, vt esset a confessionibus. Confectoque feliciter itinere Bambergense collegium rexit, donec primus nouæ academiæ Paderbornensis cancellarius designaretur. Quam dignitatem multis annis sustinuit, omnibus præclaram viri virtutem, & eruditionem suspicientibus: quorum insignia ad posteros scriptis libris reliquit monumenta. Et cum egregie prærerea politioribus instructus esset litteris, optime de re litteraria meritus est, quando T. Liuij historiarum librum trigesimum tertium e tenebris erutum

Digitized by Google

erutum in bibliotheca cathedralis ecclesiæ Bambergensis publico dedit, accurate castigationibus & notis emendatum. Postquam annos egisset in Societate quinquaginta, non minore virtutis quam eruditionis opinione, tandem anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo VII. Kal. Septembris Coloniæ mortuus est, relicto domesticis juxta ac externis magno sui desiderio.

Die vigesimo septimo

S. ELMERVS

episcopus. *Molanus, archia Leciensia.*

MOlhanij in prouincia interamnensi constructum est canonicorum collegium ab Ada conjuge Wiberti comitis, qui Leciense monasterium in Hannonia condidit sub annum septingentesimum quinquagesimum septimum. In illo autem canonicorum collegio seruatum aliquando cultumque fuit sacrum S. Elmeri episcopi corpus: ejusque hodie conditorium ex aurato ligno ostentatur. Sed quid ipso sacro corpore factum; an id bellorum injurijs perierit, aut in terram abditum vsquam lateat, nemo prodidit. Ignoratur item quis fuerit is Elmerus, cujus ecclesiæ præsul, aut quando vixerit. Nouit ille, qui beatitate donauit.

Die vigesimo octauo

I. IOANNES PRÆCVRSOR

monachus Villariensis. *Manuscr. Villar.*

BEato consilio jugum Domini ab adolescentia subijt, Villarij monasticen amplexus; omnique studio ac diligentia accuratæ religiosarum legum obseruationi se dedit egregia progressione. Ignauiam scilicet ac otium auersabatur, quæ non modo virtutum incrementum quam maxime solent impedire; sed omnibus pene vitijs scaturiginem aperiunt. Sanctorum ergo res gestas vel legere, vel etiam conscribere jucundum ei fuit, sed in primis vtile; cum passim notatam velut impressis vestigijs viam videret, qua sancti homines ad magnam virtutem contendissent. *Circiter annum 1220.* *Sanctorum vitas studiose lectitabat.*

Templo præfectus fuit: tum eorum sodalium, quos appellant conuersos, moderator saluberrimis eos consilijs, potissimumque exemplis, religiose juxta ac sapienter ad consentaneam illi gradui sanctitudinem perduxit.

Cum pridie Dominicæ palmarum audijsset concini antiphonam illam *Clarifica me Pater*: suauissimis mox perfusus lacrymis, mirabili cælestis patriæ desiderio veluti liquescere visus est, hoc vnum in votis habens, dissolui & esse cum Christo. Deficientibus ex illo paulatim viribus forte decumbebat absente valetudinario, ecce lapis impellente dæmone e pariete excussus graue sancto viro vulnus inflixit, aut potius hostis maleuolentiam quidem ostendit, sed inuictæ virtuti gloriosum præbuit argumentum. Nam dolores cum eadem, qua ceteras vitæ morbique ærumnas, fortitudine Dei causa generose sustinuisset, ad promissa patientibus præmia moriens discessit. *Æstuabat desiderio cælestis patriæ.*

II. IOANNES MILES

conuersus Villariensis. *Ibidem.*

PAtrem habuit militem, & ipse militiam sectari aggressus est; ijsque de causis miles appellatus est. Verum graui tentatus infirmitate, vovit si conualesceret, meliorem sacræ asceseos militiam. Valetudini redditus, Villarium venit, & ab abbate Guilielmo receptus est. Monachorum gradu ratus se indignum, ad conuersorum ordinem mira animi hilaritate se demisit: durisque laboribus, jejunijs, vigilijs exercere corpus instituit. *Circiter annum 1230.*

Aliquanto post tempore villam regere jussus, ea prudentia rem familiarem administrauit,

ſtrauit, vt quamquam in pauperes multa liberaliter erogaret, eam non paruis incrementis amplificauerit.

Dies ac noctes cilicio corpus affligebat: magna animi puritate Diuina contemplabatur: & cum ſub occaſum ſolis ſe ad ſe reciperet, ita omnem de negotijs aut alijs quibuſcumque rebus cogitationem excludebat, vt tota nocte nihil niſi Diuinum menti recurreret.

Denique annis maturus, ſed magis recte factorum gloria, laborum præmium religioſa morte adeptus eſt.

Die ignoto

SEBASTIANVS WERRICVS

Tranſmoſanus, manuſcr. Minorum.

VIxit hic Leodij cum recti amore, tum vaticinijs maxime clarus. Anno poſt Chriſtum natum millesimo ducenteſimo triceſimo tertio, domi forte parentibus ad ignem aſſidebat: Breui poſt, inquit, eueniet vt ipſo camini hujus loco ſtatuatur princeps ara templi, quod hic exſtruetur. Ita tum Sebaſtianus. Dictis porro fides ſtetit decimo poſt anno.

Sedes ad Moſam pridem Minores delegerant in Treſtes loco peramœno, ſed ad obeunda ſua munia certe minus idoneo. Nam populo ad eos ventitāti e media vrbe, longa erat via. Qui, ex quo ad inſulæ pontem habitabant Prędicatores, illic vt plurimum ſubſiſtebat, rarioremque in dies ad ſe concurſum Minores ſentiebant. Quare vt commodius ſuam in populum partirentur operam, migrare ſtatuerunt.

Aptam propoſito ſuo quærentibus aream occurrit Sebaſtianus; & quando vivis jam abijſſent parentes, ędes paternas bene amplas cum hortis adjacentibus offert, ſeſeque flagitat in collegam cooptari.

Locum vrbe media ſitum, foroque imminentem, inſtitutis ſuis aptiſſimum probarunt Minores, & exſtruere cœperunt. Templum dicauit Robertus epiſcopus anno quadrageſimo quarto.

Ipſe porro Sebaſtianus poſt actam monaſticis legibus vitam, dataque ſodalibus pulcherrimarum virtutum exempla, Auguſto menſe (dies ignotus eſt) cælo adſcriptus eſt.

FLORVM

Digitized by Google

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
SEPTEMBER.

Die ſecundo
VENER. MARGARETVLA
Louanienſis. *Cæſarius, Molanus.*

CIVIS quidam Louanienſis integerrimæ vitæ, meliora cogitabat: nulli quippe poſiti ſunt virtuti fines. Statuerat cum conjuge Villarium ſe recipere, vbi puriore mente Diuina ſectarentur. Hoſpites fuiſſe videntur; ſed vt omnis religionis peramantes erant, monachos maxime recipiebant, quo ſe Chriſtianę hoſpitalitatis officijs exercerent. Margaretulam cognatione ſibi junctam habebant pro famula; virginem ætate florentem & forma, ſed virtutibus multo magis: voto virginitatem Numini ſacrauerat; religioſiſque Dei famulis ad heros diuertentibus inſigni caritate miniſtrabat.

Annus vertebatur a Chriſto nato milleſimus ducenteſimus vigeſimus quartus, quando pridie quam Villarium abire conſtituerant, diuertunt ad eos aliquot viri. Qui dum Margaretula foris vinum quærit, rati congeſtam pridem aſſeruari immodicam pecuniæ ſummam, vniuerſam familiam direptis omnibus jugulant perditiſſimi homines. Redeuntem Margaretulam explendę libidini corripiunt, injectaque in os pila, abductam in auia ſacrilege vi facta polluunt. Sed virgini nihil deceſſiſſe putes. *Nam ſi inuitam juſſeris violari* (inquiebat ſapiēter Paſchaſio Lucia) *caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Addita libidini immanitate, jugulatam in profluentem abijciunt perdita capita. *Virginitatem Deo dicat, jugulatur:*

Hic ſuæ ſponſæ integritatem Deus teſtari voluit. Ne mergeretur corpus, in vnum collecti piſces ſuſtinuerunt, & aduerſo Diliæ fl. Louanium vexerunt. Inſolita lux noctem pæne ſuperabat: genijque cælites ſuaui concentu mulcentes aëra, corpus comitabantur. Ducem Brabantiæ cum conjuge ad ſpectaculum ex arce hęc prodigia primum inuitarunt. Qui re poſtea cognita, a clero ſenatuque corpus celebri pompa juſſit deduci: illatumque eſt in ædiculam principi templo adhærentem: hodieque illic viſitur. Miraculis non paucis bonitas Diuina celebrauit. *miraculis celebratur.*

Digitized by Google

Die tertio

S. REMACLVS

episcopus XXVII. conditor & abbas Stabulensis & Malmundariensis. *Notgerus, Theodoricus, officium Leod.*

CAPVT I.

Multa virtute clarus ad Tungrensem episcopatum euehitur.

IN Aquitania natus est parentibus Albutio & Matrima, opibus & generis nobilitate pollentibus. Argumento sunt latifundia, tam ecclesiæ Leodiensi, quam Stabulensi ab ipso, vel agnatis donata; quemadmodum probari posse ex commentarijs, qui in vtriusque ecclesię archijs asseruabantur, scripsit Notgerus: sed hodie produci nequeunt.

Religiose educatus

Vbi adoleuit Remaclus, S. Sulpitio Biturigum archiepiscopo traditus est sanctiore disciplina instruendus; sed ea felicitate, vt tam sanctæ institutionis numquam deinde oblitus, præceptori suo jam cælitibus adscripto, multas in hac diœcesi sacras ædes posuerit.

Tum ad Solemniacense monasterium transijt; quod B. Eligius, vir illa tempestate sanctimonia celeberrimus in agro suo nuper condiderat, asceticisque firmabat præceptionibus. Sub tanti viri disciplina eam expressit in se recti formam, quam suis omnibus merito proponeret imitandam Eligius. Et sane vt in publicarum rerum administratione adesse regi compellebatur, vices suas interim demandabat Remaclo.

clarescit apud regem

In obscuro latere diutius nequijt præclara hominis virtus. Sparsa in omnem partem eius fama penetrauit in regiam: Dagobertumque permouit, vt eum accerseret, regni rebus eius consilio moderandis. Christianam vides illorum temporum felicitatem. Vt primum est firmissimumque reipublicæ fulcimentum religio; ita ne quibus politiæ consilijs forte labefieret, sacratos Deo viros & antistites a latere suo abire reges non patiebantur: nihil statuebant illis non auditis. Deo non potest ille non esse curæ, cui Diuina curæ sunt. Succedebat Remaclus in Amandi locum, quem rex eodem tempore Tungrensi ecclesię destinabat episcopum.

ANNO 637.

In tanto autem munere ea se gessit fide sapientiaque, vt post tredecim annos cum episcopatum denique humeris Amandus excuteret, in vnum Remaclum oculos animosque conjecerit clerus vniuersaque adeo Trajectensis ecclesia: tantumque summis apud regem precibus effecerit, vt & Trajecti Amando substitueretur quantumuis reluctans; nam postulatis omnium ordinum tam vehementibus impar fuit.

ANNO 650. episcopus creatur.

CAPVT II.

Dignam episcopo, integerrimamque mentem induit.

QVa religione mentisque integritate suum episcopi munus executus sit, non facile quisquam explicabit, inquit Notgerus. Ab ipsa statim inauguratione tantam in dicendo vim Deus indidit, vt omnium quo vellet animos flecteret. Orationi fuit semper vita maxime consentanea; neque alios quidquam ore prius ipse, quam exemplo docuit. Nulla superbiæ signa se prodebant: sed suaui quadam comitate modestiaque omnium mentes arctissime sibi deuinciebat. Eo quemque loco habebat, quem virtus merebatur; nulla generis, opum, rerumque aliarum conditarum habita ratione. Venerabantur eum ac timebant superbi vt præsulem suum, vt fratrem amplectebantur modesti ac humiles, pari vniuersos ipse beneuolentia & caritate fouebat vt parens. Eam in terris degebat vitam, quę cęlestem hominem deceret. Corpore fuit integerrimus, purissimus animo, solers ingenio, consilio maturus, incessu compositus, fide integer, spe inuictus, caritate diffusus. Totius denique corporis ea fuit compositio, quæ speciem animi referret angelo, quam homini propiorem. Hæc de S. Præsule Notgerus.

Eum tanta virtute præditum in præceptorem adsciuit Lambertus, vt sapientissima eius

Digitized by Google

eius institutione formaretur ad omnem Christianam virtutem. Quem vero melius, quando erudiendam Trudonis adolescentiam Deus ipse Remaclo commisit? Diœcesim enim obiturus, Septemburias venerat episcopus; e cælo monitus est venturum proximo mane Trudonem exciperet. Eadem item nocte jussus est juuenis ad episcopum venire. Venientem & summa humanitate salutatum cohortatus est Remaclus vt pergeret, quo pede ad virtutum culmen adhuc contendisset: Deum minime defuturum. Mediomatrices interim abiret,ad Clodulfum episcopum,quem affirmabat esse peritissimum juuentutis instituendæ magistrum. Cujus pręceptiones omnes quo paratiore animo exciperet, autor fuit vt suis se fortunis exueret, consecraretque illas S. Stephano Metensi. Hęc Trudo accepit non aliter atque ex oraculo, quandoquidem ea ex præsule audisset, cujus vnicum Deum pręter se sciret esse conscium. SS Lambertũ & Trudonem docet

Abeuntem porro cum aliquo vsque magna beneuolentiæ significatione deduxisset episcopus, luce diuinitus in animum infusa, sensit turpem suorum ignorantiam, qui illam humanitatem damnarent; quasi suę dignitatis oblitus, hominem nihili importuno honore prosequeretur. Illos ergo graui oratione castigatos docuit, oculos nequaquam esse interioris animi judices, qui vni Deo pateret : sub vili autem pallio latere non raro germanam virtutem. Omnem enim vestium luxum auersabatur Trudo, quamquam alias illustrissimus juuenis:vt suo loco dicimus. Ceterum *libet hic paucis considerare* (inquit episcopus longe integerrimus Notgerus) *quam in B. Remaclo cupiditatum omnium ignis sopitus fuerit : quam ille omnium nostræ ætatis sacerdotum virtutem excesserit, omnes nostri temporis episcopos sui comparatione damnarit. Quibus si forte is casus offerretur, qui beatissimo viro oblatus fuit, secus procul dubio facturi viderentur; nec solum non hortaturi homines pios,vt facultates suas non suæ, sed alteri ecclesiæ donent:sed etiam si qui vltro id facere velint,eos dehortaturi potius, atque vt sibi eas largiantur persuasuri, non sine aliorum damno. Quod sane quanto in nobis culpandum est magis, tanto integritas B. Remacli id plane recusantis, majori laude prædicanda est.* In hunc modum Notgerus. mira integritate.

CAPVT III.

Malmundarium condit, non sine miraculis.

INsignem Remacli temperantiam voluit Deus liberaliter muneratam. Qui enim commodis sui fortiter neglectis, in vnam Dei gloriam incubuerit amplificandam, numquam non experietur Diuinis se beneficijs cumulari.

Sigibertus Austrasię rex vt in Dei cultum miro studio ferebatur, Casæcongiduni ad Sesmarum fl. monasterium posuerat, eoque Remaclum, priusquam episcopus esset, euocauerat, quo monachos ad rectam asceseos normam institueret. Illic in rerum cælestium contemplatione solitariam coluisse vitam fertur : hodieque visitur, ait Notgerus, precationis locus, eius opera in rupe excisus;in quo etiamnum male habentes suffragãte B. Remaclo curantur. Verum seu vicinorum potentiam, seu loci angustias non amaret, seu denique longius abesse jam non pateretur de suscepto grege sollicitudo; regem rogauit, vt cœnobium quo se subinde reciperet ad Diuina puriore meditatione haurienda,in proximis Arduennæ saltibus exstruendum curaret. Annuit rex, Grimoaldoque suæ domui pręfecto negotium dedit, vt quam designasset Remaclus aream, futuro monasterio liberaliter addiceret; atque ex ærario regio impensas omnes necessarias subministraret. ANNO 651. S. Sigiberti munificentia

Hac subnixus autoritate sanctus antistes, Arduennæ solitudinem ingreditur, & ad Warchiniam rivulum deligit locum in amœna valle inter asperos, inhospitalesque montes. Polluta erant idololatriæ superstitionibus omnia. Visebantur signa Dianæ,quæ venationibus nimirum pręsideret, aliorumque Deorum nominibus insculpta. Limpidi etiam fluebant fontes, sed gentium impuritatibus contaminati, ab inferis infestabantur. Solitudinis horror sanctum præsulem inuitabat ad constituendum religiosæ palæstræ locum. Sed gloriosum maxime videbatur, ibi crucis trophæum erigere, vbi turpissima steterant dęmonum simulacra. Inuocato igitur Christi omnipotentis nomine, signoque crucis impresso, ab impurorum geniorum infestatione vindicauit locum & expiauit. Malmundarium condit:

Sed ecce mox dæmonum pręstigijs arescunt fontes. Sensit fraudem episcopus: & ne plus pro impietate possent inferi, quam ipse pro immortalis Dei gloria: diu super fontem & dæmonũ fraudes retundit.

tem precatus, lapidi crucis signum insculpsit, & in vacuos fontis meatus infudisse plumbum fertur. Neque cur vsurpatus fuerit ille ritus, neque quam ab eo sperarit opem Remaclus, proditum est. Ego quidem sic conijcio: suum esto lectori judicium. Profanas impiarum superstitionum reliquias per Arduennæ saltus ad hanc ætatem mansisse certum est. Ijs qui tenebantur, exultauisse gaudio, & fortassis insultauisse S. antistiti, quasi a Dijs suis victo, quando fontes aruisse compertum esset. At illum sui securum, vatem Eliam imitari voluisse, qui postquam Baalis sacrificuli ignem cælo deuocare multa prece frustra connixi essent, ipsum affusa lympha, quasi naturam contra Deum verum armare voluisse, vt illustrior esset victoria. Eamdem inquam Remaclo fuisse mentem. Cum inferorum dolo fontes aruissent; ipsos Deum lacessere ausos contempsisse antistitem, & naturam illis velut in belli societatem adsciuisse. Infuso plumbo fontium obstruxisse meatus, ne qua spes effluendi relicta videretur; vt eo nobilior Deo cederet victoria, quo fortiorem hostem armis etiam physicis & pro rei natura pugnantibus debellasset. Ea mihi visa est non absimilis vero conjectura.

Vt vt, sit: cessere Numini dæmonum technæ: statimque consuetis meatibus scaturire deinceps perrexerunt aquę purissimæ. Victor Remaclus locum a malorum geniorum incursatione mundatum appellauit Malmundarium: & posita æde sacra religiosis ascetis habitationem exstruere cœpit.

CAPVT IV.

Condit Stabuletum, & opimis facultatibus vt instruatur, obtinet.

INtra Coloniensis diœceseos fines situm esse Malmundarium vbi comperit Remaclus, alterum in sua condere placuit. Ad Occidentem ergo progressus, cum Callam rivulum pertransisset, qui vtrique diœcesi limes est, ad Amblauam fl. peruenit: ibique moratus aliquamdiu, ea reliquit sanctitatis monumenta, quæ ab incolis ad ætatem suam celebrari solita fuisse, Notgerus refert. Sed cum loci angustię commode monasterium capere non posse viderentur, in Orientem iter reflexit: & spatiosiorem nactus vallem, in ea sedem statuere placuit. Locum prisci barbaro vocabulo dicebant Stabulaus, quod eo feræ, ceu ad stabulum cibi potusve gratia confluerent. Neque censuit mutandum vir sanctus, vt piorum mortalium esset veluti stabulum, quo tamquam ad ęternæ vitæ pascua deinceps properarent; cælestiumque deliciarum velut adipe & pinguedine replerentur. Stabuleto in hoc tempus nomen mansit.

Condit Stabuletum

Prima hæc fuere nobilissimorum monasteriorum fundamenta: a quibus cum ingentem dominationi suæ cladem vereretur inferorum tyrannus; Christi tirones, qui posita illic statione Deo militare cœperant, objectis vanis terriculamentis loco depellere contendit. Sed omnes vanissimi hostis præstigias precibus, salutiferæque crucis præsidio facile eluserunt, Remaclo autore.

victis item dęmonibus.

Felici incremento surgebant opera, vrgente præfecto domus regię Grimoaldo: reuisurus interim ecclesiam suam episcopus, nouellum vtriusque familiæ plantarium Theodardo viro sanctissimo (de quo mox dicemus) commendauit. Donec anno proximo, completum Stabuleti Malmundarijque vniuersum opus, a Remaclo dicari voluit rex Sigibertus: cui post solemnes cæremonias vtrumque monasterium Grimoaldus commendauit, eumque regis nomine designauit abbatem.

ANNO 652.

Rex vero, vt delectabatur in primis incenso illo studio sacrorum pugilum, quos vndique audiebat concurrere ad illustrem hanc Christianarum virtutum arenam: imo videbat oculis suis veluti generosos pancratiastas fortissime omni spiritualium armorum genere dimicare; sancte judicauit æquum non esse, vt rerum terrenarum sollicitudine vel penuria angerentur illi, qui per illarum contemptum ad cælestia sibi gradum struebant. Itaque præter ingentes alias opes (de quibus in vita S. Sigiberti meminimus) adjecit quidquid terrarum vtrique monasterio adjaceret ad duodecim vsque leucas. Leucam vnam metitur Notgerus mille quingentis passibus. Ita religiose credidit pius rex firmissimum regni sui se constituisse præsidium.

Regia liberalitas.

CAPVT V.

Abdicat episcopatum, vt Stabuleti viuat.

QVam Arduennæ solitudinem infami sterilitate natura damnauerat, vt vidit Remaclus meliore virtutum omnium copia vernare, ea mirum in modum capi cœpit loci sanctitate. Et quandoquidem regis imperio monasteriorum administrationem subire compelleretur, potestatem sibi fieri flagitauit, posito episcopatus munere in sacram illam se monasticæ solitudinem abdendi. Audire noluit Sigibertus, quod Tungrensem ecclesiam tanto nollet destitui præsule, quem monasterijs simul regendis vnum satis esse, persuasum haberet. Cleri præterea precibus id tribuendum censebat, qui tantum sibi pastorem contendebat esse necessarium. Hac ille tristior repulsa, animum tamen sustinebat spe voti sui consequendi. Monasticæ desiderio

Mox recreauit non mediocriter redux e Mediomatricibus sanctissimus juuenis Trudo jam sacerdos, & miro euangelicę sementis per patriam suam spargendæ desiderio æstuans. Religiosum illum ardorem collaudauit sanctus antistes; nouisque adeo facibus succensum, quod bene verteret reipubl. Christianæ, in agrum Dominicum immisit.

At ipse profecto reprimere non potuit monasticæ solitudinis cupidinem. Post multas ac pæne importunas preces a Sigiberto rege tandem obtinuit, vt abdicato episcopatu sibi liceret amplecti, quam multis suauissimam Stabuleti parauerat in sancta sui demissione quietem. Ita judicabat, cui cæcitatem puriore radio Diuina sapientia depulerat; & reponebat in delicijs procul ab humanarum rerum splendore, in optatis monasterij latebris sibi Deoque vitam agere. Lucem contra amant, & in omnium oculis ac ore versari gestiunt, quos tenebras quærere par esset, vt suam tegerent turpitudinem. Hos misere profecto excęcauit ambitio; qui Remaclos quidem venerantur, & suspiciunt in illis eximiam animi magnitudinem omni hominum fastigio celsiorem: tollere interim, & per pudendam ambitionem super capita sua leuare non erubescunt, quæ illi generose calcarunt. episcopatum abdicat. Disce.

In sanctam ergo solitudinem anno quinquagesimo tertio se dedit Remaclus tanta animi sui exultatione, quanto dolore ceterorum, qui beati præsulis vigilantia destitui querebantur. Verum illustre ego Diuinæ prouidentię factum illud existimo. Cum enim anno proximo vita decessisset sanctus rex Sigibertus, & paulo post Grimoaldus regiæ domui præfectus, corruisse videri poterant firmissimæ vtriusque monasterij columnæ. Vniuersam tamen molem sua virtute sapientiaque sustinuit Remaclus. Regem enim Hildericum Sigiberti successorem sibi adeo suisque conciliauit, vt ab illo non ægre obtinuerit rata haberi ea omnia, quæ constituerat patruus eius Sigibertus. Attributorum tamen agrorum fines nimis amplos cum existimaret, neque speraret eam magnitudinem aduersus ambitionis, aut humanæ cupiditatis vim a monastica simplicitate defendi posse, media imminui parte impetrauit; vt qui duodecim per omnem ambitum leucas possederant, senas in posterum tantummodo retinerent. Sancte regit.

CAPVT VI.

Administrato religiose Stabuleto, religiosissime moritur.

AGrorum amplitudini quantum Remaclus detrahi petierat, tantum eoque amplius virtutis dignitati cupiebat additum. Et vero mira in primis fecunditate vtrumque illud sanctimoniæ plantarium germinauit, tam strenuo cultore felicissimum. Eminuit Babolenus ostentata a primo tirocinio tanta virtutis præstantia, vt magno aliorum bono præesse illum posse Remaclus judicaret, Malmundarioque etiam præfecerit, atque adeo Stabuleti habuerit successorem. Hadelinus eximiam futuræ sanctitatis spem faciebat; eoque nomine sancto suo præceptori carus in paucis fuit, & in comitem itinere Romano adscitus.

Religionis enim gratia peregrinationem ille ad apostolorum limina sub annum duodeseptuagesimum suscepit. Hic inter preces & jejunia non raro suffragantibus apostolis, recreatus est cælitum conspectu & alloquijs. Sed quod magis e re Stabulensium esse cense- Apostolorũ limina Romæ veneratus

censeretur, reliquiarum S.Petri portionem obtinuit; quas auro gemmisque ornatas in magno honore ad suam ætatem fuisse, plurimisque claruisse miraculis, testatur Notgerus.

In reditu cum egregiam Hadelini sanctitatem indicio Diuino comperisset, autor illi fuit vt vocanti ad magna Deo se permitteret. Iuit sanctus juuenis, & insigni Diuinæ gloriæ incremento, Cellas haud procul Dionanto condidit: ita suo tempore docuimus.

exulantem Lambertum recipit.

Stabuletum vt redijt Remaclus, Lambertum episcopatu suo impie exactum, & ad se venientem insigni humanitate suscepit. Hic scilicet mutuæ virtutis admiratione, sanctissimisque exemplis inuicem ad majora se prouocarũt sanctissimi antistites. Donec anno septuagesimo quinto restitutus postliminio Lambertus Trajectum repetijt, ad clariorem palmam longo certamine se comparaturus.

Sed proximus morti jam Remaclus, cęlestes triumphos velut in conspectu habebat. Quamquam enim ætate grauis, illustres tamen victorias plures quam annos numerabat. Extremam sibi horam vt sensit imminere, aduocatis discipulis vltima dedit mandata, quæ longus rerum vsus, disciplinę domesticæ peritia, desideriumque Diuinæ gloriæ cõmendanda suggerebat. Testatur Notgerus commendasse in primis indefessam in sacrarum rerum lectione & meditatione diligentiam, in vtendarũ rerum penuria aut vilitate ęquanimitatem, imo lętitiam e paupertatis amore, incorruptam castitatem, expeditam & accuratam in obsequendo alacritatem, ingenuam peccatorum apud præsides pulso inani & irreligioso pudore confessionem, denique conjunctionem animorum arctissimam ex sancto euangelicæ caritatis nexu. Quæ quidem si cordi fuerint, subdit optimus pater, ne dubitate, filij carissimi, meam in vllo pręsentiam minime desiderabitis. Nec enim aliud, quoad vixi, ad tuendam monastices integritatem præcipiendum putaui. Nec aliud opportunum magis præsidium comperi longo totius ætatis experimento: nec aliud denique extremum alloquens habui commendandum. Hæc vltima patris amantissimi mandata suscipite. Hoc agite, & rebus in dies prospere magis cedentibus, inexhaustam propitij Numinis beneficentiam vobis adesse sentietis. Hæc cum dixisset, percepissetque magno animi sensu sacrosancta mysteria, suis beneprecatus, felicem in cælum animam immisit.

Suos ad sanctiora hortatus

moritur.

Corpus in S. Martini templo, quod ipse condiderat, sepultum est, sed postea terra eductum ad populi venerationem, multoque exornatum auro, in S. Petri basilicam illatum: vbi perseuerat in hunc diem miraculis plurimis illustre, quæ binis libris conscripta circumferuntur. Sanctam autem illius posteritatem placet hic compendio dare.

ABBATES STABVLENSES.

Condito & sancte gubernato multis annis Stabuleto & Malmundario, in

1. Domino tandem obdormijt REMACLVS, eodem scilicet anno, quo relicto Stabuleto reuocatus est ad Tungrensem cathedram Lambertus, quemadmodum asserit Sigebertus, etsi adscribat anno sexcentesimo nonagesimo primo. Sed cum ab exilio redijsse Lambertum necesse sit anno septuagesimo quinto, eodem obijsse fatẽdum est Remaclum.
2. S. BABOLENVS e priore Malmundarij substitutus est: sed biennio post ea dignitate abdicata Fossatum redijt, vbi jam pridem abbas erat, & octauo anno mortuus est: de quo suo loco dicimus.
3. S. SIGOLINVS successit & mortuus est anno 687. alias a nobis celebratus.
4. S. GODVINVS alias Rabangarius obijt 696. de hoc item alias narramus.
5. BOBOLINVS.
6. ABOLENVS.
7. CRODMARVS.
8. AMOLGERVS.
9. AMINGERVS.
10. S. ANGLINVS obijt anno 746.
11. S. AGILOLFVS obijt 770.
12. S. ALBRICVS obijt sub annũ 779. eorum alias meminimus.
13. SICHARDVS vir doctus & disciplinę regularis obseruantissimus annis tredecim rexit & mortuus est anno 791.
14. WIRVNDVS S. Carolo Magno percarus fuit, magnisque functus sub eo legationibus, & obijt anno 815. Hoc abbate Odulfus prior seu præpositus Malmundariensis genere litterisque

risque clarus, obtinuit ab eodem S. imperatore sacrum corpus S. Quirini presbyteri & martyris cum sanctis sociorum eius reliquijs, quæ Condato juxta Parisios anno 808. Malmundarium aduexit.

15. ABSALON Malmūdarij templum adjuuante Ludouico Pio imp. instaurare aggressus, obijt post sesquiannum.

16. ANDO duabus synodis Aquensibus interfuit. Obijt inclinante anno 836.

17. RATHOLDVS ob. 840.

18. HARINDVS ob. 844.

19. EBBO I. archiepiscopus Rhemensis cum Danorum & aliorum Aquilonarium populorum conuersionem optimo successu anno 823. fuisset aggressus, inclytam illam expeditionem deseruit, tota illa gloria S. Anshario relicta. Creatus deinde abbas Stabulensis & S. Columbani in Italia, vtraque hac dignitate spoliatus est, quod imperatam a Lothario imp. legationem in Græciam detrectasset. Sed Hildesheimensem episcopatum beneficio Ludouici Germaniæ regis consecutus, in eo mortuus est 851.

20. EBBO II. mense vno diebus octo rexit, & mortuus est anno 845. Igitur etiam antecessor breuissimo tempore præfuit, cum Harindus, qui vtrumque præcesserat, obierit anno 844.

21. HIRCARIVS siue HARTGARIVS cum annum quintum jam ageret in episcopatu Leod. munere Lotharij imper. Stabulensis abbas creatus est, & obijt anno 855.

22. ADELARDVS cum in monasterij archijs passim comes appelletur, non videtur fuisse monachus, sed administrator jubente Cæsare designatus. Non inutiliter tamen rexit. Ob. 867.

23. HILDEBOLDVS videtur fuisse monachus, quia Ludouicus Germaniæ rex in rescripto, quo monasterij prærogatiuas probat, augetque fortunas, venerabilem abbatem appellat. Laudabiliter præfuit, & mortuus est anno 880.

24. LEVTBERTVS ex abbate Eluagēsi Moguntinus archiepiscopus fuerat jam annis septemdecim, quando Stabuletum administrare cœpit. Eo tempore Normanni monasterium & viciniam omnem vastarunt. Obijt ipse anno 889.

25. LINTFRIDVS, quem Zuentiboldus rex in diplomatibus vocat suum dilectum comitem, administrauit paulo amplius nouem annis, & obijt 898. Eius tempore metu Normannorum corpus B. Remacli in castrum Longiæ, deinde ad arcem Caprimontanam delatum est.

26. RICHARIVS abbas S. Huberti ab anno 894. hic quadriennio post Lintfrido substitutus est, & anno sequenti jussus administrare Prumiam. Anno 920. creatus Leodiensis episcopus, Andainum reliquit. Mortuus denique anno 945. laudabitur suo loco. Vix vnquam quiete potitus est Stabuleto; quod vi vsurparunt potentissimi principes quatuor; adeoque locum hic minime merebantur: sed cum ceteris abbatibus illos adnumerarit antiquitas, ab ea non recedam. Ordine tamen immutato Richarium his præponendum putat R. D. Franciscus Laurentij prior Malmundariensis: recte meo judicio, non tantum quod is Lintfrido legitimis suffragijs electus proxime successerit; sed etiam quod illorum principum quartus Richario superstes vixerit; atque adeo ante illum recenseri non debuit.

27. RAGINERIVS dux Lothariensis regni, vt erat immensæ ambitionis, turbulentique animi, sacraque omnia æque ac politica permiscebat, Stabuletum excluso Richario vi occupauit, & 15. annis administrauit.

28. EVERARDVS Raginerij nepos in abbatum catalogo nominatur comes & abbas, nec dicitur quando vel cœperit administrare, vel desierit. Ex quo deducendum videtur, illum Raginerij vice tantum præfuisse.

29. GISILBERTVS Raginerij filius demortui patris principatum excipiens, etiam Stabuletum occupauit, rexitque non inutiliter ad vsq; mortem anno 939.

30. CONRADVS Lothariensis dux creatus, Stabuletum item tenuit. Sed cum jam aliquis legibus locus esset redditus,

31. S. ODILO videtur canonica forma creatus abbas mortuo jam Richario, & conniuente vtcumque Conrado cœpit

cœpit administrare: tandemque restituta in integrum ecclesia (Odilonis sanctimoniæ hoc datum opinor) sua Stabuleto libertas rediјt, concedente Ottone rege Conradi socero. Atque vti monasticæ disciplinæ decus instaurabat Odilo, ita quo litteras etiam ad pristinum honorem reduceret, Notgerum e S. Galli monasterio ad se euocauit juvenem magna eruditionis laude celebrem; qui deinde Leodiensem ecclesiam illustri gloria rexit. Denique cælo maturus Odilo mortuus est 954.

32. WERINFRIDVS vir religiosus & doctus fuit, atque omnium artium presul appellatus. Prouecta jam ætate coadjutorem sibi dari postulauit Rauengerum anno 980. & sexennio post obijt.

33. RAVENGERVS vt primum regere cœpit, ab Ottone II. rescriptum obtinuit, quo Malmundariensium controuersiam dirimeret; qui jam tum contra S. Remacli sanctionem, a Stabulensibus secessionem molientes proprium abbatem desiderabant. Malmundariensis monasterij templum diu antea cœptum absoluit, & curiale S. Gereonis construxit. Obijt 1008.

34. BERTRANDVS non nisi post biennium ineundæ administrationis facultatem a rege Henrico obtinuit, quod vitiosam eius electionem falso nonnulli detulissent. Rei familiari vtiliter prospexit. Obijt 1020.

35. S. POPPO multis a nobis suo loco celebratus obijt 1048.

36. THEODORICVS a S. Poppone commendatus, S. Maximini primum abbas, tum etiam Stabulensis fuit. Hoc abbate S. Agilolfi corpus Malmundario Coloniam auexit S. Anno Coloniensis archiepiscopus, eique monasterio præfecit Teginonem Brunwillarij abbatem. Sed sacro S. Remacli corpore Leodium delato, vbi tum erat Cæsar, miraculorum frequentia factum est, vt rescisso priore decreto, antiquum deinceps teneretur. Obijt Theodoricus 1080.

37. RODVLFVS ab Henrico Cæsare impetrauit, vt omnis Stabulensium libertas & facultates eius autoritate firmarentur. Asserta item monasterij dominatio in Fraipontios aduersus familiam S. Alberti Aquensis. Obijt Rodulfus 1098.

38. FOLMARVS abbas S. Maximini obijt 1105.

39. POPPO DE BELLOMONTE ante duos annos abbas Prumiensis, ob neglectam rem familiarem Depopulator dictus, obijt 1119.

Warnerus abbatis dignitatem inuasit, donec post sexennium autoritate apostolica relinquere compulsus est.

40. CVONO legitime substitutus, rem monasticam simul & domesticam magna laude restituit. Obijt 1128.

41. IOANNES DE REVLAND vir magnæ religionis & prudentiæ obijt 1130.

42. WIBOLDVS vir magnus obijt 1158. Eius alibi erit cum laude memoria.

43. ERLEBOLDVS Wiboldi frater in S. Laurentij monachus, magni etiam nominis fuit. Insignium pontificalium vsum a sede apostolica sibi & successoribus obtinuit anno 1161. Cella Bernardifaniensis vt exstrueretur annuit. Leprosis nosocomium Malmundarij condidit. Senio confectus dignitatem deposuit, & anno sequenti qui fuit 1193. mortuus est.

44. GERARDVS Malmundarij nosocomium auxit, S. Quirini conditorium argento gemmisque ornauit. Obijt 1209.

45. ADELARDVS societatem cum Hubertensibus renouauit, inijt etiam cum ecclesia Treuirensi, cui donauit ecclesiam curialem de Clotten ad Mosellam cum tertia parte decimarum vini & tritici. Obijt 1222.

46. FREDERICVS jam triennio Prumiensis abbas, magnæ prudentiæ & religionis, vtriusque monasterij dignitatem & libertatem fortiter defendit. Obijt 1244.

47. NICOLAVS sua dignitate spoliatus est anno 1248. in conuentu Aquensi, vbi Guilielmus Hollandiæ comes rex Romanorum coronatus est. Creditur Nicolaus adhæsisse partibus Frederici eximperatoris.

48. HENRICVS GVELDER episcopus Leod. in eodem conuentu Aquẽsi successit, & anno 1274. omnibus ecclesiasticis dignitatibus exutus est.

49. IOANNES ENGHIANVS episcopus Leod. obijt 1281.

50. ÆGI-

Digitized by Google

50. ÆGIDIVS DE FALCONIS PETRA insigni religione prudentiaque obijt 1307.

51. HENRICVS DE BOLAN monachus Stabulensis œconomiam prorsus neglexit. Condidit tamen Stabuleti altare S. Andreę, ante quod sepeliri voluit. Obijt 1334.

52. WINRICVS custos Malmundariensis vir prudens & gnavus, pro rebus monasterij curandis Auenionem ad pontificem profectus, in reditu mortuus est 1342.

53. HVGO DE AVERNIA a pontifice substitutus est magno monastesterij bono. Nam vt I. V. doctor celebris erat, libros rationum feudalium in meliorem ordinem redegit, prædia quædam nobilia recuperauit, correxitque alia nonnulla. Postquam religiose & vtiliter annis triginta præfuisset, mortuus est 1373.

54. WARNERVS DE OCKIER monachus Malmundariensis, quem in diplomate deuotum suum principem appellat Carolus IV. imp. Præfuit laudabiliter & obijt 1393.

55. WALRAMVS DE SCHLEIDA Wenceslaum imp. hospitio Stabuleti tribus diebus excepit. Infeliciter bellum gessit cum toparcha Montis Iouis, trecentis e suis desideratis, totidemque captis, quos redimere coactus est duodecim millibus Florenorum. Obijt 1410.

56. HENRICVS DE VISETO vir religiosus, humilis, mansuetus, obijt 1417.

57. IOANNES GODESCALCVS negligenter rexit. Longiensem arcem & comitatum oppignorauit Euerardo Marcano: quod secuta sunt innumera mala. Obijt 1438.

58. HENRICVS DE MERODE canonicus Aquensis ad hanc dignitatem vocatus, monasticen Leodij ad S. Iacobi (vbi tum insigniter florebat) post solemnem probationem professus est, & aliquot cœnobitas inde Stabuletum adduxit, quorum opera disciplinam restitueret. Magna cura, parique fructu rexit, & mortuus est 1460.

59. GASPARVS decanus Malmundariensis, vir religiosus & prudens grauia passus est ab Arembergijs & Marcanis ratione Longiensis comitatus omnem regionem infestantibus. Obijt 1499.

60. GVILIELMVS e comitibus a Mandreschiet e monacho S. Arnulfi Metensis prępositus Prumiensis, tum abbas Stabulensis, ac deinde Prumięsis, vtrobique disciplinam valde laudabiliter restituit, arcem & comitatum Longiensem armis Caroli V. Cæsaris recuperauit, castrum Stabulense construxit, & in eo mortuus est 1546.

61. CHRISTOPHORVS A MANDRESCHIET Guilielmi nepos, cujus & coadjutor designatus fuerat. Vtrumque similiter monasterium difficillimis temporibus sapienter rexit, viriliterque propugnauit Catholicam fidem. Obijt diaconus anno 1576.

62. GERARDVS A GROESBECK episcopus Leod. creatus est abbas (ita propter finitimorum turbas e re videbatur potentiorem aliquem esse principem) illa conuentione, vt eo decedente maneret Stabulensibus integra designandi successorem potestas. Quod adeo sancte princeps obseruauit, vt factus deinde cardinalis pactionem illam ab apostolica sede ratam haberi & confirmari obtinuerit. Quadriennio sapientissime suo munere perfunctus obijt 1580.

63. ERNESTVS BAVARVS episcopus Leod. eadem de causa, & lege eadem cooptatus est in abbatem, ecclesiamque illam administrauit. Obijt 1612.

64. FERDINANDVS BAVARVS Ernesti nepos, eius successor jam inde ab anno 1599. designatus, post illius mortem magna omnium exultatione dignitatem hanc auspicatus est: & anno 1630. Illustrissimum D. Guilielmum a Bauaria baronem de Hollinghouen suum successorem designari obtinuit. Vtrumque publicæ rei bono incolumem diutissime Deus seruet.

Die quarto
S. MARCELLVS
episcopus III.

E Primis ecclesiæ Tungrensis patribus hic vnus est, quem tamen posteritas nouit solo nomine, episcopique dignitate, ac sanctitudinis testimonio. Martyrij palmam adeptum esse nonnullis placet. Quod quidem sæuientibus aduersus ecclesiam eo tempore tempestatibus valde consentaneum est; at reuera certis rationibus probari non potest. Verum ignorare nihil ille potest, cui certamus in hac vita, quique vincentes in cælo coronat.

Die sexto
I. LAMBERTVS
abbas Lob. *Chronicon Lob. Ægidij VVauldei.*

LObij monasticam vitam instituit ea integritatis fama, vt Algotus abbas Crispinij eum sibi donari flagitauerit, constitueritque monasterij sui priorem. Sed anno post natum Christum millesimo centesimo trigesimo septimo, cum Lobio transiret Audomarum ad S. Bertini Leonius abbas, vna Lobiensium omnium sententia substitutus est Lambertus. Vir fuit non vernaculæ tantum & Latinæ sed & Germanicæ linguæ peritus; & cum eximia polleret eloquentia, rogatus est ad sacram illam expeditionem Christianum populum adhortari, quam jubente Eugenio III. Pontifice maximo S. Bernardus Claræ-vallis abbas ad tuendum in Syria Christianorum imperium proponendam suscepit. Strenuam in eo & illustrem operam Lambertus nauauit: eamque omnibus de se concitauit opinionem, vt cum aliquibus nuntijs auditum esset Leonium S. Bertini abbatem in Syria decessisse, de subrogando Lamberto a Bertinianis cogitatum fuerit. Suam item eloquentiam agendarumque rerum peritiam probauit Lambertus in Rhemensi concilio, vbi tuendam comitis Hannoniæ quamdam causam susceperat. Neque minore studio sui monasterij negotia procurauit. Ortam inter se canonicosque S. Vrsmari controuersiam sedauit: auxitque beneficentia Nicolai Cameracensis episcopi suæ ecclesiæ facultates. Et cum sacrorum cultum in primis cordi haberet, sacrum S. Dodonis corpus in novum & ornatius conditorium transtulit, inuitatis ad majorem facti celebritatem vicinis abbatibus. Denique postquam abbatis munus insigni laude sustinuisset annis tredecim, vbi mortem sensit imminentem, magna religiosæ mentis teneritudine crucem complexus, hæc e psalmographo pronuntiauit: *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Atque ita perceptis ecclesiæ sacramentis, libenter omnes offensas se condonare professus, sibi in vicem ab omnibus condonari flagitauit, ac denique vitam religiose posuit anno millesimo centesimo vndequinquagesimo. In S. Vrsmari medio sepultus est.

Psal. 31. 10.

II. ANTONIVS TERMONIVS
abbas V. Vallis S. Lamberti. *Quæ mihi e monumentis sui monasterij suggessit Admodum R. D. Michaël Taxillis abbas Vallis S. Lamberti.*

PRæclaram virtutem ingeniumque multis annis prodiderat Antonius, & venerabilem agebat senectutem, quando Vallis S. Lamberti quintus abbas designatus est. Rexit annos quatuor magna laude; & pro tuenda justitia, ecclesiæque libertate multa indigna passus ab antecessoris sui consanguineis, vitam generose tandem posuit ferro obtruncatus VIII. Idus Septembris anno supra millesimum & ducentesimum nonagesimo

ſimo tertio. Martyris honore illum ornat lapidis ſepulcralis inſcriptio.

Paucis ante annis vixerunt, & in eodem cœnobio terra conditæ ſunt feminę duæ, quas ſepulcri epigraphe virtute venerabiles appellat. Oda prior dicta eſt, vitæ inſtituto clauſa: obijt anno ejuſdem ſæculi ſexageſimo ſexto III. Kalend. Octob.

Altera fuit Ida, quæ viro orbata, omnes deinde nuptias conſtanter rejecit: liberiſque Deo conſecratis, poſtquam pluribus annis magna religione vixiſſet, defuncta eſt anno ſeptuageſimo.

Sed quid feminę ad virorum cœnobium monaſtica diſciplina præclarum, ea potiſſimum tempeſtate, qua Ciſtercienſes leges omnem feminis ingreſſum inhibebant? Ita in vita S. Iulianæ narrauimus. Ego quidem exiſtimo, cum eo tempore inſigni virtutis laude celebraretur Vallis S. Lamberti, nonnullos melioris vitæ deſiderio illuc conuenire ſolitos, quo religioſis monachorum exemplis inſtitutionibuſque ad optima quæque ducerentur. Feminarum commodo exſtructa erat (hodieque ſeruatur antiquum) ad portam ædicula, quibus non procul illa habitatio permittebatur. Conjectura mihi eſt e vita Margaretulæ ſecundo hujus menſis die deſcripta, vbi hoc Villarij vſurpatum fuiſſe colligitur.

Die ſeptimo

S. MADELBERTA

virgo. *Officium Leodienſe, Molanus.*

SAncti Vincentij ex S. Waldetrude filia fuit. Cum primis annis Malbodij ſub S. Aldegundis materteræ diſciplina in Chriſti virginem adoleſceret, inter ſodales ceteras admirabili modeſtiæ, pietatis, ac caritatis ardore ſpectabilem ſe amabilemque exhibuit. Illud denique virtutis edidit ſpecimen, vt ſorori ſuæ Aldetrudi, quæ poſt Aldegundem annos duodecim ſacrum illud gynæceum rexerat, ſuffragijs omnium ſuccedere compulſa ſit. Poſtquam impoſitum onus annos nouem pari ſollicitudine animique robore ſuſtinuiſſet, meritis grauis, ad æternas cęleſtis agni nuptias migrauit virgo integerrima anno ſexcenteſimo octogeſimo quinto.

Eius ſanctitatem creberrimis Deus miraculis celebrabat, quando Leodium S. Hubertus aduexit ſub annum a Chriſto nato ſeptingenteſimum viceſimum, ratus firmiſſimam illam vrbi Leodienſi recens conditæ futuram munitionem. Ad S. Lamberti latus in hunc diem in principe baſilica ſeruatur.

Die nono

ADAMVS ZIRIXÆANVS

Minor. *Arturus a Monaſterio, Martyrol. Franciſc.*

ZIrixæę natus in Zelandia, Louanij Minor vixit & mortuus eſt non minore virtutis gloria, quam eruditionis. Latine, Græce, Hebraice doctus ad admirationem, theologicarum diſciplinarum cognitionem inſignem ſibi comparauit. Quas etiam explanare juſſus, paruit eximio auditorum bono. Atque vt vtilitatem in poſteros traduceret, in aliquas ſacrorum librorum partes doctas lucubrationes, & alia ingenij ſui ſpecimina publico dedit. Sed quo etiam ſua virtute alijs prodeſſet, ordinis ſui in tota prouincia moderator deſignatus eſt. Quo in munere ſuas partes ad omnes numeros expleuit. Religioſam enim diſciplinam indefeſſa vigilantia ſuſtinuit, promouitque diligentiſſime præclaro Diuini nominis incremento. Poſita vero laudabiliter præfectura, redijt ad ſcholæ labores, egregio obedientię exemplo, parique ſui contemptu longe clariſſimus: atque conſtanter in ijs ad vltimum vſque ſpiritum perſeuerauit: communique ſodalibus omnibus lege victitans, nihil vnquam eximium, quod ætatis laborumque obtentu ſumere potuiſſet, admiſit. Sanctiſſime migrauit ad Dominum (inquit Arturus) anno ſupra ſeſquimilleſimum viceſimo quinto.

Die

Die decimo
S. THEODARDVS
episcopus XXVIII. & martyr. *Anselmus, Godescalcus, Stephanus, Sigibertus, Nicolaus, Renerus.*

NAtione Gallus, domo nobilis fuit, sed virtute mirabilis. Institutionibus S. Ioannis Agni (quem episcopum fuisse demonstrauimus) ad omnem se recti normam effinxerat. Quare cum Remaclus Stabuleti ac Malmundarij monastices fundamenta jecisset, & ad ecclesiam suam, episcopatusque negotia subinde se referre cogeretur, idoneus quam maxime visus est Theodardus, qui novum vtriusque familiæ plantarium, quod Remaclus conseuerat, rigaret ipse.

ANNO 636. Fecit ille tanta vigilantia desiderioque Diuini honoris, vt cum denique posito episcopatu in Stabulensem solitudinem se Remaclus abdidit, vtrumque illum religiosum cœtum recturus, illi successerit Trajecti Theodardus, quem spes erat ea animi magnitudine religioneque episcopatum gesturum, qua Remacli vices impleuerat Stabuleti.

Episcopus. Episcopus initiatus est a Chuniberto Agrippinæ episcopo. Statimque vitę integritate, sollicita cura, Christiana fortitudine, verum se probauit pastorem, & talis omnium ore celebrari cœpit. Quapropter in eius familiam suo juxta ac parentis desiderio Lambertus cooptari petijt, quo tanti antistitis excultus disciplina, ad præstantiorem virtutis dignitatem contenderet. In capessendis quippe disciplinis sapientia præceptoris magnum est auditori momentum. Et sane seu illa fuerit magistri peritia, siue indolis in Lamberto felicitas, ea fuit ad omne honestum progressio, vt omnium in se conuerteret oculos. Ipseque adeo Theodardus, qui nescire non poterat, quo maxime virtutum ornatu debeat is clarere, qui ad alicujus ecclesiæ gubernaculum sedet, ita sensit de Lamberto vicenos annos vixdum nato, vt illum suæ dignitatis heredem scripturus fuerit, nisi legibus ecclesiæ prohiberetur. Tanto scilicet imparem oneri non ducebat, non leui profecto præceptoris gloria.

S. Lambertum erudit.

ANNO 656. Verum alia mox haud paulo major sancto præsuli oblata est. Comperit enim ecclesiam suam viris quibusdam impijs sacrilegisque in prædam cedere. Injuria procul dubio minime toleranda: sed quæ non sine maximis difficultatibus præsentique periculo propulsaretur. Potentes erant aduersarij, & quibus minime ferendum videretur, res semel occupatas relinquere. Honestissimam igitur aggressus causam Theodardus, precibus primum, tum minis, ac Diuini tribunalis terrore tentat animos. Frustra: vt quibus præter humana, & quæ oculis percipiuntur, timori nihil sit, nihil in amoribus.

Pro ecclesię defensione

Regem ergo Hildericum adire constituit, quo regia saltem autoritate rebus ecclesiæ prospiceret. Illi suæ causæ diffisi, cum magnam præterea scirent episcoporum apud reges gratiam, anteuertere statuunt. Adeo in infame flagitiorum barathrum præcipites agit mortales insana opum cupiditas. Iter ingresso struunt insidias, non procul vrbe Nemetensi in saltu Biuualtio. Vt clausum suis plagis episcopum vident, erumpunt vndique ex occultis locis incondito clamore, & in illum contento cursu rapiuntur: diffugientibusque viæ comitibus, vnum parricidæ inuadentes circumfunduntur.

Impauidus in gradu constitit fortissimus Christi athleta, futuri non ignarus, atque adeo ad illustrem pugnam generose pugnandam animo diuinitus obfirmatus. A concepto facinore primum deterrere conatus: Quo filij, inquit, quo ruitis præcipites, si ego vos non fugio? Quo armati, si ego inermis, si pater? At vero filij in patrem? Hoc impium est. Oues in episcopum & pastorem animarum vestrarum? Sacrilegum illud. O! tantum a vobis absit nefas: & scelerosum cœci furoris impetum reprimite. Ferrum ego non metuo. Vita mihi erit, quam mortem putatis. Ei toto pectore lætus occurram, & in summis reponam delicijs, si vestro bono. At heu! vestro scelere, vestro malo, quam mihi denique mori durum erit! Pergitis? Nec salutis vos cura tangit? Impendentem parricidio æterni judicis manum non intuemini? non formidatis? O! vibratum in vestra capita fulmen etiam moriens sustinere possim!

Dicebat pijssimus pater, & impiorum hominum aures sacrilego furore sensit occlusas,

Digitized by Google

sas, manus vidit mortem intentantes: & intrepido pectore ferrum recepit, illius boni pastoris exemplum amplexatus, qui prior animam suam pro suis ouibus posuit. SEPTEMB. DIE 10. martyrio coronatur.

Fortissimum martyrem illis regionibus alias ignotum plurimis mox miraculis supra naturæ leges perpetratis Deus illustrauit. Adeo vt Lamberto, qui eius successor Traje-cti designatus erat, sacrum corpus paulo post repetente, non nisi ægerrime passi sint incolæ asportari, quod certissimum aduersus omnia mala præsidium ab illo reperissent. Leodium illud aduexit Lambertus: & in hanc ætatem singulari veneratione colit posteritas.

Die vndecimo
S. VINCIANA
virgo. *Notgerus, Molanus.*

SAncti Landoaldi soror fuit, quę fraternę pietatis ęmula, Romam v[illegible] cum illo relinquens, in Gallias venit, cultum Numinis pro sua conditione propagatura: quemadmodum in Landoaldi vita dictum est. Quid porro egerit, nemo prodidit. Ego quidem opinor insignem nauasse operam in excolenda Adeltrude S. Bauonis filia, quam Landoaldo singulari cura commendatam fuisse diximus a B. Amando, tunc cum diœcesim Tungrensem deserebat. Cum illa Wintershouij sanctè vitam egit & mortua est: ac deinde cum illa simulque Landoaldo & alijs Gandauum aducta. ANNO 363.

Die duodecimo
I. FRANCISCVS TITELMANNVS
Minor Capucinus. *Zacharias Bouerius Capuc. annalium sui ordinis anno 1537.*

CAPVT I.

Insigni doctrina excultus, Minorum ordinem ingreditur.

PRæclarum hoc ordinis Seraphici lumen produxit Leodiensis diœcesis vrbe Hasselensi sub annum millesimum quadringentesimum nonagesimum septimum. Cujus eximię virtuti ne quid addidisse videar aut detraxisse, res ab illo gestas ipsius Zachariæ Bouerij verbis lectori dabo.

Fuit Franciscus Titelmannus natione Belga, ex Hassel agri Leodiensis oppido, honestis parentibus natus: qui cum adhuc in teneris ageret, vtroque parente orbatus, sub Caroli Carondeleti tutela recipitur, atque eius opera adjutus, ac velut in filium adoptatus; Louanium, quæ Brabantiæ vrbs est archigymnasio celeberrima, studiorum causa destinatur; vt in ea humanioribus litteris operam nauaret. Erat Franciscus præclaræ indolis adolescens, atque admirabili ingenio præditus; cui incredibilis inerat ad optimarum rerum studia amplectenda animi impetus: quo factum est, vt breui tanta felicitate ac celeritate in liberalibus studijs profecerit, vt cum ad sextumdecimum annum peruenisset, omnium ingenuarum artium cognitionem ac disciplinam assecutus esse videretur. Iuuenis linguarum fere omnium peritiam velut panopliam tum ad scripturas vero sensu interpretandas, tum ad hæreticos profligandos, præsertim vero Hebraicæ, Chaldaicæ, ac Græcæ linguæ sibi copiam comparauit. Hujus postremæ tum perfecte scientiam adeptus fuerat, vt quamuis Latinæ orationis nomenclator esse posset, facilius tamen Græco, quam Latino sermone vteretur.

In hæc studia Franciscus, cum ita animum intenderet vt nec labor improbus eum ab ijs deterreret, nec juuenilis ætatis inconstantia auocaret; non quies, non animi remissiones, non spectacula, non ludi denique illius animum oblectarent: ac proinde omnem suæ adolescentiæ cursum in honestis hisce animi laboribus transigeret; eo sane fiebat, vt minus animum vitijs, ac voluptatibus daret: quibus in ea præsertim ætate eneruari, & a virtute auocari solet.

Inerat præterea juuenis Francisci animo diuinum quoddam semen, a Deo inditum: quo ad pietatem, ac res diuinas suapte natura impellebatur: quare cum Deus Opt. Max. agrum hunc humanis scientijs

Digitized by Google

scientijs fertilem, diuinarum virtutum semini aptum conspiceret; mane exijt seminare semen suum, atque in ipso juuentutis flore, antequam marcesceret, Franciscum valido inspirationis afflatu, a pestifero mundanæ conuersationis vbere diuulsum, ad Obseruantium nuncupatorum religionem, velut ad euangelicæ matris sinum, a qua celeste virtutum lac sugeret, suauiter compulit.

Is igitur in domo Dei, inter ipsius domesticos, ac familiares adscitus: qui prius in animo Humanioribus studijs excolendo, egregiam operam nauauerat; tunc primum in id omne studium ac sollicitudinem contulit, vt mentem diuinis virtutibus imbueret. Idcirco humilitati cumprimis, sui ipsius abjectioni, obedientiæ, altissimæ paupertati, sensuum mortificationi, abstinentiæ, silentio, ac reliquis virtutibus, denique tam perfectæ regularis obseruantiæ disciplinæ studere cepit, vt scientiarum peritiam, quam ante religionis tirocinium adeptus fuerat, cum summa tunc virtute conjungeret, ac posteriori pietatis gloria cumularet. Quamobrem a Patribus ad theologica studia promotus, in ijs præstantissimus euasit: atque adeo in vtraque philosophica & theologica facultate excelluit, vt publicus Louanij professor electus, pluribus annis Hassellensis academiæ cathedram apud Louanium summa cum laude rexerit, ac sua doctrina illustrauerit. Quo tempore plurima, tum in philosophos, tum in sacros libros commentaria edidit.

CAPVT II.

Ad Capucinos transit, egregius sui contemptor.

INter hæc Franciscus, cum regularis obseruantiæ studiosissimus esset, seduloque animo versaret, quo pacto, collabescente ordinis disciplina, sibi ipsi opportune consuleret: forte accidit, vt nouæ Capucinorum reformationis fama ad eum penetraret. Quare mirum in modum exultans, quasi ea sibi a Deo ad sui reformationem via parata esset: protinus in Italiam proficisci cogitat. Tandem consilio cum Fr. Leonardo, suo olim discipulo, communicato, cui & F. Martinus laicus comes adjunctus fuit, cum his e Belgio digressus, Lutetiam Parisiorum proficiscitur. Eo cum peruenisset, ibi F. Franciscum de Soletro, virum doctrina ac vitæ integritate insignem offendit; qui eodem, quo Titelmannus consilio ductus, primo quoque tempore, profectionem in Italiam parabat. Alterius consilium etiamnum vterque ignorabat; varia tamen cum inter se frequenter de regulari obseruantia colloquia miscerent, contigit aliquando, vt de nuper exorta Capucinorum reformatione sermonem instituerent: quam cum Franciscus de Soletro plurimis laudibus efferret; ijsque qui ad reformationem adspirarent, velut opportunam commendaret, Titelmannus quoque suos ei calculos adderet: res eo tandem deducta est, vt mutua sibi vicissim consilia, ac deliberationes aperirent.

Itaque vna omnes Lutetia digressi, Romam versus iter arripiunt. Agebatur tunc Christi annus 1535. cum generali capitulo, apud sanctam Euphemiam a Capucinis congregato, Bernardinus Astensis communi eligentium suffragio generalis vicarius primo electus fuerat: ad quem cum Franciscus Titelmannus cum socijs accessisset, ac summa humilitate reformationis habitu donari postulasset: Bernardinus eorum virtutis, ac præstantiæ non ignarus, omnes in religionis sinum lætus suscepit: Titelmannumque Mediolani lectorem instituit.

Titelmannus vero cum ea mente, ac consilio ad reformationem accessisset, vt animum solidiori virtute ornatum, perfectius in Deum transferret, eo honore neglecto, ad incurabilium domum, in qua tunc fratres ministrabant, cum ceteris destinari, atque ægrotis inseruire a Generali (tametsi ægre) impetrat, vt humanæ sapientiæ fastum, si quis animo ex sui nominis gloria illi adhæsisset, eo profundius deprimeret, quo humilioribus se infirmorum obsequijs addiceret. At vero cum frater Franciscus Cænobiensis, cui illud Titelmanni consilium minus gratum fuerat, ea potissimum ratione, eum a proposito auocare conaretur; quod prælegendi munus, quo plurimis sua doctrina prodesse poterat, infirmorum obsequio anteponendum existimaret: his Titelmannus illi verbis respondet: Non bene rogas, frater, neque mihi vtiliora consulis. Mihi sane præstat potius telam texere, ac manibus laborare; quo necessaria mihi alijsque ad victum, juxta P. nostri Francisci consilium, parare queam, quam ceteris in cathedra prælegere. Quanto magis in ægrotos operam meam impendere? Hac ideo Titelmannus, cum primum ad Capucinos accessit, ob id potissimum sibi in animum induxit; quod ex antiquo ordinis chronico hoc tempore didicerit, id B. P. Francisco inter alia reuelatum fuisse: Minorum ordinem non ad multarum litterarum studia sectanda, sed ad Christi crucem potius amplectendam, a Deo institutum fuisse: neque Minores fratres ad ostentandam scientiam, sed ad Christum Crucifixum jugiter in animo ferendum a Deo vocatos fuisse. Hinc enim B. P. Franciscus illa Christi verba, apostolis dicta, de Minoribus suis interpretabatur: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis. Idque sæpe dicere solebat: multos scientiæ viam sibi laboribus comparare; beatum vero fore, qui

Digitized by Google

re, qui propter Christum se stultum effecerit: quapropter in humilitatis proposito constans, ægrotorum curam oblato Lectoris honori postponere voluit.

CAPVT III.

Ægrotis inseruit mira caritate.

ÆGrotorum itaque curæ cum alijs addictus, mirum est, quanta in eos caritate præcelleret: quam accurate, quam assidue, quam officiose diu noctuque, quæ necessaria erant, ministraret: quam alacriter se totum ijs officijs dederet, quæ ceteris olidiora, ac grauiora videri solent: vt omnem simul cum carne sensus voluptatem confoderet. Eapropter ea sibi munera libentius erga ægrotos obeunda eligebat, quæ carnis sensum magis eppugnarent. Sordes omnes solus ipse ab ægrotorum cubilibus amouebat: matulas & scaphia abstergebat: solum verrebat: nihilque aut laboriosum, aut sensui graue esse existimabat, quod vltro lætissime non præstaret. Denique ea semper spiritus alacritate in hæc caritatis ac humilitatis officia ferri videbatur, ac si non ægrotis hominibus, sed ipsi Domino hominum conditori obsequeretur. Præterea, vt omnem prorsus ex animo tumorem depelleret, qui plerumque ex inflante scientia, teste Apostolo, oriri solet: adeo se litterarum ignarum, ac imperitum, humili quadam simulatione præstabat, vt vel numquam, vel raro ob Italici idiomatis inopiam, qua plurimum laborabat, verbum aliquod Latinum proferret, sed vulgari tantum sermone (vt poterat) vteretur. Res plane admiranda alijs videbatur, virum toti orbi Christiano insignem, ac doctrina præclarum, tam ingenti sui ipsius contemptu inter infirmos versari, quisquilias tollere, sordes asportare, ac vilissimis quibusque exercitijs incumbere: corporisque sui adeo curam negligere, vt nonnisi despecto, ac plerumque lacero habitu vteretur: denique tanto studio paupertatem amplecti, vt in sola rerum penuria gloriari videretur.

Verum id illi admirentur, qui præter mundi gloriam, nihil inter homines præstantius esse arbitrantur. Etenim veris Dei seruis atque ijs, qui æqui rerum diuinarum æstimatores sunt, hæc quæ apud homines alta, ac gloriosa existimantur, stulta ac infima videntur: idque solum altum, ac nobile ab his esse judicatur, quod humanæ gloriæ fastigium, atque altitudinem prosternit; cumque ab hominum sensu longe absit, prope ad diuinum accedit. Idcirco cum nonnulli ex sæcularibus viris, qui Louanij ipsius auditores fuerant, illum his ægrotorum obsequijs mancipatum vidissent, interrogassentque cur aut Romæ non legeret, aut librorum scriptioni operam non daret, quibus plurimos iuuare posset: digna Titelmanno respondit: extendens namque ille manum, atque ægrotos indigitans; Hos (inquit) infirmos cernitis? en libros meos: en codices, quos quotidie manibus meis compono. Hi Ambrosij, hi Augustini, hi Chrysostomi mei sunt; quibus singulis diebus studeo. Tam enim perfecte IESVM CHRISTVM cum Capucinorum habitu induerat; tantoque in sui ipsius abjectionem ac neglectum studio ferebatur; vt hæc humilitatis ac pietatis munera maximæ discipulorum turbæ, ac multorum librorum scriptioni longe anteferret. Neque enim ignorabat (Gregorio teste) nullam esse scientiam, si pietatis vtilitatem non habeat: hominumque ingenia, doctrina quidem politiora, pietate vero tantum meliora fieri.

Dum his practicis, ac vtilioribus studijs, vir sanctus omni pietate incumberet: haud tamen illius mens ingenij fœtibus assueta otio torpebat: eo namque tempore, quod illi ex quotidiano ministerio, ac rerum diuinarum cultu otium supererat, ingenio dabat; librumque edidit de exercitijs religiosorum, qui plurimum ad pietatem confert.

CAPVT IV.

Prouinciæ Romanæ præfectus, asceticam disciplinam excolit magno studio.

HIs caritatis, ac humilitatis officijs, cum vir Dei aliquot mensium spatio, tanto spiritus ardore vacasset, vt summam omnibus admirationem, ac sanctitatis opinionem ingereret: ab ijs tandem Bernardini generalis jussu euocatur, atque ad grauiora religionis negotia transfertur.

Contigit hoc tempore, vt Romæ primum illius prouinciæ capitulum celebraretur: in quo ob eminentem viri virtutem, cum omnium fere electorum suffragia in Titelmannum conspirassent; is vicarius prouincialis, tametsi inuitus Romanæ prouinciæ præficitur. Eo porro munere suscepto, cum illud sibi ministerij genus a B. Francisco creditum non ignoraret; quo & religiosæ familiæ cælestis do-

Digitized by Google

ctrinæ alimoniam præbere, & Domini gregem virtutum luce anteire deberet: mirum plane, quam integre ac perfecte vtrumque præstaret. In visitationibus namque, quas summo studio ac diligentia perficiebat, sermones de regulæ puritate, ac perfecta illius obseruantia, vt plurimum instituere solitus erat. Atque inter alia euangelicæ vitæ ornamenta, paupertatem tanquam vnicum seraphicæ religionis fundamentum, quo diruto aiebat omnem simul religionem prosterni; ante omnia commendans, fratrum animis instillabat. Hanc gladium acutum, atque ancipitem appellare sæpe solitus erat: ob id maxime, quod vniuersos animæ hostes, nimirum mundi cupiditates, diaboli impetus, ac carnis voluptates velut spirituali gladio, vno ictu trucidaret: cunctaque spiritus impedimenta omni ex parte resecaret, quæ illum a puro Dei amore, & diuinarum rerum contemplatione auocare solent; a quibus summam hominis perfectionem pendere præclaris rationibus astruebat.

Illud vero cum maxime fratribus inculcaret, vt juxta apostolum, labore manuum victum sibi quærerent: hanc B. P. Francisci mentem in regula, ac testamento expressam esse affirmabat, vt fratres ita manuum labori incumberent, vt ex eo victum sibi compararent. Mendicationem itaque non absolute ac per se, sed in laboris tantummodo subsidium a B. P. institutam, ac velut substitutam fuisse docebat: vt tunc tantum, cum ad victum comparandum labor satis esse non potest, mendicatio suppleat. Audite (aiebat) quid B. Pater in regula præscribat: Fratres, inquit, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter, & deuote, &c. de mercede vero laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecunias. En apertam B. Patris mentem, vt fratres manuum laborem exerceant, & ex eo corporis sustentationem sibi quærant. Apertius vero ac luculentius id in testamento declarat, cum ait; Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij fratres mei volo, quod viuant de laboritio, quod pertinet ad honestatem; & qui nesciunt, addiscant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Hinc quid de B. Patris mente sentiendum esset, velut indubie colligebat, qui monachis suis manibus operandum præscribit. His argumentis fratres ad manuum laborem impensius adhortabatur. Et quamquam ad eum neminem præcepto vllo astringeret; eos tamen minus regulæ puritati studere sentiebat, qui cum necessarijs rebus minime occupati essent, sola rerum mendicatione contenti, corporalia hujusmodi exercitia negligerent.

Quamobrem in omnibus Romanæ prouinciæ monasterijs id suo tempore agendum curauit, vt fratribus vimina, paleæ aut junci suppeditarentur, ex quibus calathos, aut fiscellas, aut sportas, aut storeas antiquorum monachorum more texerent, ex hisque communem victum sibi compararent. Atque vt reliquos ad hujusmodi opus animaret, frequenter & ipse cum alijs sportas, & canistros construebat. Illorum tamen laborem minime probabat, quin imo aperte reprehendebat, qui vanis, ac curiosis operibus intenti, his priuatas hominum, ac muliercularum amicitias aucuparent. Tales homines scarabæis similes asserebat, qui cum in globulis suis efformandis, ac euoluendis multum laboris insumant; nihil præter stercus circumferunt. Ita hi tametsi multo labore in hujuscemodi inutilibus, ac curiosis rebus effingendis ac componendis studeant; nihil tamen præter inanem laborem, vel quod pejus est, fœdum humanæ, ac sæpe male olentis amicitiæ stercus in animo versant; quibus idcirco non merces pro labore, sed pro mercede probrum ac ignominia debeatur.

B. Patris Francisci regulam aiebat, tam claram, ac dilucidam esse, vt germanus ipsius sensus vnicuique obuius esse posset, si solo spiritus, non carnis oculo spectaretur. Quo fit, vt nulla prorsus interpretatione, præterquam bene affecti animi lectione indigeat. Hinc præter Pontificum declarationes, ceteras regulæ expositiones, aut superuacaneas, aut regulæ minus proficuas judicabat; cum sæpe genuinum illius sensum vel interuertant, vel tenebris inuoluant. Hac quippe de causa Dominum glossas omnes a regula expulisse affirmabat, cum olim B. P. Francisco dixit; Volo vt regula obseruetur, ad literam, ad literam, ad literam, sine glossa, sine glossa, sine glossa. Eo quod aliquando sub specioso expositionum titulo fallaces ac perniciosas glossas in regulam intrudendas prænosceret. Verumtamen cum obuios ac germanos regulæ sensus prodere, ac verbis illustrare, neque glossa, neque damnanda regulæ expositio sit, id maxime fieri commendabat. In eoque is tam in publicis sermonibus, quos sæpissime de regula instituebat, quam in priuatis colloquijs adeo præcellebat, vt fratres Dei gratiam, quæ in regulæ locis ac mysterijs elucidandis mirifice affluebat, admirantes ab illius ore penderent.

CA-

CAPVT V.

Eximijs virtutibus clarescit.

AT vero vir hic egregius, cum ad optimum, ac potissimum aliorum regimen, verbi disciplinam haud sufficere, sed ipsam perfectioris vitæ formam necessariam esse duceret : vix ad Prouincialatus officium assumtus, tam singularem ac perfectam in se ipso vitæ rationem instituit : tamque præclaris virtutum exemplis ceteris prælucere cœpit; vt vniuersi ex eo, velut ex diuite quodam penu quod imitarentur, sibi sumere valerent. Etenim præter ea virtutum genera, quæ non omnibus communia, sed pastoribus tantum propria esse solent; cujusmodi sunt, grauitas in officio, consilium in deliberando, prudentia in agendo, in judicando æquitas, in pœnis exigendis temperantia, in arduis aggrediendis fortitudo, erga miseros pietas, erga proteruos seueritas, erga omnes mansuetudo; quibus is adeo præcellebat, vt in eo præsidendi munere, non tam se judicem quam ministrum spectaret : cogitaretque sibi tantum esse permissum, quantum commissum sit, & creditum : potestatemque sibi esse datam, vt non quæ velit ipse, sed quæ lex & religio jubeat, præstet : atque idcirco patrem ac pastorem se esse meminisset, cui filiorum cura, ac gubernatio credita est. Denium ita sibi gregis custodiam commissam intelligeret, vt languentes oues ea suauitate curaret, vt nec nimia austeritate perderet, nec abundantiori lenitate in vitijs foueret : atque hoc pacto veri & perfecti judicis simulacrum recte censeri posset. Tot alia, præter hæc, præclarissimarum virtutum ornamenta sibi comparauerat, quæ singularem dumtaxat personam, etiam a dignitate sejunctam consequebantur; vt nemo facile alium reperire posset, qui humilitate, modestia, benignitate, moderatione, animi lenitate illum antecelleret. Admirabilis in eo erat, ac pœne incredibilis vitæ austeritas, atque in seipsum seueritas : qua fiebat, vt nudis fere semper pedibus, in ipsa quoque visitatione incederet: quotidiana jejunia coleret; semelque in die dumtaxat cibum sumens, a carnibus ac lautioribus cibis vt plurimum abstineret : nudis tabulis pro strato vteretur: somni parcus, majorem interdum noctis partem, quoad sibi per officium licebat, in orationibus insumeret. Quamquam vero corpore delicatus esset, seueriores tamen carnis castigationes tam auide amplectebatur, vt ijs sibi ad breuiorem vitæ cursum facile viam strauisse, cunctorum fuerit opinio.

Denique tanto in perfectissimam regulæ obseruantiam studio ac cupiditate ferebatur, vt nemo eo pauperior, abjectior nemo esset : vilissimo ac solo tantum inter brumalia frigora habitu contentus, in summa rerum egestate gauderet : atque in sola Domini nostri IESV CHRISTI *cruce gloriari videretur. Paupertatis adeo cupidus ac amator fuit, vt Romæ in conuentu Sancti Nicolai, qui postea, noua exstructa ecclesia, sancto Bonauenturæ dicatus fuit, cellulam quamdam pauperrimam ex contextis viminibus ac luto extructam, sibi seorsum parauerit, vt se nulla re magis quam paupertate delectari ostenderet, ceterisque paupertatis exemplum præberet. Qualecumque aspectu curiosum, tametsi minimum tam in ecclesijs, & locorum ædificijs, quam in mensis ac supellectilibus sese offerret, in quo altissima non reluceret paupertas, summopere exhorrebat. Quamobrem cum mensas quasdam in visitatione abjegnas, ac læuigatas offendisset, quæ pulchritudinem ac curiositatem ex læuigatione præ se ferebant, protinus e refectorio amoueri, aliasque rudiores apponi jussit, vt fratrum animos a rerum curiositate auocatos, ad simplicitatem, quæ minorum propria esse debet, transferret.*

Inter hæc mira Franciscus in suos caritate ferebatur; tamque materna in eos viscera gerebat; vt eum nec labor itineris, nec intensi calores, nec naturæ mollioris imbecillitas deterrerent, quo minus singula prouinciæ loca, vniuersosque fratres sigillatim inuiseret, seipsumque eis libenter impenderet. Cunctos haud secus quam gallina pullos, confouebat, consolabatur, hortabatur, ac pijs sermonibus ad virtutum studia prouocabat. Et si quem ægrotantem offendisset, omne mox studium, ac sollicitudinem conferebat; vt necessaria illi summa caritate ministrarentur. Ægrotos enim velut infantulos, suæ curæ relictos intuebatur : quibus propterea fratres caritate præditos, qui illis sedulo ministrarent, destinandos curabat.

Tanta in ipsius conuersatione humilitas, tam mira affabilitas elucebant; vt ad eum velut amantissimæ matris sinum cuilibet pauperculo fratri confidenter aditus pateret. Cumque nulli durus, aut grauis, neminem vnquam a se, suoque colloquio repelleret : hinc omnium erga se fratrum animos alliciebat. Tanta denique in eo erat faciei venustas, tanta vultus hilaritas, ac morum suauitas, vt cum in eo cuncti angelicæ conuersationis formam suspicerent : nemo in eum oculos conjiceret, aut loquentem audiret, qui angelicum, ac cælestem hominem esse non existimaret.

Feruebat vir præclarus incredibili caritatis æstu : ita vt seipsum hostiam pro Christo immolare

DIE 12. *summopere optaret. Quamobrem id secum sæpe in animo volutabat, quo pacto nonnullis feruentioris spiritus socijs collectis, in infidelium oras, ac præsertim Indicas plagas irrumperet: sterilesque terras vel diuino fidei semine imbueret, vel fuso cruore irrigaret. Idque facile assecutus esset, nisi vitæ ipsius stamina mors immatura abrupisset.*

CAPVT VI.

Mortem prædicit, atque obit sancte.

His studijs, ac clarissimis virtutum exemplis, dum Titelmannus instar aquilæ, quæ super pullos suos volitat, filios ad virtutes & perfectiorem regulæ obseruantiam prouocaret: atque omni studio ac diligentia in commissæ sibi prouinciæ administratione ac cultura laboraret: secundam visitationem auspicaturus, Anticolim peruenit, quod Latij oppidum est, quadraginta millia passuum ab vrbe distans. Vix autem monasterium ingressus, cum a guardiano, & a fratribus, angeli instar, omni honore exciperetur: adhuc valens & incolumis ad eos conuersus, ait: Quid honores paratis? parate patri vestro sepulcrum: ad vos enim moriturus accedo: atque hic me locus vsque ad extremum judicij diem rursus excitandum capiet. Deo namque reuelante didicerat, extremum se ibi vitæ colophonem impositurum. Fratres vero tametsi meliora ac feliciora illi ominarentur; viri tamen grauitatem ac sanctimoniam haud ignorantes, rem tremuli ac suspensi expectabant. Cum vix biduo elapso febre ægrotare cœpit: succedente deinde copioso sanguinis fluxu, qui nullo vmquam remedio cohiberi potuit. Cum morbus ingrauesceret, vitæ finem vir Dei sibi imminere præsentiens, protinus omnia sibi sacramenta administrari curat; quibus instructus, quidquid virium animo supererat, recolligens, vniuersos fratres, qui tunc in eo conuentu aderant, ad se vocatos cælestibus verbis ad perfectam regularis obseruantiæ disciplinam, ad seraphici P. Francisci imitationem, ad diuinæ caritatis amplexum, præstantioraque omnium virtutum studia capessenda hortatur. Postremo filios lecto circumfusos, & communis patris obitum collacrymantes aspiciens, paterna cunctos benedictione prosequitur.

Porro in extrema illa ægritudine, quæ vsque ad vigesimum circiter supra octauum diem producta est, tot inuictæ patientiæ, insignis tolerantiæ, ac diuinæ caritatis testimonijs eluxit; vt cum eo tempore, totus diuinis laudibus decantandis incumberet, summamque vultus hilaritatem præ se ferret; non ægrotus aut moriturus, sed potius melioris vitæ trophæa, ad quæ ocyus properabat, cælestis cujusdam cygni instar, suo cantu referre videretur. Quapropter Domino, tanquam fure clam adueniente, cum prudens ac frugi paterfamilias ad illius aduentum vigilaret; eidem occurrens, necdum biennio in Prouincialatus munere expleto, pri-
ANN. 1537. *die idus Septembris, hoc anno ex hominum consortio ad superorum societatem euocatur. Nec senex, nec ætate longæuus Titelmannus obijt: cum vix quadragesimum circiter annum attingeret. At senectus venerabilis, non temporis diuturnitate, neque annorum numero computatur. Cani enim, teste Salomone, sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Inter Capucinos ad tertium non amplius annum, vitæ lineam extendit: at consummatus in breui expleuit tempora multa. Breui enim hoc tempore, tam copiosis cælestium virtutum odoribus religionis domum compleuit, vt haud secus, quam si plenus dierum diu inter nos vixisset, quam plurimos, ea cælestis vitæ fragrantia, ad sui imitationem allexerit.*

In hunc modum, & eadem ipsa verba Zacharias Bouerius Capucinus in annalibus ordinis sui ad annum sesquimillesimum trigesimum septimum: hoc tantum a me addito, quod claritatis ergo in capita distinxerim. Pluribus vero prosequitur idem scriptor, quæ multi diuinitus didicerunt de parta illi in cælo gloria: tum & plurimas res miras, quas post mortem in eius honorem Deus perpetrauit. Ijs ego commemorandis, propositæ breuitatis studio, mihi supersedendum existimaui.

Digitized by Google

II. GVIDO pastor beguinarum Niuellensium. *Cantipratanus.*

ADolescens scholas regebat Sognesij Hannoniæ oppido, quando incaute feminam contemplatus, malo suo didicit, quantum periculi creare possit etiam imprudens oculorum conjectus. Diem obijt illa femina: totosque nihilominus tres annos obscœnis cogitationibus adeo importune mentem vexari Guido sensit, vt præter id quod interdiu patiebatur, singulis pęne noctibus illa quasi præsens obijci videretur. Ille seu graue esset castæ menti adeo turpibus imaginibus pulsari, seu profecto imbecillitati suæ timeret ab hoste tam lubrico, nocte quadam demortuæ mulieris tumulum aperuit, naresque ac totam faciem in corpus toto triennio multa corruptione vitiatum immersit, & tamdiu detinuit, vt grauitate odoris ferme extingueretur, exanimique similis resupinus collaberetur. Generosum facinus illustri victoria Diuina bonitas compensauit. Inuictum castitatis pugilem nullo posthac ausa est stimulo lacessere incontinentia.

Circiter annum 1200.

Fortiter de se triũphat.

Beguinarum pastor Niuellis factus, vitam egit magna morum integritate, & beato fine clausit. Virum sanctum non dubitauit appellare Cantipratanus: atque illum post mortem se videndum præbuisse, nobili ornatum gemma, cujus fulgor vniuerso orbi illustrando par esse posset: ex quo laureę, quam in cælo adeptus esset, dignitatem colligi debere putat: & vero æquum fuisse, vt qui multorum animis illuxerat qua sacris cohortationibus, qua virtutum exemplis, idem ille fulgeret *quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Insigni gloria donatur.

Dan. 12. 3.

Autor est Vitriacus vixisse Niuellis eadem tempestate probum quemdam presbyterum nomine Guidonem, qui Mariæ Oegniacensi Niuellis a confessionibus, ejusque mariti frater esset: quem vt neque negare eumdem esse cum illo priore, ita neque affirmare habeo.

Die decimo quarto

I. S. MATERNVS Tungrorum primus episcopus.

SAncto Materno totius gentis apostolo natalis est decimus quartus hujus mẽsis dies, insigni triumpho a nobis jure celebrandus, vt illi de gloria gratulemur, per quem nobis omnis boni spes facta est. Res ab illo gestas primo omnium loco reposuimus, ne in ordinem videremur illum redegisse, qui omnes suo merito ordines duxit.

II. HADRIANVS PAPA VI. *Onuphrius.*

CAPVT I.

Ex ima conditione ad summos quosque honores virtute conscendit.

VLtrajecti natus est VI. Nonas Martias anno Domini millesimo quadringentesimo vndesexagesimo. Patrem habuit nomine Florentium, ex ingenua plebe, (quemadmodum ipse de se scribebat) aulęorum textorem, aut (vt alijs placet) coctoris cereuisię ministrum, probum tamen & frugi hominem. Angustam hic adeo rem familiarem domi habuit, vt filium alias propendentem ad litteras alere non posset.

Missus itaque Louanium Hadrianus, in hac diœcesi futurę magnitudinis fundamenta jecit. Obtinuit primum vt gratuito aleretur in Porci prædagogio: vbi vetere instituto ingenuis adolescentibus egestate pressis in aliquot annos ad bonas artes perdiscendas e publico annona prębetur. Tum incredibili vitę integritate & continentia se totum liberalibus disciplinis ita dedit, vt breui tempore inter dialecticos, philosophos, mathematicos

Litteris

DIE 14. ticos & theologos principem locum obtinuerit: nec pontificij juris expers fuit.

& virtute emergens

Sed quæ gloria multo potior est, illius ea fuit virtus & morum innocentia, vt Margareta Cæsaris Maximiliani I. filia, quę tum Belgis imperabat, eum nihil tale cogitantem opimo in Hollandia sacerdotio donarit. Neque multo post ob castissimos mores cum eximia sapientia conjunctos, Louanij in summo templo decanus omnium collegarum suffragijs renuntiatus est. Qui dignitatis gradus alium mox secum traxit, in celeberrima illa academia honorem præcipuum. Vicecancellarius enim, vt vocant, creatus est: cujus in scholas collegiorum omnium suprema est autoritas.

Louanij collegium extruit,

His opibus auctus, nihil antiquius habuit, quam vt Louanij collegium, quod hodie pontificium appellatur, ędificaret, vectigalibusque instrueret, quibus inopes adolescentes cum doctoribus sustentarentur: perfecitque aliquot annorum lapsu, non sine magna omnium admiratione simul & approbatione.

Fit Caroli V. præceptor,

Sub id tempus Philippus rex Hispaniarum Maximiliani Cæsaris filius vita decessit, Carolo septenni filio (qui postea fuit imperator) relicto. Huic avus Cæsar præceptorem dedit Hadrianum, pluribus alijs, qui se ambitiose obtulerant, & amicorum studio perducti, ingenium varijs artibus ostentarant, repudiatis. Sincera quippe virtute potior nulla est commendatio.

Operam minime diuturnam litteris Carolus dedit, equorum armorumque tractationem principi magis consentaneam arbitratus, Hadriano nequicquam dehortante. Qui grauissimo hoc munere perfunctus, in Hispaniam ad Ferdinandum regem missus est cum amplissimo legationis munere. Apud quem tanta gratia valuit, vt Derthusensi mox episcopatu ab eo donatus fuerit; nec ab illo, quoad vixit, licuerit abire.

tum episcopus Derthusensis,

Quo denique mortuo, cum Carolus nepos summo populorum studio tot regnorum hereditatem consecutus esset, ipse consiliorum omnium particeps & moderator effectus est, cum regendę Hispanię summa penes Toletanum cardinalem esset. Eo munere dum sapienter fungitur, a Leonę X. in cardinalium collegium commendante Maximiliano Cæsare cooptatus est Kalendis Iulij anno illius sæculi decimo septimo.

& cardinalis,

Cum deinde vita Maximilianus abijsset, a Germaniæ septemuiris salutatus est imperator Carolus: & ad capessendum imperium profecturus, summo cum imperio toti Hispaniæ Hadrianum pręfecit. Qui cum abhorreret a tanta dignitate, Carolumque sequi mallet, humanissimis illius precibus manere coactus est; quod in Hispania prorex opus esset præclaræ dignitatis & famæ, qui populos nouo principatui necdum satis assuetos, omnibus moderationis & justitię exemplis in officio contineret.

prorex Hispaniæ

Difficillima fuit prouincia. In vlteriore Hispania conjuratum est in Carolum: nec sine ferro componi res potuerunt. Fusis prælio conjuratis, capite luerunt rebellionis autores. Ipsorum hostium confessione, moderationis & innocentiæ laudem tulit eximiam Hadrianus. Et vero merebatur. Nec enim aliud quidvis, quam præstantissimæ virtutes, abjectæ alias sortis hominem ad tantum honorum fastigium euexerant.

regit magna integritatis opinione.

CAPVT II.

Creatus pontifex, rempubl. magna vigilantia procurat.

Creatur pōtifex.

OMnia in terris virtute inferiora sunt. Ea quod inter mortales summum est, attigit Hadrianus. Leoni X. vita decedenti substitutus est quamquam absens triginta octo suffragijs V. Idus Ianuarias anni vicesimi secundi.

Compositis regni rebus, nauigauit in Italiam, Romamque appulit III. Kal. Sept. ac postridie vetere instituto ante fores Vaticanæ basilicæ coronatus est.

Miserrimus reip. status.

Miserandum inuenit publicę rei statum. Ardebat bello, ciuilibusque dissidijs Italia, atque in primis Romanæ prouinciæ. Ariminum occupauerat Sigismundus Malatesta. Incredibili apparatu Turcæ Rhodum mari, terra Pannoniam inuadebant. Sed quod multo luctuosius sit: Germaniam totumque pæne Septemtrionem hæresis miserandum in modum vastabat. Romæ grassabatur sæua lues: ærarium autem non modo exhaustum, sed & pretiosissima quæque sacrorum supellex a Leone X. & interregni tempore pignori opposita fuerat, vt afflictis rebus pręsidia pararentur. Ijs de causis pontificem quamquam alias imperijs exercitatum, rerum tamen Italicarum penitus ignarum vehementer angi necesse fuit.

Colli-

Digitized by Google

Collecto nihilominus animo, rempublicam fortiter aggressus est. Ac primum quidem Malatestam Arimino expulit. Tum pacandæ Italiæ intentus, Ferrariæ & Vrbini duces in gratiam recepit, rescissis ijs decretis, quę contra illos ediderant antecessores. Atque ita se conuertit ad Turcarum conatus reprimendos. Pacata Italia.

Rhodo in primis, quam barbaricis armis acriter vrgeri audiebat, vt subueniretur, Siculos, Neapolitanos, Hispanos, & quoscumque alios, a quibus aliquid subsidij sperarer, datis litteris ad auxilia mittenda cohortatus est. Et cum ærarij angustijs ipse premeretur, contractas tamen Genuæ naues aliquot milite, commeatu, armisque instruxit, at Rhodum misit. Verum interea dum ventus exspectatur, dum auxilia tarde expediunt alij, ipso Christi seruatoris natali die coacta deditionem facere, in Turcarum potestatem venit ciuitas illa inclyta, & validum Christianæ rei munimentum. Rhodo succurrere tentat at serius.

Hadrianum grauiter affecit hic nuntius; suoque nomini labem in posteros inurendam credidit, ob foedam adeo cladem se pontifice acceptam. Atque hoc simile prodigio visum est. Eodem illo die ac ipsa pæne hora, qua Rhodus dedebatur, cum pontifex vno aut altero non amplius passu a limine abesset sacelli pontificij jam ingressurus pro religione dici ad faciendum sacrum; saxum ingens e superiore limine cecidit, oppressitque vnum ex Heluetijs corporis custodibus.

Elati hac victoria Turcæ, cum toto mari mediterraneo volitarent, infestarentque maxime Adriaticum; nouam aliquam cladem veritus pontifex, permagnam vim frumenti pulueris que ignarij per extremas vrbes arcesque Dalmatiæ & Croatiæ misit, quod summo in discrimine versari viderentur. In Pannoniam vero, quo sępe magnis viribus incumbebat Solimannus, misit Thomam Cateranum cardinalem cum quinquaginta millibus ducatorum, si quę fortassis ea gens in Turcas arma moueret. Ad alia se vertit:

Sed præcipua cura Heidelbergam misit Franciscum Cheregatum antistitem Fabrianensem, vbi Germaniæ principum liberarumque ciuitatum conuentus habebatur, vt qua posset contentione Germanos hortaretur ad opem ferendam Ludouico Pannoniæ regi. Quem Turcico bello grauius laborantem, quam vt sustinere solus posset, si paterentur opprimi, malum in ipsorum ceruices mox inclinaturum non possent ignorare. Tum pro retinenda veteri religione, quam tanta gloria studiosissime coluissent majores, defendissentque fortissime, ejusdem argumenti litteras dedit ad singulos ferme principes profani ęque ac sacri ordinis; atque in primis ad ducem Saxoniæ, cujus prædidio suæ impietatis venenum spargebat Lutherus. & Germaniæ hereticos in primis tentat

Sua hac sedulitate Hadrianus, autoritateque, quam sanctitas vitæ pręstantiaque eruditionis pepererant, tum gratia, qua maxima apud Germanus pontifex Germanus valebat, eo rem perduxit, vt meliora si non ab omnibus, certe a plurimis sperari cœptum sit. Et quod longe plurimos sciret ad hæreses defecisse ab ecclesia Romana, quam corruptelis contaminatam clamitarent & detestarentur, eam in emendatiorem statum redicere instituit. Eoque consilio accivit in vrbem Ioannem Petrum Caraffam archiepiscopum Theatinum & Marcellum Caietanum veteris disciplinę Christianæ moribus spectatissimos, & in omni grauiore doctrina lectissimos, vt eorum consilijs in morum censura, & ecclesiæ restitutione vteretur. Summum vterque postea pontificatum attigit. non infeliciter.

CAPVT III.

Vitiosa multa corrigit, pluraque correcturus moritur.

ILla Hadriani studia vere apostolica cordatissimos quosque recrearunt, magnamque meliorum concitarunt exspectationem. Nouam rerum faciem in vrbem inuexit siue munerum distributionem spectares, siue sacerdotiorum, nihil deterritus ærarij tenuitate: cui subueniri posse quamquam intelligeret quibusdam pactionibus, quas suorum antecessorum nonnullis in vsu fuisse, ingentemque pecuniæ summam ex illis esse confectam audiebat. Verum disciplinæ integritate vberius nullum reipublicæ vectigal existimabat. Noua propemodum quotidie proponebantur, quibus aliæ atque aliæ corruptelæ corrigerentur. Nec vllum pijs ejusmodi consilijs statui prius finem patiebatur, quam euulsis cupiditatum stirpibus, suus justitię integritatique locus redderetur. Multa corrigere aggressus,

Nec in alios sic intendebat oculos, vt secum ipse, vel cum suis conniueret. Vt primum Romam venit, contempta mox ea majestate, quam plerique multitudine ornatu- mirabili se integritate continet

que

Die 14. que custodum corporis aucupantur, eorum ipse numerum admodum imminuit. Suis nulla beneficia contulit, nisi merentibus. Imo propensiorem in externos plus semel animum testatus est; veritus scilicet aliorum offensionem, qui sanguini plus, quam virtuti fere tribui credunt. Illorum contra nonnullos ejusmodi nihil a se sperantes cogitantesve, sed insigni morum probitate sapientiaque spectabiles opimis beneficiis donauit. Adolescens quidam illi cognatione propinquus, ingenio præstans, philosophiæ cursum emensus, altioribus disciplinis se Louanij dabat. Eum commendabant plerique Belgij principes, pontificemque rogabant, vt recepto pridem more purpura donaret: numquam ipse induci potuit. Patruelis sui filium Senæ in Etruscis operam litteris nauantem, quod intermissis studijs Romam inuocatus aduolasset, acrius leuitatis incusatum, & a se temperantiæ exemplum sumere jussum, confestim meritorio equo impositum ad suum musæum remisit. Alios vel sanguine, vel affinitate junctos, qui spe celsioris fortunæ Romam e Germania pedibus venerant, seuerius castigatos, & singulis e lana vestibus donatos, modicoque instructos viatico, pedibus in patriam redire jussit.

Ipse vero ad supremum illud euectus fastigium, de priore sua modestia nihil remittere visus est. Modico parabilique victu contentus, pristinam retinuit temperantiam, atque adeo studiosius coluit. Et quod ante fuit illi solemne, boni libri lectionem ad mensam semper adhibuit.

& magnarum rerum apparatu. Sanctis hisce studijs optimi pontificis conceptam spem amplissimam immatura mors euertit. Retundendæ Turcarum ferociæ omnes ferme Christiani orbis principes fœdere junxerat. Cui promulgando cum diem dixisset Nonas Augusti, delegissetque basilicam S. Mariæ Majoris, cui sacer est ille dies; dissuasere medici eo ne se conferret, propter tentatam paucis ante diebus graui renum dolore valetudinem: aut certe publicationem in Vaticano fieri decerneret. Verum ille siue fisus auxilio Numinis, cujus negotium bona fide gereret, siue non crederet tantum subesse discriminis, quantum denuntiabatur, vt sententia cederet adduci non potuit. Iuit igitur magno corporis incommodo: ardebat enim, vt fere solet in vrbe, cęlum illis diebus.

Ex eo deficientibus in dies viribus, cum denique mortem imminere sentiret, aduocato cardinalium collegio Christianam rempublicam, quam tum maxime adminiculo indigentem firma pace conatus fuerat sustinere, quam maximo potuit studio cōmendauit.

moritur. Tum ad se conuersus, sacrosanctis mysterijs, alijsque solennibus præsidijs ad vltimam luctam cum se communijsset, decimo octauo Kal. Octobris anni vigesimi tertij, ad extremum ferme spiritum sui compos naturæ concessit, postquam annos sexaginta quatuor, menses sex, dies sedecim vixisset.

Temporario primum monumento conditus est in S. Petri inter duos Pios II. & III. inscripto hoc elogio: HADRIANVS VI. HIC SITVS EST: QVI NIHIL SIBI INFELICIVS IN VITA, QVAM QVOD IMPERARET, DVXIT. Quæ profecto magnę virtutis commendatio est. In templum deinde S. Mariæ Germanorum ad arcum Flaminium translatus est.

Die decimo sexto
FVLCVINVS
e monacho Bertiniano, abbas Lobiensis.

VValdeus chron. Lob.

Ad S. Bertini monachus. SAnguinis claritudinem generose calcauit, vt Diuini honoris studio monasticam humilitatem sectaretur. Eam Audomaropoli complexus est in celeberrimo illo S. Bertini asceterio: breuique tantam virtutis omnis honestatem cum præclara Diuinarum humanarumque rerum cognitione pulcherrimo nexu conjunxit, vt procul apud exteros sapientissimorum quorumcumque laudibus celebraretur. Audijt Eraclius Leodiensis episcopus; & vt litterarum, præsertim vbi virtutibus sociabantur, amantissimus erat, illum insigni beneuolentia prosecutus est. Discendi aut etiam docendi studio

Lobij docet. Fulcuinus fortassis Audomaro Lobium venerat, quod florentissimum ea tempestate vt religionis, sic etiam omnis eruditionis lyceum habebatur. In eo quamquam juuenis

cete

ceterorum facile princeps eminuit adeo, vt anno nongentesimo sexagesimo sexto ab Eraclio abbas creatus sit.

Creditam prouinciã non minore laude gessit, quam litteras præclara ingenij facilitate tractauerat. Indefesso potissimum studio religiosam disciplinam excoluit: illamque in primis eius partem cordi habuit, quę Dei Opt. Max. gloriam propius attingeret. Templi ornatum studiose auxit, quo scilicet ascetis suis majorem in sacra venerationem accenderet. Inter alia aræ principi, item S. Crucis ac sanctorum omnium aureas tabulas adornauit. Munifica insuper erga egenos pietate claruit, (ipsum Christum in illis nimirum venerabatur) sanxitque vt in æuum quotidie terni alerentur. Sed & cauit, vt ne monasterij jura sensim cum tempore defluerent. Solitæ erant duodetriginta agrariæ parœcię quot annis ad ædem Lobiensem vota sua deferre; sed ab aliquo jam tempore Fossas aliæ, aliæ Niuellas abibant. Euicit Fulcuinus autore Notgero episcopo (successor is Eraclij fuit) antiquum vt illæ tenerent. *fit abbas* *sacra ornat* *tuetur jura*

Neque rei communis administratio, siue familiaris illa esset, seu ascetica, illius animo litteras excludebat. Opportunum ab his subsidium solatiumque in aduersis ipse referebat: posteritas vero in hunc diem fruitur non exiguo commodo simul & ornamento. Ita suam ille Spartam exornauit annis viginti quatuor: & XVI. Kalend. Octobris anno nongentesimo nonagesimo illustrem promeritus gloriam, vita defunctus est. *scribit* *moritur.*

Die decimo septimo

I. SS. LAMBERTVS episcopus, PETRVS & ANDOLETVS martyres.

ET hunc vniuersa gens colit suum tutelarem; cujus fide præsidioque vt multa vitasse pericula, ita maxima recepisse beneficia profitetur: eaque de causa illius pariter vitam extra ordinem collocandam rati, S. Materno in mensium capite subjecimus. Sancti eius nepotes Petrus & Andoletus, vt certaminis, sic & gloriæ socij sunt: ideoque & suus hic locus illis dari debuit. Gloriosum tamen illorum certamen, quia in S. Lamberti vita describendum fuit, illud ibi lector inueniet.

II. ALPAIS pænitens. *Manuscr. Leod. VVasseburgius, Raissus.*

HÆc est illa, quę neci S. martyris Lamberti sua impudicitia occasionem dedit. Et cum ceteri tam horrendi facinoris participes, dum primus a commisso parricidio annus voluitur, vel mutuis conciderint vulneribus, vel sathanæ traditi horrendum Diuinæ justitię omnibus exhibuerint monumentum, quæ prima nefariæ impietatis fuerat incentrix, Diuinæ clementię seruata fertur. Arcana scilicet Dei consilia potius venerari, quam temere scrutari debemus. *ANNO 696.*

Præteritę ergo vitæ fœditatem expiatura, Orpij sese in monasterium abdidit, quod vel S. Adilia superiore sæculo construxerat, vel ante paucos annos Pipinus, vt nonnulli prodidere, vel Alpais ipsa, aduocatis e Niuellensi parthenone virginibus, quemadmodum alijs placet. Nam etsi de conditore valde diuersa prodantur, aliquod tamen olim fuisse monasterium, non videtur dubitandum, quamquam neque sciamus quo casu perierit, neque hodie vlla superent ruinarum indicia; quæ scilicet post tot sęculorum lapsum non semper sunt requirenda. *Circiter annum 716.*

Priore porro turpitudine damnata, seuerisque castigata supplicijs, monasticen deinceps Alpais magna integritate coluit, vitamque clausit religiose, relicto posteris egregię penitentię documento. Nemo quamdiu viuit, quamquam grauissimis sceleribus immersus, meliora desperet: Diuinæ clementiæ nemo præfidat. Post inquinatissimam quidem vitam Alpais, sed e plurimis ejusdem turpitudinis consortibus vnica veniam consecuta est.

Digitized by Google

III. ANNA BIENA

sanctimonialis in Felici prato. ℟. D. *Guislenus a Namurco ibidem confessarius hæc ad me misit scripta manu priorissæ cum testimonio totius conuentus.*

DIonanti nata, Cisterciensem disciplinam professa est sub annum a nato Christo millesimum quingentesimum sexagesimum quartum in Felici prato, vitamque instituit omni virtute spectabilem. Precandi Deum in primis studiosa, dato precibus signo conuolare prima, vltima abire solita fuit. Alijs animum colloquendo laxantibus, ad suum in templo locum se vt plurimum ipsa recipiebat, vel ante VEN. EVCHARISTIAM se in terram abijciebat cum cælitibus sermocinatura. Nec vero in ipsa mensa recedebat a religioso illo instituto. Nam etiam reficiendo corpori intenta, vti oculos ab imagine Christi e cruce pendentis, sic animum a cogitatione acerbissimorum eius cruciatuum numquam auocabat.

Religio.

Euangelicæ humilitatis desiderio vilissima quæque non modo non refugiebat, at sectabatur auidissime: rudiore panno & sæpe resarto tegebatur: parcus illi victus erat; neque nisi ægerrime admittebat vlla medicamenta, vel quę aliquam corporis curam præferrent, quocum scilicet continuum & acre bellum illi fuit. Nam inedia, vigilijs, alijsque ejuscemodi afflictationibus spiritui carnem strenue subjugabat. Adeo familiare illi erat in publico sodalium cœtu noxas a se admissas fateri, vt non facile vllum præteriret diem, quo se non accusaret, etsi nullam ceteræ culpam sæpius agnoscerent.

Humilitas.

At tamen quę se adeo seuere habebat, mirum quanta humanitate coleret alias. Nihil vmquam in se patiebatur, quod alijs incommodaret. Nullo alterius quocumque facto ad iram commoueri, vel de mentis æquitate deijci vmquam visa est: contra suis sæpe moderatricibus ad pedes accidit, aliquam alterius culpam deprecatura.

Neque in domesticos tantum ea pietas eluxit: in pauperes & mendicos etiam se exeruit. Tenues ciborum reliquias sub mensam delapsas quotidie colligere non eam piguit, quas egenis daret vna cum cenulæ reliquo. Pauperem puellam toto corpore vlceribus fœdam solido biennio curauit mirabili caritate; numquam passa vt in aliquam obsequiorum illi exhibendorum partem alius veniret: sed defluentem saniem magna diligentia colligere, vitiataque putredine membra attrectare, & suis ipsa manibus purgare non exhorruit.

Pietas in pauperes.

Denique eadem animi constantia cum semper aduersa sustinuisset, qua prospera; & totos quinquaginta tres annos ad monasticæ disciplinæ amussim diligentissime vitam exegisset, religiose mortua est XV. Kal. Octobris anno millesimo sexcentesimo decimo septimo. Admodum R. D. Edmundus Iouventius abbas Alnensis, qui tum sanctimonialibus a confessionibus erat, illius corpus honestiore sepulcro condi voluit, id tantæ virtuti debitum arbitratus.

ABBATISSÆ FELICIS PRATI.

QVo anno conditum fuerit Felicis prati cœnobium, non habeo. En abbatissas: etsi quo ordine successerunt nonnullæ vel quamdiu gurbernarunt, ignotum sit. Quibusdam ergo nullum numerum adscribam, vt intelligat lector, nullum ijs ordinem a nobis assignari

1. ANNA.
2. BEATRIX.
3. IOANNA.
   FRANCISCA MVLO.
   MARGARETA SPAIGNART.
6. AGNES.
   MARIA DE HVLOBIER.
8. CLARISSA.
9. ELISABETHA.
10. CATHARINA.
    AGNES.
12. ELISABETHA DE BRANDENBOVRG laudabiliter quinquaginta quinque annis præfuit, & mortua est anno 1577.
13. ANNA DE LA HALLE obijt 1616.
14. MARIA FRERART ob. 1630.

15. MAR-

Digitized by Google

15. MARGARETA DE IEMEPPE dit d'Ochain obijt 1642.
16. Præest hodie R. D. MARIA BATHIER, & in disciplinæ perfectionem strenue incumbit. Deus felicitatem annuat.

Die decimo nono
ALBERTVS
conditor S. Nicolai in pratis Tornaci, & monasterij Rodensis. *Perantiquus liber Rodensis.*

CAPVT I.

Acta laudabiliter adolescentia, Tornaci monasterium exstruit.

NAtus Antonij non procul Tornaco Albertus, patrem habuit Amorricum virum primæ nobilitatis, atque vt videtur oppidi toparcham. Cum magna polleret ingenij docilitate, ad litteras animum ea facilitate puer applicauit, vt inter coæquos palmam facile ferret. Neque minore cura vel successu rectis se moribus imbuebat. Adolescens adeo cælestium rerum desiderio duci cœpit, vt omnes humanas jam fastidiret, atque ad remittendum his nuntium se voti religione obstringeret. Ne vero sanctus ille generosæ mentis ardor pro ætatis inconstantia paulatim intepesceret, cum satis intelligeret ex otio vniuersa pæne mala scaturire, & fortissimos quosque neruos potissimum juuentutis illo dissolui, liberalibus primum artibus, ac subinde philosophicis disciplinis totum se tradidit. Animum enim illæ pulcherrima rerum cognitione non exornant duntaxat, sed ab omni vitiorum turpitudine fortiter reuocant. Monasticen vouet.

His præsidijs cum parem apud omnes de se virtutis & eruditionis opinionem concitasset, Tornacensis ecclesię (in cujus celeberrimum collegium pridem cooptatus fuerat) scholis pręfectus est: omnes enim collegas antecellebat eximia sapientia. Quo in munere cum splendida suæ doctrinæ ederet argumenta, virtutis exercitationes minime deserebat. Nam & spontaneis fermeque continuis afflictationibus corpus macerabat, pijsque largitionibus subleuabat egenorum inopiam, & auide mentem pascebat Diuinarum rerum commentationibus, sanctisque cum Deo sermocinationibus. Atque vt Deo se arctius obstringeret, sacerdotio consecrari voluit. scientia & virtute clarus

Latere diu nequijt præstans illa viri sanctitas: digitis omnium oculisque passim designabatur, & magnæ erat admirationi. Ingratissimum illi hoc accidebat, qui sui contemptum prætulisset. E patria fugere constituit, vt suo se tandem voto solueret; ac inter exteros ignotus in vnius Dei sinu deliciaretur. Senserunt hoc illius consilium plerique amicorum; qui tantis virtutum exemplis se patriamque destitui non ferentes, plurimis precibus euicerunt, suam vt ipse sententiam mutaret.

Collectis ergo socijs, qui sanctioris vitæ desiderio tenerentur, in vicinum vrbi locum secessit Antonium versus, ædiculamque construxit, vbi mutuis se studijs ad vitæ honestatem accenderent, suscepta S. Augustini disciplina. Secunda mox religiosi instituti fama illecti cum plures concurrerent, quam loci caperentur angustijs, nouum placuit cœnobium moliri. Deserto colle, in quem necessaria conuehere difficilius fuerat, subjectam vallem vrbi propiorem Albertus occupauit, & in ea monasterium construxit, quod S. Nicolai in prato nuncupatum est: stetitque in nostram hanc ætatem nobilis abbatia canonicorum regularium: donec seditiosorum militum impio furore cum flammis perijsset nostra hac ætate, in vrbem denique canonici migrarunt, exstructo in illa S. Marci vel potius S. Medardi monasterio. condit S. Nicolaum in Prato.

CAPVT II.

Relicta patria Rodam venit, alterumque condit cœnobium.

MInime conquiescebat in his Alberti animus, tametsi felicissimus esset nascentis familiæ status. Inter ipsas cœnobij molitiones sępe menti locus quidam obuersabatur, Diuino ductu

DIE 19. batur, quem numquam ipse profecto viderat, sed tacita vi nescio qua ad eum querendum se trahi sentiebat: Diuinam illam fuisse docuit euentus. Duobus ergo fratribus Thiemone & Walgero in viæ comites adscitis, patriam vix reliquerat, ignarus ipse quo tenderet, quando sibi diuinitus imperari sensit, vt Mosam inter & Rhenum habitationem quæreret: moxque alacrior eo se ducente Deo conuertit.

venit Rodam, Trajecti Mosam transgressus, vniuersam adjacentem regionem magno studio lustrabat, & ecce planitiem quamdam ingressus, eam esse confestim agnouit, quam in patria suæ menti toties objectam fuisse meminerat. Incredibili ergo delibutus voluptate, statim in genua procubuit, vbi postea templi crypta fuit: paternæque Dei prouidentiæ gratias habuit, quæ illum suo ducatu in illas sedes direxerat, quas pridem cælesti consilio sibi didicerat esse designatas: obnixeque precatus est bene omnia porro verteret in omnes olim posteros ad gloriosam sanctissimi sui nominis amplificationem.

Vix in pedes steterat, exauditum se esse accepit. Sancte quippe affirmarunt ambo socij, interea dum ad Deum ipse vota fundit, audisse se de sub terra æris campani pulsum. Quo quidem prodigio significari crediderunt, id loci Diuino cultui consecrandum esse. Idem antea sæpius, suauissimosque præterea angelorum concentus auribus se percepisse contestati sunt accolę; eaque de causa incultus manserat locus. Erat is in agro Rodensi, quem tenebant ea tempestate comes Adelbertus Saphenberchius & Alathildis conjuges omnis religionis peramantes. Hi comperta Alberti sanctitudine, condendo illic monasterio solum liberalissime addixerunt.

& cœnobiū condit, Annus vertebatur a nato Christo millesimus centesimus quartus, quando Rodensis monasterij prima fundamenta posuit Albertus, conditaque primum ædicula lignea, rem Diuinam in ea peregit. Magni statim fuere concursus ad nouum illud sanctimoniæ domicilium: confluentemque multitudinem non dimittebat sanctus Dei sacerdos, nisi prius in eius animis horrorem peccati, cęlestiumque desiderium Christiana dicendi facultate concitasset. Dicta, sed religiosa potissimum exempla sequebatur eximius fructus: ejusque disciplinę non pauci se subdebant, quos ijsdem, quibus ante in patria, S. Augustini institutionibus informabat.

Illius animum tenellus hic fetus non adeo distinebat, vt Pratensium, quos in Domino Tornaci genuerat, obliuisceretur. Rodenses ita feliciter instituerat, vt aliquam eius absentiam nullo monastices detrimento sustinere posse viderentur. Igitur biennio postquam aduenerat, Tornacum est profectus, Thiemone sibi tantisper Rodæ substituto: Ierosolymam enim Walgerus abierat; vbi vita defunctus est. Confirmatis paterna sollicitudine in religiosæ vitæ instituto Pratensibus, ceterisque necessarijs ad constantem recti prosecutionem excitatis, cum Rodam reuerteretur, viri sanctitatem admirata nobilis quędam matrona, ad quam ipse in Brabantia diuerterat, rogauit suo in agro cœnobium vt conderet, suisque pręceptionibus imbueret. Negauit ille primum, acri suæ Rodę reuisendę desiderio reuocatus: sed in somnis ab angelo jussus obsequi feminæ, rem aggressus est ea celeritate diligentiaque, vt & breui monasterium staret Elsebeca dictum, & sapienter consita ascesis Augustininia jucundos fructus polliceretur.

item Elsebecæ.

CAPVT III.

Egregijs virtutibus & prodigijs ornatus moritur.

OPeræ suæ pretium ex itinere Albertus referens, ad amicam Rodæ quietem redijt, illam virtutum omnium cultu ornaturus. Præcipua eminuit in eo Diuinæ prouidentię fiducia. Cum annonæ raritas grauem toti prouinciæ famem inuexisset, non modo nihil ab ea pertulit nascens familia; sed etiam comite Adelberto Saphemberchio, alijsque potentioribus necessaria omnia subministrantibus, ipse pauperum egestati egregia pietate subuenit, adeo vt dextram prius numquam a largitionibus contraxerit, quam deesset, qui stipem rogaret: aiebatque se libentius interrupturum constructionem ædificiorum, vtpote interitui obnoxiorum, quam dimissurum sine solatio pauperem, cujus animus ad Dei similitudinem effictus esset & immortalis. Imo visus est non raro cum asperrima sæuiret hiems, detractam sibi vestem in algentis egeni humeros inijcere.

Pietas in pauperes.

Vitę austeritas. Egregius præterea sui contemptor, nobiles de se ipse referebat victorias. Cilicinum sagum, quo maceraret corpus, numquam deponebat; neque calceis vtebatur, nisi sacris opera-

operaturus. Carnibus numquam, ne quidem infirmitatis gratia vescebatur. Sitim fere, nisi quid aliud valetudinis aut hospitalitatis ratio postularet, frigida sedabat. Cum tamen aliquando ex morbi grauitate mors instare crederetur, & in ardoris leuamentum aquam petijsset, oblatamque iterum ac tertio vinum esse deprehendisset; audito denique aquam reuera de fonte haustam fuisse, vsus est illo Dei munere; & valetudinem mox recuperauit. Eamdem denuo Numinis beneficentiam vltimo morbo expertus est.

Illam porro aduersus semetipsum austeritatem insigni humanitate, vbi cum proximo ageret, temperabat. Hospites sereno vultu semper excipiebat, recreabatque pro domestica tenuitate: at iejunij rigorem, qui ipsi perpetuus erat, frangebat nonnihil in eorum gratiam, etiamque vini pauculum admittebat. Superis grata fuit ea hospitij humanitas. Sæuiente per eam regionem fame, aduenerant ad Albertum hospites: quibus religiosa caritate curandis absumti sunt tres panes: hæc erat tota monasterij annona. Incenatus ergo mansit Albertus. Sed insequentis diei primo mane inuentus est ad cœnobij portam currus copioso commeatu onustus. Numinis prouidentiam omnes collaudarunt.

Hospitalitas

Deo probata.

In æterna denique tabernacula receptus est ille, cui adeo cordi fuerat hospitalitas. Ibat Saphenbercham ad Adolfum Rodæ toparcham (hic patri suo Adelberto morienti successerat) ex itinere diuertit ad virum nobilem Richerum nomine: cui, cum suauissima intercederet necessitudo, pridem appromiserat se morienti minime defuturum. Fidem certe liberauit. Eum inuenit cum morte colluctantem: & opportunis Christianæ amicitię officijs recreatum, in iter felicis æternitatis immisit, ipse mox secuturus.

Digressus inde Setheniam cum peruenisset, in lethalem incidit morbum: & sacrosanctis ecclesiæ præsidijs ad vltimam pugnam munitus, postquam illustri Augustinianæ monasticesgloria Rodam annis octodecim administrasset, XIII. Kal. Oct. anni post millesimum & centesimum vigesimi secundi e viuis abijt, corpori prius affusa Diuinitus mira gratissimi odoris fragrantia; quæ incredibili voluptate adstantium omnium animos imbueret, ac testaretur sanctum Dei sacerdotem, quoad vixerat, Christi bonum odorem fuisse.

Moritur.

Die vigesimo

IOANNES EVSTACHIVS

abbas I. Iardineti. *D'Assignies, & quæ e suorum monasteriorum archijs mihi exhibuerunt adm. R. D. Gregorius de Latteseur abbas Nizellensis, & adm. R. D. Martinus Colinus abbas Scholarium Mont.*

NAtus est anno post millesimum & quadringentesimum decimo quarto: facilemque & recti studiosam nactus indolem, S. Augustini complexus est institutum apud Scholares Montibus Hannoniæ; ibique magna se laude habuit. Sed in Namurcico non ita pridem reuixerat Guilielmi comitis auspicijs Cisterciensis disciplinę splendor; Molinijque in primis clarescebat miro auctu sanctior monasticarum legum obseruantia, autore Ioanne Geuiano abbate; & secunda per finitimos fama, insignique omnium approbatione celebrabatur. Audijt Ioannes; & cultioris virtutis studio, ad Molinienses transeundi facultatem a suis præsidibus impetrauit.

Vbi postquam egregium animi sui dedisset experimentum, ab Alnensi abbate missus est ad Hortulum B. Virginis proxime Walcuriam cultiore disciplina excolendum. Incolebant tres omnino sanctimoniales parua religiosi sui instituti dignitate. Nec monita, legesque paucis ante annis datæ meliorum spem vllam dabant. Quod igitur Molinij tam feliciter cesserat, idem Walcuriæ consilium amplecti placuit. Ablegatis alio feminis, successerunt anno illius sæculi quadragesimo primo ejusdem ordinis viri sub ipsius Ioannis Eustachij disciplina, qui Hortuli primus abbas fuit.

Disciplinā restituit

Vixit primum in magna rerum egestate. Totos septem annos vino vel cereuisia numquam vsus est. Sed clarescentibus in dies virtutibus, & oculos primum vicinorum omnium, & commiserationem deinde, tum liberalitatem in se suosque conuertit. Eminuit in primis Caroli Florinensis abbatis caritas, qui venientibus ad se quotidie vel alternis diebus

in magna paupertate

DIE 20. diebus Iardinetensibus monachis panem, caseum, leguminaque liberaliter in stipem dabat.

Vt manuum labore sodales victum diligentius quærerent, ipsum Ioannem non pigebat exemplo præire: & cuidam aliquando miranti, quod ipse abbas excolendo agro vepres & spinas euelleret, lepide respondit, sibi gallinarum more, terram fodiendo victum esse quęrendum. Alias item hortum colenti adfuit apparitor, Philippi Boni jam Namurci comitis jussu, vectigal aliquod exacturus. Qui tanta abbatis demissione, sereno que in illa paupertate animo attonitus, non modo nihil exigere voluit, sed effecturum præterea promisit, vt nihil ab illo deinceps peteretur. Et vero Elisabetha Philippi Boni conjux, quam audierat virtutem, cum spectare voluisset, in Hortulum ipsa venit; & Ioannis conspectu & alloquio recreata, mille ducatos aureos largita est instaurandæ ædi sacrę: pluraque erat additura, nisi mors pręuertisset.

principibus fit carus.

Sui contemptum ac demissionem singulari studio Ioannes amabat. Visus est plus vice simplici sodalium calceos purgare, cubicula scopis mundare.

Creatur abbas Nizellensis.

Tam felicia in Hortulo cœpta nouam exercendę illius virtuti aream aperuerunt. Nizellense monasterium condebat Christina Frankenbergia Niuellensis antistita. Quod vt feliciter verteret, primum abbatem optauit Ioannem Eustachium: ejusque obsecutus desiderio Philippus Bonus, a totius ordinis conuentu Cistercij coacto obtinuit, quod ad Dei gloriam cessurum spes erat. Itaque anno hujus seculi quadragesimo primo Nizellam venerunt ab vniuersis Cistercij patribus legati abbates Alnensis & Camberonensis, & XIV. Kal. Quintiles primum illius monasterij abbatem renuntiarunt Eustachium. Eam Dominicę vineæ partem strenue (vt solens illi fuit) excoluit nouus abbas: jactisque religiosæ disciplinæ fundamentis, postquam annis sex nouam illam familiam obfirmasse visus est, ad suum Hortulum se recepit: at vero non ad quietem.

Plura monasteria lustrat.

Nota jam hominis indefessa virtus ac industria Claręvallis abbatem impulit vt illi committeret corrigenda pari diligentia Oliuam & Bellopratum bina ejusdem ordinis sacra gynæcea. Quod cum religiose aggrederetur, donis, precibusque, ac minis tentatus est, vt cœptis absisteret. Quod cum non procederet, in eius caput conjuratum est. Sed protexit Dei bonitas. Qui percussor immissus fuerat, subito correptus horrore, tremoreque totius corporis, quod mandatum erat exequi non potuit. Dum pergit generose Ioannes, in ipsa tam gloriosi facti molitione grauissimas obijci difficultates sensit a toparcha Rauestenio, qui abbatis simplicitatem crediderat obruendam multa eruditione doctoris cujusdam theologi, quem ipsi opponendum quasi antogonistam adduxerat. *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Sua simplicitate, modestia, animique constantia perrupit abbas omnes difficultates, magno illius ordinis bono, Diuinique nominis honore.

1. Cor. 1. 27.

Martiam dominarum ejusdem disciplinæ parthenonem lustrabat cum potestate commissarij, vt vocant. Hic sanctimonialem inuenit eo relegatam, vt se ad dignos suo gradu mores reuocaret. Illam seuere monuit, in suam vt salutem serio incumberet: alias futurum, vt punientem Dei manum sentiret. Surdę occinuit; sed non frustra. Illa repentina morte non diu postea sublata est.

Mulierem grauis & importuna tentatio fatigabat. Quę post multos conatus irritos, tandem ab abbate quamquam absente subsidium sperauit. Vix eius opem implorarat, omnes extemplo molestias velut abstergi sensit; neque nouis postea stimulis vexata est.

Abdicata dignitate moritur.

Eximijs denique virtutibus clarus, cum vtilissimam plurimis operam nauasset, Hortulumque abbas administrasset annis vndequadraginta, priuatæ vitæ desiderio missionem multis precibus impetrauit: positoque abbatis onere, cum annos quatuor Deo ac sibi vixisset; annum denique ætatis septuagesimum octauum ingressus, qui erat a Christo nato octogesimus primus illius sæculi, in corona filiorum, tot laboribus Dei causa toleratis inclytus, gloriose migrauit ad beatam immortalitatem.

ABBA-

ABBATES HORTVLI B. MARIÆ VVLGO IARDINETI.

1. IOANNI EVSTACHIO post inductos monachos magna Cisterciensis disciplinæ gloria decedenti successit

2. MARTINVS DE LANOY (alij DE ALNETO dicunt) Bruxellis obijt anno 1489.

3. ARNOLDVS DE SOLBREC, alijs SOMBREC, quibusdam SOMBREFF dictus, a nobis alibi laudatur, Gemblacum translatus anno 1501. obijt 1511.

4. IACOBVS DE WISMES creatus anno 1501 pedum posuit 1518. obijt 1524.

5. NICOLAVS DE CLERMES post tres hebdomadas eodem anno mortuus est.

6. GVILIELMVS FLOCQVIER obijt 1533.

7. IACOBVS RAVESCOT Romæ dignitatem obtinuit, & Bruxellis ab episcopo Leodiensi confirmatus, abdicato postea pedo, obijt in Parco 1554.

8. IOANNES A ROSA Diuione in Burgundia natus, & Cistercij monasticen professus, Valcellis abbas factus 1545. & simul aut paulo ante in Hortulo B. Mariæ, valde laudabiliter vtrumque monasterium rexit. Sed anno 1560 Hortuli pedum ponere jussus, Valcellas regere perseuerauit vsque ad annum 1570. quo mortuus est.

9. MARTINVS IVST alijs LEDRIS cum magna fide rexisset, obijt 1574.

10. ZACHARIAS DE LEERS ob. 1587.

11. HVBERTVS SCVLFORT post quinque menses obijt.

12. THOMAS BVFFE posito prius pedo obijt 1592.

13. VRSMARVS CLEMENS postquam rexisset annis septem, dignitatem abdicauit & mortuus est 1612.

14. HVGO BVISSERET virtute doctrinaque clarus, ex Alnensi monacho factus primum abbas Nizellæ, tum Iardineti, magna laude præfuit, & mortuus est 1624.

15. PONCIVS BONAY obijt 1631.

16. Regit hodie magnaque cura rem asceticam simul & familiarem religiose promouet adm. R. D. ROBERTVS DE NAMVR. Pijs illius studijs faueat Deus.

ABBATES MOLINIENSES.

MOlinium (vbi tantæ virtuti posuit tirocinium Ioannes Eustachius) conditum fuit autore Ioanne Apiano episcopo Leod. virginibusque Cisterciensibus attributum, Allodium B. Virginis appellatum est. Vixerunt in eo virgines annis ferme centum octoginta. Primæ tantum abbatissæ nomen inuenio, quæ BEATRIX dicta. Verum anno 1414 cum monachos substitui placeret, abbas designatus est

1. IOANNES DE IEVIA monachus Alnensis, cum sex alijs ex eodem monasterio cœnobitis, alijsque totidem Villario euocatis, huc missus. Præclarum hi religionis fundamentum sua virtute posuerunt, & ad sequendum inuitarunt Ioannem Eustachium; de quo sermo fuit. Obijt abbas 1420.

2. IOANNES PENNO insignis Marchiani parthenonis promotor, obijt 1430.

3. WALTERVS DE MIGRODE domo nobilis obijt 1428.

4. PETRVS DE AMSTERDAM prudentia clarus obijt 1464.

5. IOANNES GIRELIN Philippo Castellæ regi a confessionibus & consilijs mortuus est 1483.

6. NICOLAVS NEVMART religione spectabilis obijt 1498.

7. IOANNES A BLERIA Marchiæ dominarum strenuus curator obijt 1512.

8. IOANNES ROLANDI vir doctus obijt 1523.

9. TOSSANVS DE QVERCV œconomiæ laude clarus obijt 1530.

10. PETRVS BOVTTE mortuus est 1534.

11. PE-

11. PETRVS DE FLANDRIA ædificiorum strenuus instaurator obijt 1556.
12. SIMON COLVMBANVS nouum templum construxit & mortuus est 1558.
13. NICOLAVS TIBAVLT eximij candoris vir mortuus est 1561.
14. LAMBERTVS BRIOT vir timens Deum obijt 1572.
15. IACOBVS DE GLIMES genere nobilis obijt 1594.
16. PETRVS DE ROYER Leodiensis religione prudentiaque insignis obijt 1608.
17. MATTHIAS D'OR rei monasticę familiarisque strenuus procurator, nonnulla ædificia renouauit, obijtque 1621.
18. NICOLAVS SOMMALIVS religione, candore ac humilitate spectabilis obijt 1644.
19. Iam pręest adm. Reu. D. IOANNES RAMPEN. Cui ad Dei gloriam & monastices splendorem multos annos precamur.

ABBATES BONEFFIENSES.

HOs Moliniensibus non abjungo, non tam quod ad eumdem comitatum Namurcensem ambo spectent, quam quod eamdem sortem tulerint, & opportunius alibi collocare non possim. Condita quippe Boneffia anno 1240. & Vinea nostræ Dominæ dicta, virginibus tradita primum est inhabitanda: sed anno 1461 monachos substitui placuit. Dimissis igitur ad alia cœnobia sanctimonialibus per abbates Iardinetanum & Moliniensem

1. PETRVS MOLITORIS aduocatus e Iardineto, primus abbas designatus est, obijtque 1470.
2. THEODORICVS VVRESE Alostensis monachus Moliniensis: Namurci obijt & in æde Minorum sepultus est 1482.
3. PETRVS DE QVAYE de Wasmunstria monasticam professionem Boneffiæ quartus ediderat. Maximam ædificiorum partem construxit. Ob. 1524.
4. GEORGIVS SARENS Mechliniensis post annos nouem translatus est ad S. Trudonem, vbi mortuus est 1558.
5. MATTHIAS DE HORTENBEKE Distemius anno 1533 electus, post annos 12 designatus est abbas Villariensis, & ibi mortuus est 1568.
6. RVMOLDVS HOONS Mechliniensis successit 1555. & mortuus est 1560.
7. LVDOVICVS DE QVAYE de Wasmunstria 1567. Louanij mortuus est, & Boneffiæ sepultus.
8. CORNELIVS LIEVENS Antuerpiensis consecratus est ab Antonio Hauetio, qui e Dominicano primus Namurci fuit episcopus. Anno proximo conflagrauit vniuersum monasterium Geusiorum impietate. Abbas Namurcum se recepit in hospitium Boneffiense, cum ijs e suis, quos alere poterat, alijs ad alia monasteria dimissis. Ipse anno 1569 Louanij mortuus est, & proxime vrbem apud Cælestinos sepultus.
9. GERARDVS ROBAYS de Zottegem anno 1579 profectus Trajectum vt interesset designationi abbatissæ Hochtensis, ibidem mortuus est.
10. IOANNES ROTARIVS de Bossuyt Louaniensis, Namurci mortuus, & apud Minores sepultus 1587.
11. ÆGIDIVS BREVSEGHEM Antuerpiensis sapienter domesticam rem administrauit & Namurci obijt 1607.
12. IACOBVS TVBIERMONT de Tubize restaurari cœptis Boneffiæ ædificijs, eo sodales suos Namurco reduxit.
13. Hodie regit adm. R. D. GERARDVS VLRICI, & afflictam domum strenue his temporum difficultatibus instaurat.

ABBATES VALLIS DEI.

Illos hic, quod alibi non possim opportunius, subjicio. Primum autem condita fuit hæc familia disciplinæ Cisterciensis dicta S. Agathæ, Hochti non procul Trajecto sub annum 1160.

1. eamque primus abbas rexit Carolus, incertum quamdiu.
2. Successit Gvido: qui nimia paupertate compulsus Hochtum deseruit: quo paulo post aduenerunt virgines ex Aquensi S. Saluatoris parthenone ejusdem instituti. Migrauit autem Guido circiter annum 1200. in agrum Transmosanum beneficio comitis Hostadenij ad locum, qui Vallis Dei dictus est. Anno autem 1216 *obijt abbas*. Ita Ionkelinus de hoc & alijs aliquot successoribus; quod de ceteris tacet: vt scilicet videatur indicare ceteros ante mortem pedum posuisse. Illum ego sequar, cum mihi certius nihil occurrat.
3. Thomas.
4. Thomas II. obijt abbas.
5. Arnoldvs de Dvellin.
6. Gilbertvs de Lewis.
7. Arnoldvs de Fronget a Viller.
8. Iacobvs de Traiecto.
9. Arnoldvs Cavlinen.
10. Gerardvs de Pevee,
11. Servativs a Gemblaco.
12. Radvlfvs de Alna.
    Gerardvs de Pevee ante dictus.
13. Ioannes Christiani de Aquis obijt abbas.
14. Waltervs de Aqvis.
15. Ioannes de Brveste.
16. Henricvs de Colonia.
17. Ioannes de Loco S. Bernardi.
    Waltervs de Aqvis secundo.
18. Baldvinvs de Alna.
19. Tilmannvs de Colonia.
    Baldvinvs de Alna.
20. Waltervs de Theomveyt. obijt abbas.
21. Franco de Galopia ob. abbas.
22. Lambertvs de Sthacfries.
23. Winandvs de Wandre.
24. Ægidivs de Limbovrg. obijt abbas.
25. Renaldvs de Kisto.
26. Simon de Loyhierdorp obijt abbas 1513.
27. Theodoricvs de Batemborch obijt abbas.
28. Lambetvs de Limbovrg anno 1556.
29. Henricvs vandem Sand obijt abbas 1585.
30. Ioannes a Valle obijt abbas 1604.
31. Wericvs Frongteav ob. abbas 1621.
32. Michael a Vervia obijt abbas 1639.
33. Camberona euocatus adm. R. D. Simon Rants hodie magna religione ac prudentiæ laude præest.

Die vigesimo secundo

I. SS. EXVPERIVS, CANDIDVS, ET VICTOR martyres e legione Thebæorum.

Generosos hos Christi pugiles, quandoquidem sacra illorum corpora veneremur, etiam in fastos nostros, & album tutelarium retulimus.

Exuperium gloriosissimæ Thebæorum legionis signiferum intulit Gemblacum S. Guibertus illius monasterij conditor regnante Ottone I.

Ejusdem commilitonum Candidi & Victoris sanctis exuuijs vt gaudent Walciodorenses, ita insigni religione colunt jam inde ab anno millesimo centesimo quadragesimo tertio.

Multis aliorum ex eadem legione præclaris pignoribus aliæ gloriantur ejusdem diœcesis ecclesiæ.

Digitized by Google

II. GIRALDVS
abbas II. Villarij. *Chrys. Henriquez.*

A Puero miram in se Diuinæ pietatis beneficentiam sensit. Adolescens S. Bernardi disciplinæ in Clara-valle se subjecit: & tanti magistri sanctissimis institutionibus feliciter imbutus, multis annis vixit fide, sapientia, omniumque virtutum luce clarissimus. Cum anno supra millesimum centesimum quadragesimo sexto deducenda Villarium esset sacra colonia, ipse cum vndecim alijs Laurentium abbatem eo sequi jussus est; illique post annum dignitatem abdicanti substitutus successor. Impositum munus gessit insigni vigilantia, tantumque disciplinę fulgorem accendit, vt non modo tota diœcesi Leodiensi Brabantiaque, verum etiam per alias procul regiones clarissimi eius radij diffunderentur. Magna tamen fuit rei familiaris inopia: quam diutius tolerari posse desperans Giraldus, vna suorum omnium sententia locum censuit deserendum, repetendamque Claram-vallem. Quod vt S. Bernardus accepit, propere conuolauit optimus pater, suis minime defuturus: & relicta priori sede, proximam in vallem illos deduxit, quam plurimis saluti futuram sancte affirmabat. Erectus hoc optimi sui parentis oraculo Giraldus, ad nouas sedes migrauit. Sunt tamen qui hæc successori tribuant. Dignitatem Giraldus post primum annum abdicauit, priuatæ quietis ac humilitatis desiderio.

Verum tantam sub modio lucem delitescere Deus non est passus. Tornacensem ecclesiam administrare compulsus est Giraldus anno vndequinquagesimo: tantumque munus executus est egregia laude. Gregem exemplo, pauperes eleemosynis, religiosos viros suo patrocinio sustentare viribus omnibus studuit. Annis & plurima virtute maturus cęlo, diem obijt.

Die vigesimo quarto

ADELARDVS I.
abbas S. Trudonis. *Hæc eruit ex archijs ejusdem sui monasterij, & ad me misit adm. R. D. Hubertus de Suetendael abbas.*

CReatus est vigesimus secundus abbas anno Christi nongentesimo nonagesimo nono. Insigni munificentia egenis subuenire amauit: & cum agrorum sterilitatem dira fames esset consecuta, innumeros pæne mortales pauit egregia pietate. Rem tamen familiarem curauit strenue, feliciterque auxit, beneficio potissimum illustris matronæ Herlindis. Fuit hæc mater Godefridi comitis Durassij, quę anno post millesimum vigesimo secundo portionem mediam villæ, quam vulgo Villarium Poplix nuncupant, B. Trudoni dicauit.

Contra fuit, qui vellet ereptas, quas pia antiquitas opes illi consecrarat. Ozelinus is fuit Giselberti Lossensis comitis villicus: qui cum siluæ cujusdam terminos sustulisset, vt deinde proferret in damnum Trudonensium; missi sunt vtrimque qui de finibus disceptarent, nouosque statuerent terminos. Fuit inter Lossenses Ozelinus; aususque est contra quam sentiebat, incusso in quamdam arborem pede, impudenter apposito jurejurando affirmare, tam pertinere locum illum ad dominum suum comitem, quam sanum inde pedem reduceret. Res mira! Breui post computruit pes ille; totumque adeo corpus tabes lenta consumsit. Ita castigatam voluit Deus perfidiam.

Vt in omnia sacra insigni quadam religione fuit Adelardus; at teneriore studio in S. protomartyrem Stephanum monasterij vna cum S. Trudone tutelarem, ardebatque desiderio consequendi particulam aliquam e sacro illius corpore. Eo consilio Metas petijt: & ad episcopum Theodoricum ingressus, illi vię suæ causam aperuit, rogauitque vt votorum compotem faceret: illius enim ecclesiæ præses est B. Stephanus. Verum episcopus ex eius reliquijs ab antiquo tam exiguam esse portionem confessus est, vt ali-
quam

Digitized by Google

quam illius diuisionem impetrari posse nulla spes esset. Sperabat tamen Adelardus, si tantum sacri ossis conspectus concederetur; rogabat igitur hoc vnum: permitterentur cetera Deo, sanctoque martyri. Ægre, sed tamen persuasum est episcopo. Vt allatæ sunt in medium sacræ reliquiæ, mirum ecce prodigium! Leuiter & qua par erat veneratione percusso osse, continuo recens sanguis profluxit. Excepit profluentem Adelardus in vas preparatum quam maxima potuit reuerentia; & annuente B. Stephani collegio ad suos retulit. In hunc diem veneratur posteritas.

Postquam annos triginta quinque creditam sibi prouinciam magna solertia rexisset, anno trigesimo tertio VIII. Kalendas Oct. pie mortuus est.

Die trigesimo

I. S. LEOPARDVS

martyr. *Molanus ex officio Aquensi.*

PAtrem habuit e prima nobilitate Romana, filius ipse vnicus: at præceptorem S. Valentinum Interamnensem episcopum: qui Diuina sapientia studiosius quam humana suum discipulum imbuere contendit; ipsique in primis autor fuit, vt Christianis sacris initiaretur; & persuasit, atque adeo sacro illum fonte tinxit in ipso palatio intra thermas Diocletianas. Aliquo post tempore, imperante jam Iuliano, cui Leopardus a cubiculo fuisse fertur, cum Dijs adolere tus abnueret, torqueri jussus est, vt cruciatuum acerbitate reuocaretur ad impias superstitiones. Sed cum nullis tormentis frangeretur illius constantia, capite imminutus gloriosam martyrij coronam adeptus est. B. Martyris sacrum corpus Vtricolam deportauit S. Valentinus: quod Aquas post aduectum in hunc diem venerationi est.

II. VRBANVS IV.

ex archidiacono Leodiensi pontifex maximus. *Vita S. Iulianæ, Transmosanus, Blærus, Fanius, Onuphrius.*

CAPVT I.

E humili loco Leodiensis archidiaconus, præclare se gerit.

OPes non virtutem dat vel tollit fortuna. Humili illa loco abjecerat, quem ad omnium supremum virtus euexit. Trecis in Campania Gallica natus patre sutore veteramentario, Iacobus Pantaleon dictus est. Cum ingenuam litterisque aptam indolem puer preferret, ad artes liberales applicatus, in ijs se feliciter primum exercuit; ac deinde post jurisprudentiam theologicis se imbuit disciplinis. Quibus litterarum presidijs cum eximia virtute conjunctis, haudquaquam difficile Iacobo fuit fortune malignitatem superare. Curionis primum munus, tum canonicatum in patria consecutus, ad Leodiensem deinde archidiaconatum emersit. In ea dignitate videri denique cœpit, præclaramque lucem spargere.

Frequentissimum hac in ciuitate ecclesiasticum ordinem cum inuenisset, ponendam in eo excolendo vtiliter operam credidit. Breuem scripsit commentarium, quo doceret, qua optima ratione canonici quotidie horarium pensum cantu persoluerent, ac deinde quarum rerum meditatione mentem pascerent. Eius exemplum in hunc diem Leodij seruat collegium S. Crucis. *Varia scribit*

Insigni præterea morum integritate sub illa tempora florebant Leodij & per totam diœcesim Beguinę. Quibus in suscepto vitę instituto confirmandis, atque ad virtutum omnium accuratam perfectionem adducendis, libellum conscripsit de legibus & vita Beguinarum. Quem adeo probauit Robertus Leodiensis episcopus, vt suam ei autoritatem impenderit, atque adeo suum quodammodo fecerit: Henricus vero Guelder Roberti successor in singulis earum cœtibus sæpius legi mandauerit.

Sed quod magis ad vniuersam attinet ecclesiam, cum sancta virgo Iuliana (vt suo

 loco

DIE 30. loco narratum est) Numinis imperio proponere orbi aggrederetur festum Corporis Christi; inter ceteros quorum sententiam censuit exquirendam, Iacobum Pantaleonem in primis consuluit, quem magna sapientiæ laude celebrari audiebat. Propositam ille a B. Iuliana quęstionem postquam maturo judicio expendisset, pronuntiauit non modo nihil sanis orthodoxorum dogmatibus aduersari, sed insuper videri futurum id festum e bono totius ecclesiæ longe maximo, tum vt Dei gratię pro tanto munere referrentur, tum vt suscitaretur in hominum animis sincera religio, sensim alioqui cum tempore languescens. Ita tum pro animi sui sententia judicauit Iacobus, quod summa deinde cum potestate decreuit. Qua via illuc peruenerit, narratum imus.

probatque festum Corporis Christi.

CAPVT II.

Legatione apostolica functus, Virdunensis deinde episcopus, tum patriarcha Jerosolymitanus, ac denique summus pontifex creatur.

OECumenicam synodum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto Lugdunum conuocauerat Innocentius IV. ad coërcendam Frederici Augusti contumaciam. Eo profecturus Robertus Leodiensis episcopus, secum abduxit Iacobum archidiaconum suum, cujus sigularem sapientiam multis argumentis habebat perspectam. De objectis criminibus cum se per oratores non satis purgasset Fredericus, omnium patrum sententia, imperio exutus est. Quod cum armis retinere obstinaret, ne omnem ecclesiæ pessumdaret autoritatem, præsidium a ferro conquiri placuit. Dimissi e concilio sunt, qui populum Christianum ad arma capessenda, clerum ad conflandam sumtibus bello necessarijs pecuniam excitarent.

E concilio Lugdunensi

In ills facile princeps eminuit Iacobus Pantaleon, qui in nobilissimo illo orbis Christiani theatro prodiderat ingenium perspicax, graue judicium, reconditam eruditionem, omnis honesti, & in primis ecclesiasticæ libertatis ardens studium, cum pari dicendi facultate. Legauit igitur summa instructum autoritate pontifex in Poloniam, Pomeraniam, Prussiam, Liuoniam, vniuersamque adeo Germaniam, tum vt aduersus eximperatorem auxilia corrogaret, tum vt turbatum Poloniæ statum componeret. Vtrumque feliciter confecit. Episcoporum consilio Vratislauiam conuocato, obtinuit vt ex vniuersa Polonia in triennium quintam ecclesiasticorum omnium vectigalium partem pontifici pēderent. Cum ea vero ætate Poloni vernum jejunium ad totas nouem hebdomadas producerent, indulsit vt statuto dumtaxat in reliqua ecclesia tempore jejunarent. Sinceram pęterea pacem confirmauit inter Suentopelcum Pomeraniæ principem & Teutonicum crucigerorum equitum ordinem, qui sub ea tempora non feliciter minus quam fortiter rem Christianam promouebat.

legatus in Septemtrionem

Pontificia legatione cum dignitate defunctum multo amantius complexus est pontifex ob insignem virtutem & tractandarum rerum peritiam. Quamobrem Leodium deinceps redire minime permisit, & eo perfamiliariter vti, omnibusque consilijs illum admouere cœpit in totius ecclesię grauissimis negotijs. Anno autem quinquagesimo secundo, vbi Ioannem Aquensem Virduni episcopum excessisse vita comperit, nulla habita Virdunensium comitiorum ratione, Iacobum renuntiauit episcopum. Verum cum ab eius ore consilijsque pendere perpetuo vellet, eum apud se retinuit quamdiu vixit, ad suum gregem pascendum abire minime passus, quem majore bono regendæ vniuersæ ecclesię intendere existimabat.

creatur episcopus Virdun.

ANN. 1254. Sed postquam vita decessit Innocentius, tum demum solutus majoribus illis negotijs Pantaleon, ad sui gregis curam animum adjecit. Neque diu in illa quiete viuere licuit. Alexander IV. qui Innocentio successit, eum ad se redire voluit, quo ipsius, aliorumque doctissimorum hominum sententia, Guilielmi de sancto Amore, Ioachimique abbatis errores damnaret. Tandemque anno quinquagesimo sexto Ierosolymorum patriarcham creauit. Neque id illius virtuti satis fuit. Nam cum anno sexagesimo primo ad procuranda quædam Syriæ negotia Viterbium venisset, vbi mortuo Alexandro pontifice, de successore designando consilia cardinales agitabant, ipse Iacobus, Ioanne Caietano Vrsino, qui vnus inter ceteros autoritate potentiaque pollebat, adnitente, suffragijs omnium creatus est IV. Kalend. Septembris, summus ecclesiæ pastor & Vrbanus IV. appellatus.

tum patriarcha Ierosolymit.

ac denique pontifex.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Quid Leodiensi, quid vniuersæ ecclesiæ præstiterit.

MAgna omnium gratulatio Leodij facta est aduenientibus nuntijs de pontificatu Vrbani. Hujus ecclesiæ decus eximium esse intelligebant, ex eius gremio prodijsse, qui ecclesiam pro Christo gubernaret. Plerique etiam ex veteris amicitię memoria priuatis suis rebus præsidium non inane sperabant: atque adeo nonnulli instigante B. Eua ad S. Martini clausa, episcopo Henrico Gueldro autores fuerunt, ab Vrbano peteret, vt pro suprema sua autoritate per Leodiensem diœcesim festum illud confirmaret, quod sua ipse sententia pridem probasset, sanxisset episcopus Robertus, laudassent deinde, imo imperassent pontificij duo legati Hugo de S. Caro & Petrus Capoccius; ac denique Collegium Martinianum, magna bonorum omnium voluptate, jam ab annis quatuordecim celebrasset.

Episcopi precibus perlubenter annuit Vrbanus sui pontificatus principio. Atque ita gratantibus omnibus receptum est pontificis imperio per vniuersam diœcesim venerabile illud sacrosanctæ EVCHARISTIÆ festum; & numquam Leodij deinceps intermissum. Festum Corporis Christi Leodij decernit.

Solemne habebat ijs temporibus S. Lamberti collegium, vim ecclesiæ suæ factam armis ecclesiasticis coërcere. Criminis enim autores cœtu Christianorum excludebant, socijs vero interdicebant sacra. Quod profecto cum magis quam ferrum omnibus Christianis formidandũ sit; credidere canonici ad ecclesiæ incolumitatem addendum nõ leue pondus, si nouo summi pontificis imperio hæc eis potestas confirmaretur. Facilis annuit Vrbanus apud Vrbem Veterem XV. Kal. Ianuarias anni sexagesimi quarti, expressa his verbis causa: *Cum res pia & dignissima videatur, vt nos qui olim in minori officio constituti, archidiaconatus officium in eadem ecclesia præfata gessimus, &c.* In S. Lamberti tabulario totum diploma seruatur.

Majora fuerunt illius in vniuersam ecclesiam merita. Ecclesiam Græcam ad concordiam cum Latina reduxit. Multum & studiose laborauit vt rei Christianę in Syria labanti suppetias ferret. Graues bellorum tempestates toto orbe Christiano inter varios principes aut respubl. orientes, aut multo nonnumquam sanguine fœdatas, reducto sereno sedauit, paternaque prouidentia pacem composuit.

Romanam maxime ecclesiam atque adeo vniuersam Italiam recreauit procuratis auxilijs aduersus Manfredi impiam tyrannidem. Cui cum parum esset barbara crudelitate sedem apostolicam, & studiosiores eius sectatores multis annis fatigasse, quasi prorsus illam euertere consilium esset, Saracenos in Italiam inducere, & eorum armis sacrosanctam ecclesiam oppugnare non erubuit. Quem quidem debellatum non vidit Vrbanus: sed ea corrogauit auxilia, quibus altero ab eius morte anno, impietatis pænas dedit immanis tyrannus.

CAPVT IV.

Festum Corporis Christi per omnem ecclesiam celebrari mandat. Moritur.

SEd gloriosius aliud Vrbani factum, quod etiam ad institutum meum magis pertinet, præterire non possum. Anno sexagesimo quarto in Tuscia Vulsinijs agri Vrbeuetani oppido sacerdos quispiam in S. Christinæ ad aram faciebat; vixque pronuntiarat sacrosancta verba, quibus mysterium illud admirabile peragitur, quando grauis in eius animum injecta est dubitatio de illius sacramenti veritate: quam statim prodigio comprobare Deus voluit. E sanctissima Hostia sanguinis tantum profluxit, vt obstupefactus mystes, ne factum in vulgus abiret, conatus abstergere substrato corporali, nihil profecerit, sed omnes mappas, quibus de more altaria teguntur, peruadens sacer ille humor, ad ipsum aræ marmor transijt, notisque infecit, quæ hodie perseuerant. Celante quantumuis sacerdote, miraculum videt & inclamat turba. Populus ingens tota vrbe, atque Insigni miraculo

adeo

DIE 30. adeo vicino agro concurrit, & admirabile prodigium fama per omnem prouinciam spargit.

Vt audijt pontifex, sacrum corporale Vrbem veterem ad se deferri mandauit. Et ciues quidem Vrbeuetani magnificum templum ad perpetuandam tantæ rei memoriam ibidem postea posuerunt: sed Vrbanus ceu communis Christianorum parens, Augustissimæ EVCHARISTIÆ nouos honores orbe toto habendos meditabatur. Redibat in mentem non illius modo, quod nuper eius autoritate diœcesis tota Leodiensis esset aggressa insigni veneratione: sed potissimum quod ipsomet teste solita fuerat affirmare B. Iuliana, arcano sanctissimæ TRINITATIS decreto sancitum esse, vt hujusemodi festum vniuerso orbe Christiano solemne haberetur.

exemplo Leodiensiũ

& precibus S. Thomæ Aquinatis

Illum hęc animo voluentem impulit non parum S. Thomas Aquinas, inquit Razzius. Dominicanam familiam virtute sapientiaque temporibus illis mirum in modum illustrabat: & forte tum librum, quem Catenam auream nuncupauit, scripserat, obtuleratque Vrbano. Qui viri merita in ecclesiam ratus esse compensanda, ecclesiasticis honoribus illum cumulasset, nisi is respuisset veteranus, qui tiro illustrissimæ familiæ splendorem & diuitias euangelicæ paupertati modestięque posthabuerat. Id vero futurum sibi longe gratissimum, & omni dignitate carius affirmauit, si diem vnum VEN. EVCHARISTIÆ consecraret. Ita Razzius.

imperat festum toti ecclesię.

Ceterum vna cardinalium omnium sententia sanxit Vrbanus, vt annis singulis die Iouis post octauam Pentecostes Corporis Christi festum celebrarent vbiuis gentium Christiani omnes. Vt facile videas exemplum Leodiensis ecclesiæ secutum esse pontificem, quæ scilicet jam inde a pluribus annis eamdem diem delegerat. Et vero nobis ipse cōsentit ijs litteris, quas encyclicas ad omnes totius ecclesiæ prouincias conscripsit, vbi ait: *Intelleximus autem dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis diuinitus reuelatum, festum hujusmodi generaliter in ecclesia celebrandum.*

Vt autem vno ritu per vniuersam ecclesiam festum hoc vsurparetur; Vrbani jussione officium scripsit Thomas Aquinas non minore sapientia quam religione. Illius exemplum misit pontifex Leodium ad Euam B. Iulianæ superstitem, & ad S. Martini suo tuguriolo clausam. Cujus olim vt innocentiam suspexerat, amaueratque in primis ardens in ea desiderium promouendi hujus festi; ad eam scribere dignatus est, & gratulari quod summam desideriorum esset consecuta. Ad memoriam seruatur epistola in S. Martini, & ipso ciuitatis tabulario, alijsque passim pluribus locis.

Magno exultauere gaudio Leodienses, vbi intellexere apostolico præcepto per omnem ecclesiam id sanciri, cujus exemplum ipsi dedisse viderentur. Missum igitur a pontifice officium suscepere debita reuerentia. Martiniani tamen canonici, quo in posteros constaret hoc festum ab illis prius vsurpatum fuisse, quam S. Thomas officium scripsisset, prioris officij partes aliquas in æuum legendas retinuerunt.

Rerum ab Vrbano gestarum vt gloriosissima, ita vltima ferme hæc est. Vix enim mense toto post datas ad Euam litteras vita defunctus est Perusij, & in principe S. Laurentij basilica sepultus: eo dignior tanto fastigio, ad quod euaserat, quo humiliore prodierat loco: nulla quippe nisi egregia virtus eo pertingere potuisset. Generis humilitatem exprobranti fertur aliquando respondisse: Non nasci magnos viros, sed virtute fieri.

III. CONRADVS
ex abbate primum Villariensi, deinde Clarevallensi, tum Cisterciensi cardinalis. *Chronicon Villariense, Cantipratanus, Cæsarius.*

FRater comitis de Sena fuit, & canonicus Leodiensis. Cumque anno millesimo centesimo nonagesimo tertio B. Alberto Louaniensi episcopo Leodiensi, qui pro tuenda ecclesię libertate Rhemis fortiter occubuerat, substituendus esset successor, ipse aduersus Simonem Limburgium summa contentione aspirauit. Sua spe exclusus, ad aliam sed multo nobiliorem petitionem se conuertit; euangelicæque humilitatis candidatus in monasticæ modestiæ latebras se Villarij abdidit. Eo magis illum extollere

Deus

Deus constituit : futuramque eius magnitudinem, cum adhuc in tirocinio versaretur, ostendit B. Simoni Alnensi (de quo diximus suo tempore) qui aurea redimitum corona videre visus est.

Tirocinio vix excesserat, prior factus est, post abbas Villariensis. Illustriori theatro lux illa debebatur. Paucis post annis cum rursum episcopo destituta esset ecclesia Leodiensis, in illum suffragia nonnulli contulere. Intercessere alij, cucullatum principem dedignantes. Mundi scilicet illa est sapientia, quæ ab eo labem veretur, quod eximiæ virtutis testimonium haberi debuerat. At sua lux manet soli, quamquam hominum oculis illum eripiat nubecula. Sua stetit a virtute Conrado gloria. Quam Villarij angustijs ampliorem, quo magis tectam cupiebat ipse pro sua modestia, eo splendidiorem in lucem euecta est. Accitum Villario Clarevallenses illum abbatem suum crearunt. Publico deinde totius ordinis consensu designatus est Cisterciensis; vt quam Villarij hauserat disciplinam, effunderet in omnes vbiuis terrarum familias. ANN. 1200. Per multos gradus

Ordinis tamen illius claudebatur cancellis, quem Honorio pontifici Romano placuit extendere in vniuersum orbem Christianum. Creauit cardinalem, & episcopum Portuensem, magno ecclesiæ bono : cujus res insigni sapientia Diuinique honoris studio sæpenumero gessit. Autor est Miræus illum sua legati pontificij autoritate Prædicatorum institutum Bononiæ sibi oblatum probasse anno illius sæculi nono. Egregia profecto hæc illius est gloria, excepisse quodammodo, & potenti sustinuisse adminiculo nascentem illam familiam, quæ tam vtilem ac gloriosam toti ecclesiæ jam per tot ætates operam nauare pergit. Hoc certe constat : in oculis sacrum illum ordinem gessit. conscendit ad cardinalatum.

Sacras in Palæstinam expeditiones cum intelligeret pontifex non parum impediri cruentis dissidijs, quæ reges inter Philippum Franciæ, & Henricum Angliæ intercedebant, Conradum misit anno vicesimo tertio, summa cum potestate legatum, qui alteri alterum conciliaret; aut pactis certe inducijs bellum differret. Profectus ille Parisios, vbi recens exstructum erat Dominicanis cœnobium, cœpit apud se dubitare, Deone gratus, aut ecclesiæ Romanæ futurus esset vtilis ille ordo. Hæc animo volutans ad monasterium venit, rogatoque suppliciter Deo vt significaret, quo fine nouum hoc vitæ genus esset conditum; aperto mox libro prima hæc occurrit sententia: *Laudare, benedicere, & prædicare.* Dubitationi suæ responsum esse credidit: statimque in Dei laudes prorumpens, ad Dominicanos sodales se conuertit, & ait. Quantumvis alterius ordinis habitum præferam, frater vester ero, quoad viuam; neque vllo vmquam a vobis aduerso piuellar. Dixit, & re postea præstitit. Dominicanos amat.

Fredericus comes Isemburgicus immani parricidio Engelbertum patruum suum & Coloniensem archiepiscopum ecclesiæ jura protegentem octo & triginta vulneribus confecerat. Legatum in Germaniam misit pontifex summa cum autoritate Conradum, qui tantam causam cognosceret. Nationis Alemanicæ concilium ille Moguntiæ habuit : in quo sacrilegium pro facinoris atrocitate detestatus, Fredericum ecclesiæ gremio rejecit, & vna sceleris participes omnes. Edictumque proposuit, quo per omnes suæ legationis prouincias, Moguntinam, Treuirensem, Coloniensem, Bremensem, Magdeburgensem, diebus Dominicis omnibus in quauis æde sacra, solemni detestationis ecclesiasticæ ritu, eadem sententia pronuntiaretur. Nonnullos se purgare volentes, auditurum se edixit in conuentu Leodij habendo. ANN. 1225. In Germania legatus

Sed & alium Coloniæ videtur habuisse : vbi hoc memoria dignum. Questus est grauiter quidam sacerdos in messem alienam a Dominicanis falcem immitti; quibus plerique sua peccata confiteri assuescerent, atque ex eo paulatim illorum consuetudine caperentur. Erat ille curio : ex quo quæsijt Conradus, quot capita censeret in sua curia. Nouem millia : inquit ille. Tum legatus : Deus immortalis ! Quem te putas, hominum vanissime, qui regendis tot animarum millibus te vnum satis esse credis ? Ignoras de his omnibus ante horrendum illud æterni judicis tribunal tibi reddendam esse rationem? Si nactus es, qui sua sponte bonam oneris, quo tu nescius obrueris, partem in se recipiant; quid quereris? Tuum ego curionis munus, quo indignum ipse te probasti, abdicare te jubeo. Ita fortiter in eo consessu sanctus vir tuendos suscepit S. Dominici discipulos. Et sane hujusmodi patrocinium fuisse sibi longe gratissimum testata est aliquando Dei mater, cum illi se multa luce, & glorioso superorum comitatu conspicuam exhibuisset. tuetur Dominicanos.

Leodium

Leodium postea venit: atque vt primum grauioribus se negotijs expedijt, conuersus ad gratiora, veteres necessitudines sancte in ea vrbe contractas, magna integritate recoluit: conditumque canonicis Augustinianis templum ad Mosæ ripam supra Leodium dicauit; & cœnobium pro animi sui voto Vallem benedictam nominauit, quod ante Sartum dicebant: hodieque est Cisterciensium virginum illustre gynæceum.

Ocgniacum deinde profectus est religionis gratia. Egregiam quippe olim de sanctimonia B. Mariæ imbiberat opinionem. Ad eius tumulum intempestæ noctis silentio preces fundebat, cum subito discedente cælo videre visus est Mariam sibi Numen propitiantem: eoque propitiato conuersam ad se significasse, sollicitudinem susceptosque pro ecclesia labores admodum probari Diuinæ majestati: vtque illos deinceps generose ferret, hortatam. Nec vana fuit adhortatio. Eius opera consilioque factum est, vt sincera tandem fide in gratiam cum ecclesia Leodiensi rediret dux Brabantiæ Henricus, a qua propter Mohanum comitatum diu dissenserat.

ANN. 1226.

Tot rebus præclare gestis inclytus redierat in Italiam, quando se ipse major, eo nobiliorem consecutus est gloriam, quo celsiorem dignitatem respuit. Vita decesserat pontifex; neque statim in successorem purpuratorum ecclesię patrum conspirauere suffragia. Ne res in longum abiret; ternos concilium designauit, qui suo arbitratu pontificem orbi Christiano darent. In illis fuit Conradus, & sua virtute tantum eminuit, vt alium collegæ non censerent deligendum. Rejecit vero ille quam potuit longissime, quem humanarum rerum supremum apicem appetunt alij plerique summa contentione vehementiaque. Numquam profecto committam, inquit, vt dicar meo ipsius calculo creatus pontifex. Collegis igitur alio conuersis, sibi mentem esse probauit humano omni fastigio celsiorem.

Summum pontificatũ a se reijcit.

Et vero cum grauissima sæpe negotia tractarit, numquam ad actuosæ vitę officia mentem ita demisit, vt quidpiam Diuinorum contemplationi detraheret. In augustissimum VEN. EVCHARISTIÆ sacramentum ardore tanto animi ferebatur, vt ignescere dixisses. Certe digitos illos, quibus sacrosanctam Hostiam sub sacrificium attrectari fas est, ea luce radiare solitos testatus est ipsi Cantipratano Guilielmus abbas item Villariensis, vt ad legendum noctu scribendumve aliud lumen non esset opus.

Reuerentia Ven. Sacramenti.

ANN. 1227. Æstimatio vitæ religiosæ.

Prostratis denique morbo viribus, & morti jam proximus: O te beatum, inquit, quicumque Villarij gemens sub onere, portas pondus & æstum diei! Vtinam equidem ad hanc vsque horam tecum ex norma Cisterciensi vitam egissem, & in coquina meis vicibus vilissima quæque lauissem instrumenta! Sententiam cedro atque adeo cælo dignam! Eo Deus euocauit ad æternam vtilissimorum laborum mercedem anno supra millesimum & ducentesimum vigesimo septimo.

IV. GVILIELMVS
abbas XI. Villar. & Claræuallensis. *Manusc. Villar. Cantipr.*

ANN. 1221.

BRuxellis natus Villarium se recepit ad monasticen amplectendam. Cujus sanctis legibus eam attigit virtutum perfectionem, vt abbatis munus & dignitatem suscipere jussus sit. Cujus mentem ad majora Deus acuit mirando prodigio.

Miro prodigio

In agro Lossensi villa fuit cœnobio Villariensi: quam tum temporis colebant conuersi aliquot Villarienses, alebantque bouem præstanti corpore: quem conspicata femina quædam prægnans, vt sine lege sunt ejuscemodi mulierum appetitiones, de boue illo edendi desiderio æstuabat, afflictabaturque interdum adeo, vt vita periclitari videretur: nec altera bouina quamquam lautissima sedabatur eius cupiditas. Forte sub illos dies in villam venit Guilielmus abbas; qui audito feminę discrimine, id censuit brutæ vnius animantis morte depellendum: at secreto fieri præcepit.

Sub noctem remotis arbitris, e dictis conuersis tres cum lanione viro integro & probatæ fidei, in villæ secretiora bouem adductum mactant, in frusta concidunt; partem quę mulieri desiderium accenderat, ad eam mittunt. Sequenti mane conuersorum vnus famulos arantes inspecturus, in agros exit: & ecce quem heri jugulauerat, integrum valentemque cum ceteris bouem videt sub jugo trahentem aratrum. Stupefactus cursu domum redit, occisionis locum intrat: sed nec detractam pellem, nec concisa membra, nec sanguinis fusi quidquam inuenit. Præter hos, quos diximus testes, qui tantum miraculum

raculum oculis hauserunt, contrectaruntque manibus, omni dubitatione majus est testimonium ipsius feminę, cujus insolens appetitus, mox vt partem concupitam gustauit, conquieuit, & in valetudine confirmata est.

Abbas modestiæ gratia silentio suis imperato, rem vulgari vetuit. Ipse tamen quamquam secreto enarrauit Waltero Prædicatorum Treuiris aliquando priori; ex cujus ore totam seriem didicit Cantipratanus. Fatebatur vero abbas se alioqui ingenio suo attentiorem ad rem, cum Diuino Numini liberalitatem in egenos tam perspicuo miraculo probari comperisset, laxasse animum, inopumque miserias subleuare majore munificentia cœpisse. In majorem præterea diuitiarum contemptum venit: potissimam scilicet asceticæ disciplinæ rationem esse habendam intelligebat. Et cum præstanti sapientia, dicendique facultate valeret, suos ad virtutis consecutionem cohortabatur frequenter, & felici euentu. Eum quippe animorum ardorem succendit, vt ingenti ordinis bono duas colonias deduxerit. *excitatur ad liberalitatem.*

Margareta Vianæ comes Philippi II. comitis Namurcensis soror ac heres, eius vltimę voluntati obsecuta, Grandeprati monasterium condiderat, & Villario potissimum accersierat monachos, vbi scilicet monasticen florere certum erat. Duodenos e socijs cum Ioanne abbate viro integerrimo misit Guilielmus abbas. Quibus Namurco propinquantibus, supplicantium solemni ritu clerus, senatus populusque Namurcensis magna veneratione occurrit, prębuit hospitium, ac denique Grande pratum deduxit. Ita nimirum suspiciebant omnes Villariensem virtutem. *ANN. 1231. Insigne testimonium virtutis Villar.*

Illustrius etiam deducta est altera colonia. Locum S. Bernardi ad Scaldim non procul Antuerpia condiderat Henricus II. Brabantiæ dux: aduocatos item Villario monachos vbi aduentare intellexit, obuiam processit ipse, crucemque manu præferens, insigni reuerentiā deduxit. Merito dubitaueris magisne amanda sit ducis religio, qui monachorum virtutem ita veneratus est; an potius miranda Villariensium sanctitas, quam adeo suspexit tantus princeps. *ANN. 1238. Aliud.*

Neque vero timendum fuit, ne ejusmodi profectionibus exhauriretur Villarium. Prouidere superi. Ipsa Dei mater Guilielmum sacris operantem aliquando monuit, ne dubitaret in religiosam suam familiam admittere adolescentem, qui mox secundum rem Diuinam sese offerret; sibi quippe vas electionis esse. Is ille est Arnoldus, postea abbas, de quo suo tempore diximus.

Alias ad aram faciebat vir sanctus, quando in calicem aranea decidit. Ille ne quid indecorum admitteret, eam sumere non dubitauit, neque vllum ex eo corpori sensit incommodum. Annus ferme jam abierat, quando turgentem in digito videt pustulam, & in ea pruriginem sentit. Vnguem admouet; & ecce non sanies, sed quam ante tantum temporis hauserat, erumpit aranea.

Sapientię virtutisque fama suum ordinem impleuerat Guilielmus, abbatem suum Claræuallenses crearunt. Quo munere dum magna cum laude fungitur, Romam ad concilium a Gregorio IX. vocatus est anno quadragesimo primo. Cui postquam interfuisset, dum redit, in Gallia Cisalpina captus est ab imperatore Frederico: & post triennium sanctitatis gratia (quæ constringi vinculis, violarique numquam potest) rogante Brabantiæ duce dimissus; paulo post relicta pariter hac mortalitate, ad cęlestem libertatem migrauit.

In rerum Diuinarum contemplatione assiduus, lacrymis vbertim manantibus indicabat, quanto gratiarum imbre mens diuinitus perfunderetur. A beatis item genijs non raro arcana cælestia edocebatur. De quibus nonnulla scripta & probata vidimus; inquit Cantipratanus.

Sed mirandum hoc minime prætereundum. Cum demortui corpus de ordinis more lauaretur, ea luce visum est coruscare, quam minus quam ipsum solis jubar, oculis ferre possent, qui lauabant. Virgineæ puritatis, quam studiosissime tota vita coluerat, testimonium illud fuisse creditum est. Reuectus ad Claramvallem tantus thesaurus in hunc diem ibidem seruatur. *Castitatis dignitas.*

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
OCTOBER.

Die primo

I. S. BAVO.

Theodoricus abbas.

CAPVT I.

Sanctioris vitæ desiderio, S. Amandi disciplinæ subditur, & solitudinem amat.

ALLOVVINVS cognomento Bauo natione Hasbanus fuit. Patrem habuit Agilulfum illustrem inter Austrasios principem, matrem Adeltrudem æque nobilem matronam: qui Christianam ambo vitam agentes, solas illas opes, germanam illam nobilitatem existimarunt, quæ ab vno Dei cultu & amore pretium acciperent. Quam ab illis acceperat Bauo educationis sanctitatem, non leuibus sensit jam vir vrgeri stimulis ab illa, quam e nobilissima conjuge susceperat, filia item Adeltrude dicta. Hanc a tenera ętate cum videret rejectis pueritiæ crepundijs, ad cęlestia toto animo anhelare, puduit patrem anteuerti a filia; nec ibi se pedem jam fixisse, quo illam videbat adeo citato gradu contendere. Magna cogitantem retinuere diu conjugij vincula, & de tenellula filia sollicitudo.

Filiæ exemplo

Huic denique cum firmior accreuisset ætas, conjugem vero Deus viuis eripuisset, in alium virum mutatus Bauo, mentem quo modo celsius extulerit, narrantem audi Theodoricum. *Magno quasi expeditus onere, totum se ad Dei cultum conuertere, nihil præter cælum cogitare, & quasi se relictum gemens, frequenter in suo corde clamare: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Illudque apostolicum intra se reuoluens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueum diaboli: quidquid donatiui regum largitio contulerat, in stipem pauperum transferebat, dās exemplum quomodo camelus intrare possit in foramen acus: quomodo animal tortuosum deposita gibbi sarcina assumat sibi pennas columbæ, & requiescat in ramis arboris, quæ de synapis semente succrescit.* Ita scriptor ille.

ad sanctitatem aspirat

Contempto igitur omni humanarum rerum splendore, abjectis opibus, filiam, propinquos omnes, patriam, imo se ipse deserit, vt Deo conjungat. S. Amandum Tungrorum episcopum sæpe lętus audierat ad virtutis altiora cohortantem, qui jam commendata S. Landoaldo diœcesi, vberem laborum messem inter Menapios colligebat. Gandam ad eum profectus est, vt totum eius arbitrio se permitteret sanctioribus disciplinis imbuendum. Venientem excepit Amandus insigni caritate, & ad fortia animatum cleri tonsura initiauit.

S. Amandi discipulus

Ita sacræ inscriptus militiæ Bauo, nouis animis ad Christianam fortitudinem se erexit.

Digitized by Google

xit. Et omnia conditarum rerum vincula abrumpendi cupidus, eo liberiorem futuram mentem credidit, quo se longius ab hominum familiaritate & conspectu subduxisset. Relicto igitur eo cleri cœtu, quem ad S. Petri regebat Amandus, saltum ingressus, quem Beilam nuncupant, annosam inuenit fagum, quæ excauato trunco stantem hominem caperet. Illam ab angelis Dei nutu sibi pręparatam ratus, habitationem elegit, & quam animi serenitatem amplissima dare non potuerant palatia, in angusto illo loculo consecutus est: eamque immensi Numinis majestatem, quam cæli cælorum capere non possunt, in illo paucorum pedum cauo se reperisse gauisus est. Anachoresim colit.

Sed minime diuturna fuit illa exultatio. Deprehensus ab accolis, magna concurrentium hominum multitudine frequentari, & sanctitatis nomine venerationi esse cœpit. Hoc autem erat, quod omnium maxime auersabatur, quod Deum inter turbas minime reperiendum, aut teneri posse existimaret. Noctis ergo silentio locum deseruit. Mansit tamen fagus in honore: eamque sua ætate affirmat Theodoricus fuisse miræ magnitudinis, vsque eo vt in ea antiquum seruaretur altare, in quo etiam tum sacra peragerentur. Obijt autem Theodoricus S. Trudonis abbas anno supra millesimum & centesimum septimo.

CAPVT II.

Mirabili austeritate corpus exercet.

APpetitionem irritat gustata mellis dulcedo: & cælestes magis esuriunt delicias, qui semel gustarunt. Vt solitudinem amabat Bauo, locum duobus Ganda milliaribus elegit in densissimum nemus siluescentem, tristique ac pæne inaccessa palude cinctum: solum tamen siluestrium pomorum ac nucum ferax, amnisque leni murmure præterfluens anachoreticam habitationem facile suadebat. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, perexiguam ponit casam, & in ea se quasi sepelit. Cibos silua, potum amnis ministrabat. Vestimenta secum detulerat, quæ non arcerent frigus, sed nuditati prospicerent, non seruirent mollitiei, sed corpus domarent. Verum nullæ sunt virtuti latebræ: vbique etiam in tenebris lucem spargit. Etiam hic ad Bauonem facti sunt concursus. Quid mirum? Per vniuersam Belgicam egregiarum eius virtutum odor suauissimus se diffundebat. Niuellisque adeo virginem sanctam Gertrudem permouisse fertur ad imitandi amorem, vt ne esset sanguine quam virtute propinquior. Mira seueritas.

Gandam igitur Bauo redijt, vbi ad S. Petri substitutos clero monachos a S. Amando audierat, præpositumque abbatem Florebertum; vbi reliquam exigere vitam constituit. Sed quod solitudini detractum dolebat, austeritate profecto mirabili compensatum voluit. Obuium forte habuit seruulum, quem ob neglectam rem familiarem olim venumdari jusserat; mox ad illius pedes prouolutus, tantam suam inhumanitatem condonari, meritasque repeti pænas obtestatur; importunisque precibus, & facta quodammodo vi extorquet, vt de se non aliter quam de nocentissimo furcifero supplicium sumatur. Ergo *vincitur manus* (inquit Theodoricus) *ligatur pedes, totum corpus in sublime leuatur, pæna crudelissima afficitur, & quasi in pilam, cum nil nisi Deo gratias ageret, contunditur; postremo in morem latronum totum caput detondetur.* Alia.

Adeo crudeles pænas dederat Bauo, sed non omne sui odium exsaturarat. Vix equuleo depositus, respirare cœperat; *quasi necdum* (subdit idem scriptor) *ad purum argenti sui scoriam excoxisset, nihilque satisfactum speraret, adhuc jubet admoueri neruum, quem vulgo appellant cippum; & in eo venerabiles illos pedes arctari, qui in Sion specula constituti, superni regni pacem euangelisare poterant in populo Dei. Itaque quatuor fere menses in hoc retrusus carcerali agone, cum quotidie pæne moreretur, pænam pro delicijs habebat.* Alia.

Noua ergo supplicij excogitabat genera. Scrobem effodit, quę stantem hominem capere posset, in quam demissus ad cęlestia meditanda mentem efferret. Alias grandem lapidem, quem bini homines non nisi ægre tollerent, vtraque manu complexus, crebras genuum inflexiones inter orandum tanta animi alacritate faciebat, vt familiarium nemo non intelligeret Dei viribus illa perpetrari. Rursum.

CAPVT III.

Multa virtute venerabilis, sancte moritur.

Victis inferis

TAm frequentes & gloriosas sui ipsius victorias sine palma non potuit relinquere Diuina bonitas. Nobile est ipsos inferos debellare: qui cum repressis a Bauone vitijs, suas vires fortissime retundi sentirent, omnes exeruere conatus, quibus acrem adeo hostem subigerent. Sed tectum inanibus ferarum formis inimicum contempsit fortissimus athleta, integramque Numinis ope victoriam retulit.

cælitum colloquio fruitur.

Visus est nobiliore dignus spectaculo, qui turpissima dæmonum spectra intrepido animo repulerat. Non infrequenter illi se videndos stiterunt beati genij, eorumque adeo princeps Christus Dominus; & eum suauissimis alloquijs, propositaque illustrissimi præmij spe recrearunt. Imo quamdam cum Diuina potentia communionem adipisci visus est, quando oppressum euerso curru hominem, & concurrentibus equis protritum, vitæ incolumitatique restituit, quem vniuersi plus tribus horis mortuum deplorauerant.

Denique dignissimus Amando pręceptore discipulus non jam admissa peccata pœnis acerbissimis expiabat, quod primum animo fuerat propositum; sed ad omnis virtutis præstantiam absolutissimam ardenti studio contendebat. Tantæ virtutis spectaculo fruebatur Amandus mira animi sui voluptate, & ad illum ventitabat non raro, vt currentem adhortatione sancta magis concitaret; ac simul pręstantissimis illius exemplis ad generosiores conatus ipse exardesceret.

Circiter annum 647. moritur.

Post exactos ergo mirabili illa seueritate annos tres, sed præclaram virtutum omnium laudem tam exiguo spatio consecutus Bauo, felicissime Kalendis octobris circiter annum sexcentesimum quinquagesimum (regente scilicet vniuersam ecclesiam Martino) beatam animam exhalauit in cœnobio, quod ab illo nomen accepit. Eadem hora se Niuellis Gertrudi sanctissimæ virgini videndum præbuisse tradunt, & rogasse, linteamina mitteret inuoluendo, sepeliendoque corpori. Innumeris miraculis sepultum Deus celebrauit: omnibusque ætatibus tanti viri ortu Hasbania, Ganda morte sepulcroque gloriabitur.

II. VLRICVS
monachus Villariensis. *Cæsarius.*

PAtria Coloniensis fuit, clarusque virtutibus omnibus monasticæ professioni consentaneis: sed insignem pręsertim castimoniā sincera corporis non minus quam mentis integritate coluit. Namurci medio forte Septembri rem sacram faciebat, quando venerabilis Vda (hæc tuguriolo clausa vitam ea in vrbe agebat multa virtute spectabilem, & diuinitus arcana multa nouerat) imminentem capiti globum igneum vidit, propinquæ mortis indicium.

Agebat tum Vlricus villarum præfectum: lethalique morbo mox correptus, cum omnis ante actæ vitæ noxas confiteretur, nulla ex omnibus grauior siue mortifera notari potuit. Vicina morte interrogatus, an non gauderet, si adesset abbas: Certe, inquit, plurimum, vt mihi ad cęlestes agni nuptias eunti gratularetur. Quibus subjecit: Cras bina sacra, pro me alterum concinetis. Ita factum. Kalendis Octobris anni millesimi ducentesimi vicesimi ad beatam immortalitatem abijt: & quemadmodum prædixerat, postquam solemne illo die sacrum monachi decantassent, altero sacro pro mortuo litatum est.

Die

Digitized by Google

Die secundo

I. S. BEREGISVS conditor & abbas I. Andainensis, siue S. Huberti.

Catalogus abbatum, Cantatorium, manuscr. ejusdem monasterij.

VIrtute nobilior quam patria vel genere fuit Beregisus. In Cōdrosis natus est pago, quem Spangium appellabant, hodie ignotus est. Ignoratur & patris nomen: Berilla mater dicta est. Educatio fuit felicior. Filium parentes Sarchinium miserunt in Hasbaniam: vbi sanctam agebat vitam B. Trudo, positaque illustri virtutum omnium schola, quos in vnum collegerat sodales ejusdem omnes consilij, monasticis sapientissime imbuebat disciplinis, magna mortalium simul & immortalium approbatione. Strenuis permistus athletis generosus adolescens Beregisus, religiosa tanti magistri institutione discipulus minime indignus, Christianę virtutis egregia mox dedit documenta. Et quod magnum illis temporibus fuit clarioris cujusdam sanctimoniæ testimonium, certa præsidum suorum voluntate & imperio sacerdos creatus est. Sarchinij educatus

Numquam diu latere potest inhonora virtus. Clarissima emicuit in Beregiso, etiam extra monasterij septa; & in sui amorem pellexit Pipinum seniorem, qui rerum inter Francos potiebatur præfectus prętorio, siue (vt loquebantur) major domus. Id fortasse tum factum est, cum inclarescente post mortem multis prodigijs Trudone, ad eius sepulcrum venerabundus cum conjuge Pipinus adijt sub annum a Christo nato sexcentesimum nonagesimum primum. Quod si ita est, non diu mansisse cum Pipino Beregisum necesse est, quandoquidem ante nonagesimum quintum pulsa Plectrude scortum ad se Pipinus receperit. Pipino fit carus.

Hoc certum est; Pipinum Beregisi sanctitate vsque adeo captum fuisse, & illius consuetudine delectatum, vt cum relicto Sarchinio secum abduxerit, a se diutius abesse non passurus. Sed & Beregisus insigni constantia numquam a se discessit: secumque habitans, principis gratia vel aulę tumultu numquam ab exemplis aut institutionibus suauissimi sui magistri Trudonis abductus est. Inuictam eius fortitudinem commemorant. Die quodam festo sacris operabatur, quando regia pompa venit Pipinus, vt regia apud Francos potentia pollebat. Magnifico nobilitatis comitatu stipatus, & superbo ornatu (crinarium antiqui scriptores appellant) caput redimitus, nec loci, nec rei sacræ reuerentia de pompa quidquam detraxit: eoque tectus crinario venit ad pacis osculum de more sumendum. Indignum id Beregisus existimauit tanti sacrificij majestate, cui humanæ omnis dignitatis fastum substerni fas esset. Pipinum igitur osculo dedignatus, amice reliquos inuitauit. Tacitus repulsam pręterijt princeps: at secundum rem Diuinam cum a Beregiso facti causam accepisset, offensionem quidem aliquo verbo nullam prætulit, vt optimus fuerat hactenus princeps, & sacrorum reuerentissimus: non eam tamen, quam solitus fuerat, sancto Dei sacerdoti detulit deinceps venerationem. Insigni libertate principem offendit.

Delicata res est, tangique non amat hominum ambitio: & fortasse jam tum languescere incipiebat Pipini religio; qua non ita multo post omnino prostrata, inducto turpi scorto Plectrudem legitimam conjugem domo pepulit: nec enim subito in imum ruitur e summo fastigio. Alieniorem a se principis animum sensit Beregisus: & cum Diuina hominum libidini minime submittenda censeret, eo cupidius ad monasticam quietem, vnde non nisi ęgre abreptus fuerat, cogitatione & voto referri cœpit. Desiderium diu nequaquam Deus distulit.

Per Arduennam forte siluam vel ambulabat Plectrudis Pipini conjux, vel iter faciebat: & captata sub meridiem aliqua quiete, cum diutius altior somnus comites depressisset, breui ipsa euigilauit, & longiorem alijs quietem indulgens, super lapidum aceruum resedit. Quorumdam opinio est rudera illa fuisse collapsi templi, quod olim a S. Materno constructum fuisse fertur. Hic ergo religiosa matrona mentem simul & oculos in cęlum tollit, & ecce chartam e cælo delabi videt. Obstupuit, & cum veneratione sublatam in sinum abdidit. Tum excitatis a somno comitibus, ad virum redit, eique schedulam

dulam offert. Ille vt Latinis litteris & sermone vidit exaratam, Beregisum accersit, & illi tradit explicandam. Hæc erat scripti sententia: Locvs ille Nvminis providentia delectvs est ad æternam plvrimorvm salvtem.

Cælesti designatione

Nihil aptius votis suis optabat Beregisus. Apertam docet esse Dei voluntatem, Diuino cultui locum aptari. Pipinum porro hortatur pulcherrimam illustris operæ Deo nauandæ occasionem, eamque diuinitus oblatam, ne a quoquam præripi sinat. Se quidem symbolam collaturum, si ita videretur, monasticenque illic positurum. Annuit Pipinus pro insita per matrem S. Beggam religione: & fortasse non ægre ferebat datam esse honestæ missionis causam seueriori censori, vt quidem sentiebat, a pristina paulatim pietate desciscens.

cœnobium Andaini condit.

Accepta potestate Beregisus templum condidit in principis apostolorum honorem, secutus & in eo S. Maternum; vt plerique prodiderunt. Tum habitationem adjecit recipiendis discipulis, sumtus omnes ædificationi liberaliter prębente Pipino, alendæque etiam familię vectigalia addicente. Loco nomen dedit pręterfluens fluuiolus Andaina; Andainumque illum appellarunt, donec celebrius increbuit S. Huberti nomen, aducto illuc sacro eius corpore, & perpetratis per omnes ætates innumeris prodigijs.

Exstructo cœnobio, multos ad inhabitandum allexit Beregisi notior in dies sanctitas. Religiosam enim solitudinem eo studiosius colebat & amplectebatur, quo grauiorem senserat aulę frequentiam & tumultum. Quas discipulis leges præscripserit, non satis constat. Hoc certius est: canonicos fuisse regulares. Cetera inuidit antiquitas, vel sustulere iniquiora tempora. Diem tamen obijsse proditum est VI. nonas Octobris; eiusque sanctimoniam multis a Deo nobilitatam fuisse miraculis.

ABBATES HVBERTENSES.

1. Sancto Beregiso Andaini primo abbati qui deinde successerint, nulla est memoria ad annum vsque circiter octingentesimum decimum quintum: quando marcescentem disciplinam aggressus est restituere Walcandus episcopus Leodiensis.
2. Alveus qui substitutos clero monachos primus excoleret designatus est. Aducto S. Huberti corpore, pro Andaino S. Huberti monasteriũ dici cœptum est. Ipse abbas a nobis alio loco celebratus, mortuus est ann. 828.
3. Tancrardvs abbas Prumiẽsis obijt 829.
4. S. Macvardvs abbas Prum. dignitatem Hubertensem abdicauit anno 836. at Prumiensem cum vita reliquit 853.
5. S. Sevoldvs abbas Prum. obijt 855.
6. S. Egilo abbas Prum. obijt 865. creatus Senonensis archiepiscopus obijt 881.
7. S. Ansbaldvs abbas Prum. obijt 886. Hujus & quatuor præcedentium alibi meminimus.
8. Farabertvs obijt 890.
9. Regino obijt 893.
10. Richarivs abbas Stabul. & Prum. cessit anno 920. factus episcopus Leod. obijt anno 945.
11. Hildrardvs ob. 939.
12. Fredericvs.
13. Albertvs obijt 966.
14. Heribertvs obijt 990.
15. Wlbertvs obijt 1004.
16. Wlbertvs II. obijt 1006.
17. Widericvs obijt 1026.
18. Albertvs II. obijt 1033.
19. Renvardvs obijt 1034.
20. Adelardvs scholasticus & thesaurarius Trudon. multa præclare fecit, imperatoribus & regibus carus, defensa ecclesiæ libertate obijt 1055.
21. S. Theodoricvs a nobis alio loco laudatus obijt 1086.
22. Theodoricvs II. inuicta constantia libertatem ecclesiæ defendit, & pedum posuit 1109.
23. Robertvs obijt 1133.
24. Gilbertvs obijt 1145. præfuit annis 12.
25. Ioannes de Wahart templum prius incensum & ab antecessore inchoatum absoluit & dicandum curauit. Obijt 1167.
26. Elbertvs monachus S. Iacobi Leod. obijt 1170.
27. Cono a pōtifice priuilegia obtinuit. Videtur pedum abdicasse. Ob. 1183.
28. Ioannes II. post auctum item pontificijs priuilegijs & facultatibus mo-

monasterium, dignitatem posuit 1193 forsan coactus. Nam post eum vi facta intrusus est Gerardvs abbas Pruniensis, tum Godefridvs Iusti montis canonicus, deinde Philippvs S. Huberti monachus, denique Theobaldvs Altiuillariensis. Ac prior quidem ante annum vltro cessit; alij tres aut extrusi, aut citata morte sublati, quadriennium simul omnes non expleuerunt. Quod cum Dei punientis ambitionem flagrum creditum sit, abbatibus annumerari non solent. Canonica denique libertate restituta, e Hubertensi cœtu substitutus est

29. Gvilielmvs; qui rem familiarem a prioribus nepotibus ferme deperditã restituit: & mortuus est 1212.
30. Theodoricvs III. ob. 1242.
31. Albertvs III sollicitus muneris administrator obijt 1251.
32. Rodvlfvs obijt 1264.
33. Gvlbertvs obijt 1289.
34. Theobaldvs obijt 1302.
35. Ioannes III disciplina religiose instaurata mortuus est 1344.
36. Henricvs de Viele antecessoris vestigijs sapienter institit. Ob. 1348.
37. Henricvs de Almonsee obijt 1372.
38. Ioannes Hvstin d'Ockier prouide rem domesticam auxit. Ob. 1374.
39. Ioannes d'Ockier obijt 1388.
40. Bartoldvs d'Ockier mitram & alia pontificum insignia primus ad S. Huberti inuexit & ob. 1422.
41. Theodoricvs de Corswaremia obijt 1435.
42. Evstachivs de Nettine obijt 1444.
43. Nicolavs de Vervo obijt 1448.
44. Nicolavs d'Eve ob. 1492.
45. Henricvs de Sohez grauatam multis oppositis pignoribus domũ liberauit, & mortuus est 1503.
46. Nicolavs de Malaise collapsam regularem disciplinam correxit, a fundamentis majori ex parte templum instaurauit. Obijt 1538.
47. Ioannes de Schennemale obijt eodem anno.
48. Remaclvs a Marchia dictus gemma præsulum, insigni prudentiæ religionisque laude clarus, Ven. Ludouico Blosio abbati Lętiensi ob virtutem familiaris, carus Georgio Austriaco episc. Leod. absoluit templum aliaque plurima construxit. Obijt 1564.
49. Ioannes Lamoc probitate, doctrina, prudentia, œconomia nemine antecessorum facile inferior, ab Hugonottis grauissima passus obijt 1585.
50. Ioannes Balla multa instaurauit. Obijt 1599.
51. Ioannes Masbovrg multa passus, & ab Hollandis captus, obijt 1611. Hoc abbate plurimis miraculis claruit S. Hubertus.
52. Successit adm. R. D. Nicolavs de Fanson religionis, prudentiæ, magnanimitatis laude insignis, multisque item probatus aduersis, illustrem disciplinæ splendorem restituere constanter pergit. Pios conatus Deus confirmet.

II. B. GODEFRIDVS

æditu us Villariensis. *Cæsarius, Manriquesius in ann. Cisterc. & quæ ad me e sui monasterij Manuscr. R. D. Thomas Pochet prior Villar.*

Coloniæ natus, ibidem S. Benedicti regulam professus est ad S. Pantaleonis. Verum sanctioris disciplinę desiderio cum ad Cistercienses transire cogitaret, Heisterbacum se recipere constituit. Verum cum aliqua animi leuitate duci crederetur, repulsam passus est. Quo se conferret ignarus, ad Deum se conuertit, cujus scilicet vnius arbitrium sequi certum erat. Id autem hoc argumento deprehendit. Densum aliquod nemus aliquando videre sibi visus est, & in eo vallem arboribus collibusque cinctam, atque in hic pauperes casas veluti pastorum mapalia ramis in eum modum constructa, vt monasterij speciem aliquam referrent: incolebant monachi candido sed paupere habitu, & ea totius corporis compositione modestiaque, vt eximiam animi religionem facile intelligeret. Eo se a Deo vocari credidit. Villarium diuinitus destinatur. Ali-

DIE 2. Aliquanto post, hoc est sub annum a virgineo partu millesimum centesimum nonagesimum septimum, cum multa de Villariensis disciplinæ laudibus audiuisset, eo venit, illumque monasterij situm totamque constructionem esse animaduertit, quam diu ante sibi ostensam fuisse meminerat. In illam ergo sanctam familiam receptus, magno ardore ad perfectissima quæque cœpit contendere, contemptisque omnibus terrenis adspirare ad cęlestia. Sic paucis describit Manriquesius. *In carne* (inquit) *pro humana conditione, sed velut extra carnem conuersari cœpit, orationi & meditationi semper insistere; nec minus ideo labore continuo manuum, jejunijs, vigilijs corpus atterere, singulorum virtutes æmulari & transcendere, seipsum despicere, ceteros alios eximie venerari, & totius perfectionis numeros explens, ad cælestia quantocyus festinabat*. Hæc ille.

Insigni familiaritate Christo jũgitur.

His artibus Godefridus in intimam se cum Deo familiaritatem penetrauit. Nam templi pręfecturam adeptus, cum forte ceteris dormitum abeuntibus hæreret in templo, orationique vacaret, obtulit illi se Christus eo habitu, quo suis discipulis in vltima cęna pedes lauisse creditur: jussitque vt sederet ille, cui pedes abluere vellet, quandoquidem suos ipse sæpius lauisset. Cum enim per hebdomadam sua vice coquo ministraret, quoque sabbato solemne habebat sodalibus pedes lauare. Ita nimirum quod vni e minimis fit, sibi factum accipit Christus. Ceterum attonitus illa Dei sui dignatione Godefridus: *Domine*, ait, *tu mihi lauas pedes?* At cum respondisset pariter Dominus, vt olim Petro: *Si non lauero te, non habebis partem mecum:* cessit denique vir sanctus. Sed inter lauandum suauissima fuere colloquia: qualia scilicet sperare fas est a Christo omnis suauitatis fonte. A quo inter cetera cum audisset: Quemadmodum vitam ego pro te posui, ita tu pro fratribus tuam ponito: eam verborum vim sensit, vt graue nihil asperumve deinceps experiretur in quocumque Christianæ caritatis officio.

Ioan. 13. 6. & 8.

Alias sub sacrificium rogauit Christum, daret se videndum ea specie, qua S. Simeon illum brachijs olim exceperat. Obtinuit aliquamdiu, incredibili voluptate mentem perfusus. Ad eam cum illo familiaritatem peruenit, vt per templum quasi cum amico nonnumquam obambularit. Tantæ rei spectatores fuisse plures feruntur; hodieque pedum vestigia visuntur pauimento impressa. Locum posteritas clathris sepsit, ne promiscuis pedibus religio profanaretur. Intrarat aliquando noctu templum ante alios, quando extinctam inuenit lampadem, lucere solitam ante Virginis-matris aram. In tenebris palpando candelam quærebat, qua lucem afferret: ecce ardentem candelam videt præeuntem ad lampadem; quam accendit ipse. Has amoris arrhas non infrequenter famulo suo Deus impertijt. Sed & alijs consuluit per ipsum.

Prodigijs honoratur.

Sodaliũ impugnationes diu ante non raro cognouit, eosq; ad æquanimitatem cohortatus, dæmonum fraudes illis aperuit. Tanta de eius sanctitate domi fuit opinio, vt accepta clam illius zona cum nonnemo puerum amentem cinxisset, sanam ille mentem extemplo consecutus sit. Non procul Namurco periclitanti e partu mulieri zonam idem ille misit, & fetum ipsa quamprimum feliciter enixa est. Eamdem zonam cum illa mulier fratri admouisset, qui altero oculo orbatus erat, integram mox ille videndi facultatem recepit. In Flandria matrona nobilis abortionibus grauiter periclitata, fetum numquam nisi mortuum ediderat. Instante partu Villarium misit, ad patruum suum ibidem monachum, vt se Godefridi precibus commendaret. Panem recepit fausta illius precatione consecratum, atque vt primum gustauit, omni deinceps vacua periculo, valentem prolem edidit. Affirmare porro solita est panem illum nullo corruptionis vitio complures annos mansisse. Ita virtutem etiam inter mortales sæpe Deus exornat: sed potissimum apud superos præmium illam manet.

Beatã mortem prædicit Dei mater

Ad hoc Godefridum Dei mater inuitauit. Aliquando sub antelucanas preces visa est ab illo Villariensium monachorum chorum obire, & singulos benigne consolari: cumque abiret, illum sequi parantem ad sodales remisit, dixitque amica voce: Breui me sequeris in cælum ad mercedem laborum. Quo promisso ille exhilaratus, cum paulo post in morbum incidisset, ad mortem strenua vigilantia se comparauit. Sacro munitus oleo cum morti immineret, valetudinisque præfectum videret ægre discedentem ad cenam, quod vivum posthac videre desperaret: Vade securus, inquit, iterum me videbis. Et sane cum ageret animam, vidit illum ad se venientem ille valetudinis præfectus mensæ in publica cenatione accubans, dicentemque audiuit: Ecce me vides; fidem libero.

Seuerus in se fuit.

Demortui corpus inter lauandum omnibus admirantibus apparuit multis flagris liuidum concisumve. Certum erat præterea illum, dum viueret, jejunijs, vigilijs, frigore, nuditate

nuditate corpus suum castigare solitum. Cælestes nimirum triumphi non comparantur in patria suauiter dormientium. Effossum jubente Deo sacrum corpus, in sacrario diu asseruatum est, donec in marmoreum Mausoleum postea cum pluribus alijs sanctis illatum est.

III. GODEFRIDVS PACOMIVS monachus Villariensis. *Manuscr. Villar. & quæ ad me scripsit R. D. Thomas Pochet prior Villar.*

LOuanij natus est: & a pueritia mundum exosus, religiosum vitæ genus inter canonicos regulares ad S. Gertrudis Louanij suscepit. Verum immodica sæcularium hominum consuetudine implexus, cum se multis inuoluisset difficultatibus, sortem mutare constituit. Reuocato igitur Parisijs Reuero fratre, vbi litteris operam ille nauabat, ambo Villarium ingressi sunt.

Ea mentis alacritate jugo Domini ceruices submisit Godefridus, vt aliquam illius molestiam & grauitatem numquam sit expertus. Vbique & in omnibus pertractandis rebus, etiam cum labore corpus exerceret, ignitis mentis aspirationibus in Deum efferebatur. Deum sæpius orabat, aut afflictos homines magna pietate solabatur. Omnem leuitatis cujuscumque speciem auersabatur. Alterius existimationem & famam verbo numquam perstringebat. Lubenter, quoties potestas fieret, flagris cædebatur, & illi qui languidius cecidisset, subtristi vultu gratias habebat; at læto illi, qui validius. *Multis claruit virtutibus*

Eximia fuit in pauperes & ęgros humanitate, in quos lætissimus erogabat, quidquid in mensa lautius ipsi ministraretur. Illorum commodo quotidie in proxima ędicula sacrum faciebat. Si quem inter hospites infirmum compererat, ad illum mox adibat, nullumque præteribat caritatis officium, etiam noctu, asperrimaque anni tempestate, tametsi vestibus aduersus inclementiam cæli neglectim tectus. Egenis autem adeo studiose subueniebat, vt etiam autumno jacentia sub arboribus poma diligentissime colligeret, quæ illis elargiretur. Magnam percipiebat animo voluptatem e coquinæ ministerio: eaque de causa suos præsides rogabat non raro, vt illo exerceri juberetur; & in lancibus eluendis ægre socium admittebat. Eam animi seruabat æquitatem, vt in aduersis æque ac secundis gratias Deo referret. Post bonum opus perpetratum, hoc dicto pectus aduersus gloriolæ cupiditatem armabat: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Si quam verbo factove aliquo pateretur injuriam, aut salutaria illius monita reciperentur iniquiore animo, vel asperiore verbo repellerentur, non nisi honorem ac reuerentiam reponebat. *pietate in primis in infirmos.* *& æquanimitate.* *Ps. 113. 1.*

His exercitationibus omnem triuit ætatem, nihil vmquam remittens de mentis ardore primis annis concepto. Vaticinijs ac prodigijs virtutem Deus ornauit; quam majores ad nos paucis transmiserunt, at certe non paruam nec obscuram, & posteris non parum vtilem ad absolutissimam morum informationem. Traductam religiose vitam æterna gloria mox beandam significauit missa hæc de cælo vox: Dormi anima & requiesce; ecce appropinquat regnum cælorum. Monacho alteri sub idem tempus visa est Dei mater in publico monachorum cœtu prioris vice monasticæ disciplinæ rationem exigere; & inter hæc consurgere, Godefridumque adiens, eum suauissime complecti. Alius B. Abundus, ille celeberrimæ sanctitatis monachus, de quo nobis est suo tempore sermo, illum blanda hac oratione consolatus est: Beatus es frater mi Godefride, & bene tibi erit. Ecce enim iterata mihi e cęlo jussione habeo tibi dicere, quæ lætus accipias. Memoria repete (nam tibi juniori jam pridem ego significaui) Dei matrem olim ita mihi locutam: Godefrido sodali tuo dic, Abunde, indefesso conatu in virtutis prosecutionem incumbat, & Filij meoque voto respondeat. Vbi autem vita decedendum erit, non patiar vt purgantibus flammis addicatur; sed in meam fidem receptum Filio meo offeram. Hæc Abundus: quibus haud absimilia diuinitus didicerunt plures vtriusque sexus mortales: affirmaruntque idem ipsi Godefrido a cælitibus nuntiatum. Addebant porro B. Virginem, S. Ioannem euangelistam, ac B. Vrsulam cum toto sodalium exercitu morienti adfuturos, & recta via deducturos in cęlum. Itaque post actos sancte in monastica disciplina annos quadraginta septem, confectus febri trium hebdomadum, ad immortalem vitam felici morte transijt.

Die tertio
S. GERARDVS
conditor & abbas Broniensis. *Vita apud Surium.*

CAPVT I.

Sancto adolescit, Diuinoque monitu templum Bronij condit.

NAtus est apud Stallerelbas Lomacensis seu interamnensis territorij vicum, patre Æstantio de gente Haganonis Austrasiorum ducis, & matre Plectrude, quæ Stephani Leodiensis episcopi soror fuit. Ab ætate prima visus est illum Deus ad magna delegisse. Nam præter illa, quę natura adolescentię conferre potest ornamenta, mirum animo percipiebat rerum omnium Diuinarum sensum; prodebatque adeo quotidie rebus gestis. Magnam ergo sui concitauerat opinionem.

Religiose adolescit.

Adolescebat, quando missus est ad Berengarium comitem Lomacensem. In cujus familiam adscitus, ita se profanæ militiæ præceptionibus informabat, vt sacram multo magis sectaretur. Inuicta prorsus armatura se tegebat fortissimus Christi pugil, fidei galea, lorica justitiæ, gladio Spiritus, quod est verbum Dei, scuto æquitatis impenetrabili. Atque hunc in modum inexpugnabilibus munitus præsidijs, spirituales nequitias indefessus debellabat. Multa illi erga commilitones benignitas, mira caritas, infracta patientia, suique demissio. Nudos tegebat, alebat egentes, laborantibus opem ferebat, pusillanimes confirmabat, pupillos tuebatur, viduis erat præsidio, oppressos subleuabat, miseris omnibus certissimum erat perfugium.

Hæc vitæ scriptor: certissima profecto germanæ nobilitatis decora; quibus non cęlitum modo, verum & mortalium omnium, atque ipsius in primis Berengarij beneuolentiam sibi conciliabat, & admirationem. Vix ab oculis illum abire comes patiebatur; nisi ex eius consilio aggrediebatur nihil, ipsum ad omnia socium adsciscebat.

Cum illo venatum abierat aliquando; forte sub meridiem oppido lassus, prandium jubet apparari. Bronium deuenerant: vbi ędiculam a S. Lamberto dicatam olim fuisse commemorant. In eam se recipere cibus Gerardo fuit lautissimus. In orationem insigni religione dum aliquanto tempore procumberet, suauem prolapsus in somnum, videre sibi visus est adstantes apostolorum principes; Petrumque se familiarius manu comprehendentem, circumducentemque per ędiculam & eius atrium; ac nouam structuram alijs operum dimensionibus ostentantem.

Diuino jussu

Quęrenti Gerardo, quid hæc vellent: Illud, inquit Petrus, ędis exemplū est, quam eodem loco mihi velim a te poni: in quā illatis Eugenij martyris reliquijs; eum mihi futurum collegam delegi. Cōtra Gerardus: At quæ mihi ratio possit esse, ad eas Eugenij martyris reliquias consequendas? Illa Deo mihique cura sit, respondet Petrus, tu tantum, qua præscripsi forma, templum condito. Dixerat; & cum Paulo sursum in cęlum abijt. At redditus sibi Gerardus, apostolo quamprimum parere constituit. Paternæ hereditatis pars erat ædicula illa Broniensis, cum adjacentibus aliquot prædijs. Illa ergo diruta, majorem aliā, augustioremque cum exstruxisset, cleri sodalitatem in ea constituit, annuaque addixit vectigalia: certa interim animum spe sustentans fore, vt Petri promissum impleretur.

Bronium condit.

CAPVT II.

Fit monachus ad S. Dionysij.

ERat Berengario comiti sub annum nongentesimum quartum, quod nuntiatum vellet Roberto comiti, qui postea Francię regnum aliquot annis tenuit. Ad eam legationem aptior nullus occurrit Gerardo. Quam pro sua in comitem obseruantia, cum ille parato animo suscepisset, Parisios proficiscitur.

In Franciam legatus

Ex itinere ad S. Dionysij forte diuerterat: templum, quod illi solens fuit, ingressus vesper-

ad S. Dionysij

Digitized by Google

vespertinis interfuit precibus, quas tum Dionysiani cœnobitę concinebant. Sed en sub finem, quando solemni ecclesię more sanctorum implorantur auxilia, ex insperato Gerardus audit inuocari in opem S. martyrem Eugenium. Ferijt animum ea vox. Ratus adesse tempus, quo compleretur editum a S. Petro vaticinium; secundum sacras vesperas, e cœnobitarum primoribus aliquot percontatur, quis ille sit decantatus ab illis Eugenius martyr. At illi magni Areopagitę auditorem aiunt, atque socium in propagando Christiano nomine, Toletanumque episcopum: denique profuso propter Christum sanguine, martyrij palmam esse consecutum. Sacras porro gloriosi martyris exuvias penes se seruari, compluribusque a Deo celebrari miraculis.

Non dubitauit Gerardus illum ipsum esse Eugenium, quem in collegam Bronij sibi princeps apostolorum adsciuisset. Incredibilique delibutus gaudio, ardentissimis precibus instare cœpit, sacris eius reliquijs vt se dignarentur. Temerarium hominis ignoti postulatum, proculque reijciendum merito videri poterat, nisi Deum habuisset autorem. Quid plura? Spem faciunt optatis potiundi, si monasticen cum illis profiteri non detrectet. Quæ ab istiuscemodi homine alienissima censeri potuisset conditio, leuem & vero jucundam Gerardus existimauit. monasticen meditatur

Legatione pro voto functus, cũ Namurcum ad Berengariũ comitem redijsset, factorumq; reddidisset rationem, potestatem sibi fieri rogauit, nobiliorem militãdi militiam. Suauissimã eius abrumpi consuetudinẽ ægre ferebat comes, sancto tamen proposito refragari noluit. Tum ad auunculũ suum Stephanũ Leodiensem episcopum adijt: qui sancti juuenis collaudato salutari illo consilio, hortatusq; ad constantiam vt bene verterent omnia, nepoti precatus est. Digressus ab suis juuenis, ad S. Dionysij contendit, non aliter quam ad optatissimũ portum e pelago tempestatibus concitatissimo. In eum se abdidit, omnibus quæ in Lotharingia possederat, S. Dionysio consecratis. In sacro hoc virtutum lyceo qui ordine postremus erat, magno tamen opere in id incumbebat, vt nulli esset virtutum studio & exercitatione secundus. Seniores honore præueniebat, juniores amore & beneuolentia complectebatur: corpus suum macerabat inedia: crebro in precationibus pernoctabat. Canonis monastici cultor erat strenuus, a cujus legibus vel latum vnguem recedere reformidabat. Quod habitu præ se tulit, moribus & vita præstare contendebat. In vestibus eius vilitas, in victu parcitas amabatur. Modestia suique demissione nihil carius habebat: nec id ætatis hominem pigebat puerilibus se Grammaticæ rudimentis exercere. Denique magni illius patris sui Benedicti germanum se filium testabatur. & amplectitur.

CAPVT III.

S. Eugenij & aliorum sacras reliquias in patriam refert.

NOuem annos monasticen amplexus, ea jam virtute clarebat, quam sacerdotij dignitate censerent exornandam cœnobij præsides. Maluisset ipse in inferiore gradu religiosam modestiam colere, nisi ad alienum nutum se fingere, refingere fixum habuisset. ANNO. 913. Sacerdos creatus

Sacrosancta igitur auctus dignitate, sibi persuasit aduenisse tẽpus oraculi ab apostolorũ principe editi. Quod vbi Dionysianis sodalibus aperuit, preces addidit quam potuit ardentissimas, vt eo se munere ne dedignarẽtur: quo longe indignissimum se quamquam non infitiaretur, certum tamen haberet illam esse Numinis voluntatem. Omnem facile fidem inuenit in religioso illo cœtu testatissima tot annos hominis virtus. Diuino igitur decreto duxerunt obtemperandum; nec preces illius omnino reijciendas, qui sua tam liberaliter in illam familiam erogasset. Fruitur tandem optatis Gerardus, sacrasque B. Eugenij martyris reliquias a Dionysianis accipit. Corpus integrum accepisse crediderunt nonnulli. Certum tamen est annis post hanc translationem amplius ducentis, hoc est Christi circiter millesimo centesimo quinquagesimo sexto Ludouicum VII. Galliæ regem Toletanis S. Eugenij brachium donasse. Anno autem sesquimillesimo sexagesimo quinto Philippus II. Austriacus Hispaniarum rex a Carolo IX. Galliarum rege residuum corpus obtinuit, & Toletum auexit. S. Eugenij reliquias

Sacras ergo B. Eugenij reliquias, & plures alias pręterea sanctorum aliorum, atque in his corpus vnius e pueris, quos nato Christo Herodis tyrannide sublatos veneramur, obtinuit a Dionysianis Gerardus; & illis plus quam omni regia gaza diues in Lotharingiam aliasque obtinet.

giã reuersus est. Couinij substitit: vbi viuebant ea tempestate duo e S. Germani cœnobio monachi, religiosoque vitæ instituto S. abbatem Venantium loci præsidem venerabantur. Nulla hodie superant illius cœnobij vestigia. Monachis sacrum hoc depositum credidit Gerardus, interea dum rem totam ad Stephanum Leodiensem episcopum referret.

Honorandæ reliquiæ.

Editum eodem loci memorandum exemplum debitæ sacris reliquijs reuerentiæ, subijcere placet. Alter e monachis quadam nocte largioribus ita poculis indulserat, vt grauiore oppressus somno non surgeret ad nocturnas preces. Ecce autem adest S. Venantius, eum seueriore vultu corripit, verbis etiam addit verbera. Itane posito omni pudore, stertis excors monache? Cur debitos Deo hymnos cunctantius persoluis? Si mei reuerentia non tangeris, at religiosius venerare gloriosi martyris Eugenij præsentiam. Acrem adeo correptionem sic ille monachus demisit in animum, vt deinceps ne ad breue quidem spatium, nisi qua necessitas cogeret, a S. martyris obsequijs recesserit, donec ab eius fide creditor depositum reposceret.

CAPVT IV.

Pio apparatu sacras reliquias Bronium infert: & huic prospicit.

REuersum in patriam Gerardum, & alterum jam virum vt vidit & amplexus est Stephanus episcopus, incredibili perfusus est lætitia: at diœcesi suę multo magis gratulabatur de religioso illo sacrarum reliquiarum thesauro. Imperauit igitur vt ex circumjectis omnibus agris summa qua par erat veneratione coloni S. martyrem exciperent.

S. reliquias infert Bronium,

Præcipua quadam religione paruerunt omnes: in primis Adelhelmus illius prouincię archidiaconus pro singulari suo in sacra omnia studio. Decimus octauus erat dies ante Kal. Septembres, quando subcollante archidiacono, sacrosanctas B. Eugenij martyris reliquias Bronium intulit Gerardus, atque in illa templi regione, quam S. Petrus designauerat, collocauit.

item monasticen.

Auspicata hæc erant Bronij initia; quæ vt perennarent, prouide Gerardus adlaborabat. Ratus expeditam magis rationem esse nullam, quam sanctiorem cœnobij disciplinam; clericorum instituto, quos ibi constituerat, monasticum ceu religiosius substituit. Quod postquam salutaribus legibus aliquamdiu temperasset, sanctæ quietis desiderio, alijs familiæ administrationem credidit, quo purius in rerum Diuinarum commentationem incumberet.

Filij tamen vteri sui non potest obliuisci pia mater. Cum anno decimo quarto Lothariense regnum occupasset Carolus Simplex, ad illum Aquas ipse contendit, & deprecante Haganone propinquo suo, obtinuit vt in suam fidem cœnobium Broniense rex reciperet, eximeretque cuicumque alterius potestati. Sed cum denique turbulentis actus procellis libertatem, simul regna, atque adeo vitam amisit Carolus, Henricum regem, ad quem tum Lotharingia spectabat, Aquis item conuenit Gerardus; vitæque suæ integritate, quę primo congressu in omnium oculos incurrebat, non ægre permouit, vt exsurgentem Bronij monasticen Cæsaris autoritate fulciret. Idem paulo post ab apostolica sede munimentum accessit. Ita Diuinorum aut humanorum nihil omittebat prouidus parens, quo vberius germinaret beatum illud omnis sanctitudinis plantarium.

CAPVT V.

Multa monasteria ad meliorem disciplinam reducit.

SErena mente Gerardus in amica sui Bronij solitudine conquiescebat, suique ac humanorum omnium contemptor cum in vnum Deum concitato mentis impetu ferretur, eodem sodales ardentissime secum lingua manuque rapiebat. Neque vnius cœnobij cancellis sancti hominis vasta mens teneri debuit. Latius se plurimorum bono diffusuram eduxit ipse Deus.

Ad S. Gisleni disciplinam restituit

Gisilbertus Lothariensis regni moderator sub annum illius sæculi vicesimum quartum visus est S. Gislenum sibi adstantem videre per quietem, audireque hortantem, vt monasticam disciplinam in cœnobio suo plurimum a primo nitore labefactatam, autore Gerardo Broniensi restaurandam ipse pro sua per totam Lotharingiam autoritate susciperet.

peret. Expergefactus paruit ex consilio Tietdonis episcopi Cameracensis & Raginerij Hannoniæ comitis; quos extemplo Bronium misit, vt Gerardum accerserent.

Ægre suam quietem ille deserebat: spe tamen propagandæ Diuinæ gloriȩ prouinciam suscepit, gessitque secundo Numine. Dimisso enim clero, qui se ibi parum pro dignitate habebat, deperditam pridem monastices disciplinam monasterio restituit, quȩ magna deinde laude perseuerauit: sacrumque B. Gisleni corpus, quod inhonorum in occulto Malbodij diu latuerat, ad monasterium reuexit: & denique Gisilberti principis munificentia rei familiari prouidit.

Latiorem eius virtuti campum Deus destinabat. Hanc illi viam aperuit. Cæca mulier videndi facultatem recuperarat epota aqua, qua sacrum faciens manus abluerat Gerardus: audijt Arnulfus Flandriȩ marchio, quem miserandum in modum acutissimi calculi dolores cruciabant; ejusque opem implorauit. Post sumtam ipso autore sacram EVCHARISTIAM, omni se malo liberari de subito sensit: sanctique abbatis virtutem admiratus, non modo ingentibus muneribus illum quantumvis reluctantem donauit, sed & omnia suæ ditionis ei subjecit monasteria. Quȩ cum pia sollicitudine parique fructu lustraret sanctus præsul, Bertiniano potissimum ac Blandiniensi suam impendit operam. Hic turpiter labefactatam inuenit disciplinam. Licentia parum honesta vitam agebant clerici, suisque turpitudinibus peramplum Christi patrimonium helluones dilapidabant. Quibus dimissis monasticen Gerardus restituit. Sed illi generis sui nobilitate freti, cum frustra sanctos eius conatus omnibus modis impedire tentassent, ipsi necem machinati sunt. Sacris ille operabatur aliquando; in sacram ædem irrumpunt perditissima capita eo consilio, vt sanctissimum Dei sacerdotem ad ipsam aram mactarent. Occurrit ille intrepidus; & ea constantia a tanti facinoris atrocitate dehortatus est, vt eius vultum oculosque supra humanum micantes cum sustinere non possent, in terram prouoluti supplices veniam rogarent. Ita hic, ita alijs locis restituta est felicissime primo splendori ascetica disciplina. Vt jure miremur virum vnum octodecim vt ferunt cœnobijs industria tanta regendis simul parem fuisse.

& per totam Flandriam.

A Deo seruatur.

CAPVT VI.

Rei sacra & familiari prospicit. Feliciter moritur.

IN externos non ita se Gerardus offundebat, vt suum Bronium vlla ratione desereret. Non contentus prædiuite illo sacrarum reliquiarum thesauro, quem e S. Dionysij monasterio aduexisse commemorauimus; alias præterea studiose conquirebat, vt nouos cœnobij sui præsides, & pro venia peccatorum suorum obtinenda (sic ipse loquebatur) patronos apud æternum judicem haberet. Attulit Gandauo brachium S. Wandregisili abbatis; & quod his majus est, ait vitæ scriptor, inæstimabilia pignora principis apostolorum.

Reliquijs Bronium ornat

Alias Crispinium forte venerat, vbi venerationi est S. Landelini sacrum corpus. Portionis alicujus ex eo tollendȩ cupido incessit. Quem enim alium potiori jure patronum optaret? Vicinam nimirum ille Bronio Alnam & Lobium olim condiderat. Sed mortales primum repugnare visi sunt. Cum denique consensissent; ventumque esset ad ipsum conditorium, ternis occlusum sigillis; ea refringere religioni duxerunt. Sustulit difficultatem Deus. Reseratum est derepente ferculum: atque cum admiratione simul & animi voluptate incredibili deprompsit, quod ardenter optarat Gerardus, & Bronium attulit. Rem ita habuisse testatur schedula ipsius S. Gerardi manu exarata; quæ in hunc diem Bronij seruatur.

Sed ad rem familiarem curandam se referre coactus est religiosus abbas, coorto graui bello inter Conradum regni Lothariensis ducem, & Raginerium Hannoniȩ comitem. Quod enim S. Dionysio ipse hereditatem suam attribuisset, ideoque Franciæ accenseretur, multis vt fit obnoxia erat bellorum injurijs. Cum enim medijs clauderetur Lotharingiæ finibus, nec vicini ceu rem alienam curabant, aut suo dignabantur præsidio: nec Dionysiani quantumvis voluissent, tanto interjecto terrarum spatio vel protegere poterant, vel suppetias ferre. Ijs ergo periculis aut molestijs quo Bronium eximeret, ad S. Dionysij profectus est, oblatoque pretio e pecunia, quam ab Arnulfo Flandriæ comite meminimus donatam, omnem suam hereditatem redemit, & asseruit velut

remque familiarem auget.

in

Digitized by Google

DIE 3. in libertatem, vt sui deinceps juris, Dionysianis nihil subesset. Quod vbi rite perfecit, in Lotharingiam reuersus, Faraberti episcopi Leodiensis fidei ac tutelæ Bronium commendauit. Recepit vero ille peramanter, tantique fecit pullulascens illud omnis religionis seminarium, vt opulentis latifundijs auxerit non paucis.

ANNO 958. Propinquabat interim metæ inuictus pugil. Post Leodiensem diœcesim omnem, Hannoniamque ac Flandriam illustribus integerrimæ vitæ exemplis nobilitatam, informataque sanctis institutis octodecim monasteria, vbi diuinitus accepit sibi repositam in cælo esse coronam justitię, quam redderet Dominus post paucos dies justus judex; singula rursum cœnobia sibi proposuit lustranda. Quibus omnibus sapienter compositis, & pastoribus vna cum ouibus supremo pastori commendatis, beatus vir, pauper spiritu, ditioribus monasterijs, quę gubernauerat derelictis, ad amicam Broniensis monasterij paupertatem se recepit. Vbi animo sancte composito, carissimis sodalibus bene precatus, obdormiuit in Domino, anno quinquagesimo octauo.

ANN. 1131. Ducentis ferme post annis imperauit Leodij Innocentius II. pontifex maximus Alexandro episcopo, S. Gerardi sacrum corpus terra educeret, quo promeritos acta sanctissime vita, multisque post mortem prodigijs honores religiosius mortales rependerent, atque vberius (si Deo videretur) ab illo beneficia referrent. Eam esse Dei voluntatem non infrequenter e cælo nuntiatum fuerat. Paruit episcopus ingenti religiosaque omnium ordinum concursu: & insignis post tot sæcula pietas populorum perseuerat.

ABBATES BRONIENSES.

1. QVod condiderat Bronium S. GERARDVS, suisque instruxerat facultatibus, at sanctissimis potissimum exemplis legibusque stabilierat, rexit subinde proximus successor
2. HERIBERTVS vir tanto magistro haudquaquam indignus. Nam ea virtute sapientiaque claruit, vt filij sui Ottonis pueritiam illi commiserit informandam Otto Magnus imperator. Qui deinde factus imperator optimi magistri sui desiderio Bronium venit, illum visurus. Postquam vero annos quadraginta sapienter rexisset, mortuus est Heribertus anno 998.
3. GVIMEBALDVS quamdiu præfuerit ignoratur.
4. GONTHERVS scribendam curauit vitam S. Gerardi, dicandumque templum, anno 1038 quod augustius ipse construxerat. Obijt anno 1062.
5. GVIREMVNDVS monachus S. Iacobi Leodij.
6. REINERVS.
7. BOSO mortuus est anno 1085.
8. THOMAS.
9. ARNVLFVS obijt 1106.
10. STEPHANVS 1114.
11. EBROINVS vt S. Gerardi corpus ad venerationem e terra educeretur, anno 1131 obtinuit: obijtque 1140.
12. GERARDVS II. ante sacerdotium creatus abbas magna laude præfuit, & mortuus est anno 1156.
13. GODEFRIDVS obijt 1161.
14. LIBVINVS magnus humanorum contemptor sapienter præfuit & mortuus est anno 1185.
15. ARNVLFVS II. obijt 1192.
16. ROBERTVS cum admodum religiose regeret, Lobiensis item abbas factus anno 1201. obijt 1221.
17. LAMBERTVS feliciter præfuit & mortuus est 1234.
18. THOMAS II. obijt 1268.
19. GERARDVS III. 1277.
20. LAMBERTVS II. cum laude rexit & mortuus est 1293.
21. BALDVINVS DE RIWENCHIAS 1301.
22. THOMAS III. omni virtute clarus obijt 1310.
23. GERARDVS IV. religione, castimonia, ceterisque virtutibus insignis obijt 1313.
24. ALARDVS pius & prudens obijt 1353.
25. HENRICVS DE FALIZIIS multa virtute ac in primis humanitate floruit, mortuusque est 1380.
26. IOANNES BVFFETIAL magna morum integritate obijt 1400.
27. WALTERVS DE FALIZIIS genere simul & virtute clarus vtiliter præfuit, obijtque 1427.
28. IOANNES DE LIERNE 1435.
29. NICOLAVS DE LAIVE vir doctus, modestus, humanus, & caducarum rerum contemptor, vitæ pri-

Digitized by Google

priuatæ studio dignitatem abdicauit in gratiam successoris anno 1447.

30. Nicolavs Cardin gardianus Minorum Namurc. doctus & prudens obijt 1452.

31. Gvilielmvs de Grav in munere sedulus & prudens ob. 1483.

32. Iacobvs le Tovrier ingenio sagaci magnaque prudentia obijt 1503.

33. Gvilielmvs de Beez vita religiosus, omnibusque carus, sacram supellectilem auxit & mortuus est 1507.

34. Thomas Badri vir prudens & industrius dignitatem abdicauit 1512 in gratiam successoris. Ob. 1516.

35. Gvilielmvs Cavlier monasterium ita restaurauit, vt condidisse videri posset. Anno 1523 creatus abbas Lobiensis, admodum vtrique monasterio profuit, & obijt 1550.

36. Benedictvs de Mally vir eruditus & perhumanus, quæ Gallico bello diruta fuerant, diligenter restaurauit. Obijt 1564.

Attributum est deinceps monasterium episcopis Namurcensibus, qui diœcesim istam ab anno 59 ita regere cœperunt, vt simul ab anno 64 Bronij monasticen administrent, magno vtrimque ecclesiæ Belgicæ emolumento.

Die quarto

HERMANNVS DE LOBIO

e monacho S. Iacobi episcopus Hennensis & Leod. Suffraganeus. *Quæ mihi dedit ex archijs sui monasterij R. D. Ægidius Gryte prior S. Jacobi.*

Coloniæ natus patriam deseruit, vt Leodij monasticen profiteretur ad S. Iacobi, vbi jam tum ab anno Christi supra millesimum ducentesimum octogesimo tertio mirabili integritate refloruerat ascetica disciplina, & gratissimum in omnem partem spargebat sanctimonię odorem. Haud difficile fuit Hermanno in celebratissima illa omnis virtutis schola, peritis magistris manu ducentibus, eximiam discere religionis honestatem. Hoc relictæ patriæ generosique contemptus humanorum omnium lenociniorum sibi proposuerat pretium. In id ergo mentis toto connisu incubuit: & adeo prospere conatus cessit, vt breui spiritualis vitę rudimentis imbutus, non facile vlli veterano postponendus videretur. Quamobrem Adolfus Marcanus, qui tum ecclesiæ Leodiensi præerat, hunc potissimum sibi substituendum delegit, qui suas in pontificalibus vices obiret. Auctus igitur Hennensis episcopi dignitate, hoc studiosius ad vitæ sanctitatem contendit, quo magis super ecclesię candelabrum collocatus intelligebat clariorem lucem esse sibi spargendam in omnes qui Dei domum incolunt. Neque Iacobianos interim animo deseruit. Qui Coloniæ pollebat gratia & autoritate, jam potissimum episcopus, procurante Daniele sacerdote & canonico S. Heriberti, sacra duo corpora obtinuit, vnum e sancto vndecim millium virginum exercitu, e S. Gereonis sodalibus alterum; & ad S. Iacobi inuexit Kalendis Sept. anni millesimi trecentesimi vigesimi secundi. Rursumque alterum corpus e societate S. Vrsulæ impetrauit, & ad S. Iacobi collocauit Nonis Ianuarij anno vigesimo quarto. Religiosis hisce studijs postquam annos complures exegisset, de suis totaque republica bene meritus; anno trigesimo secundo IV. Non. Octobris vita defunctus est, & in S. Iacobi templo sepultus.

Sacra corpora Leodium adfert.

Die octauo

I. S. METROPOLVS episcopus IV.

Et hunc primis ecclesiæ columnis accensere debemus. Eius imitationem nobis sustulit vel negligens vel infelix antiquitas: at præsidium nihil, nec ipsa inuidia tollet.

Cujus

Digitized by Google

Cujus res gestas ignoramus, ipsius tamen sanctitatem fuisse non ignoramus, & ex eo in magna apud Deum esse gratia: illiusque tantam vim & pondus nostro bono sentiemus, quanta fiducia religioneque ad illum accesserimus.

II. S. AMOR confessor. *Egebertus, Molanus, Manuscr.*

GEnte Aquitanus, diaconus gradu fuit. Hasbaniam multis laboribus excoluit, magnaque ex parte vindicauit ab impietate & vitiorum senticetis. Ad S. Seruatij sepulcrum multis annis egit rerum Diuinarum contemplationi deditus. Belisiam denique migrauit, vbi vitam duxit insigni integritate, editisque multis miraculis spectabilem, ac beato fine clausit; incertum qua ætate; nisi quod B. Landradam præcessisse videatur, quæ circiter annum sexcentesimum nonagesimum tertium mortalitatem hanc deseruit. Nobilium enim canonicarum collegium, quod hac autore gloriatur, tutelarem veneratur S. Amorem. Sacrum eius corpus in lucem e sepulcro editum præcipuis colitur honoribus.

Die nono

I. B. SYBILLA DE GAGIS sanctimonialis Aquiriæ. *Manuscr. Aquir. Cantipratanus & d'Assignies.*

CEleberrimam sanctitatis opinionem adepta est B. hæc virgo, & constanter jam per aliquot ætates retinuit: cujus tamen vix aliquod monumentum ad posteros transmisit antiquitas. Accipe, quod e tenebris modo magna diligentia vix erui potuit.

Nata fertur patre Ægidio de Gagis viro nobili: generisque claritatem auxit insigni humaniorum litterarum cognitione. Latine docta, poëticen ita coluit, vt versus pangeret pro illa ætate non inuenustos. Hoc probat, quod hodie superest epigramma, amicitiæ venerationisque gratia S. Lutgardi vita defungenti scriptum ab illa, sepulcroque appensum. Sed prima illi gloria a virtute fuit: quam tanto ardore consectata est, vt eius desiderio omnem humanarum rerum splendorem sibi duxerit esse flocci pendendum. Cum enim obtinuissent parentes, vt in illustre Niuellensium virginum collegium adscisceretur, cum sorore Helwide; paulo post contempta nobilitatis illa luce in euangelicæ paupertatis tenebras Aquiriæ se abdidit. Haud multo ante religiosus hic cœtus secundo ab vrbe Niuellis lapide consederat, relicta priore sede non procul Mosa Leodium inter & Hoium; eximiamque monastices dignitatem insigni religione tuebatur. In hanc omnis virtutis arenam descendit generosa virgo; incensoque sanctitudinis amore nihil subterfugere cœpit, quo se infra omnes abijceret: ea nimirum est certissima via ad sinceram altitudinem. Erat domi Lutgardis, pulcherrimum omnis sanctimoniæ exemplum; sed (quæ certior est Diuini amoris tessera) molestissimis morborum ærumnis conflictabatur. Hanc sui contemptus scholam inijt Sybilla, quo naturam suis commodis auidius fere studentem generosa victoria domaret. In hoc stadio strenue decertabat: inuidit improbus humanæ gentis aduersarius cacodæmon; & quo sanctam virginem insigni hac pugna absterreret, tenebras nescio quas aliquando offudit. Et: Quid agis, inquit, Sybilla? Hæccine consentanea generis tui claritati exercitatio? Quando vmquam tua mater, vel alia quæcumque e propinquis tuis ad ea vlli mortalium se demisit seruitia, nulla alia nobilitatis habita ratione? Sensit jaculum improbi hostis Sybilla; & a pio proposito manum jam pæne reuocabat; quando proxima nocte hanc e cælo vocem accepit: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Clarissimæ lucis vice hæc vox illi fuit, omnesque dæmonis tenebras eius mente propulit: perseuerauitque ipsa constanter vna & officiose omnia seruitia ægrotanti deferre. Eam animi demissionem in nobili virgine non potuit non amare Lutgardis: eoque sanctæ necessitudinis ambo processerunt,

Matth. 20. 28.

runt, vt mutua cælestium arcanorum communione conjunctæ reliquam egerint vitam. Cumque Lutgardi non raro Latinæ voces e cælo inter ecstases proponerentur, interpretis officio (cum Latine illa nesciret) Sybilla fungebatur. Multum ei profuit illa cum religiosissima & diuinarum rerum admodum perita virgine familiaritas, illamque sensim ad eximiam vitæ sanctimoniam euexit. Fidam ergo sodalem ad cælestis Agni nuptias euocatam, & ipsa præclaris virtutibus inclyta secuta est anno post quarto, hoc est millesimo ducentesimo quinquagesimo. Sepulcro ad populi venerationem educta, etiam hodie prodigijs celebrari fertur.

II. ELISABETHA WANSIA virgo. *Cantipratanus.*

DOmo inter Leodienses nobilis fuit, & ab ipsis propemodum incunabulis ad eximiam sanctitudinem a Christo delecta. Eius tamen parentes justo plus in res humanas propendebant; atque adeo filiam quantumvis inuitam in nuptias conjecerunt. Generis item claritati sponsus præstantem virtutem adjunxerat: quocum Elisabetha vixit annum solidum eodem vsa lecto, & intaminatum nihilominus virginitatis florem seruauit, rara profecto gloria. In conjugio virgo.

Tantam virtutem noluit Deus in sæculi sordibus delitescere: Aquiriam transtulit, vbi Cistercienses leges secuta, proueheretur ad altiora. Patientis Christi cruciatus tanto pietatis sensu meditabatur, vt numquam memoria dimitteret: sed neque ab ipso Christo Domino relinqui videbatur. Totos tres annos quocumque se ipsa ferret, ille cruci affixus ita comitabatur, vt numquam e conspectu abiret: & si quæ forsan impuræ cogitationes animum pulsarent, ille reuulsam a cruce manum eius pectori admouebat, omnemque confestim impuritatem abigebat. Præsentissimum scilicet alexicacum est cruciatuum Christi attenta meditatio.

Magna fuit sanctæ virgini cum beatis angelis familiaritas, & frequentia colloquia. In cælum animo sæpe abrepta fuit, didicitque arcana, & non nisi diu post euentura. Mirabile est quod proditur. Vidit aliquando ex ijs qui viuebant, aut erant postea victuri, qui beatæ immortalitatis lauream essent olim adepturi: quodque potius mireris, quam quisque lauream esset consecuturus, conjugijne, an viduitatis, aut certe virginitatis. At deinde sibi reddita, cum ijs forte inter mortales occurreret, quos viderat in cælo, quamquam antehac incognitos, tum agnoscebat clarissime, ex ea quam viderat specie, & futuri status aut gradus discrimen discernebat. Cælitibus familiaris.

Plura alia vaticinata est. Elisabetham ab Asca virginem Namurcensem conspicata comptulam & studiosius ornatam, quam scilicet propagandi generis gratia nuptijs parentes destinabant, ad eam dixit asseueranter: Frustra corporis tui cultum adeo consectaris: morieris illibato pudore. Prædictioni fidem fecit euentus.

Vixit cum sanctissima virgine Lutgarde, & suauissimam cum ea consuetudinem morum studiorumque similitudine contraxit. Illam ipsam statim a morte vidit inter cælites multa gloria triumphantem. Post actos sanctissime dies abijt & ipsa ad gloriosam immortalitatem. Post annum 1246.

III. IOLENDA pænitens. *Cantipratanus.*

ÆTerna beatitudine nemo, quamquam peccator, si modo resipuerit, excluditur. Monasterij ad Sabim Benedictinam regulam professa viuebat Iolenda, gente nobilis; sed mundi illecebris fortius trahebatur, quam tanti patriarchæ sanctissimis legibus.

Turpissimę seruitutis miserta Lutgardis, plurimis ad Deum fusis precibus contendit, ac tandem euicit, vt præteritas ei noxas dimitteret, nouoque pectus accenderet caritatis igne. Prorsus immutata venit Aquiriam ad Lutgardem Iolenda, vitamque annis deinde plurimis instituit ordine graduque digniorem.

 Cum

Cum denique sibi mortem imminere diuinitus accepisset, Lutgardi significauit, quam scilicet vt ducem certissimam sequebatur, cui vt amantissimæ parenti sua omnia credebat. Bono eam esse animo jussit illa, intrepidamque Dei nutum exspectare. Certo quippe affirmauit fore, vt benignum experiretur Deum judicem, ejusque clemëtia breui educeretur supplicijs, quę ob pręteritæ vitæ peccata formidabat. Neque diu post religiose mortem obijt Iolenda: atque vt rogata fuerat, triginta diebus needum elapsis, ad Lutgardem redijt, asseruitque in eius gratiam ingenti Deum erga se clementia vsum fuisse.

Die decimo

I. SS. CRATON, VITALIS, ET ALII Martyres socij S. Gereonis.

TRiumphalis est hic dies pluribus in nostra diœcesi locis, in eorum martyrum honorem, qui e legione Thebęorum cum S. Gereone duce suo religiosissime dimicantes, inuicta fortitudine cadendo æternam triumphi gloriam consecuti sunt. Asseruatur & in veneratione Leodij est ad S. Laurentij Craton ipsius Gereonis frater & signifer cum Vitale commilitone. Alius eorum socius ad S. Iacobi colitur, Gemblacique alius, ambo anonymi. Multis præterea locis nobiles sacrarum reliquiarum portiones in honore sunt.

II. S. NVNCIVS confessor. *Molanus.*

ILlustri gente natus clero adscribi voluit, qui Hasteriam olim inhabitabat. Insignem ibi sanctitate vitam ducens, subulcum egisse fertur, vt eo subliniorem inter superos gloriæ attingeret apicem, quo se inter homines abjecisset ad viliora. Quæ de vita & miraculis, atque id genus alia addenda forent, ea vetustate temporum, & bellorum injurijs interijsse putantur, cum Hasteriam tenerent virgines, quæ clero successerant: pluraque perijsse verisimile est ijsdem Metas migrantibus, & familię commentarios secum asportantibus; quando scilicet Hasteria Walciodoro juncta a monachis incoli cœpit. Quo tempore transierit ad ęternam felicitatem Nuncius, nobis minime compertum est; hoc tamen certum, quod ante annum sexcentesimum quinquagesimum sextum, quo scilicet dimisso clero Hasteria virginibus concessa est.

Diem natalem tanta religione coluerunt majores, vt profano opere violasse censerent piaculum ipsa magnitudine prope inauditum. Sacrum eius corpus tot sęculorum lapsu Hasteriæ seruatum est, donec bellorum atrocitate, impietateque hęreticorum diruto ferme cœnobio, Walciodorum auectum est.

III. S. SERENVS episcopus ignotæ diœcesis. *Molanus.*

EPiscopus præstanti virtute fuit, sed cujus diœceseos, nemo prodidit. Anno post natum Christum quadringentesimo decimo quinto Ierosolymis erat, quando sacrum protomartyris corpus inuentum est. Insignem eius portionem obtinuit; & cum in Belgicam venisset, eam Hasteriæ deposuit cum præclaris alijs reliquijs, illustri profecto Diuinę prouidentiæ beneficio: vt illa nimirum tempestate, qua aduersus ecclesiam crudeliter sæuiebat impietas, inuicti pugilis glorioso agonismate excitati Christiani, decernerent etiam sanguine tuendum esse Numinis honorem. Contra patrum nostrorum memoria hæretici (quibus nimirum impietatis armis sanctissima quæque euertere ludus est) sacras illas reliquias flammis absumserunt: & chronice quidam non infeliciter lusit, ConCVLCaVerVnt sanCtIfICatIoneM. Perpetrati sacrilegij loco pauimentum aiunt semper, etiam æstate, humore aliquo perfusum videri, sicca omni vicinia. Hasterię sedem fixit sanctus episcopus: res tamen ab illo gestas nobis antiquitas non reliquit. Hoc tan-

tantum: acta ſanctiſſime vita, Haſteriæ conditus, cælitum honoribus colitur. Ita cœnobij conditorem Widericum teſtamenti ſui tabulis inſeruiſſe, teſtatur Molanus: nec alia vſquam eſt S. Sereni epiſcopi memoria. Nimirum etiam ſanctitatis apud mortales eſt obliuio: ſed meritis eam honoribus celebrat æternitas.

IV. S. REMISCENDIS virgo. *Molanus.*

SIgeberti regis filia fuiſſe fertur, ſancto patre non indigna: quæ ſua virtute plus gloriæ ſanguini regio addidit, quam ab illo accepiſſet. Illuſtrior enim a ſanctitate, quam a ſceptro majeſtas. Illam duobus verbis ab antiquitate habemus: ſancta eſt, virgo eſt. Sepulcrum Haſteriæ oſtenditur. Eam venerare lector, quæ apud illum eſt in gratia, cui recte factorum memoria numquam peribit. Circiter annum 654.

Die duodecimo

S. HARLINDIS abbatiſſa Eickenſis. *Molanus.*

PAtrem habuit Adalardum, Grimaram matrem, ambos rectę liberorum educationis admodum ſtudioſos. Ab illis Valentianas miſſa eſt cum Relinde ſorore, vt in parthenone, qui præſtanti virginum ſanctimonia florebat, Chriſtianę vitæ legibus inſtitueretur. Eam vtraque honeſti dignitatem attigit, vt ſecuram ac ſalutarem alijs viam oſtendere poſſe videretur.

In patriam ergo vt redierunt, Eickæ in prędio ſuo monaſterium filiabus parentes conſtruxerunt. Illæ mox adeo ſanctum & omni virtutum honeſtate venerandum vitæ genus arripuerunt, vt ingentem filiarum turbam virginea fecunditate Chriſto ſponſo procrearint. Ita narrabamus Februario.

Otium omni virtuti exitiale communi conſilio ſic auerſabantur, vt eius vitandi gratia nobiles alias virgines palliola contexere non pigeret: Diuinos aliquando libros deſcribebant: quod magni etiam viri non raro ſibi honori duxerunt. Quod adeo viſus eſt ipſe Deus probare, inquit Molanus, vt nonnulli libri perinde ac ſi recentes eſſent, hactenus conſeruentur.

Vt ætate Harlindis anteibat, ita prior adoleſcentem familiam magno rei monaſticæ incremento rexit, priorque viuendi finem fecit. Eius memoriam, quemadmodum & ſororis S. Relindis prodigijs Deus illuſtrauit. Promeritos honores vtrique ſub annum nongenteſimum inſtaurauit Franco epiſcopus; & in nouum templum religioſa pompa ſacras exuuias beatarum virginum multo auro gemmiſque ornatas inuexit. At nuper patrum noſtrorum memoria, cum Eickenſes canonici, qui pridem ſacris virginibus ſucceſſerant, relictis antiquis ſedibus in vrbē Maſeikam migrarent, ſanctarū virginum ſacra corpora in nouam habitationem intulit Gerardus Groesbecanus epiſcopus & cardinalis. Circiter annum 750. Ann. 1571.

Die decimo tertio

S. POLYCHRONIA virgo & martyr cum ſocio anonymo.

ILluſtrem virginitatis & martyrij coronam adepta eſt Romæ S. Polychronia, & glorioſum in cęlo Dei munere triumphum agit: ſed mortalibus ignota hactenus. Sacrum illius corpus cum ſocio (cujus & nomen ignoramus) in cemeterio S. Priſcillæ latuit ad noſtram vſque ætatem ; quando Paulo V. pontifice maximo poteſtatem faciente, eduxit in lucem Claudius Aquauiua Societatis IESV præpoſitus generalis, & Dionantum miſit in collegium ejuſdem Societatis anno hujus ſęculi decimo tertio Idibus Septembris: vbi magna religione colitur ſecunda Dominica Septembris.

Digitized by Google

Die decimo quinto
PHILIPPVS
marchio Namurcensis. *Ægidius, Cæsarius, Petr. Doutremannus.*

NAtus est Valentianis anno supra millesimum & centesimum septuagesimo quarto, patre Balduino Animoso Hannoniæ comite. Adolescens annorum viginti & vnius cum Philippo Franciæ regi strenuam Anglico bello nauaret operam, ab eodem ipso Pentecostes die in equitum collegium solemni ritu cooptatus est: neque multo post vltima patris voluntate Namurcensem adeptus est comitatum.

ANN. 1195.

Sacrorum amans.

Magna animi moderatione, justitia, sed in primis religione suum principatum administrauit. Namurci ædem in summa arce apostolorum principi posuit, tredecimque instruxit canonicis: ratus nimirum certius nullum, firmiusque quam e cælo præsidium. In basilica vero S. Albani collegium item canonicorum collocauit, attributis e suo fisco stipendijs: quemadmodum & Cisterciensi parthenoni Salsiniæ.

Magnum in eo habuit Leodiensis ecclesia præsidium. Cum anno millesimo ducentesimo duodecimo dux Brabantiæ Henricus infensiore in illam animo bellum meditaretur, omni qua potuit ratione contendit Philippus, vt ad æquitatem & concordiam illum reuocaret. Sed paulo post vrbem Leodiensem vt audijt captam, facti damnans atrocitatem, episcopo, qui Hoium se receperat magno solatio fuit; suasque vires pollicitus, multum illum confirmauit: neque defuit officio, quoad vita mansit.

Peccatum

Suo tamen nomini labem inspersisse non leuem fertur, quando fratris sui Balduini imperatoris Constantinopolitani filias duas, quas in suam tutoris fidem receperat, in regis Franciæ potestatem tradidit. Illustri pænitentia factum expiasse creditur. Ita nonnumquam illum Deus labi sinit, quem altius prouehere assurgentem statuit.

expiat mirabili pænitentia.

Gloriosam certe Philippus obijt mortem, insigni pœnitudine peccata sua detestatus. Quatuor abbates adesse sibi voluit: quibus simul audientibus, tot suspirijs lacrymisq; suas omnes noxas confessus est, vt ad lacrymas pariter singulos concitaret. Injectoque sibi laqueo, rogauit vt in publicum se pertraherent. Non aliter, inquiebat, ac canis vixi: mihi non aliter ac cani emori liceat. Ea domo voluit efferri, in qua decumbebat æger, quod legitimo domino per injuriam pulso illam occupasset. Tum in præpositi sui domum delatus, mox etiam inde migrare voluit; quod illum inaudijsset rapto fortunas suas auxisse. Sic oderat religiosus princeps, quidquid affine peccato intelligeret.

Illatus est denique in angustissimum cujuspiam sacerdotis tugurium. Vel (vt prodidit Cæsarius) cum plus non posset, obtinuit vt in casam totius ciuitatis pauperrimam deportaretur; e qua virtutibus meritisque ditissimus in cælum abijt.

In S. Albani medio pro dignitate situs est. Vitæ aut potius mortis sanctitatem noluit esse Deus inhonoram; multisque miraculis testatus est. Concursum est ab infirmis e longinquo; valetudoque illis restituta. Terram sepulcro adjacentem, quasi vicinia consecratam, religionis gratia secum aduenæ asportabant.

Die decimo sexto
ROBERTVS
episcopus LXVIII. *Ægidius, Vita S. Iulianæ.*

NObili familia de Torota siue de Testa oriundus fuit. Fratres habuit Radulfum Virdunensem episcopum, & Ioannem Campaniæ Gallicæ præfectum. Nobilitatem ornabant acre judicium, eloquentia, sacri juris cognitio, prudentia, morum integritas; quibus adjunxit studium ecclesiasticæ supellectilis augendæ, ornandæque. His sibi gradum fecit ad episcopatum Lingonensem, ac denique Leodiensem anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo.

Rem Leodiensem feliciter administrauit. Et quod ad politiam attinet, cum ager Dio-

Dionantensis cum Luxemburgensi valde permixtus controuersias subinde satis ancipites moueret, emit a Walerano Luxemburgensi comite pontem ad Lessiam alijs secundum Mosam adjunctis ad vsque rupem quamdam ex aduerso Bouinij; item & quodcumque jus Walerano poterat esse Dionanti.

Illustriora sunt, quæ sacra spectant. Leodij Dominicanorum templum cum duobus alijs episcopis Guidone Cameracensi & Bonifacio Lausanensi in honorem S. Catharinæ dicauit. Illo principe Minores ex insula ad locum foro proximum migrarunt magno populi Leodiensis commodo. Cistercienses virgines, quę deserto Roberti monte transierunt ad Vallem benedictam, sub hoc tempus in priores sedes se receperunt. Ita postliminio quasi vitam ab illa domo, cui dederat ante annos tredecim, recepit Robertimontana familia: & ambæ in nostram ætatem insigni religionis honore florent. Eadem tempestate Boneffiæ cœpit monasterium, & Cisterciensibus item virginibus attributum est, donec viros substituere, præsidibus visum est. Sed Robertum hęc magis attingunt.

Lugdunum anno quadragesimo quinto profectus est, quo omnis ecclesiastici ordinis cœtum conuocabat Innocentius IV. Secum duxit Iacobum Pantaleonem ecclesiæ suę archidiaconum: qui in celeberrimo illo orbis Christiani theatro eximiam sapientiam tractandarumque rerum peritiam adeo prodidit, vt per varios gradus sibi viam aperuerit, tandemque peruenerit ad supremum pontificatum dictus Vrbanus IV. De quo diximus suo die. *E concilio Lugdun. rediens*

Soluto Lugdunensi conuentu reuertebatur Robertus, archidiaconi sui gloria inclytus, quando ex itinere diuertit ad generale concilium, quod forte tum Cistercij habebatur: illius enim ordinis fuit quam amantissimus. Ibi a venerando illo religiosorum patrum consessu pro suis in vniuersam familiam meritis impetrauit, vt S. Lamberti natalem, quem sola *commemoratione* ad hunc diem coluerant, solemni deinceps festo celebrandum in omnibus disciplinæ suæ familijs decernerent. Quo certe facto non dubitat Ægidius asserere, S. Lamberti gloriam amplius propagatam, quam si millenos equestris ordinis viros in eius clientelam adlegisset. *S. Lamberto cultum a Cisterciensibus obtinet.*

Pacatum eius principatum obturbauit fœda Leodij seditio. Autor fuit sacrilegus quidam prior domus Cornelianæ, qui sanctæ virginis Iulianæ virtutem non ferens, cum domo vellet exturbatam, nescio quibus mendacijs plebeculam ad hoc audendum concitauit. Compulsa cedere furori Iuliana, ad S. Martini apud Euam se recepit. Mouit episcopum non minus sanctæ virginis calamitas, quam perditorum hominum effrenis audacia. Illam vt solaretur adiuit ipse ad S. Martini, omnemque pollicitus est opem ac præsidium. Hos vero quo reprimeret, causæ cognitionem judicibus commisit. Impium illum hominem, qui se priorem appellabat, abdicato munere ad Hoiense nosocomium ablegauit sententia judicis; ad cœnobium post tres menses remissa est Iuliana majore gloria, quam dedecore fuisset expulsa. *S. Iulianam tuetur.*

Hoc judicio producta velut in theatrum illius virtus multo quam ante clarior eniteurat: atque adeo plures in eamdem secum sententiam quotidie adducebat, vt novum aliquod festum judicarent VEN. EVCHARISTIÆ consecrandum, atque summopere desiderarent. Rem ergo diutius non esse differendam rati, ad Robertum aliquando venerunt, communique rogarunt consilio, vt quod ad Diuini honoris incrementum facere quondam grauissimi homines pronuntiassent, sua ipse pręsulis autoritate sanciret. Sed parum promouerunt; quod in re adeo noua &quę potissimum autore femina proponeretur, nihil temere decernẽdum judicaret Robertus. Imo cum Iulianam subinde viseret, cujus sancta consuetudine mirum in modum capiebatur, quotiescumque de sanctissimo SACRAMENTO illa mentionem inferret (inferebat autem frequenter simul & ardenter, vt paulatim episcopi pectus emolliretur) cum æquo cetera fauentique animo Robertus acciperet; at tacite reuera significabat, eius oratione nihil se permoueri. *Festũ Corporis Christi*

Sed nutu versat animos hominum Diuina sapientia. Quoddam e cęlo beneficium indulsit (quid illud fuerit, nusquam inuenio) quo duriorem eius mentem ita flexit, vt ad Iulianam cum postea redijsset, affirmarit diserte, discussa jam omni dubitationis nebula, clarissime se perspicere vberrimos ecclesię prouenturos fructus, amplificandamque non mediocriter Dei gloriam, si festo singulari coleretur origo prima sacrosanctæ EVCHARISTIÆ. Incredibili gaudio hæc principis oratio Iulianam perfudit. Quæ vbi paucis novum calcar addidit, quo currentem magis concitaret, salubre monitum *ANN. 1246. decernit*

ad-

addidit quasi pro habendis gratijs, vt desiderium omne poneret Rhemensis archiepiscopatus: quem quandoquidem non esset adepturus, in eius petitione frustra sumtus ingentes, cogitationes omnes, operam, industriam, vitam denique ipsam insumeret; quæ aliter gloriosius impenderet in suam Spartam. Sapientibus monitis animum occlusit ambitio, semper alioqui parentem Iulianæ sermonibus.

Crescebat nihilominus illi religio in augustissimum SACRAMENTVM, cupidoque noui cultus decernendi. In longius protrahi non placuit. Diœcesanam synodum coëgit: in qua post explicatam tanti mysterij dignitatem, meritaque in hominum genus, annuum celebriore ritu festum imperauit in diem Iouis post diem a Pentecoste octauum; cui jejunium præmitteretur. Et ne illius voluntati dubitationes prætendi possent, decretum fecit, quod litteris consignatum & spargeretur per diœcesin, & in posteritatem seruaretur. Plura simul exempla *officij*, quod eum in finem Iuliana præparandum curauerat, per opportuna loca distribuit. Prima omnium hæc est sanctio pontificia de festo CORPORIS CHRISTI: eximiamque Roberto gloriam comparauit.

Paucis post diebus Hoium ille profectus, S. Leonardi templum in arcis monte situm dicauit. Inde Fossas abijt: ibique ipso S. Lamberti festo, dum mensæ accubat, morbo corripitur. Quo conflictatus aliquandiu, cum esse lethalem accepisset, nihil carius habuit, quam vt suum de nouo festo decretum adstantibus omnibus commendaret: quod etsi magno animi scripsisset ardore, eos tamen in se diuinitus igniculos succendi sentiret; quibus si vitam Deus prorogasset, subditos omnes animaret ad majorem sanctissimi Mysterij venerationem: quandoquidem sibi certo persuaderet, non singulis dumtaxat vberrimos fructus, verum vniuersę diœcesi, atque adeo ecclesiæ prouenturos.

Fossis mortuus. His similia dixisse parum illi fuit. Graue erat religiosissimo præsuli vita prius excedere, quam sancitum festum semel saltem celebraret. Quod dabatur, fecit. Nouum eius *officium* in suo conspectu celebrari voluit: eoque lætior, vita tandem exijt.

S. Iulianæ opem implorat Quidpiam nihilominus expiandum superfuisse videtur. Eadem hora (vti postea compertum est) in orationem Leodij Iuliana procubuerat, & propter se veluti transeuntem sensit vmbram Roberto simillimam, supplicique voce preces rogantem. Ex quo vbi quæsijt, quis esset: Robertus episcopus ego sum; inquit. Paucis profecto sine expiatione conceditur in cælum ingressus: sed ijs multo difficilius, qui rem aliquam publicam, maxime salutem animarum curandam susceperunt.

Alnam corpus elatum est. Sed inde Stephanus abbas Clarę-vallis postea detulit in Claram-vallem; quæ fuerat eius mens, dum Lingonensi præesset ecclesiæ: ibique ante aram S. Andreę sacram condidit.

Die decimo septimo

S. FLORENTIVS
episcopus VI.

VIxisse scimus Florentium, scimus & Tungris, vtraque Treuiris ecclesiam rexisse; & XVI. Kal. Nou. vita defunctum, cælitumque honores ob eximiam vitæ sanctitatem esse consecutum. Qua natus gente, quo tempore, quas res pręclare gesserit, quamdiu duxerit gregem, ad posteros non peruenit. At eius nihilo minor est apud Deum gloria: & si ignoramus, quem imitemur; habemus, cujus patrocinio fidamus.

Die decimo octauo

I. S. MONON
martyr. *Surius ex officio Nassoniensi.*

Dei jussu FVit Monon oriundus e Scotia, pręstantique virtute conspicuus. Post traductam precibus aliquando insomnem noctem, obdormiscenti adfuit angelus, nuntiauitque Deo placere, vt in Gallias transiret, & locum Arduenna silua medium perquireret, quem pręterfluit Nasania fons & ab incolis Nidier nuncupatur: ibi quod vitæ superesset, ageret.

Vt

Vt primum hunc e cęlo nuntium accepit Monon, obstupuit sane; & Deum rogauit, vt si certa hæc esset illius voluntas, eumdem ad se perferri nuntium iterum ac tertio juberet. Quod vbi impetrauit; neque jam vllus dubitationi locus relinquebatur; iter ingressus est, illud ingeminans: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate, & doce me, quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.* Ps. 24. 4. & 5.

Cum mare transmisisset, incessit eum cupido prius quam commonstratum ab angelo locum perquireret, instituendæ peregrinationis ad apostolorum limina. Eo in itinere Ioannem Agnum episcopum Tungrensem obuium habuit; qui Roma rediens jam Alpes reliquerat. Interrogatus ab illo vnde, quo tenderet, quid acturus deinde: cum responsis animi candorem, integritatem vitę, contemptionem terrenorum, cælestium prętulit desiderium, vt hominis captus sanctitate Ioannes (morum enim similitudine sanctitateque potentius nihil ad amicitiam conciliandam) rogarit, post iter Romanum ad se reuerteretur: demonstraturum se locum, ad quem a Deo mittebatur. ANNO 632. venit in Gallias

Paruit Monon: confecto itinere receptus in episcopi familiam, tanto carior ipsi factus est, quanto virtus eius exercitatione quotidiana notior fuit. Sed quo Deus vocabat proficiscendum fuit. Vt ad locum deductus est, designatam exstruendo oratorio aream vepribus & dumis dum sua ipse manu perpurgat, probari Deo labores suos credidit, vbi vidit ferream nolam ante se a porco de terra effossam. Asseruatur post tot ætates in hunc diem cymbalum illud in sancti hominis memoriam ac venerationem.

Ceterum vt spargi cœpit per viciniam eius fama, incolas adeo permouit vel vitæ exemplo, vel sanctorum colloquiorum ardore, vt certatim alij materiam cęderent, conueherentve; eruerent alij lapides, aliam operam conferrent alij. Quo factum est, vt intra breue tempus steterit ædicula, rudis illa quidem, & opere rustico; sed in qua faciles supplicibus aures Deus præberet. Humilibus nimirum maxime capitur Numinis illa magnitudo immensa, & illis se qua licet, coæquat: seu quod sinceram animi puritatem amet, quæ opes raro comitatur; seu quod homines nullam alias cum tanta Dei celsitudine consuetudinem ausuros, amice sic ad se inuitet; seu denique quod suam potentiam, vt homines magnarum rerum ostentatione, sic Deus contra vilissimarum complexu vult testatam. Hac igitur in ædicula quamquam abjecta multi varijs morbis conflictati, oblatis Deo muneribus, sanitatem suffragante Monone receperunt. ædiculam exstruit

Verum vt piæ multitudinis frequentiam ac religionem miracula conciebant, ita perditorum quorumdam hominum maleuolentiam odiumque. Virtutem & præclare facta vix vmquam deserunt cordatorum hominum admiratio & amor; improborum contra odium & indignatio: sed pari vtrimque gloria, fortassis etiam ab improbis majori. Ita Mononi gloriam perditi homines auxerunt. Ij seu turpitudinem suam, elucentium in illo virtutum splendore deprehendi; seu a sectatoribus suis meliora jam eius exemplo meditantibus deseri se non ferrent; seu quamcumque aliam nihilo meliorem causam prætenderent, sanctissimum virum scelerati homines obtruncare non horruerunt. Circiter annum 636. martyrio coronatur.

Tristi primum comploratione, tum meritis etiam honoribus nouum martyrem prosecuti sunt accolę; multaque beneficia, Deo pietatem illorum remunerante, impetrarunt. Crescente in dies confluentis multitudinis frequentia, basilicam ibidem condidit episcopus Ioannes Agnus, & in Magnæ Matris honorem dicauit: quam immunem esse, omninoque liberam facto per synodum decreto sanxit: postea Pipinus rex attributis vectigalibus insigne canonicorum collegium construxit.

II. HENRICVS A CALSTRIS Dominicanus. *Choquetius ex Gilemans.*

LOuanij natus, familiæ Calstrensis nobilitatem mutauit cum humilitate religiosa, S. Dominici ordinem ingressus: in quo præclaram vitę sanctitudinem adeptus est.

Nocte quadam Parisijs orationi vel litteris operam in cubiculo dabat, quando derepente extincto lumine, noua mox luce locum fulgere sensit, simulque femineam vocem audire visus est. Attonitus ille: Deus meus, ait, quid audio? Tum denuo: Ego sum Maria Christi mater. At ille: Dulcissima mea Domina, si tuam audire vocem, cur non & faciem das videre? Respondit Virgo: Adhuc puer es: cresce, & me videbis. Subjunxit deinde: Is vero e sodalibus tuis, qui custodia detinetur ceu reus libri tui furtim sub- B. Virginis alloquio fruitur.

DIE 18. sublati, omni culpa vacat. Illa dæmonis est sycophantia; cui omnem tuorum sodalium cœtum turbare studium fuit. Idem sępius in te machinabitur: sed tu ne terreare; nusquam tibi deero: in precatione tuum omne præsidium esto. Cum librum postea dæmon ad illum referret, interrogatus qua de causa sustulisset, respondit: Ipsissima mihi causa fuit, quam tibi Domina dixit. Odia nimirum & turbas inter fratres serere ludus est turpissimo impostori; ad eum sane modum, quo pacem firmare Deus amat.

Vincit dæmones.

Non indormiјt dæmon infestationibus; sed neque suæ defensioni Henricus; teterrimumque adeo hostem in terram quandoque dejectum, pedibus conculcauit. Cum alias subita dejectus virium defectione concidisset, incurrerunt in eum horrendo tumultu innumeri dæmones, & inclamarunt: Noster es; in nostræ sortis partem venies. Digito tamen eum attingere non audebant; donec post longiorem disceptationem, luce magna tandem affulgente, diffugit illa infelicium geniorum turba. Tum beatissimę Virginis ad illum vox venit: Ego sum; noli timere. Contra ille: O misericordiæ mater, qua de causa filius tuus tantam aduersum me hostibus meis potestatem fecit? Ipsa: Tibi nihil, inquit, hac pugna decessit. Imo vero expiasti, quidquid labis ante contractum esse potuit. Ceterum hoc persuasum habe, nullam hic tibi sperandam esse pacem: & cum te mortales impugnare cessabunt, tum aggredientur inferi. Tu macte animo: Deus his beatum finem dabit.

Ex itinere aliquando fatigatus, & in crure saucius quemdam presbyterum rogarat, vt socio suo sacrum facturo ministraret; concessit vero ad quietem ipse. Quiescenti adfuit Dei mater, acriusque increpauit, quod socium deseruisset; cumque fatigationem ille vulnusque excusasset; Nesciebas, inquit illa, opem a me sperari debuisse? Quo audito quæsiјt Henricus an rem sacram ipse aggrederetur. Negauit illa, quod ad illud se ipse non comparasset; addiditque: Hodie nullum a me solatium exspecta, quod sacrum facere neglexeris. Ingemuit Henricus, nullumque illo die præ mœrore cibum sumsit; donec angelo sub tenebras liquorem insolentis saporis ac odoris offerente, cum gustasset, omnes sibi vires restitui sensit.

Querebatur alias apud Virginem matrem, quod hanc apostoli sententiam intelligentia non caperet: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim &c.* Hæc si caperes (inquit B. Virgo) tui prorsus impotens, nec legere valeres, nec studere: neque vero capies, quamdiu mortales inter versaberis. Paulus ipse sibi redditus, eo deinde mente non potuit assurgere, vnde descenderat. Hoc tamen a me tibi modo munus esto: e sacris libris intelligentia peruades, quidquid faciet ad virtutem tibi comparandam. Vade jam & sacris operare. Quam sacerdoti culpam confiteri paras, nulla est. Quamquam enim sodalem tuum acerbius argueris, illius tamen vtilitati studebas. Id potius fatere (cujus reuera reus es, licet aliter existimes) quod nimium in domus tuæ porta colloquiјs indulseris, ac animo deinde nimis remisso sacrum feceris.

2. Cor. 12. 2.
Quibus studendum.

Latere non potuit in obscuro eximia hominis sanctitas, quæ ducem sanctissimam Virginem sequeretur. Dubitabat aliquis; nec induci poterat, vt crederet iјs, quæ de illo referebant aliј. Omnem animo dubitationem excussit ingens aliquod lumen aræ illi tertio circumfusum, in qua faciebat Henricus. Alias iter faciens, diuerterat ad pauperem feminam, cui pro omni cibaria annona nihil fuit nisi ater panis, lac, caseus, tenuis cereuisia. Illam de sua paupertate tristiorem bono esse animo jussit Henricus. Ecce mox ignotus juuenis ingreditur, candidosque offert panes cum piscibus; & abit: tenuis vero cereuisia facto Crucis signo in vinum mutata est. Ita suis famulis Dei prouidentia prospicit, eorumque virtutem hominibus testatam facit.

Dei prouidentia.

Proximos juuat.

Multis saluti fuit Henrici caritas. Virum nobilem, qui se dæmoni deuouerat, ad eam resipiscentiam adduxit, quæ cælo illum immisit purgatoriјs etiam flammis immunem. B. Virginis tutelæ præsidioque hoc attributum est, cui solo pane frigidaque contentus vir ille jejunium consecrabat. Ab eadem piјssima matre missus fuit Henricus ad quemdam e suis sodalibus; cui moribundo reuocaret in memoriam, quæ exciderant aliquot peccata: eorumque suaderet confessionem. Paruit, secundo euentu. Singularis illi fuit in vita defunctos beneuolentia: quorum plurimos expiantibus flammis eduxit ad immortalem beatitatem. Significauit quispiam in cælum abire se cum aliјs viginti quatuor, quibus Deum suis ipse precibus conciliarat.

Purgatorio multos liberat.

Memoria dignum est quod subiјcio. Deo studiose commendauerat illustrem quemdam virum, sibi alias ignotum, sed optime de Prædicatorum ordine meritum. Qui suæ nepti

nepti postea significauit longo se supplicio liberatum precibus Henrici Calstrensis, cui suo nomine vellet haberi gratias. Cum ignotum sibi hominem illa assereret: En tibi, inquit ille, ipsius speciem: ejusque se vultu habituque illi ostendit. Paucis post diebus obuium habuit femina illa Henricum, ex viso agnouit, & patrui nomine gratias habuit.

Etiam moriens multis opem impertijt. Sane prædixerat plures trecentis in cęlum e purgantibus flammis se educturum. Fuit qui testaretur vidisse se educi ab illo trecentos triginta sex, & vna omnes immortali gloria donari. Non est extincta morte caritas. Multis miraculis beneficia impendit. Post annorum quindecim cęcitatem ad eius sepulcrum videndi facultatem mulier recepit. Tanti est apud Deum virtus: & hanc ferme possumus affirmare fuisse præmium singularis illius religionis, qua Dei matrem venerari solitus est.

Die vigesimo primo

HENRICVS

conuersus Villariensis. *D'Assignies e Manuscr. Villar.*

NAtus est Bruxellis: & a parentibus ad litteras applicatus, mox illas puerili leuitate deseruit; licentiaque parum decora vitam aggressus est. A qua vt filium parentes reuocarent, illum in matrimonio collocare constituerunt. Dictus erat nuptijs dies: Villarium ipse prius excurrere voluit, monachos aliquos sibi sanguine junctos salutaturus. Religiosam illam familiam conspicatus pulcherrimo constitutam ordine, monasticaque disciplina venerabilem, eum illius amorem animo concepit, vt omnes mundi fastidiens illecebras, ibi se Christo deuouerit. Sed fracta sensim fortitudine, cum austero vitæ genere cohorreret, desperaretque tantum onus a se sustineri posse, ad sæculum cogitationes retulit. *Religiosæ vitæ desiderium tepescens*

Vt accepit Gobertus, magnæ sanctitatis ea tempestate Villarij monachus (cujus ante meminimus) ab eo multis precibus extorsit, vt ante mensem de sanctiore suo proposito nihil mutaret. Sed euentu nullo. Cum igitur abituriret Henricus, annuit tamen obnixe roganti vt maneret ad dies quindecim. Interea pro illo preces ardenter fudit vniuersus monachorum cœtus; tandemque obtinuit vt in sancto ille proposito confirmaretur. *accenditur.*

Diuinis auctus viribus, eam virtutem assecutus est, vt in celeberrima illa religionis palæstra ceteris ipse esset imitationi. Dei amore sic æstuare cœpit, vt quando necdum illo frui daretur, duram illius esse duceret sortem, qui ea lege amaret. Extra se frequenter in Diuina rapiebatur.

Precibus forte intentus, hanc ad se vocem delabi sensit: Calicem mecum ebibas necesse est: elige illum vel breuem, sed valde amarum, vel lentum sed diuturnum. Vehementem potius elegit: & a mundo, carne, dęmone quam plurima passus est; sed illa mentis alacritate, vt ad omnia Deo gratias haberet, quæ scilicet merito suo existimaret minora. *Multa passus*

Denique post actos Villarij septem annos ad metam in hujus vitæ stadio deuenit. Ea nocte, quæ fuit vltima, post exstasim rogatus, quid secum esset actum: respondit æterno se judici adstitisse, cujus sententia immortali gloriæ addictus esset: tum vero se moriturum, cum sonuisset hora: at vbi signo ad matutinas preces dato corpus in templum efferretur, productura obuiam, & in cælum inductura vndecim millia virginum, quibus sacer erat ille dies. Tantillo spatio, si generosa mens fuerit, tam gloriosus triumphus comparatur. *ad gloriam euolat.*

Die vigesimo secundo

S. VLBERTVS

martyr. *Molanus.*

DEnsis tenebris inuoluerunt mortales sanctum hunc martyrem, qui alioqui pro suæ fortitudinis præmio cum Deo beatam lucem inhabitat. Leodij sepultus creditur

ad S. Bartholomęi: ſed neque locum oſtendere poſſunt canonici, neque a majoribus acceperunt quas in matutinis precibus de more legant res ab illo geſtas. Hunc fortaſſis eſſe Molanus conijcit Oelbertum martyrem, qui Oiſterhouti colitur. Pagus eſt apud Bredam, olim Leodienſis hodie Antuerpienſis diœceſis: cujus incolæ ea de patrono ſuo a majoribus accepta referunt, quæ magnam audientibus caliginem offundant, ipſique ſancto extorqueant martyrij palmam. Sic aiunt.

Latrones quidam deprehenſo ſuo lacrocinio, illac per agrum fugiebant, vbi S. Oelbertus ex aratione fatigatus in ſomnum inciderat; dormientique ſuum apponunt mucronem facta cæde cruentatum. Qui eos inſequebantur, in illum incidentes, vt latronem obtruncarunt. Inepte hoc proditum ego aio: nam ejuſcemodi morti quæ martyrij palma debetur, quantumvis inſontem illum contenderis? Aliquid ergo hiſtoriæ per imprudentiam detractum dicamus neceſſe eſt: in odium ſcilicet Chriſtianæ virtutis affictum illi crimen, aut cædem illatam eſſe.

Porro truncum B. martyris corpus ad ſacellum haud longe diſſitum, ſuis manibus caput inſigni miraculo detulit. Ipſaque jumenta, quibus in aratro vſus erat Oelbertus, pro nouę ac majoris eccleſiæ conſtructione, materiam omnem ſine auriga feruntur aduexiſſe. Quieuit aliquamdiu Oiſterhouti vbi eſt ſecundarius eccleſiæ patronus, quem Franci feruntur aſportaſſe: quo tempore, ab omnibus incolis ignoratur. Sapiens & ter beatus ille martyr, qui ab illo præmium expetijt, apud quem nulla obliuio eſt, immortalis eſt gloria.

Die vigeſimo tertio

I. S. ODA

vidua. *Anſelmus, Ægidius, Officium Leod.*

BOggis Aquitanorum ducis vxor fuit. Viro deinde orba in Auſtraſiam venit, in ampla hereditate, quam ibi poſſidebat, vitam actura. Amicam breui ſanctamque cum Lamberto Tungrorum epiſcopo familiaritatem inijt virtutis admiratione capta: a teneris enim vnguiculis rerum cæleſtium perſtudioſa fuerat. Verum nunc conjugij vinculo, vnaque eorum, quæ mundi ſunt, ſollicitudine ſoluta, cum Diuinis ſe liberius dare poſſet; fecit perquam ſtrenue exemplo hortatuque tam ſancti antiſtitis: ad cujus pedes auide ſedebat, auditura de cęleſtibus diſſerentem. Nec inanes erant apud ipſius animum optimæ illæ inſtitutiones.

Circiter annum 673.
A S. Lamberto exculta

Præ vnius Dei amore mortalia omnia cœpit contemnere, profundereque liberaliter quæ habebat in egenos. Sacras ædes, & xenodochia pluribus locis conſtruxit, ſuiſque opibus cum inſigni caritate ſuſtentauit. Sed quam opem ipſa Lamberti ſaluberrimis præceptionibus ſe conſecutam eſſe gaudebat, eam in primis Huberto nepoti ſuo communicari deſiderabat. Venerat hic non ita pridem in Auſtraſiam ad Pipinum, odio Ebroini cuncta ſcelerate in Francia peruertentis. Comitata eſt, vel vt alijs placet, excepit venientem materna caritate Oda: juuenemque humanarum rerum illecebris plus ęquo captum adducere diu ſtuduit ad ſanctiora. Arduum fuit, ſed eximium denique operæ pretium. Terrenis omnibus generoſe calcatis eum attigit Hubertus ſanctitudinis apicem, vt Lamberti ſucceſſor Tungrenſem eccleſiam rexerit. Ita ſuo loco dictum.

Hubertum nepotem ad meliora inducit:

Eius ſtudio & opera naſcentem eccleſiam Leodienſem fouit pijſſima matrona munificentia inſigni, opulentaque donauit latifundia non pauca; religioſę nimirum gratitudinis teſſeram, qua pro ſpirituali ſanctioris diſciplinæ ſemente, temporalium bonorum meſſem pijs cariſſimi ſui præceptoris manibus ſancta femina repoſuit. Sed Amanium teneriore pietate coluit, eique fortunas addixit ampliores. Templum illic exſtruxit vna cum canonicorum collegio, & S. Georgij martyris memoriæ conſecrari voluit. Eccleſiaſticum enim ordinem & egregia veneratione obſeruauit,& ſuis omnibus fortunis, quoad licuit,adjuuit.

condit Amanium.

In pauperibus præterea Chriſtum Dominum reuereri, amare, juuare, omni opera liberalitateque ſtuduit. Illuſtre eſt quod de ipſa ferunt. Forte penum ſuam omni adeo deſtitutam cibario commeatu acceperat, vt vel hoſpiti, ſi quis ſuperueniſſet, excipiendo ſatis non eſſet, non alendę ipſi familiæ. Nullum oratione certius perfugium exiſtimauit,

Eius pietati

manuit, aut inuenit. Vix ab illa surrexerat: ecce ad fores peregrinus mendici habitu hospitium rogat, & admittitur: abundauitque omnis penuariæ rei annona. Miranti insolentiam Odæ mox se prodidit, qui objecta pauperis specie fefellerat, Christus Dominus; & temporariam stipem æterna compensandam mercede promisit. Promissi veritatem assecuta est. Actam religiose vitam beato fine clausit; felicisque animæ sacras exuvias Amanij reliquit. Quas deinde Florebertus S. Huberti filius & in episcopatu successor, cum miraculorum frequentia clarescerent, celeberrima pompa in aram extulit, cælitum ritu colendas. Colit in hunc diem posteritas in basilica S. Georgij, quę & S. Odę nuncupatur.

DIE 23. mercedem Christus promittit. Post annum 711.

II. B. POMPEIVS
sacerdos. *Vita S. Odæ, Molanus.*

FVit B. Odæ a sacris, & cum vita moribusque esset probatissimus, eum sanctissima matrona, vt sacerdotes omnes religiose venerabatur, non modo percarum habuit, sed etiam in sanctioribus Christianæ vitæ exercitationibus secuta est ductorem. Eximiæ virtutis illud est testimonium: cum alias vix quidquam de illo reliquerit antiquitas. Tanto nihilominus studio corpus rectę rationi subijcere contendit suppliciorum sponte susceptorum acerbitate, quo nimirum expeditior animus volatu citatiore raperetur in Diuina, vt similem martyrio lauream consecutum esse, nonnulli veterum affirmare soliti fuerint. Amanij conditus est in ędiculæ illius crypta, quæ in monte, & in S. Catharinæ honorem dicata, sæpius B. Pompeij appellatur. Ibi ab antiquo magnę venerationi est ad auertendos ab animantibus morbos.

Circiter annum 700.

Die vigesimo quarto
I. S. EVERGISLVS
episcopus Coloniensis & martyr. *Surius, Molanus.*

TVngros aliquando venerat Seuerinus Agrippinæ episcopus: de Euergisli adolescentis eximia indole mirum in modum ad omnem virtutem facta cum multa accepisset; ad se accersitum periclitari voluit, & tentare quid ab eo sperari posset. Ardens in eo deprehendit omnis honesti desiderium, spectabilemque pro ætate virtutem animo jam insitam: quæ hoc clarius emicabat, quod mutuam a generis claritate lucem acciperet & daret.

Circiter annum 394.

Inuitatus ad cleri ordinem ab episcopo sanctus adolescens, rejecta statim omni dubitatione assensit. Humanarum rerum splendorem, quem sperare jubebat gentis nobilitas, patrię parentumque desiderium & amorem inconcusso animo contempsit, quo in episcopi transiret familiam disciplinamque; & terrenorum omnium expeditus vinculis, liberiore mentis impetu ferretur in cælestia. Agrippinam secum abduxit illum Seuerinus; vbi tanti præsulis institutionibus, sanctaque consuetudine confirmatus, incredibili studio cælestis sapientię fontibus inhiabat; & instar sedulæ apis, Diuinorum scriptorum floribus insidens, intra pectoris alueare, fidei virtutumque mel recondebat longe suauissimum.

S. Seuerinũ secutus

Vbi ætate moribusque idoneum comperit episcopus capessendis sanctioribus honoribus; ne sub modio clarissima lucerna diutius lateret, sacri altaris ministerio statuit admouere: atque adeo per singulos gradus ad diaconatum vsque prouexit. Quo in munere quem se præbuerit, vix dici queat. Cauebat summa diligentia ne sublimem illum gradum indignus conscendisse posset argui. Noctes ac pariter dies in commentandis Diuinis rebus ponebat; & virtutum omnium nuptiali ornatu cultus, Dominicæ mensæ ministrabat. Delectatus ergo tantæ sanctitatis consuetudine Seuerinus, illum a se vix discedere patiebatur: cum illo sui muneris curas communicabat, de cęlestibus rebus suauissimos miscebat sermones, preces ad Deum vna fundebat.

sacris initiatur.

Forte anno quadringentesimo post decantatas antelucanas preces cum diacono suo supplicatum ibat ad sacra loca, quando dulcissimum inter nubes concentum subito percepit;

S. Martini in cælum euntis

Digitized by Google

DIE 24. audit triumphum.

cepit; quæsijtque ex Euergislo, ipsene etiam audiret. Postquam negasset ille, fusis ad Deum precibus impetrauit episcopus, eumdem vt concentum ille audiret: quid tamen portenderet ignorabat. Cui cum Seuerinus: Ad immortalem migrat beatus ex hac mortali vita Martinus Turonum episcopus. Triumphantem deducunt suaui hoc concentu cęlestium geniorum chori. Abeuntem remoratus est tantisper cum impuris suis asseclis diabolus: sed cum nihil in eo sui juris probare potuerit, cum ignominia facessere jussus est. Quod si in tanto pręsule quidpiam suum asserere voluerit funestum illud monstrum, quid denique nobis fiet, quibus a planta pedis ad verticem vsque nihil est integrum? Ita locutum aiunt Seuerinum. Euergislus misso Turones, qui de rei veritate quæreret, comperit eamdem illam horam Martino supremam fuisse.

Ceterum non diu post hęc Dei impulsu Burdigalam abijt episcopus, & cum pervtilem patrię grauiter laboranti paucos annos nauasset operam, promeritam laboribus palmam in cælo consecutus est.

Creatus episcopus Colon.

Episcopatum Agrippinensem vna omnium sententia quamquam inuitus, excipere jussus est Euergislus: quem equidem arbitror Agrippinæ relictum, vt absentis Seuerini vices impleret. Quam adeptus sedem, statum ecclesię Coloniensis quotidie in melius prouehere cœpit, opportuno tempore suæ familię cibum dare, oues sibi creditas diligenter instituere, modis omnibus a peccandi consuetudine retrahere, calamitosis & afflictis omnibus humaniter subuenire, vrbem ipsam ornare tanto studio, vt ab incolis aurea Colonia appellaretur. Ita prodidit vitæ scriptor. Quod postremum quam verum esse possit (nisi de virtutibus intelligamus) sane difficulter explicabitur, quandoquidem eę fuerint hujus sæculi calamitates, vt non tam de reipublicæ ornamentis, quam de vniuersorum salute cogitandum fuerit.

Circiter annum 430.

Ferocissimis gentibus in imperium Romanum velut inundatione irrumpentibus, & paulatim obruentibus, repullulauit passim vitiorum, hæresum, atque adeo idololatriæ impietas. Contra totis viribus repugnauit Euergislus, operamque in Vbijs minime infelicem posuit. Et qua exhortationibus, qua exemplis populum suum in officio continuit, Deo sanctos hominis conatus, pietatemque comprobante.

Ps. 149. 5. Inuenit sepulcrum S. Gereonis.

Sanctiora ciuitatis loca cum supplicabundus aliquando VI. Idus Oct. lustraret, S. Gereonis ædem ingressus, beatos martyres e genibus salutabat recitato hoc versu: *Exultabunt sancti in gloria:* statim vox diuinitus reddita est ingenti multitudinis adstantis admiratione: *Lætabuntur in cubilibus suis.* Simulque se edoceri sensit, ibi sanctorum martyrum esse conditorium, vnde vox prodire visa erat; & illum ipsum martyrij diem esse. Vtrumque ad eam ætatem incognitum erat. Oblatam præterea credidit a sanctis martyribus spem beneficij: nam graui forte tum capitis dolore cruciabatur. Supplex igitur & magna religione venerabundus locum adit, vnde vox audita, tam sancti depositi dederat argumentum: & collectum ex humo puluerem magna reuerentia vertici imponit; simulque (mirum dictu!) omnem capitis dolorem abstersisse visus est.

Virium supplementum acceperat sanctus senex, vt obfirmato corpore nouos pro Christi ecclesia labores susciperet. Vt enim nullos sibi positos fines existimat germana caritas; postquam indefessa vigilantia suam diœcesim ab impietatis barbaricæ contagio, pro viribus seruare laborasset immunem, antecessoris sui S. Seuerini secutus exemplum, opem patriæ suę quam posset, sibi sumsit impertiendam.

Circiter annum 440. Tungros exculturus

Nonnullos e popularibus suis Tungris acceperat in gentium errores reuolui: quod naturæ leges exigere videbantur, subuenire statuit. Ad eos profectus, insignem patriæ nauabat operam; & quamquam annis affectus, nullos subter fugiebat labores: quibus nimirum vberrimum respondere fructum compererat. Palmam vlterius differendam non censuit cęlestis agonotheta. Intempestę noctis silentio (dies quippe dabat hominibus ad meliora reuocandis) Diuinarum rerum intentus meditationi, ad ædem sę conferebat Deiparæ; & forte illum regij psaltæ versum ore, animoque versabat: *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput:* cum irruentes impij homines sanctum episcopum obtruncarunt; odio nimirum Christianæ religionis aut virtutis, quandoquidem martyrem omnis venerata sit antiquitas.

Ps. 3. 4. ibidem martyrium inuenit.

Neque inhonoram eius mortem Deus reliquit. Tot enim prodigia supra naturæ vires suffragante beato martyre dignatus est Dominus ad illius sepulcrum perpetrare, vt dicerent incolæ eadem in patriam feruere caritate jam in cælo coronatum, quam inter mortales agens, susceptis pro ea laboribus testari solitus erat. Sed vrbis clarissimæ ruinis

nis obrutum deinde sacrum corpus, postquam omni honore diu caruisset, eduxit in lucem Diuino monitu S. Bruno Coloniensis archiepiscopus anno nongentesimo vndesexagesimo, Coloniamque asportatum in S. Cæciliæ reposuit. Anno 959

II. LVCAS

abbas I. Cornelij montis. *Bibliotheca Præmonstrat.*

PRæmonstratensem amplexus disciplinam, præceptorem habuit Richardum primum Floreffiæ abbatem. Cujus magisterio sic profecit, vt non eruditione magis quam sanctimonia & miraculis claruerit: & magnum illum Lucam appellare non dubitet historia Pręmonstratensis. Eximia quippe laude celebrabatur religiosa illa virtutum academia: & cum vberem ab ea speraret in sua diœcesi frugem Albero Leodiensis episcopus, alterum ejusdem ordinis asceterium Leodij condidit in Cornelij monte, apostolisque duodecim ædem dicauit. Circiter annum 1123.

Nascenti huic familiæ Lucam præfecit abbatem Richardus Foreffiensis. Euentu felici consilium Deus probauit. Nec enim ille vitæ dumtaxat sanctioris exemplo, sacrave eloquentia vel precibus virtuti per vrbem amplificandę exornandęque strenuam nauauit operam: verum etiam hęresibus veluti per cuniculos in rempublicam proserpentibus bellum indixit internecinum. Sparsam Antuerpiæ a Tanchelino pestem, & forte per finitimos, vt fere fit, diffundi cœptam arbitror. At quemadmodum illic inuictus athleta Christi Norbertus pestilentem hydram debellauit; ita sacrilegum hujus germen Leodiensibus finibus Lucas germana Norberti soboles arcuerit. Insigni quippe sapientia floruisse, fidem faciunt relicta posteris illius scripta. Hæreses insectatus.

Sed vitæ morumque integritatem aiunt fuisse spectandam, ornatamque e cælo tum vaticinijs, tum cęlitum consuetudine, & suauissimis colloquijs, tutelaris potissimum angeli. Qui cum vltimi morbi acerbitate grauiter illum colluctantem postquam consolati fuissent, splendida ipse e cęlo luce perfusus, in eorum manus purissimam animam efflauit. Pullulauit tot jam ętatibus, & deinceps (ita spero) pullulabit in æuum tantæ virtutis beatum semen. Translatum postea in vrbem cœnobium, Bellus reditus appellatur; disciplinæque integritate ciuitatem exornat. Cęlitum familiaritate fruitur.

ABBATES CORNELIANI POSTEA BELLI REDITVS.

1. EOrum seriem, qui generosum illum antesignanum LVCAM in hunc diem secuti sunt, lector accipe.
2. GERARDVS obijt anno 1191.
3. ALEXANDER anno 1193.
4. GOSVINVS 1196.
5. IOANNES 1210.
6. GVILIELMVS DE HERCK 1235.
7. IOANNES II. 1240.
8. IOANNES DE FLERON 1260.
9. HENRICVS 1288.
10. HENRICVS DE FEXHE relicto Cornelij monte Leodium migrauit ad Bellum reditum & obijt 1289.
11. REMBALDVS 1290.
12. EVERARDVS 1294.
13. HENRICVS III. 1311.
14. HENRICVS DE BONNA 1320.
15. HENRICVS DE DISON 1334.
16. HENRICVS DE HACCVRIA 1348.
17. NICOLAVS DE PONTE INSVLÆ 1363.
18. IOANNES IV. 1365.
19. IOANNES V. 1370.
20. IOANNES DE LEODIO 1387.
21. IOANNES DE WARNANTO 1418.
22. ENGELBERTVS 1419.
23. ARNOLDVS DE WARNANTO 1420.
24. NICOLAVS DE BIERSEZ 1431.
25. NICOLAVS III. 1440.
26. HELINVS PERLANDI DE WARNANTO 1467.
27. IOANNES PERLANDI DE WARNANTO 1470.
28. LIBERTVS DE CORSWAREM 1480.

29. IOAN-

Digitized by Google

mam compellans: Non hic ſunt omnia, mi frater, inquit. Habet Chriſti IESV regina ſponſa veſtitum aureum pulcherrima varietate diſtinctum. Et vero hi ſunt, & præter hos alij ſunt multi vere homines religioſi, quorum Deo accepta ſunt obſequia. Eam vocem Ledeſma non hominis, ſed Dei ad cogitationes ſuas tam apte attemperateque occurrentis interpretatus, prima conſilia reſumſit, magiſque etiam confirmatus eſt, quando haud multo poſt nouum ab eodem patre accepit oraculum. Inambulabat domi de caſtitate perſeuerantiaque ſollicitus, quando hæc Dei dona eſſe cogitabat. Fit obuius hic quoque Keſſelius, atque ex improuiſo: Certus eſto, inquit, Deus tibi caſtitatis & perſeuerantię dona concedet. Hęſit primum Ledeſma attonitus, vnde ea viro notitia: tum Dei erga ſe beneuolentiam veneratus, pulſis ex animo anguſtijs reſpirauit.

Hoc quoque Keſſelio accidiſſe memorant prodigioſum. Ignatij videndi magno ardebat deſiderio, eaque cauſa Romam cogitabat. At Ignatius eum Colonienſibus neceſſarium exiſtimans, vetuit abire ſtatione; atque interim ſcribebat, ſi Deo gratum foret, alijs mille modis voti compotem facile futurum. Enimvero gratum fuiſſe Deo res ipſa comprobauit. Ignatium ſpirantem Romæ Diuina vis Keſſelio Colonię ſpectandum, & quod mirere, cum otio alloquendum ſtitit. *S. Ignatium Romæ agentem videt Coloniæ.*

Ceterum Leonardus tametſi Coloniam ſuam perpetuo excoleret, Nouiomagum tamen, quo ſpes vocabat magna collegij, ſubinde euolabat. Ibi ad eum tanti confitentium fuere concurſus, vt quamuis dies totas ſui copiam faceret, ægre tamen multitudini faceret ſatis. Affirmabat tale ſibi nihil vmquam vſu veniſſe, nec audiendis illis ſolere defatigari, ſed tam recentibus fuiſſe viribus poſt impoſitum laboribus finem, quaſi tum primum eos inchoaret. *Eius conatus Nouiomagi impedientes.*

Tam pulchris initijs haud perinde bonus exitus reſpondit. Pia virgo quæ ſuos Caniſios Petrum & Theodoricum ſororis filios in Societate habebat, ędes ſuas & quamdam aream Leonardo in Societatis vſum obtulerat, ac fratris ſui maxime repugnantis conſenſum aureis mercata octingentis, donationem rite confecerat. Id vbi vulgatum eſt, primorum nonnulli conſcientia prauę religionis contrariam ſibi Societatem fore intelligentes, fictis criminationibus in eam commouent ſenatum, & ipſum in religione nutantem. Extemplo ſenatus renuntiari Keſſelio juſſit, vrbe faceſſeret. Aderat tum illi ipſi virgini moribundæ Leonardus, & migrantem animam conſuetis precibus Deo commendabat. Quo in munere eum interpellari haud ſunt paſſi familiares. Vbi illa exceſſit, accepto ſenatus edicto, per ſummam injuriam poſſeſſione domus, ipſaque eijcitur ciuitate Haud impune profecto. Nam & conſul, qui præcipue autor facinoris fuerat, gemina prole in altercatione mutuo ferro necata orbatus eſt, breuique tertium ipſe funus acceſſit. Senatorum alius, qui pronuntiarat edictum, lenta febre, & quod triſtius eſt, deſperata animi ſalute contabuit. *ANN. 1555.* *ſeuere Deus punit.*

Keſſelium pro Dei gloria ſtrenue deſudantem poſt plures annos lugubris caſus oppreſſit. Coloniæ in ipſo collegio cum duobus ſociorum furioſus quidam obtruncauit anno ſeptuageſimo quarto VII. Kal. Nouembris. Parentatum eſt publica comploratione lugentium cecidiſſe illud inſigne vrbis columen, quo ferme religio ſtabat.

Die vigeſimo ſeptimo
ERACLIVS
epiſcopus XLV. *Renerus S. Laurentij, Ægidius.*

CAPVT I.

Creatus epiſcopus, primus Leodij ſcholarum autor eſt.

EVeraclum, vel (vt pluribus placet) Eraclium commendarunt Saxonicæ gentis nobilitas, egregia ſapientia, ſingularis virtus. Coloniæ Agrippinæ litteris operam dedit adeo gnauiter juxta ac feliciter, vt inſignem Diuinarum humanarumque rerum cognitionem adeptus, nullo philoſophorum aut theologorum inferior haberetur. Publice etiam *Apprime doctus ipſe docet*

DIE 27. etiam quas assecutus erat disciplinas, docuit magna suorum auditorum approbatione. Vt minime mireris Brunonem Ottonis Magni fratrem & archiepiscopum Coloniensem, in cujus oculis agebat, eius vsu consuetudineque captum fuisse. Bonnæ prępositum agebat, quando anno nongentesimo vndesexagesimo vitam deserente Baldrico Leodiensi episcopo, in eum mira consensione cleri populique suffragia conuenerunt. Lectionem probauit in primis Bruno archiepiscopus, & præcipua quadam animi sui lætitia consecrauit episcopum. Inauguratus porro Eraclius, vrbi diœcesique vniuersę, atque adeo nomini suo decus immortale comparauit.

& institutas a se Leodij scholas

Sapientiam disciplinasque omnes non aliter quam importatas merces adhuc nouerat Leodium: quas qui amabat, ex alieno solo quæreret necesse erat. Superuacaneum illud antistiti visum, quando in patria singuli tantas opes adipisci possent. Primus ergo scholas condidit, præfecitque viros in omni disciplinarum genere magna eruditione commendabiles; quos & singulari humanitate, & liberalibus stipendijs inuitabat. Scholas autem instituit in collegio S. Lamberti, S. Petri, ac denique S. Martini postquam illud exstruxit. Secuti exemplum posteri, quicumque canonicorum collegia, simul ijdem scholas condiderunt, in quibus juuentus litteris imbueretur; vt honesti dignitatem felicius tueretur ac propagaret parta strenuo labore doctrina; & quasi catenata successione perpetuaret gloriosus ille virtutis & sapientiæ nexus, dum seniores juuentutem ea docerent, quæ minori ætate didicissent.

magna sollicitudine curat,

Cujus instituti grauitatem cum clarissime perspiceret Eraclius, non ignarus oculo heri saginari equum, operam sedulo dabat, vt scholasticis frequens adesset exercitationibus, quamquam auocaret alio vel diœceseos cura, vel eius prudentiæ commendata regni negotia. Sed administrationis partem non modicam ratus juuentutis institutionem, scholas ipse ingredi, pręceptorumque munus obire non dedignabatur. Neque si quid intellectu difficilius occurrebat, pigebat idem auditoribus sæpius inculcare: & si qui difficultatibus terrerentur, eos animare, pollicerique longius progressis omnia faciliora. Quando reipublicę gratia vel regis imperio peregre proficiscebatur, tum etiam ex vltima Italia eleganti aliquo epigrammate vel litteris adhortatorijs modo magistros, discipulos modo excitabat ad operam strenue nauandam.

parique fructu.

Qua profecto insigni sollicitudine complures prouexit ad eximiam eruditionem; vt celeberrimæ mox euaserint per vicina late regna scholæ Leodienses. Et sunt, qui existiment tot Cæsarum, regum, ducum, comitumque filios, quos aliquando dicunt aliqui ad S. Lamberti canonicos fuisse, confluxisse Leodium, ceu ad florentissimas Athenas. Illustrissimum hoc suum decus Eraclio debent litterę, pariter & ipsum Leodium. Sine litteris nihil illi jucundum fuit. Numquam non discere voluit aliquid. Etiam in itineribus eruditos sibi adsciuit comites, quibuscum viarum tædia doctissimis disputationibus leuaret.

Consternatum eclipsi exercitum

Lepidum est quod accidisse fertur in Ottonis Magni exercitu dum Calabriam Gręcis eriperet. Interjectum lunæ corpus solaris globi conspectum sub ipsum meridiem terris eripuerat; & tam horrenda caligine subito mortales obuoluti sunt, qui ante puro fruebantur cælo, vt florentissimus ille Augusti exercitus, qui multas vrbes inuictis viribus exciderat, & populos ferro perdomuerat, hanc adulterinam rutilantibus stellis noctem medio die sic extimuerit, vt incredibili pauore diuersas tutandæ vitæ exquireret latebras. Vasis enim vinarijs alij, alij cistis, alij sub carris deformiter latebant: salutem desperabant omnes, ipsumque judicij diem jam putabant imminere. Risit vanam consternationem sapiens antistes, cui puero notum fecerat Aristoteles cælestium orbium certa conuersione id fieri. Latebras ergo circumire, fugitantes in aciem reducere, ordines restituere, trepidantes confirmare: vanum esse puerilemque terrorem: starent tantisper; moxque luna recedente restituendum solis conspectum, integra luce. Quæ dum vix credentibus affirmat, fidem fecit indubitatam euentus. Paulatim cum sole mortalibus lux, animusque redijt.

recreat.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Valetudinem ope S. Martini consecutus, illi templum cum collegio canonicorum exstruit.

AD aliud illustre facinus Dei prouidentia destinabatur episcopus. Quo vt induceretur, horrendum ecce malum, quem medici lupum appellant, illum inuasit. Horrendo malo Ea voracitate miserandi hominis artus depascebat, vt binos gallinarum pullos quotidie sub ortum solis, binos item sub occasum objectos, in quos veluti famem exereret, ita consumebat, vt nequaquam exsaturata vis mali, vinceret medicorum artem omnem, miserumque pręsulem paulatim exederet. Post superatam omnem artis medicæ facultatem, ad opem Diuinam Eraclius confugit, quam sperauit obtinendam thaumaturgi illius Gallici S. Martini suffragijs, qui post incursiones Normannicas Antissiodoro Turones reuectus, illa tempestate mira prodigiorum frequentia clarebat. Eo deferri voluit ad natalem diem S. præsulis illic celebrandum. Dies octo solidos ab ipso natali agere constituerat ad sacrum tumulum, sancto mentis ardore preces, jejunia, vigilias Numini propitiando suscepturus. Aderat jam septima nox, quando post orationem prolixiorem oppido fessus, somno succubuit. Et sub quietem visus est sibi videre sanctos Martinum a S. Martino & Brixium episcopalibus ornatos insignibus; qui postquam de curando Eraclio capita contulissent, ad eum accessit Martinus, corporisque partem malo affectam pedo contingens ait: Sanat te, frater Eracli, & incolumitati restituit IESVS CHRISTVS. Id vero refer canonicis meis; Deique ac meo nomine præcipe vt laudes gratiasque pro hac beneficentia, vna cum multitudine concinant, teque suo adscribant collegio. Tu porro ne qua tanto prodigio fides denegetur, celebriore ritu missam concinito. His dictis e conspectu vterque sanctus abijt.

Verane vidisset Eraclius & audisset exploraturus, affectæ parti manum admouet. medicinam obtinet, Coërcuerunt qui aderant familiares, ne contactu pruriginem irritaret. At: Metum ponite, inquit ille, S. Martini beneficio sanitatem recuperaui. Nec mora soluuntur fasciæ: ac primum bini pulli, quos voraci malo objecerant, integri reperiuntur; & malum ipsum ita curatum vident, vt obducta cute nullum superesset vestigium, nisi tenuis lineola coloris sanguinei. Obstupuerunt omnes rei admirabilitate; clamoreque sublato alios exciuerunt ad laudes solemni cantu Numini rependendas.

Post impletas S. Martini jussiones omnes, Leodium episcopus integer & lætus redijt. Vtque tanto beneficio reponeret aliquid, magni pretij sacras vestes & aliam templi supellectilem auream argenteamque S. Martino Turones misit, adjunxitque munera singula singulis canonicis. Parum id erat episcopi magnificentię religionique. In decliui Publici montis (extra pomerium tunc fuit, & diu postea) nobilem exstruxit S. Martino Turonum episcopo basilicam, & insigne triginta canonicorum collegium. eique templum exstruit.

Mansit nihilominus in Turonense templum religio, & quotannis inuisere solemne habuit. Octauo igitur post recuperatam sanitatem anno, cum Turonibus esset, & noctem duceret precibus insomnem, rursum Martinus adfuit comitatibus Brixio & Eustachio; mandauitque vt canonici Leodienses Martiniani cum Turonensibus societate perpetua jungerentur his pactionibus: Cum ex altero collegio venerint ad alterum visendi gratia inter ceteros canonicos in publico conuentu sessum recipiuntor, quotidianumque percipiunto stipendium. Eorum qui vita functi fuerint, inuicem nomina mittuntor, quo juuentur sodalium suffragijs. Factum est vtriusque collegij approbatione.

Totius rei gestę narrationem propria subscriptam manu, ceu aliquod mnemosynon monumentumque grati animi in sanctissimum antistitem Martinum posteritati superesse voluit Eraclius; vt quicumque venturis ætatibus augustum illud templum, cum nobili canonicorum collegio in Publico monte Leodij viderent, S. Martino Turonum episcopo consecratum scirent, propter sanitatem admirabili eius beneficio restitutam.

CAPVT III.

S. Pauli, S. Laurentij & alia templa inchoat. Sanctorum sacra corpora insigni pietate veneratur.

Templum S. Pauli inchoat, INgens fuit Eraclio animus, & ad magna gerenda erectus. Aliud canonicorum collegium doctori gentium S. Paulo meditari cœpit. Sed cum ipse secum dubitaret multum, quo in loco templum conderet; Deumque multis votis expeteret consilij sui ducem; prodidit Ægidius quadam nocte circumjectam terram alta niue obrutam fuisse, solam aream nouo templo destinatam ea longitudine latitudineque nudam mansisse & intactam a niue, qua templum condi voluisset Deus. Secutus tanti architecti dimensionem Eraclius, exstruere basilicam aggressus est.

rum S. Laurentij, Nihil illi satis fuit, vbi Numinis gloria propagaretur. Tertium condere S. Laurentio templum constituit. Solum delegit in Publico monte S. Martino ad occasum. Positis fundamentis jam parietes surgebant; monasterio quasi nascenti aliquot adscribit prędia, & S. Xixsto aram dicat. Hic stetit eius conatus; hęsitque in illis veluti cunabulis aliquamdiu monasterium postea longe celeberrimum.

& alia. Ternas præterea curias descripsit antistes, parœcisque condidit templa, S. Magdalenæ vrbe media, in suburbijs S. Seuerini & S. Margaretæ. Sepultam quodammodo pluribus locis religionem suscitauit. Significatum est e cælo Numinis esse voluntatem vt Euermarus martyr ex obscuro sepulcro sublatus in honestiore, multitudinique conspicuo loco poneretur, vbi meritos ferret honores, suisque clientibus præsidium rependeret. Recreatus hoc Dei decreto episcopus, ad rem adeo religiosam alacriter se cum suis accinxit, accersita e vicino multitudine. Toti populo magnam concitauit pietatem odor suauissimus, qui vt primum patuit sepulcrum, e sacro corpore spirare cœpit. Sacras martyris exuvias intulit Eraclius in ædem S. Martino sacram. Ipsam porro religiosam pompam aiunt tot subsecuta esse miracula, quot descripta ingens volumen complerent.

S. Euermarum terra educit

& S. Landoaldum cum socijs. Similes honores Wintershouij sub hæc tempora S. Landoaldo sodalibusque restituti. Quam enim luci, tam debito cultui illos subduxerant Normannorum incursiones. Illustribus aliquot miraculis excitati accolæ obtinuerunt ab episcopo vt priori loco & honori sacra lipsana restitueret. Effossa terra plura repererunt conditoria. Vno Landoaldus & Amantius claudebantur. Indices erant lapides bini capitibus suppositi, inscriptique nominibus singulorum. Proximum capulum implebat virginis corpus: Vincianam appellabat argentea crux pectori imposita; proximamque testabatur esse Adeltrudem. Quæ in populi conspectum educta, sed maxime miris a Deo prodigijs illustrata, magnam omnibus voluptatem, simul & venerationem pepererunt. Latebant nihilominus eodem in templo S. Landradę virginis & SS. Adriani martyris & Iuliani inhonora corpora. Ipsi sui memoriam suscitarunt monitis per quietem mortalibus. Autore episcopo educti in lucem & ipsi, illustribus mox claruerunt miraculis.

CAPVT IV.

Abbates Lobio restituit. Mortuus in S. Martini sepelitur.

Lobio dat abbatem OBlatum S. Lamberto Lobium rexerant abbatum vice episcopi jam inde ab anno superioris sæculi duodenonagesimo: verum distractus in varia publicæ rei curis Eraclius, cum monastices procurationi animum intendere se non posse existimaręt, proprium Lobiensibus abbatem dedit. Alteranus is fuit, asceticarum legum obseruantissimus; qui propter eximiam religionem Deuoti nomen promeritus, illapsas in hujus monasterij disciplinam corruptelas Eraclio adjuuante correxit. Quod vero magnis Lobiensium facultatibus frueretur ecclesia Leodiensis, vt aliquam episcopus testaretur animi gratitudinem, obtinuit ab apostolica sede, vt liceret deinceps abbatibus hæc episcoporum insignia vsurpare, sandalia, chirothecas, anulum, subdiaconalem tunicam. Addiditque, vt omnibus tam sacri ordinis quam profani conuentibus primæ cathedræ honorem, sententięque primo loco dicendę jus retinerent. Solemnibus insuper festis si quando

& dignitatem auget.

do abesset episcopus, eius vices exequerentur ipsi, tam sacris operando, quam euangelicam doctrinam ad concionem explanando.

Annos ferme duodecim egregia sapientia suam ecclesiam administrarat, quando placidæ senectutis quietem importuna interpellauit quorumdam ex ima plebe petulantia. Quibus nescio rationibus concitati, præsulis aliquando domum irruperunt, impudentiæque frena laxantes, vinarias cellas & ipsos cados perfregere, effudereque vinum tanta copia, vt riui tumentes in Mosam defluerent. De vltione sibi non existimauit cogitandum mansuetissimus præsul. Maluit hanc noxiam illi consecratum ire, qui indignissima queque nostri causa tolerauit. Magna eius clementia.

Vbi inualescente corporis ægritudine, vltimam sibi horam imminere sensit, in S. Pauli sibi monumentum jussit aperiri. Sed aliud erat in cęlo decretum. Eius nuntius fuit ipse doctor gentium; qui nolle se affirmauit, vt mortalium aliquis quamquam sanctissimus in illa æde terræ conderetur. Iuberet ergo tumulum claudi: curæ sibi futurum, vt cælum ipsi pateret. Amicos confestim accersit Eraclius denuntiatoque confestim apostoli imperio, se sepeliri mandat in S. Martini. Eodem die, qui fuit VI. ante Kal. Nou. mortali hac vita defunctus est. Elatus ad S. Martini, conditusque est media cella, quem chorum appellamus; & in marmoreum postea monumentum propter aram principem translatus. ANNO 970.

Die vigesimo octauo

E C B E R T V S

conuersus Villarij. *Chronicon Villar. De claris luminaribus Villar.*

VIllarij pistorem egit, vitę innocentia, morum suauitate, religiosę disciplinæ obseruantia conspicuus. Cum hernia grauissime laboraret, insigni fortitudine dolores ferebat, & pro illis Deo gratias referebat. Magnæ illi voluptati fuit loqui & audire de primæva nascentis ordinis sanctitate, de ijs qui Villarij illustriore virtute claruerant. Optimam Dei parentem colebat eximia veneratione, rosamque appellare solitus erat: gloriosum S. Vrsulæ exercitum magna religione venerabatur. Afflictorum hominum acri miseratione tangebatur, & quoad licebat, saltem fusis ad Deum orationibus illos subleuabat. Sibi constanter similis Deo seruiebat sereno hilarique animo: paternęque illius prouidentiæ se permittere malebat in morbis, quibus non leuiter aut raro laborabat, quam multorum medicamentorum vim periclitari. Correptus denique morbo, qui lethalis fuit, cum assiderent monachi duo, qui toti familiæ a confessionibus erant, & de Diuinis rebus dissererent, animum ipse lætitia subsilientem tenere non valuit; dixitque proxima nocte sibi Deum adfuisse glorioso patriarcharum ac prophetarum agmine stipatum; monuisseque vt horum fidem ac preces imploraret, peteretque ab abbate decedendi facultatem, prope enim jam abesse tempus. Tertio post die vita defunctus est.

Die vigesimo nono

I S. E R M E L I N D I S

virgo. *Surius, Molanus.*

NObilissima gente fuit oriunda, quæ Pipinos nimirum produxit: sed (quæ sola & vnica nobilitas est) virtute magis emicuit. A prima pueritia Diuinis rebus generosa virium omnium contentione sectandis dedita, perpetuum tuendæ castimoniæ votum duodennis nuncupauit. Puerile non est, quod fit autore Deo. Solet hoc nonnumquam, quos ad singularem sui amorem destinauit, sanctitate aliqua eximia occupare, atque inferorum in primis artes prętiertere, ne quam selectis illis mentibus labem inspergant. Diuina luce perfusam Ermelindem votum illud Deo nuncupasse, facit vt creda-

Digitized by Google

DIE 29. credamus, eximia illa eius, quæ consecuta est sanctitudo; olim scilicet ad imitationem à Deo proponenda tot millibus sanctarum virginum, quæ sublatum ab hac sancta duce castitatis vexillum inuictis animis secuturæ, diœcesim Leodiensem futuris omnibus ætatibus exornarent. Exemplum enim aliud Ermelinde antiquius in nostrate historia non habemus.

Antiquissimum virginitatis exemplum.

Circiter annum 560.

His igitur auspicijs suauissimam spargebat lucem preclara sanctæ illius virginis virtus, & precipua quadam dignitate illustris in omnium familiarium oculos incurrens, gratissimum ipsi corpori decorem affundere videbatur. Hoc vero splendidarum nuptiarum spem, ac cupiditatem parentibus accendebat: qui ferę humanorum consiliorum ductu parum sano, quæ pręstantiora sunt, mundi inanitatibus consecranda censebant; contra Deo obtrudenda, quæ deformia, deteriorave. Filiam ergo sollicitant: & cum fortiter repugnaret, importunius vrgere aggrediuntur. Parentes audi, filia: inquiebant. Quos enim potius? Vt vitam dedimus, ita cetera vitę optamus ornamenta. Ætatis florem quid inutili mora perdis? Cur tibi præcipuam vitę suauitatem, nobis spem pulcherrimę sobolis, genti nostræ augendam nobilissimis nuptijs gloriam inuides? Requires fortassis, vbi se caluam præbebit occasio. Labuntur anni; & cum illis formę gratia. Requires, vbi conciderimus, tuarum rerum, quoad viuimus subsidium: & quo fulciaris, indigebis adminiculo. Denique in omnibus etiam minimis solita nobis ad nutum obsequi, cur modo tergiuersaris in re omnium tuarum grauissima. Hæc parentes, aliaque his similia: quibus hodieque plurimi liberos suos a sanctioribus consilijs absterrere moliuntur: & multis reuera persuadent, qui ducentem Deum aliquousque sapienter secuti, reuocantibus hominibus mox retro turpi leuitate referuntur. Heu insaniam, relicta Dei bonitate sapientiaque cæcos sibi duces præstituere!

Rejectis nuptijs

Sapientius Ermelindis ac fortius. Nec blanditijs mulceri, nec moueri lacrymis, nec imperio flecti, nec minis a parentibus terreri potuit. Qua par erat reuerentia illos venerata, Deo ante omnia statuit obtemperare. Illum modo affirmabat potius audiendum, quam mortalium quemquam: alias obnixe parentes obtestabatur, vt sibi se relinquerent: non aliter sæpe quam virgineo pudore ac silentio respondebat. Sed neque his omnibus molliebantur ipsi; fortiusque nihilominus in dies virginem ad se Deus trahebat, & sequebatur illa generosius.

insigni fortitudine

Tandem aliquando sanctiore mentis impetu delata, insignique fortitudine, arrepto ferro capillos resecuit. Tum mirabili perfusa voluptate: Io: vicit Deus: inquit: mundi vicit inanitates, vicit corporis delicias, fraudes inferorum deuicit. Quid hęres, mi pater, & oculos auertis? Quid lacrymaris, mater dulcissima? An cælum terra vilius arbitramini? Virgineas cæli delicias lacrymis prosequimini, qui fœdis terræ voluptatibus plausum daretis? Scio: filiam amatis: de mea ergo mihi felicitate gratulamini. Hominem mortalem virginitatis meæ spolio triumphare malletis, quam illam immortali Deo consecratam esse? Quod optabatis, desponsa sum: sed quod supra votum est, æterno regi regum desponsa sum. Per vos ergo hoc liceat, quo jucundius mihi nihil, vobis nihil felicius, genti nostræ gloriosius accidere nihil potest.

cœlibatum professa

Quæ cum dixisset exultantis animi ardore incredibili, inuictum virginis robur parentes admirati, diutius contra Dei stimulum agere non ausi, filiam arbitrio suo reliquerunt, Odenca villa (non procul est Louanio) tenui familiæ sustentandæ assignata. Aperto scilicet Marte cum inferis deinceps certatura, obtinuit vt paternæ domus splendorem, luxum, humanosque tumultus relinqueret, euangelicam modestiam toto pectore amplexatura.

Quare despectis omnibus generose virgo, quo arctius cælesti suo sponso jungeretur, locum quærere constituit, in quo mortalibus ignota, vni Deo immortali notam, gratamque ageret vitam. Constiterat in quodam pago: quem deseri jussit angelus, quod insidias illius pudori, vimque pararent flagitiosi juuenes duo fratres. Meldariam (locus est Hugardiæ proximus) angelo monente migrauit. Ita nulla sanctitas, vel arcta cum cęlitibus necessitudo extra periculum est. Numquam, quamdiu viuimus, insidias inferi struere; contra protegere superi numquam desinent.

solitariam vitam instituit.

Meldariæ vitam instituit celeberrimis anachoretis nequaquam imparem, seu duram & frequentem corporis afflictationem spectes; siue suauissimam familiaritatem, in quam Deus sanctam virginem, admisit. Primo ætatis flore Meldariam venisse accepimus. Sed quis annus a Christo nato verteretur, quando venit, aut vita cum abijt, quantum illic tem-

Sed breui Deus terris eripit.

tempus egerit ignoramus. Hoc constat: admirandis meritis ornata diem obijt.

Virginis sacrum corpus angelicis manibus rite compositum (virgineæ puritatis præmium illud fuit) ac terrę conditum est. Donec post annos quadraginta indicio angelico, multaque luce hominibus innotescere cœpit, hominum concursu frequentari, miraculisque clarescere. Quibus excitatus Pipinus senior, consanguineę sibi virginis sacrum corpus in lucem & venerationem educi mandauit, parthenonemque condidit multis prædijs opulentum; quem postea temporum iniquitates euerterunt. Circiter annum 640.

II. FRANCO

abbas Lob. *Chronicon Lobiense Ægidij VVaulde.*

ADolescens Lobij monasticis legibus imbutus, Lauduni theologicis disciplinis operam dedit, & magnam adeptus est eruditionem. Sed vt virtutem pluris ęstimabat, quo illi vacaret, secessit ad S. Nicolai in nemore. Prioratus is erat monasterio Bonæ spei attributus in finibus diœcesis Leodiensis, in quo monasticæ pręceptiones eo tempore florebant. Vbi morum innocentia cum litteris conjuncta celebrari cœpit, in Morinos aduocatus est, vt ad S. Ioannis priorem ageret, tum Florinas, ac denique Lobium redijt, vt eodem vtrobique munere fungeretur. Sed anno post millesimum centesimum vndequinquagesimo suffragijs omnium abbas creatus, pręclaris animi dotibus cœpit clarescere: & in synodis diœcesanis, alijsque publicis cœtibus eam collegit autoritatem, vt præcipuas partes nemo illi non cederet, quoties in maturiorem deliberationem quidpiam vocaretur. Major etiam integritatis eius fama fuit: tuendisque sui monasterij facultatibus validius semper præsidium a sincera religione, quam ab humana quauis prudentia vel autoritate quæsiuit; & vero inuenit. Nam orta in Flandria de Arcellensibus decimis disceptatione, sacrum B. Vrsmari corpus deferendum curauit, detinuitque toto anno, donec suum tandem obtinuit. In reditu Lestinas venerat (pagus est Binchio proximus, olim secessu regum celebratus) quando noctu triste exarsit incendium, & S. Vrsmari præsidio mox extinctum est. Exanimis etiam puer medijs flammis ereptus, ejusdem sancti suffragijs viuens matri redditus est.

Et si rem asceticam studiosius curare Franconem omnes intelligerent, familiarem tamen minime neglexit; auxitque etiam beneficio Nicolai Cameracensis episcopi. Præclare igitur suo munere functus, anno post virginis partum millesimo centesimo sexagesimo tertio sancte vitam clausit, & in S. Vrsmari medio situs est.

Die trigesimo

RENERVS

monachus Villariensis. *Manuscr. Villar.*

GOdefridi Pachonij frater germanus virtute magis quam sanguine fuit. Parisijs operam litteris dabat, quando in aquas forte lapsum, & cum vorticibus magno periculo colluctantem amplexata B. Virgo discrimini eduxit. Eius obsequio & clientelæ obstrictum tota vita retinuit beneficij memoria. Aliquanto post ad suscipiendam Villarij cum Godefrido fratre monasticen inuitatus, quamprimum redijt, magnoque animo illustrem illam virtutis scholam ingressus est.

Magnis passibus ad propositum brauium in ea arena decurrere studium fuit. Sæculi negotia turbasque in primis auersatus, pacem cum sodalibus & quietem amauit, nemini grauis. Tum mentis puritatem studiose sectatus est, assiduisque lacrymis, suspirijs, ac precationibus ad cælestia anhelauit. Corpore fuit infirmo, sed animo valente: alijsque laborantibus suas ipse vices numquam subterfugit. Imo in messe dum ceteri aliqua quiete corpus reficerent, spicas ipse colligebat, quas in egenos erogaret. Psalmodiam magna diligentia frequentabat, quamquam æstuantem febrim sæpius excusare potuisset: adeo languidum etiam corpus mentis ardori seruire cogebat; & inuicta fortitudine superabat omnem morborum & quorumcumque aduersorum acerbitatem. Nihil ita molestum existimabat, quod Christi patientis memoria illi non dulcesceret: contra vilesce- Præclaræ virtutes.

DIE 30. lescebat omnis hominum sapientia, rerumque humanarum splendor. Ardebat desiderio amplificandæ Dei gloriæ. Auditis inferorum cruciatibus totus cohorrebat; sed incredibili exultabat lætitia, quoties de Christi laudibus sermo inferretur.

Breuem habes egregiarum virtutum catalogum; quem contexere majores satis habuerunt, multa præclare facta paucis inuoluentes: sed æterno pręmio Deus compensauit. Ita

Caritatis præmium.

diuinitus significatum fuit. Seminudo cuidam pauperi Renerus occurrerat; cujus misertus cum sua ipsum veste texisset, delabentem cęlo vocem audijt e vicino quidam, quæ affirmaret mortali hac vita Renerum breui exiturum vt immortalem ingressus, caritatis illius mercedem in cælo ferret, qua Christum in paupere vestierit. Cujus nec ipse fuit ignarus. Vt enim Dei mater illi fuit in pręcipuis amoribus, cum amantissime illam forte aliquando salutaret, ab ea Christo Filio se obnixe commendari audijt, vnaque ab eodem promitti felicem transitum in cælum nulla præuia post mortem expiatione. Quid enim in illo expiaretur, cujus puritatem insigni viso Deus indicauit. Religiosa quędam femina, quę tuguriolo clausa sanctam vitam agebat, inter orandum Reneri corpus vidit lucidum ceu cristallum, & in eo animam miro splendore solis instar fulgentem, & in hac justitiæ solem Christum Dominum vt in solio residentem.

Cum ergo sublimes sæpe passus ecstases, multa cælestis patrię arcana claro mentis oculo peruasisset: cum Christo Domino sæpe, sæpe cum sanctissima Virgine, cum S. Vrsula & sociabus (quas insigni religione venerabatur,) sępissime cum alijs cælitibus perfamiliariter egisset, ad immortalitatem morbo tandem viam fieri sensit. Incredibili delibutus gaudio, sanctorum omnium (quorum proxime festum imminebat) laudes suauis-

Beata mors.

sime cœpit occinere. Cumque silentium quispiam indixisset: Deum meum, inquit, cum sanctis suis aduentum meum video cum magna lętitia præstolantem. Et sub hæc ad communem omnibus triumphum abijt. Ita certe videre visa est feminæ quędam Niuellensis Deo deuota; item Villariensis quidam vir sanctus e laicorum ordine: plerique vero monachi cælitum etiam concentum se audiuisse testati sunt. Eius autem sanctitatis ea opinio omnibus relicta est, vt capillos eius resciderint, quos sibi religionis gratia seruarent.

Die trigesimo primo

I. S. FOILLANVS CVM SOCIIS

episcopus & martyr. *Vita manuscr. in S. Laurentio, Fossensis, Rhodiensis, Bertiniana, Molanus.*

FRater fuit S. Fursei, qui ante annum sexcentesimum quinquagesimum sacrarum concionum gratia cum venisset in Gallias, eodem postea Diuini honoris studium pariter æmulatus cum Vltano fratre alijsque Foillanus, relicta Scotia patria sua nauigauit. Et cum solemne tum esset Diuini verbi pręcones episcopatus dignitate initiari, Romam contendit. Excepit perhumane Martinus pontifex maximus: auctumque episcopali dignitate Foillanum, in Gallias remisit, fructus laborum precatus vberrimos.

In Tungrensem diœcesim ad Gertrudem ducente Deo venit cum Vltano Foillanus: insignemque hospitum integritatem mox agnouit religiosa virgo: & in altero sacrum ordinem venerata, omni humanitate, & Christianæ charitatis officijs peregrinos suscepit; ijsque cœpit vti familiariter, quorum consilio præceptionibusque ad altius virtutis culmen eniti speraret: & cum in vicinia sedem statuere placeret, autore matre Iduberga Fossas eis donauit: oppidum hodie est trans Sabim.

Fossis cœnobium condit.

Templum hic cum cœnobio condidit Foillanus, Vltanoque fratri tradidit regendum. Monasterio nomen Scoti dederunt, inhabitaruntque multis ætatibus, donec canonicorum collegium e cœnobio factum est. Tum quidem Vltano pręside præclaris virtutum incrementis pullulauit, vberesque produxit fructus. At Niuellis Foillanus mansit, sanctisque consilijs, & egregia prudentia cum sanctitudine conjuncta, pios Gertrudis conatus & studia felicissime promouit.

Post annum 657.

Post operam in eo aliquamdiu religiose positam (certus annus non notatur) laborum a Deo præmium accepit. Discesserat Niuellis prid. Kal. Nou. ad Vltanum fratrem, religiosæ

gioſæ caritatis officium impenſurus : nam & ſtipem ferebat a Gertrude, & ſodalium cœtum parabat ad meliora cohortari. Sed errore viarum in Soneſia ſilua Niuellano cœnobio proxima, in diuerſa deflexit; & Deo ita triumphi materiam proponente, incidit in ſicarios vna cum ternis comitibus. Qui omnes Chriſtiana animi fortitudine (cauſa poſteris manſit incognita) glorioſam martyrij palmam conſecuti ſunt. Martyrium conſecutus

Triſtem cędis nuntium vt accepit Gertrudis, in diuerſa miſit, qui ſaltem cęſorum corpora referrent. Fruſtra primum id fuit. Sed poſt precum & jejunij triduum, ecce ingentem eminus ipſa columnam igneam proſpicit ad cælum vſque a terra pertingentem. Locum in quo martyres jacerent, deſignari arbitrata; conuocato clero ac populi multitudine, eo contendit. Martyrij locus erat, vbi poſtea Foſſenſium canonicorum beneficio cœnobium inſigne Præmonſtratenſes poſuerunt : hodie Rhodienſis abbatia S. Foillani nuncupatur. Sacras beatorum martyrum exuvias religioſe cum ſuis venerata Gertrudis, Niuellas deferri mandauit. Eodem tempore Dido Pictauienſis epiſcopus cum patricio quodam Grialdo piam ad ſancta loca peregrinationem ſuſceperat:& forte tum qua ſanctorum corpora deferebantur, ſomno corpus reficiebat quando ab angelo jubetur ſtrato ſurgere, & Eliæ prophetæ obviam properare. Euigilans vt cantum audijt ferentium & comitantium funus;audito quod erat, aduocat Grialdum,& cum illo ſanctis martyribus occurrit. Tum magna reuerentia,religioneque S. Foillani corpori ambo ſuccollant, & ad Gertrudis vſque cœnobium deferunt. Eodem loco quamquam ignoto conditi creduntur eſſe S. Foillani ſodales,& vna omnes inuocari in litanijs Rhodienſis abbatiæ teſtatur Molanus. cæleſti indicio inuenitur & refertur Niuellas,

S. Foillani corpus non diu poſt, rogante fortaſſis Vltano, Foſſas Gertrudis auexit eximia veneratione & pompa. Ad Sabim aquis admodum tumentem vt ventum eſt, cum hęreret totus comitatus,alias multitudine nobilitateque celeberrimus,equi mox qui ſacrum corpus vehebant, a nemine concitati perrexerunt; atque vt primum aquam pedibus attigerunt, adeo ſubſidit amnis, vt etiam peditibus tranſitum daret, cui deinceps Vadum Gertrudis nomen fuit. Foſſas poſtea.

Foſſis in hunc diem magna religione colitur S. martyr : oppidumque in ſuam fidem receptum, ab imminentibus calamitatibus ſæpenumero protexit. Aëris vero intemperiem frugibus auertit tam certo etiam in noſtram ætatem, vt nulla ſit hominum memoria auditum, ſitientibus agris imbres denegatos, quando ſacrum B. Martyris corpus ſacrario eductum, multitudini colendum proponitur

II. HARIGERVS abbas Lobienſis. *VValdæus chronico Lobienſi.*

FElicitas eſt multis votis optanda,in eo cœtu vitam agere, in quo virtuti honor eſt. Lobij vixit Harigerus ea tempeſtate, qua nobiliſſimum illud maxime celebrabatur integerrimę diſciplinę,clariſſimęque eruditionis domicilium:magnoq; hoc pręſidio fuit generoſo juueni ad conſequendam illuſtrem vtroq; hoc ornamento gloriam. Sed medio illo die potuiſſe fulgere,clariſſimæ profecto hoc lucis fuit. Tantam enim virtutis ſapientięque dignitatē adeptus eſt,vt longo poſt ſe interuallo ceteros ſodales reliquiſſe cenſeretur. Quare cum anno Chriſti nongēteſimo nonageſimo vita defunctus eſſet Fulcuinus vir eo munere longe digniſſimus:eſſentque in religioſo illo cœtu complures annis meritiſque venerabiles,plurimi longo rerum vſu, negotiorumque tractandorum inſignes peritia, alij ſingulari vitæ innocentia ſpectabiles, multi eximia rerum cognitione inſignes, plures denique omnibus hiſce animi ornamentis in vnum collectis florerent; vnus omniū omnino ſuffragijs deſignatus eſt Harigerus; ac deinde inauguratus anno nonageſimo primo, ipſo S. Thomæ apoſtoli feſto die. Eam creationem ratam habuerunt Notgerus Leodienſis epiſcopus, & Rothardus Cameracenſis, quod præcipuo quodam ſtudio inſignem illam virtutis & litterarum connexionem in illo proſequerentur. Et vero autor illi fuit Notgerus vt ſcriberet,quæ ad nos peruenerunt eccleſiæ Tungrenſis incunabula. Impoſito munere ſapienter & magna omnium approbatione perfunctus annos ſedecim, prid. Kal. Nou. anno ſupra milleſimum ſeptimo ad beatam immortalitatem tranſijt : ita Deus teſtari creditus eſt ſanitate multis febrientibus ad illius tumulum reſtituta. Et vero conſtans ſemper de ſingulari illius integritate fama fuit. Inter illuſtres emicuit. Miraculis claruit.

FLORVM

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
NOVEMBER.

Die ſecundo

I. HENRICVS I.

epiſcopus LIV. dictus Pacificus. *Anſelmus, Ægidius.*

Creatus epiſcopus

FREDERICI comitis Tullenſis filius fuit, Godefrido Gibboſo Lotharingiæ duci cognatione proximus, ſed vitę nobilitate clarior, archidiaconatum in eccleſia Virdunenſi geſſit. Cum anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo quinto diem obijſſet Theoduinus Leodienſis epiſcopus, eum Henricus Germaniæ rex rogante Gibboſo ſubſtituit: conſecrauit Anno Colonienſis pontifex; & ſecundum ipſa ſacra obteſtatus quam potuit ſanctiſſime, rogauitque peruicacem Wolbodonis ſuperbiam peſſumdaret.

Wolbodoni abbatis dignitatem abrogat.

Erat is Wolbodo abbas S. Laurentij, qui vnam generis nobilitatem, alienamque majorum virtutem magnifice venditabat, cum ſuam ipſe nullam poſſet oſtendere. Sanguine ſibi junctos jactabat S. Wolbodonem & Reginardum, vtrumque olim Leodienſem epiſcopum, alterum patris patruum, matris alterum. Sed vita nihil majoribus ſimile referebat. Atque adeo cum nulla in eo ſpecies eſſet monaſticæ diſciplinæ, neſcio quo pacto factum erat, vt in celeberrimo illo omnis honeſti cœtu primas teneret, ceteroſque regeret, qui nullum in ea locum merebatur.

Ab illius labis abſterſione voluit epiſcopatus ſui principium ducere Henricus, quod tam ſancte fuerat obteſtatus Anno. Poſtquam enim illum exacerbari magis, quam corrigi priuatis commonitionibus ſenſit, imperato ſacri ordinis conuentu, Wolbodoni diem dixit. Qui objectis criminibus cum ſe purgare non potuiſſet, omnium ſuffragijs epiſcopi ſententiam ſuſcipere juſſus eſt. Melioribus conſilijs ſpatium conceſſit Henricus, priuatumque juſſit ad tempus Virdunum ſecedere, vt ad S. Aggerici, vbi nouellum monaſtices ſeminarium erat, prima religioſę diſciplinæ rudimenta relegeret. Sed cum parere detrectaret, cenſuerunt omnes poſſe epiſcopum ex æquo bonoque Wolbodoni præſulatum abrogare. Interceſſit Wolbodo, pontificis regiſque autoritate oppoſita. Sed cum nulla accuſationis capita dilueret, prouocationi non detulit Henricus. Subrogauitque e cœtu Hubertenſi Berengerum, virum illuſtri virtute: qui creditam ſibi hanc dignitatem geſſit pro ſuæ virtutis exſpectatione, magno Laurentiani aſceterij emolumento.

Cruenta diſſidia

Latius aliud graſſari malum cœpit, quod pariter diſcuſſum illuſtriorem Henrico gloriam comparauit. Atrociter diſſidebant Trudonenſes & Bruſtemij: & cum vim vtrique non diſſimulanter pararent, palam in cauſæ ſocietatem pertrahebant, quos poterant. Collatis ſignis certatum non eſt: ſed vt fors tulerat, obuij facti mutuis in ſe cędibus & rapinis, tum direptionibus incendijſque ſæuierunt: ita paulatim non horum ſtudio, aut odio illorum, ſed priuatis concitati injurijs, dum ſinguli meditabantur vltionem, nouis factionibus omnia complebant: hic pagum, oppidum ille, vt quemque diſertum fecerant

rant injuriæ, in partes trahebant. Breui hujusce mali contagium vniuersam peruasit diœcesim; vt nec ignobilis quispiam angulus a partibus immunis fuisse videretur. Immania perpetrabantur facinora, quæ defleret facilius quilibet aut damnaret, quam coërceret vllus principum, qui diœceseos illius finibus tenerentur. Nam vt suos in officio quisque contineret, tutos tamen prestare non poterat a finitimorum injurijs: qui cum nusquam alibi, quam a suis judicibus coërceri possent, nec facile speraretur ea judicum æquitas, vt externis æque ac ciuibus jus redderetur; proruebant singuli potius ad injurias armis, hoc est nouis injurijs, quam judicio vindicandas. Sic æternum, nouisque in dies irritandum cladibus merito omnes malum timebant.

Henricus pro ea pietate, qua in gregem bonus pastor ferebatur, cum in omnem partem versasset animum, & varia consilia agitasset, id inuenit tandem, quo & diœcesi vniuersę pacem, & ecclesiæ suæ nouum decus insignemque potestatem, & sibi gloriosam Pacifici appellationem comparauit.

Finitimos omnes principes, qui ditionem aliquam haberent intra Leodiensis diœceseos fines, in concilium aduocauit. Vbi conuenerunt, exorsus præsul graui declamatione commemorare funestam calamitatem, quæ omnes æque singulorum principatus in certum exitium trahere videbatur; quando nulla adhuc consilia, nullive cujusquam conatus pestem illam sistere potuerant; solum hoc superesse demonstrauit, vt suffragijs omnium judex vnus crearetur, qui accepta a ceteris principibus judiciaria potestate, ipsorum clientes ac subditos quoscumque vocare posset in judicium, saltem vbi de vi aut injuria quæstio esset. Intellexere principes suæ potestati quidpiam hoc nouo tribunali derogandum: id ipsum nihilominus in lucro reposuerunt, si modo tam fœda erepti tempestate, pacem consequerentur. In eam ergo venere sententiam: nec alium creari judicem placuit, quam ipsum consilij autorem, & qui jam in rebus ad religionem spectantibus communis omnium erat parens: judicaretque de injuria, vi, cæde, furto, direptione, violatis inducijs, incendio, cæsis arboribus frugiferis, alijsque. Hęc sunt exordia nobilissimi illius tribunalis, quod non alio, quam Pacis Leodiensis nomine nuncuparunt: comprobaruntque sua autoritate pontifices, Cæsares, reges complures. sapienter componit:

Gloriosus hac pace inter suos composita Henricus, aliam aggressus est, & perfecit inter Godefridum Bullionium & Virdunensem episcopum, magno Hubertensis cœnobij commodo. Cum enim Mirewartium castrum emisset, ne ab alterutra bellantium parte occuparetur, S. Huberto donauit: eos enim monachos insigni disciplinæ integritate claros teneriore beneuolentia complectebatur. Theodorici pręsertim abbatis consuetudine delectabatur plurimum; & propter eximiam hominis cum præstanti prudentia sanctitatem, illius fere consilijs regebatur. Neque sępius aut diutius vsquam tota diœcesi, quam Andaini fertur egisse. Diu non superfuit Theodoricus: religiosissime vitam clausit, vt suo loco diximus. item pacem Virdunensem facit.

Creuit hoc episcopo res sacra condito Flonensi cœnobio Augustiniani instituti, quod abbatis dignitate mox auctum est: at Cluniacensibus erecta cœnobiola siue prioratus Aqualię & S. Seuerini in Condrosis: exstructa vero Leodij parœcia S. Nicolai in regione Transmosana.

Denique postquam præclaris in ecclesiam suam meritis, neque obscuris virtutum incrementis vitam exornasset Henricus, anno nonagesimo primo viuis feliciter excessit, vt quam inter mortales adeo studiose coluerat pacem, eadem ęternum frueretur apud illum, qui se principem pacis profitetur. Hoij in æde principe sepultus est ante aram S. Ioannis Baptistę.

II. GEORGIVS COLIBRANDVS e Societate IESV. *Petrus Doutremannus, commentarij collegij Duac.*

CAPVT I.

Iuuentutis saluti magno ardore studet.

TRudonopoli natus anno Christi sesquimillesimo vndequadragesimo, fratres habuit morum innocentia ipso non multo inferiores. Ingressus Societatem IESV, miram suæ virtutis opinionem concitauit, seu doceret (multos autem annos docuit Græcas litteras, quarum admodum peritus erat) seu scholis præesset aut sodalitati.

Insigni sui contemptu

Tantus erat sui ipse contemptor, & ab alijs adeo despici amabat, vt in discipulorum omnium oculis aream scopis euerrere, inutilibusque herbis expurgare non dubitaret. Ex eo fiebat, vt in perpetua mentis æquitate consisteret sibi semper similis. Quæ notatu digniora e veteribus Græcorum scriptorum monumentis studiose longo plurium annorum labore collegerat in aduersaria, cum alius tanti thesauri ignarus lacerasset, eo nihil ipse commotus, non aliud edidit, quam illud sibi sermone tritum: Ad vitam æternam.

omnibus carus euadit, etiam principibus.

Cum omnes sibi conciliaret mirabili morum suauitate, hoc vnum maxime studebat, vt induceret ad meliora. Cedebatque id felicissime. Quare celebrari cœpit, etiamque esse venerationi. Certe cum Trajecto copias aliquando duceret comes Bucquoius, ille bellica fortitudine toto orbe celebratissimus, quamquam iter maturaret, solus ad collegium diuertit, Colibrandum salutaturus: neque prius ab eo discessit, quam bene sibi precantem audisset, accepissetque æream cerei agni thecam, quam e collo suspensam Georgius gestarat.

Excolendæ iuuentuti dat strenuã operam,

Diuturnior & ad extremum vsque spiritum Duaci fuit illi commoratio, & in proximi vtilitatem exercitatio, parque operæ fructus. Iuuentuti potissimum studebat, quę ad illam academiam florentissimam concurrere consueuit. Illi ne deesset, quotidie sub sacrum illud, quod audiebant discipuli, ventitabat ad templum; vt si cui peccata sua confiteri animus esset, eum audiret. Et vero omnibus pæne diebus aliquos audiebat, sæpissime etiam totius vitæ peccata relegentes. Quod si quem nancisceretur durioris mentis, & qui sanam sementem difficilius reciperet; animum illi molliorem a Deo quodammodo extorquebat non modo precibus, sed acerbissimis etiam supplicijs.

& vtilem.

Quæ boni patris studia, simulque caritate incensas ad sodales parthenios cohortationes, priuatasque de rebus spiritualibus sermocinationes consecuta est mirabilis animorum mutatio. Longe plurimos tam ad meliorem frugem, quam ad varios religiosorum ordines ineundos perduxit; Deo scilicet pijs illius conatibus aspirante, atque etiam ad illum quandoque destinante, si quos ad meliora dignaretur aduocare.

Exitio proximum

Iuuenis quidam legibus operam dabat, aut potius se totum turpitudinibus. Aliquando tamen stimulis nescio quibus agitatus (vitijs quippe nulla pax esse potest) egressus vrbe, in herbam se abijcit, mœstoque sopore deprimitur. Hic tribunali æterni judicis sisti visus est, & de flagitijs suis accusari, illudque sæpius ingeminatum audire: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Totus ille cohorruit; simulque expergefactus, procul se vidit a loco, in quo decubuerat. Sed iterum indormiscens, eodem iterum viso, voceque eadem percellitur: & cum quæreret, quid opus facto in tanto discrimine; ostenditur illi ignota specie quispiam e Societate IESV, & eum adire jubetur. Ad collegium ergo venit: & dum hæret, quomodo inueniat, quem quærit; ecce venientem ad portam videt Georgium, & agnoscit illum esse sibi in somnis indicatum.

educit.

Mox ad eum accurrit, & quam optabat, salutaribus illius monitis pacem animi consequitur: vitæque rationibus posthac melius compositis, minime dubitatum est totius consilij Deum reuera fuisse autorem.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Multa virtute claret, & religiose moritur.

MIrum illi fuit propriæ virtutis ſtudium. Solidam horam diebus omnibus veſperi a nona ad decimam dabat meditandis quatuor nouiſſimis, cui alternis diebus toto quadrante ſubijciebat acerbam ſui verberationem; alternis cilicino ſago corpus aſperabat tam pro ſuis, vt aiebat, quam ſuorum pænitentium peccatis. Imo hoc vix deponebat, etiam iter faciens. Euenit aliquando, vt cilicio tectus ſeptem octove leucas emetiretur, quamquam ſummis æſtatis ardoribus, & affecta jam ætate; laboris enim ad vltimum ſenium fuit amantiſſimus: quem tamen laborem, quantuſcumque demum eſſet, magnopere ſemper deſpexit, & puerilem luſum appellare ſolitus eſt. Quem animo propoſitum habuit ſuis omnibus ſcopum, eum ſemper ore voluebat, & ad omnia repetebat: Ad vitam æternam. Hæ primæ voces in omni congreſſu, hę illi vltimæ ſemper fuerunt. Etiam animi cauſa cum præuertiſſet juuenis quidam, & pro ſalute dixiſſet: Ad vitam ęternam, pater Georgi: mox ille ſubdidit: Ad crucem prius, fili. Fruſtra nimirum ad æternæ vitæ gaudia volebat aſpirari alia, quam regia Crucis via. Hanc ille conſtanter tenuit, & per eam Deus illum deducere viſus eſt. Si quam animi relaxationem admittere juberetur a pręſidibus, illam fere aduerſus caſus obturbabat. Ipſe vero de re vlla numquam auditus eſt queri, niſi quod morbi tempore lautius haberi videretur. Et vero non niſi ęgerrime eximium quidpiam inferri patiebatur: ad omnem alias moderatorum voluntatem ſemper expeditus.

Auſteritatis amor, & laborum.

Magna fuit inter orandum religionis puritate, incenſo ardore, certa in Deum fiducia. Nullam pati repulſam credebatur. Affirmarunt hoc plerique, qui ſe, ſuave illi commendarant: ſed tum maxime cum ageretur de aliquo a vitijs reuocando.

Fatiſcente demum annis & morbis corpore, cum ſpontaneorum ſuppliciorum rigorem & frequentiam temperari præſides voluiſſent: At Deo, inquit ille, nequaquam manus colligabunt. Res docuit. Luctatus eſt bonus pater duorum annorum ſpatio cum acutiſſimis doloribus patientia ſemper inuicta. Quorum tamen cauſas nulla medicorum ars deprehendere potuit, niſi poſtquam demortui corpus rimati, quatuor in veſica calculos inuenerunt, e quibus tres columbini pulli ovum æquabant.

Crux amata.

Sacro oleo ad externam luctam inunctus, ad ſodales, qui omnes conuenerant, conuerſo ſermone palam profeſſus eſt ſe, quas poſſet, habere Diuinę pietati gratias, quod in ſanctam hanc (ita loquebatur) Societatem vocaſſet, & in ea tanto tempore quamquam indignum ſuſtinuiſſet. Tum vt de ſe ſemper abjecte ſenſerat, erupit in illud Dauidis: *Non intres in judicium cum ſeruo tuo Domine.* Et ſubjecit: *Serua, Domine, miſello aliquam tuæ miſericordiæ portiunculam.* Quo tanti viri timore ſancte exhorruerunt, qui aderant. De quo ſe mirari cum quidam illi dixiſſet, reſpondit: Alia ſunt ab hominum judicijs Dei ipſius judicia.

Dei timor

Magna nihilominus fiducia recipiebat quęcumque commendabantur in altera vita apud Deum peragenda; & petentibus bene precabatur. Scholarum vero magiſtris etiam tertio fauſtam precationem impertijt, vltimo rurſum ſpiritu teſtatus, quanti faceret rectam juuentutis inſtitutionem. Denique anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nono placide in Domino mortuus eſt, relicta inſigni ſuæ virtutis opinione. Quam ſtatim ſignificarunt, qui aderant, (inter eos fuit vir quidam illuſtris, qui domi tum ſpiritualibus meditationibus exercebatur) frequentibus manuum pedumve oſculis, & reſciſſo barbæ canique capitis capillo, quem in tanti viri memoriam ſeruarent. Hodieque perſeuerat ea pleriſque religio, vt facilius exaudiendas eſſe ſibi perſuadeant preces, quas fuderint ad optimi patris ſepulcrum.

fiduciæ permixtus.

Die tertio

I. S. HVBERTVS
episcopus XXX. conditor vrbis Leodiensis.

MAjora sunt sancti hujus præsulis in rempublicam merita, quam vt in ordinem a nobis redigeretur. Vitam eius ante anni principium dedimus, vt mereri videbatur primus vrbis Leodiensis parens. Ibi lector inueniet quæ sequatur exempla, quam colat & admiretur sanctitatem, & cui se suaque tuto committat, certum præsidium.

II. S. ODRADA
virgo. *Molanus.*

ALemi in Moselandia colitur S. Odrada. De qua prẹter illibatum virginitatis florem Deo consecratum, nihil ad posteros deuenit. Ab antiquo tamen in ecclesia cælitum honores consecuta est: sed nullam vicissitudinem, aut obliuionem aliquando patientur illi, quos in cælo sponsẹ suæ Christus decreuit.

Die quarto

I. S. PERPETVVS
episcopus XXIII. *Harigerus, Ægidius, Officium Dionant. Surius, Molanus, Chapeauill.*

SAncto Gondulfo Tungrorum episcopo successit anno Christi sexcentesimo quarto Perpetuus, vir tanto munere dignus, & ad magna jam tum ab adolescentia comparatus. Cum enim tenera statim ætate acrem animo succendisset Diuini nominis propagandi ardorem, ijs sedulo se instituit artibus, quas apostolici requirunt labores. Diuinis primum humanisque imbuendus disciplinis, simul ad consectandam omnis virtutis rationem animum applicauit; vt cum in publicum dicturus deinde prodijt, populo Christiani hominis explanaturus officia, tanto sententiarum pondere, dictionisque vehementia sanctiorem sapientiam proposuerit, vt Doctoris fidelium nomen apud omnes inuenerit. Nihil enim ore proferebat, quod manu non confirmaret: vitam omnem orationi consentaneam agnoscebant vniuersi: quo miros animorum conciebat motus.

Vbi ergo renuntiatus est episcopus, tum demum omnes exeruit animi corporisque vires, vt tantum munus impleret. Incitabant illustria, quæ premeret sanctorum antecessorum vestigia. Ea sectatus non impietati modo, sacrilegoque inferorum cultui, aut vitijs omnibus bellum indixit: sed vel tuendam omnem recti dignitatem, vel sicubi labefieret restituendam suscepit, adeo feliciter, vt mirabili ecclesiæ suæ incremento Dei amplificaret gloriam. Aiunt & principum impotentiam intrepide, quamquam non sine capitis periculo, compressam; ne contra fas æquumve vel ecclesiæ vel pauperum fortunas degluberent.

Inter hæc publicæ caritatis officia, sui nequaquam immemor, assurgentes forte dæmonis inuidentia cupiditates, rectæ rationis vmbone sic retundebat, vt victor super omnia humana mentem attollens, immersam in cælestium arcanorum contemplationem suauissima cum Deo familiaritate conjungeret. Post Deum, in eius parentem virginem vt par erat, tum in apostolorum principes, ac B. leuitam & martyrem Vincentium singulari quodam studio ferebatur. In hujus æde sacra frequens erat, cum Dionanti ageret; agebat vero perlubenter, quandoquidem B. Monulfi munere in episcoporum Tungrensium potestate esset vrbs illa. Vrbe ergo media sancto martyri pro sua in eum religione templum posuerat; aut sane positum a majoribus, magna animi voluptate, bonoque frequentabat, & inuicti martyris triumphis mentem erigebat ad fortia.

Tandem honestam multo virtutum ornatu emensus senectutem, postquam annos tredecim

Digitized by Google

tredecim episcopatum tenuisset, æternum percepturus præmium migrauit in cælum anno ejusdem sæculi decimo septimo. Sepeliere Dionantenses in æde S. Vincentij, quod ita siue moriens jussisset, seu tacitæ voluntati consentaneum existimarint omnes ibi corpus deponi, vbi totus fuerat viuentis animus. ANNO 617.

A mortalibus ornatum voluit Deus eximijs honoribus, salutem inde vt referrent. Mox enim e sacro corpore suauissimi odoris oleum manare cœpit, & ab inunctis omne morborum genus pellere. Quare crescente multitudinis concursu ac religione, honestiorem in locum ad sacram Dei parenti basilicam transferri placuit: sanctumque Perpetuum vrbis suæ tutelarem adsciuere Dionantij, & manifesta eius præsidij argumenta publice priuatimque in hunc diem percipiunt.

II. S. GREGORIVS conditor & I. abbas Porzetanus. *Molanus, Gazæus.*

PAtrem aut (vt alij malunt) fratrem habuit Nicephorum Phocam Orientis imperatorem, sororem Theophaniam, quæ nuptui data est Ottoni II. Occidentis imperatori. Sed omni generis sui majestate celsior, monasticen amplexatus, Pachomij cujusdam abbatis institutionibus se tradidit: eamque consecutus est omnium virtutum honestatem, vt sacerdotio primum initiatus, mox decedente magistro successor designatus sit. Verum per tritam viris omnibus magnis, & sane regiam Crucis viam Deus illum deduxit. In Agarenorum aliquando potestatem delapsus, indigna ab illis pertulit, dirisque confossus vulneribus ab interitu parum abfuit. Hoc impię gentis odium est in Christianum nomen. At nonnullorum etiam Christianorum maleuolentiam inflammauit propria Gregorij virtus. Cum perpetratis Diuina vi prodigijs celebraretur, fœdis appetitus calumnijs, vsque eo concitatos in se aliquorum animos sensit, vt fuga quærendam esse sibi salutem intelligeret. Ab Agarenis patitur.

Relicto Oriente venit in Occidentem. Et qui contemptis humanis omnibus rebus Diuinas tantummodo spirabat, Theophania sorore ne quidem salutata Romam diuertit, sacra loca veneraturus. Pio fratris studio soror Augusta obsecuta, S. Saluatoris asceterium ære suo construxit, in quo pro suscepto vitæ instituto monasticis se exercitationibus excoleret Gregorius. Magno hoc vrbi Romę bono fuit; cujus ciues non paucos abstraxit ab intemperantia. Sed nobilior exstitit fructus a salutari juuentutis institutione, quam pro suo Diuini honoris studio vir tantus minime dedignabatur. Nihil quippe non magnum existimabat, quod Dei causa susciperetur. Hanc vnam amabat magnitudinem, vnam hanc animi sui voluptatem, solas has diuitias. Quod exemplo magis quam sanctis suis præceptionibus docere solitus est, eoque facilius persuadere. Condito Romæ cœnobio multis prodest.

Nobilis quidam Romanus Ioannes nomine ingentem auri vim Dei famulo donauerat, quam ille mox in egenos erogauit. Obstupuit vero Ioannes; & secum: Quid? Auri tantum non pluris æstimare? imo contemnere, & donatum in egenos profundere? Quid autem contemptum miror aurum? An minus est Augustę familiæ majestatem fugisse? Ecce priuatus, vilique clausus tuguriolo, liquidiore perfunditur voluptate, & de omni humanarum rerum magnitudine triumphat, quam omnes in auratis curribus Cæsares post debellatam barbararum nationum feritatem. Cæcutimus nimirum: & in quo vera gloria, sinceraque felicitas sita sit, ille perspicace deprehendit oculo. A cæcis abire, & videntem sequi ducem mihi certum est. Dixerat Ioannes; & meliore consilio transijt in Gregorij disciplinam.

Quibus, alijsque non absimilibus cum in dies magis sanctus abbas celebraretur, vtilem imperio suo illius operam credidit Otto imperator, Aquasque secum adduxit, quo principum conuentum indixerat. Sed cum res humanas & omnia de illis consilia constanter fastidire ipsum comperisset; ad monastices quietem vt rediret annuit. Porzeti monasterium exstruit.

Ille Cæsaris munificentia Porzeti monasterium exstruxit: collectisque pluribus ejusdem mentis sodalibus, in ea virtutum arena generose ad vltimam senectutem se exercuit: illustribusque victorijs inclytus, ad æternum tandem brauium euolauit, vt in vita, sic a morte multis a Deo prodigijs exornatus.

Digitized by Google

Die vndecimo
S. BERTVINVS
episcopus & conditor Malonienſis. *Manuſcr. Vltraject. Marchian. & quæ mihi e ſui monaſterij commentarijs exhibuit R. D. Vincentius de la Hamaide canonicus regularis Malon.*

GEnte Anglus, domo nobilis fuit. Adoleſcens Othbellum monaſterium ingreſſus eruditiſſimos habuit præceptores, quorum inſtitutione eam litterarum cognitionem, cultumque virtutum adeptus eſt, vt epiſcopo morienti omnium ſententia ſubſtitutus ſit, ſumma licet contentione reluctaretur. Quo in munere cum ſtrenue & vberrimo fructu laboraſſet aliquamdiu, in ſomnis ab angelo monitus eſt in Galliam abiret ad locum, qui Sabi fluvio Marlaniaque ſilua cinctus, Landuvio rivulo perlueretur. Paruit Bertuinus; & facultatibus omnibus in pauperes erogatis, paucos dumtaxat libros, ſacraſque Diuorum reliquias cum neceſſario commeatu ſecum auferens, in iter ſe dedit, vniuerſis epiſcopum ſuum lugubri comploratione proſequentibus.

In Belgicam a Deo juſſus venire

Deo curſum dirigente, continentem feliciter attigit. Hic prima nocte rurſum adfuit angelus, juſſitque primum omnium Romam vt iret, totoque illic biennio ſolitariam ageret vitam. Cum paruiſſet Bertuinus mirabili ſanctitatis incremento, in Gallias tandem reuerſus, eo deuenit, vbi Sabis in Moſam influit. Tum aduerſo Sabi tamdiu contendit, donec a paſtore Landuvius rivulus oſtenderetur. Hic ſedem fixurus, poſito tuguriolo ſacras reliquias depoſuit: ſtatimque vitæ ſanctimonia miraculiſque adeo clarere cœpit, vt Roga matrona potentiſſima, agrum in quo conſtiterat, illi donarit. Dubitabat ſecum quo loco poneret ædiculam Bertuinus. Dubitationem ſuſtulit, qui famulum ſuum manu veluti ducere viſus erat ad hunc diem Deus. Angelum ipſe in ſomnis audiuit imperantem ibi templum ſtatui, vbi orto die ſuperfuſum imbrem videret, intacta omni vicinia. Accepit omen vir ſanctus, credid itque locum copioſo gratiarum rore irrigandum. Opus igitur ſancta alacritate aggreſſus, eam accolarum liberalitatem ſenſit, vt templo monaſterium adjunxerit; quo diſcipulos reciperet ſacris inſtitutionibus informandos. Inter ædificandum forte ferrum defecerat, Niuellas abijt ad Epponem principem: qui audita viæ cauſa, ingentem ferri fuſuram ſiue maſſam ſibi eſſe dixit, eamque non grauate obtulit, ſi quibus ad ædificationem vſibus illa ſeruire poſſet. Confiſus Diuinæ pietati Bertuinus, non dubitauit ſcipione neceſſariam ſibi partem deſignare: & ſola deſignatione pars a reliquo ſeparata eſt, magna omnium admiratione. In reditu cum comites itinere ferrique grauitate fatigatos potus deficeret (vnica erat vini laguncula, quæ vix duobus ſatis eſſet) ex ea potus affatim ſuffecit viris duodecim.

Maloniam diuinitus oſtenſam incolit: mirabilia patrat,

Materia templo exſtruendo aduehebatur curru: forte puer ſub currum cecidit, & tanto pondere crus vtrumque illi comminutum eſt. Complorantibus parentibus, opemque implorantibus, in genua & preces procumbens Bertuinus incolumitatem illi mox reſtituit.

Admiſſa peccata quidam generoſe deteſtatus expiabat admotis nudo corpori ferreis laminis. Quibus temporis diuturnitate caro ita ſupercreuerat, vt omnibus horrorem incuteret, adhibere manum auderet nemo. Solum Crucis ſignum impreſſit Bertuinus, & hominem perſanauit.

Sancti hominis virtutem Deo caram teſtabantur ea prodigia. Suſpexit Odoacrus Floreſſiæ princeps & amauit: & ad illum crebro ventitans, ſanis eius conſilijs libenter vtebatur, eoque audito ad virtutis proſecutionem multa faciebat: & pro ſacra eruditione nonnulla ſuſtentandæ religioſæ familiæ prædia rependit. Sed parvum id omne pro tanta virtute arbitratus, Pipino cujus ingentes erant opes illa tempeſtate per Auſtraſiam, commendauit. Accepit ab illo vir ſanctus alendis ſodalibus villas quinque: eaque de cauſa cum eccleſijs quinque Bertuinum pingi ſolitum ait Molanus.

poſitoque monaſterio

Templum denique in Virginis Matris honorem ipſe S. antiſtes dicauit: & id ipſum eſſe fertur, quod hodie in porticibus templo adjacentibus oſtentatur ſacrarium quadrata con-

constructione, & S. Bertuini appellatur. Monasterio præterea cum vltimam adhibuisset manum, & religioso discipulorum cœtu illud compleuisset; ipse tuguriolo se clausit proxime templum, Diuinis rebus deinceps liberius operam daturus. Mortalibus nihilominus discendi studio conuenientibus non potuit, quam magno studio hactenus impenderat, opem negare. Integerrimis religiosę vitæ exemplis, sacrisque cohortationibus acriter vitia persecutus, auditorum animis felici euentu virtutis amorem impressit. multis prodest.

Post vitam insigni sanctimonia pluribus annis traductam, æger tandem mortique proximus, cum discipulos aduocasset, animassetque ad constantiam, inter mutua precum subsidia animam Deo reddidit. Miracula deinde increbuerunt ad sacrum eius corpus eodem loco sepultum: quod in sequentes ætates posteris omnibus tantam sui conditoris virtutem proponit imitandam. Eum enim parentem colit, quod in hunc diem perseuerat canonicorum regularium Augustiniani instituti cœnobium. Circiter annum 650.

Quæ viuendi forma primitus proposita fuerit, incertum est. Aiunt sacro illi cœtui præfuisse primum præpositos & decanos; tum priores. Sed anno denique millesimo ducentesimo primo creari cœptos abbates.

ABBATES MALONIENSES.

1. GREGORIVS abbatis dignitatem sustinuit: neque habemus, quamdiu præfuerit.
2. NICOLAVS DE FENAL obijt 1284.
3. NICOLAVS DE FENAL II. obijt 1300.
4. GODESCALCVS obijt 1332.
5. IOANNES DE FENAL 1337.
6. THOMAS PINCHON quamdiu pręfuerit ignoratur.
7. NICOLAVS PINCHON obijt 1394.
8. MICHAEL DE FONTAINE quando diem obierit, non habemus.
9. GODEFRIDVS DE FENAL obijt 1403.
10. HERMANNVS DE FONTAINE obijt sub annum 1408.
11. IOANNES DE HANSINE ob. 1451.
12. IVDOCVS DE FLAVINE sibi substituit successorem, neque liquet quando obierit.
13. IOANNES DE FVRNAV quando dignitatem inierit aut posuerit, non liquet.
14. IOANNES DE MERANIOVLLE obijt 1496.
15. IACOBVS DE HANSINE obijt 1499.
16. HENRICVS DE TRAHE obijt 1510.
17. DESIDERIVS DE HOVTAIN obijt 1517.
18. NICOLAVS DE LONGA VILLA obijt 1523.
19. LAVRENTIVS CORNELII ob. 1562.
20. IACOBVS GVIART ob. 1568.
21. IACOBVS FONTAINE obijt 1581.
22. LAMBERTVS A BECQVEVORT obijt 1599.
23. DEODATVS SCLVSMANS obijt 1602.
24. ARNOLDVS A BECQVEVORT obijt 1632.
25. PETRVS HINFLINVS obijt 1640.
26. Domum illam sancta antiquitate inclytam hodie regit adm. R. D. RENERVS A S. HVBERTO: cui felicitatem a Deo precamur.

Die decimo quarto
S. ALBRICVS
episcopus Vltrajectensis. *Molanus.*

GEnte Anglus, in Eboracensi diœcesi natus est. Cum in continentem trajecisset, Vltrajectum deuenit, vbi suorum popularium multos inuenit, quos apostolicum Christianæ religionis propagandę desiderium eo pridem adduxerat auspicijs Bonifacij potissimum & Willibrordi. In illa ecclesia jam adolescente illustrem inuenit (vt fere calent principia) euangelicæ sanctitatis puritatem: ea tamen se probauit omnibus mo-

Die 14. rum integritate, vt in clerum Vltrajectensem magna vniuersorum voluntate sit cooptatus.

Nouellum Christi gregem episcopus tum regebat Gregorius Willibrordi quondam sodalis: jamque senio grauis, sed fractus præsertim ingentibus laboribus in disseminanda tuendaque fide toleratis, cum episcopatus oneri videretur impar, vnum ex omnibus Albricum maxime selegit, in quem curarum partem reijceret. Præclarum illud erat eximiæ sanctitudinis testimonium a tam sancto antistite. Neque illius aut ecclesiæ fefellit exspectationem Albricus. Tanta fortitudine, vigilantia, fide, caritate Christi gregem regere cœpit, vt Gregorij diligentiam nemo desideraret.

S. Gregorij coadjutor designatur

Anno 773 Ad regem Carolum Magnum penetrauit illius sanctitatis fama, eamque suscitauit venerationem, vt in grauissimis quibusque publicæ rei negotijs eius vnius consilia promptissime sequeretur: & cum in Italiam expeditionem susciperet, a Longobardorum injurijs sedem apostolicam defensurus, a se tantum virum abesse noluit, quo & eius sapientia regeretur, & defenderetur religione.

Vltrajectensi ecclesię grauis ea fuit illius absentia. Sed tum maxime, cum episcopus morborum diuturnitate victus vitam diutius trahere non posse visus est. Iacturam illam a nemine melius quam ab Albrico sarciri posse judicabant omnes: sed eum modo deplorabant absentem, cujus necessariam intelligebant opem, & optabant. Opportuno vaticinio mœrorem abstersit Gregorius; affirmauitque se vita prius non excessurum, quam ille suis redderetur. Ita factum est: & episcopo tandem morienti ex summo omnium voto suffectus est Albricus.

ac denique succedit: Anno 774.

Prouinciam suscepit ea magnanimitate, quam Christianæ rei necessitas postulabat. Pullulabat adhuc omnis vicinia turpibus impiarum superstitionum senticetis. Cui cum expurgandæ peridoneum nosset Ludgerum egregiæ sanctitatis diaconum, illum sacerdotio secum voluit consecrari, misitque ad Frisios ad reuellendam omnem idololatriam. Paruit hic magno gentis illius bono: & postea administrato sapienter Monasteriensi episcopatu, Sancti honores promeritus est.

regitque magna diligentia.

Et Albricus ipse insignem nauauit operam: Quam cum Vltrajecti vere potissimum esse necessariam intelligeret, eam sedulo impendebat insigni prouentu: reliquo deinde anno excurrebat in viciniam. Ne tamen importuno salutis alienæ studio ipsam episcopatus sui sedem negligere videretur; æstate quidem Adalgerum presbyterum, Ludgerum autem autumno, hieme vero Thiadbertum sibi substituebat, suasque sacræ sementis spargendæ vices demandabat.

Anno 777. Eam sancti antistitis diligentiam vberrima seges consecuta est: Carolumque regem impulit, vt in eius gratiam Vltrajectensi ecclesiæ multa largiretur.

Susterini sepelitur. Denique post gestum magna laude episcopatum vita defunctus est sanctus præsul, & Susterenum elatus in diœcesim Leodiensem: quo religionis ergo ventitare consueuerat cum magistro suo & antecessore Gregorio; locum enim incolebant virgines magna vitæ innocentia celebratę. Ibidem & ipse multis claruit miraculis.

Die decimo sexto

I. ALVEVS

abbas Andainensis, siue S. Huberti.

Religiosissimi illius patris res gestas interijsse dolor est, quas minime ignobiles fuisse certum habeo: quandoquidem Walcandus Leodiensis episcopus, cum marcescentem Andaini in Arduenna religionem reflorescere cuperet, eoque fine clericorum institutum commutaret in monasticum, hunc potissimum e tota diœcesi crediderit esse consilijs suis aptissimum, nouoque huic cœtui præfecerit: quem nimirum plurima virtute spectabilem nouerat, & regendorum animorum in paucis peritum.

Inducta Andainum monastica

abbas 1. creatur

Et reuera aggressus impositum sibi munus exequi Alueus, tanto cultioris disciplinæ studio & ardore domum illam compleuit, viciniam vt omnem rectorum exemplorum facibus incenderet. Plerique relicto Leodiensi collegio S. Lamberti, cum nonnullis alijs, quo ad altiorem virtutis apicem eniterentur, sub eius disciplina monasticum vitæ genus amplexi sunt.

Sed

Sed quo perennaret, quod adeo feliciter inchoatum erat, certius aliquod præsidium existimauit futurum in sacro alicujus sancti corpore, in cujus fidem ac tutelam se locumque traderet: ejusque patrocinio & disciplinæ decor certius constaret, & populus religionis gratia locum frequentaret. Episcopum ergo supplex rogauit, vt quando Leodium sacris pluribus sanctorum exuvijs potiretur, Hubertum Andainensibus indulgeret, qui olim strenuam nauarat operam in illius regionis incolis ad Christum adducendis: eaque de causa apostolus Arduennæ habebatur.

Non abnuit Walcandus pro sua in Andainensem familiam beneuolentia: sed quod grauioris momenti negotium censeret, in synodum rejecit, quæ anno octingentesimo decimo septimo habita est Aquis. Eo se contulit Alueus, & episcopo causam illam agente, votorum summam obtinuit. Celeberrimo comitatu, ipsoque Ludouico Pio Cæsare pompam deducente, sacrum illud pignus Andainum pridie Kal. Octobris illatum est: quod miris creberrimisque prodigijs jam inde ab ipsa translatione per tot ætates in hunc diem Deus exornauit.

De Alueo plura non accepimus. Postquam sapienter religiosam illam familiam monasticis institutionibus imbuisset, anno vicesimo octauo mortuus est, actæque vitæ præmium a Deo accepit, apud quem nulla potest esse recte factorum ignoratio.

II. BERENGERVS

abbas IV. S. Laurentij. *Gesta abbatum ejusdem monasterij, exhibita mihi a R. D. Joanne a Cruce monacho, de voluntate admodum R. D. Gerardi Sany abbatis, Cantatorium, & Catalogus abbatum S. Huberti, Anselmus, Ægidius.*

QVem abjecerat ad vilem conditionem natura, extulit ad alta virtus; quę sola sinceraque nobilitas est. Hanc toto pectore secuturus, asceticę disciplinæ ad S. Huberti se tradidit: eamque tam felici conatu coluit, vt S. Theodoricus abbas illum esse priorem jusserit. Quo munere præclare functus est.

Sed cum anno post millesimum septuagesimo quinto Henricus I. episcopus Leodiensis postularet virum, cujus sapientia monasticen restitueret ad S. Laurentij, Wolbodonis cujusdam dissoluti nepotis impudentia corruptam; missus est a S. Theodorico Berengerus, & creditam sibi prouinciam illam procurauit pro suæ virtutis exspectatione, magno illius monasterij emolumento. Anno tamen nonagesimo secundo Wolbodonem restitui, pulso Berengero, mandauit improbus rex Henricus IV. Quod imperium cum accepisset abbas ab Oberto, (Henrico hic successerat episcopus non optimus) causæ suæ æquitati confisus audiri postulauit. Altero igitur die, aduocato in concilium omni clero, populique primoribus, causam dicere prior exorsus est, cum accusare posset nemo. Ea vero est, inquit ipse, judicij forma mirabilis. Causam dicturus veni, cum nullum adhuc mihi sit objectum crimen, nullus accusator auditus: sententia nihilominus pronuntiata est. Monasterio dignitateque cedere jubeor. Nulla in me mora est: sed causam quæro. Rex jubet. Non hoc, (quomodocumque jubenti parere, mihi certum est, quia necessarium) non hoc, inquam, sed causam quæro. Nam etiam apud barbaros rationi locus est. Frustra quęro: rex jubet: nec alia reddi potest causa. Quis enim vestrum ignorat, quomodo huc venerim, quomodo me gesserim? Cœnobio pulsus erat antecessor meus: nec aliter, quam vestris sententijs pulsus. Ex ęquo sic faciendum judicastis. Me suffragijs omnibus monachi subrogarunt; pedumque mihi ab illo traditum scitis, cui non parere mihi nefas erat. Ex eo quid egerim, quomodo rem asceticam, quomodo familiarem administrarim, a me non decet explicari. In vestris omnium oculis versatus sum. Et testes mihi estote, & judices.

Ita ferme Berengerus. Cui cum nonnulli minus æqui essent, (quis enim adeo feliciter probus, qui tulerit omne punctum?) ea tamen fuit hominis integritas, vt e tota multitudine nemo vnus vel verbum in ipsum emiserit: omnibus judicij insolentiam suo silentio damnantibus. Episcopus itaque, qui & a rege veniebat, atque vt mandatum acce-

[Margin notes: Abbatis dignitatem; abdicare coactus]

acceperat, sic illius causam ignorare non debere videbatur, vnum illud denuo reddidit: Ita rex jubet. Tum Abbas, Hoc omnibus clarum est innocentiæ meę testimonium. Imperium malo, quam judicium. Ægre haud equidem parebo: nam *sine magno dolore relinquitur, quod sine magno amore possidetur.*

Dixerat: & relicto S. Laurentio, in optatam ad S. Huberti solitudinem, vnde primum prodierat, se retulit. Excepit religiosa humanitate Theodoricus II. abbas; eique in Rhemensi diœcesi prioratum, quem Euernicortis cellam dicunt, concessit.

bonorum omnium voluntate

Restitutus omnia susque deque vertit ad S. Laurentij Wolbodo ad annum vsque nonagesimum sextum: quo denique monachi minime diutius ferendam rati hominis impudentiam, nobilitatis, atque in primis Godefridi Bullionij, qui forte Leodij tum ad sacrum bellum se comparabat, fidem implorarunt, vt Berengerus reuocaretur. Iisdem forte diebus bellum meditabatur episcopus: suęque diœceseos principes auxilia rogauit. Par illi suæ dignitati responsum reddiderunt: non modo non ordini suo, sed nec saluti consentaneum facturos se, si militare, vel mori pro illo auderent, qui religiosissimum abbatem domo pepulisset.

resumit,

Obertum perculit ea responsio: & merito suffusus pudore, relegato Wolbodone, abbatem reuocauit. Visa statim reflorere omnia. Non modo disciplinam hic pristino nitori, sed & rem familiarem cum sua industria, tum piorum hominum liberalitate restituit. Sed nulla re alia de Leodio melius, deque vniuerso orbe Christiano meritus est, quam magni illius Ruperti institutione: quem a puero educatum in illo monasterio, in religiosam suscepit familiam; & B. Virginis ope, litteris ita curauit imbuendum, vt Tuitiensis abbas subinde creatus, sua eruditione totam ecclesiam exornarit.

Rupertum educat.

Vixit magno suorum bono Berengerus vsque ad annum sequentis sęculi decimum quintum, acrique sui relicto desiderio, in crypta conditus est.

III. BEATRIX PRATANA. abbatissa II. Robertimontis. *Archia monasterij.*

PAtrem habuit Robertum e nobili Pratanorum gente, sed omni humanæ claritudini euangelicam humilitatem anteponens, in Robertimontem secessit, omnem vitam Deo consecratura. Cisterciensibus legibus needum in ea familia viuebatur, aut certe ante paucos dies in illam inuectæ erant: nec enim omnino liquet. Hoc certum est: indefessa animi contentione, parique fructu in accuratam earum obseruationem incubuit; & eam apud sodales de se concitauit opinionem, vt cum anno post millesimum ducentesimum quarto Ermedis Pratana eius cognata, primaque cœnobij antistita mortalem hanc vitam reliquisset, vna inter omnes inuenta sit Beatrix, quæ huic muneri par existimaretur. Aliter ipsa de se sentiebat; & ad vilissima quęque pro animi sui voto se libentius abjecisset. Sed diu nequicquam reluctata, imposito oneri ceruices supponere debuit.

Disciplinæ amor.

Insigni fuit aduersus sodales humanitate: sed in se quam seuera, vix credibile est. Cum ea tempestate nemini (nisi grauior inualetudo coëgisset) in illa familia carnis esus permitteretur, huic legi adeo se subjecit, vt nec in grauissimis morbis ejusçemodi esculenti quidquam admiserit. Ad labores prima, prima ad orandum Deum conuolare solita est. Denique ea virtutum omnium edidit exempla, vt recens in ea domo monastices disciplina miris vbique laudibus celebraretur, eaque fama inuitatæ virgines plurimæ ad capessendum ibidem illud viuendi genus confluerent. Atque ita postquam felicissime sedecim annos sanctam illam familiam rexisset, XVI. Kal. Decembres anno millesimo ducentesimo vigesimo, vita decedens, acre sui desiderium, sed omni posteritati eximium religiosæ integritatis specimen reliquit.

Die

Digitized by Google

Die decimo nono

I. ELISABETHA SPALBECANA virgo. *Philippus Claræ-vall. Dionyſ. Richelius, Bloſius, Bruſtemius.*

QVo homines Deus ad ſui cultum & amorem prouocet, mira ſemper edidit ſuę pietatis exempla; & infirma mundi elegit, vt confundat fortia, nullamque ignauiæ relinquat excuſationem. Non procul Herckenroda pagus eſt Spalbeca intra fines parœciæ Kermptanæ: vbi ſub annum Domini milleſimum ducenteſimum ſexageſimum claruit ſignis admirandæ ſanctitatis virgo quædam Elizabetha nomine. Hęc a tenera ętate vixdum quinquennis ea fuit corporis infirmitate, vt nec gradum vſquam promouere, nec in pedes ſtare poſſet. Ac forte quas habitabat ædes cum aliquando conflagrarent, eodem abſumta igne perijſſet, niſi alienæ manus eam periculo ſubduxiſſent. Tam imbecille corpus incolebat vegetus animus, mirabilique niſu ad altiſſima virtutis contendebat. Præcipuus ei gradus fuit per aſſiduam meditationem cruciatuum, quos Dei Filius noſtri cauſa perpeſſus eſt. In hos quando cogitationem intendebat, vi tanta ſe mens efferebat, vt corpus illa quam diximus ægritudine proſtratum erigeret, & per cubiculum commode nullo mortalium adminiculo obambularet, flagris cæderet corpus, os pugnis contunderet, euelleret capillos, & ſubinde veluti raptaretur; pro eorum ſcilicet ratione, quæ de Chriſto Domino meditabatur: ſed hæc omnia tanta vi, vt nullo morbi tum indicio, valentiſſima videretur; miſerabilique ſchemate Deum ſuum indigniſſima quæque tolerantem referret. In Chriſti cruciatus piiſſime afficitur.

Nolim meis verbis plura adeo ſtupenda referre. Fidei plus habebit Philippus Claręvallis abbas; qui cum totam rem maturo judicio vir tantus expendiſſet, poſteris teſtimonium in hunc ferme modum reliquit. A grauiſſimis viris explorata

Ego frater Philippus de Clara-valle cum forte per Belgicam inſtituti noſtri familias inſpicerem, audiui multa de virgine quadam Eliſabetha nomine; quę niſi prudenter explorata, fidem mereri non viderentur. Exploraui, & dictis majora deprehendi. Primum igitur omnium hoc conſtat, impreſſa corpori virginis eſſe Dominicæ Paſſionis ſtigmata, e quibus plerumque, potiſſimum diebus Veneris ceu e recentibus vulneribus cruor promanet & quandoque ebulliat. Rotunda ſunt manuum pedumque vulnera, lateris oblongum. Ipſe ego ſocijque abbates ac monachi alij nocturnis alijſque horis cruorem animaduertimus oculis effluentem ac perfundentem amictum lineum, quem veſtibus ſuperinduit. Notauimus præterea quodam Veneris die per apertam in latere veſtem, ſanguinem ſcaturire non omnino purum, ſed velut aqua mixtum, inficientemque colore ſuo corporis partes vulneri vicinas & intimam e lana veſtem. Imo vidimus nonnumquam inter vngues & carnem digitis erumpentem: quod ſane ſeruatori Chriſto potuerit euenire e violenta vinculorum conſtrictione. deprehenditur notata Chriſti ſtigmatibus

Porro virginis illius curam epiſcopus (erat is Henricus Guelder) demandauit Guilielmo abbati Trudonenſi, viro certe rara virtute, integra fama, magnæque autoritatis: habitatione ſimul & agnatione virgini proximus erat. Hoc interprete vtebamur, ſi quid ex Eliſabetha quęſitum volebamus. (Teutonice nimirum loquebatur ipſa, cum non niſi Gallice noſſet Philippus) Narrauit autem, die Veneris ſancto anni ſexageſimi ſexti breui quodam diei ſpatio, quo a doloribus ſolebat eſſe libera, cœpiſſe caput adeo dolere, vt eadem poſitione diutius quieſcere non poſſet, ſed huc illuc torqueret frequenti agitatione. Quamobrem virginis mater ac ſorores ſtudioſius illam inſpicientes, ſpinarum veluti punctiones in modum diadematis deprehenderunt. & ſpinis caput perfoſſa

Quærenti aliquando abbati Guilielmo, quibus denique viribus cruciatuum tantum toleraret: Quantulum illud eſt? reſpondit ipſa. Profecto nihil, ſi mecum compoſueris virginem quandam Inſulenſem e Flandria nomine Mariam. Dolores autem illius ita cœpit deſcribere, quaſi familiariter noſſet, quam numquam viderat, nec audierat a mortali. Addidit vero, non raro fieri, vt eodem temporis puncto, Inſulis illa, vel hæc Spalbecę, ambæ ſenſibus abreptæ, viderent inuicem ſe, cognoſcerentque. Denique de eius fortitudine,

 dine,

dine, Christianaque sapientia multis disseruit; quæ vero consentanea esse comperimus, quando postea Flandriæ cœnobia lustrabamus.

Ceterum Elisabetha hæc nostra corpore illa patiebatur ijs consentanee, quæ pertractabat animo Christi patientis mysteria, dum septenis horis canonicarum precum pensum persolueret. Ea deinde persequitur Philippus Claręvallensis; quæ breuitatis studio prętergredior.

Purgatorio plurimos liberat.

Porro præter stigmatum impressionem, religiosa illa de patiente Christo commentatione promerita est pia hæc virgo, vt non infrequenter aliquot animarum millia flammis expiantibus educeret in beatam cęlitum libertatem. Quoties Angelico pane reficeretur, supra choros angelorum rapi solita est, & perfundi liquidissima Diuinæ contemplationis puritate.

Herckenrodæ Cisterciensem disciplinam professa fertur: postquam nimirum eius virtutem inspicere cœpit cum collegis abbatibus Philippus. Eorum quippe obsequiorum a parente sororibusque exhibitorum meminit, quæ rectius cum laïca viuendi norma cohęreant, quam cum cœnobitica. Sub annum sexagesimum sextum vitam reliquisse creditur.

ABBATISSÆ HERCKENRODANÆ.

EST Herckenroda nobile gynæceum Cisterciensis instituti primo lapide ab vrbe Hasseleto, anno post Virginis partum millesimo centesimo octogesimo secundo conditum a Gerardo comite Lossensi.

1. ENGELTRUDIS prima rexit annis viginti tribus, & mortua est anno 1205.
2. IUTTA obijt 1237.
3. ENGELTRUDIS II. obijt 1257.
4. IUTTA II. obijt 1272.
5. MARGARETA DE STEIN ob. 1304.
6. AGNES DE GUIGHOVEN dum regeret, allata est Herckenrodam anno 1317 VEN. EUCHARISTIA, quę in hunc diem prodigijs celebratur. Mortua est 1320.
7. BEATRIX DE LOBOSCH ob. 1371.
8. ALISIA DE WANROEDE obijt 1372.
9. CATHARINA DE GOETSCHOVEN obijt 1389.
10. MARIA DE KERKOM ob. 1399.
11. CATHARINA DE KERKOM obijt 1414.
12. ALEIDIS DE REIKEL obijt 1436.
13. ELISABETHA DE KERKOM obijt 1444.
14. BEATRIX A REKOVEN post aliquot annos pedum abdicauit, & mortua est 1464.
15. CATHARINA DE SCHOENBECK obijt anno 1459.
16. CATHARINA DE PIPENPOIE Beatrice adhuc in viuis agente successit & mortua est 1491.
17. GERTRUDIS A LEXHI obijt 1519.
18. MECHTILDIS A LEXHI obijt 1548.
19. ALEIDIS A LEXHI ob. 1561.
20. CATHARINA DE GOOR ob. 1579.
21. ALBERTA DE SCHUERTHENBERCK obijt 1579.
22. CATHARINA DE GAVER obijt 1585.
23. ANNA DE BLAQUERIEN ob. 1620.
24. MARGARETA A BERGIS ob. 1637.
25. Modo celeberrimum illum parthenonem gubernat nobilis ac R.D. BARBARA AB HINISDAEL; cui Deus multos felicis administrationis annos concedat.

II. ELISABETHA DE GRAVIO virgo. *Cantipratanus l. 2. de apibus c. 54.*

HAnc familiariter sibi Niuellis notam appellat Cantipratanus virginem deuotissimam: eique fidam sodalem adjungit, virtute item spectabilem; cujus nomen prodere noluit, quod adhuc viueret illa, quando ipse scribebat. Quam tamen tum satis pro-

prodidit, quando bis mille Beguinarum magistram esse dixit: quod quidem ignotum esse non potuit. Grimelotam illam esse conijcio; cujus Martio memini. Vtrique porro rem miram accidisse refert, quæ paternam Diuinæ pietatis in suos prouidentiam extollit.

Ambæ faciebant iter, quando recta via contigit illas aberrare. Quod vt deprehenderunt; siluamque conspexerunt imminere, periculo exterritę, quod virginibus non leuiter extimescendum credebant, lacrymari cœperunt. Ecce vero mox adest honesta specie, candidoque habitu juuenis, & moestas benigne salutat, quæritque ab illis, quo tendant. Locum hæ nominant, & an viam calleat, interrogant. Affirmat ille, & se ducentem sequi jubet: præitque tacitus. Ambæ gaudio & admiratione vix sui compotes, nec ausę quidquam interrogare, sequuntur. Vt venerunt in conspectum loci, quo se ferebant, earum oculis desubito se juuenis eripuit. Illæ confestim in terram abjectæ, nouas lacrymas non continuerunt, quod cum duce suo, quem e cęlitibus fuisse non dubitabant, nullos miscuissent sermones. Tum Dei benignitatem suis tam opportune subuenientis collaudantes, iter suum hilares peregerunt. Illiusque beneficij memoria se deinceps excitari senserunt ad omne adeo clementis Domini obsequium. Circiter annum 1240.

Die vigesimo primo

S. AMELBERGA

abbatissa Susterenensis. *Quæ Iacobus Kritzraedt Societatis JESV collegit e veteribus monumentis Susteren. & ad me misit.*

FErunt nonnulli primam Sustereni abbatissam fuisse S. Amelbergam: nec facile mihi persuadebunt, quandoquidem sanctitate Susterenum floruisse certum sit eo tempore, quo Vltrajectensem ecclesiam rexerunt S. Albricus & S. Gregorius, qui S. Willibrordi fuerunt proximi successores: decessit autem vita Willibrordus circiter annum septingentesimum vigesimum: Amelbergam vero vixisse constat sub annum nongentesimum.

Vt aliquid tamen antiquitati demus, potuit prima regere Susterenum, quando post vastationes Normannorum (quos tota illa regione atrociter grassatos fuisse nemo dubitat) suscitatum fuit e ruinis monasterium: nam a Zuentiboldo Lotharingiæ rege conditum esse volunt aliqui; instauratum dicere debuerant.

Hic ejusdem regis filiæ S. Benedicta & S. Cæcilia monasticum vitæ genus amplexæ sunt. Regias virgines Amelberga suscepit instituendas, & ad illam perduxit morum puritatem, quam sanctorum honoribus colendam ecclesia decreuerit. Vnam hanc magistrę gloriam prodidere veteres: cum tamen præstantis eam fuisse virtutis dubitare non liceat, quandoquidem cælitum fastis adscripserit venerabilis antiquitas. Sustereni colitur XI. Kalendas Decembris.

Die vigesimo tertio

I. S. TRVDO

Hasbaniæ apostolus. *Theodoricus abbas.*

CAPVT I.

Nascitur S. Trudo, & prima cœnobij veluti fundamenta jaciens impeditur, non impune.

NAtus est Trudo Sarchinij in Hasbania patre Wicboldo, matre Adela, qui a Francis principibus, ducibusque Austrasijs genus ducebant, inquit Theodoricus abbas: addit-

DIE 23. additque regiæ stirpis illos fuisse; seu quod a regibus progeniti essent, seu quod eorum posteros ad regnum virtus euexerit: erant enim e gente Pipinorum. Nobilitati pares fuerunt illis opes. Sarchinium cum adjacentibus late agris, pascuis, aquis, ipsorum prędium fuit. Opulenta possedere latifundia, vbi Brugæ postea conditæ fuerunt in Flandria. In Taxandria magnæ pręterea fuerunt illis opes: fuerunt & ingentes Mosellam versus.

Parentum nobilitas

virtusque.

Verum hæc si bonorum nomine dignamur, externa tantummodo sunt. Quanto illustrius est, quod ambo tanta morum integritate claruerint, vt mortales inter cęlitum honoribus celebrati sint. Non procul Distemio sepulti sunt: Wibbeci quidem Wicboldus; vbi & terra eductus est ad populi venerationem: Adela vero Zerlemi; vbi sacrum eius corpus a mortalibus cultum, multis olim miraculis Deus celebrauit.

His genitus parentibus Trudo religiosam in paucis accepit primę ætatis institutionem, sed præcipue sanctitatem exemplorum: quę jure suo, quandoquidem domestica, potenter illum ad omnem honesti rationem generose persequendam tota vita propulerunt. Quæ enim summa omnia suspicere homines consueuerunt, in vnum Trudonem visa erat conijcere natura. Nam præter eam, quam attigi natalium claritudinem, exspectationemque opimę hereditatis; *formæ* (ait Theodoricus) *& decoris gratia tanta inerat, vt mirum ac speciale in eo Dei figmentum, tamquam flos viuus, & domi cælestis fructibus luceret*. Nobilius est, quod subijcio.

Pueri præclara indoles.

Vt prima in puero rationis scintilla promicare cœpit, eximia eminuit memorię vis, perspicacia ingenij, judicijque grauitas pro ætatis modo; & (quod longe maximum est) facilis indoles ad omnem recti dignitatem studiose colendam velut efficta. Tam felicem naturæ vel potius cæli ducatum mox a puero secutus Trudo, puerilibus primum studijs futuram auspicari visus est sanctitatem. In eas scilicet mentes, quas ad insigniorem aliquam virtutem Numinis prouidentia destinarit, a teneris annis fere honesti semen immittit, quod aliquam veluti viriditatem tum quidem ostentat, sed adulta demum ætate maturos robustæ virtutis fructus producit.

Futuræ sanctitati præludit.

Agros aliquando paternos oberrabat sanctus puer: temere sparsos offendit magna copia lapides: & quadam puerilis animi inductione, sed quæ mentem reuera proderet ad sacra jam propensiorem, eos colligere instituit, certoque struere ordine; ac positis quasi parietibus, veluti sacrandam Numini ędiculam erexit, ramis in tecti vicem superjectis. Stabat opus: ingreditur Trudo, & toto corpore in terram abjectus, Deum supplex orat, vt hoc pueri munus incompositum benignis oculis dignetur intueri: & edito voto pollicetur, si paternam olim hereditatem iniuerit, templum Deo se positurum. Ratum pueri votum Deus habuit: & palam mirando prodigio professus est.

Obturbantem feminam

percussam a Deo

sanat.

Illac iter forte habebat mulier: quæ congeriem lapidum in eam formam ordinatim compositorum demirata, cum puerum ibi Deo supplicantem deprehendisset, nescio qua intemperie agitata, puerum hypocrisios primum arguit: tum ædiculam male coagmentatam incusso pede disturbauit. Opus tamen Diuino consilio designabatur in ętates duraturum. Tantilla sępe sunt magnarum rerum exordia. Ergo temerarij facinoris pœnas datura mulier, en subito lucis vsura destituitur: tristique casu consternata, lugubres tollit clamores. Quibus vicinia omnis excita audit videtque miraculum. Et nullum præsentius auxilium esse rata, quam a sancto puero, cujus gratia feminam Deus castigarat; ad eius preces confugit. Ille pro ętatis suę candore orat, & statim exauditur. Hoc miraculo velut effossa sunt felicissime prima fundamenta celeberrimi illius cœnobij, quod mox conditum a S. Trudone clarissimum omnis sanctitudinis gymnasium vberes produxit per plura jam sæcula toti ecclesiæ fructus.

CAPVT II.

Ab humilitate sanctimoniam orditur.

TRudonis virtus eo prodigio velut in theatrum producta, celebrari cœpit, quæ hactenus incognita, plurimorum fugerat oculos. Nam & latebrarum peramans est germana sanctitas: & sæpe conniuent mortalium oculi, præclara illius luce perstricti; quamque suspicere debuissent, nescio quo deteriore obnubunt velo. Non eadem quippe cæli terræque judicia sunt; non eadem vtrobique nobilitas.

Intel-

Intellexerat jam tum puer nihil apud Deum esse gloriosius generoso omnis humanæ magnitudinis contemptu. Ibi ergo exorsus est, quo plurimi laborioso molimine vix enituntur. Calcare aggressus est gentilitiam omnem majorum claritatem, vt regem æternæ gloriæ Christum, nudum & per abjectissima quæque nudus sequeretur. Nec animo dumtaxat ea fuit sententia. Quod mente conceperat, effectum dare constituit. Aurum, purpura, gemmę, & alia cetera, quę mundus amat, & auiditate numquam exsaturata congerit, sancto adolescenti non alio erant, quam quisquiliarum loco. Pretiosiore cultu animum immortalem exornare cura & amor fuit. Vilius scilicet esse corpus aiebat, quam vt pro illo curando vel molliter tractando supra naturę necessitatem sumtus fierent, aut hominis ad majora nati cogitationes ejuscemodi crepundijs distinerentur. *Contemptus splendidioribus*

Cum igitur amaret, quod satis esset vitæ tuendæ, non quod voluptatem prouitaret; famulari turbæ, quę domi seruilia curabat, relictis delicijs, vestiumque mollitie & pretio; vnico ipse eoque vili & aspero tegebatur habitu; vtebatur parabili ac parcissimo cibo, vigilijs ferme continuis corpus macerabat; & quam reparandis viribus necessariam indulgebat quietem, sic animus moderabatur, vt etiam inter dormiendum ex assidua laborum diductione numquam non orare colligeres. Quod vero jure pluris æstimes: clarissimus ejusce nobilitatis adolescens ad seruilia eo se demittebat, vt famularia obsequia suis ipse famulis prȩstare non dedignaretur. *abjecta sectatur.*

Verum insania hęc erat eius socijs non nisi terrena sapientibus; qui sanctiora illius consilia acerbis nonnumquam sarcasmis carpebant: alias ad sua ipsum tentabant deliria retrahere. A virtute fuit victoria. Nonnullos ad saniora secum Trudo feliciter illexit. Pertinaciores vero rectique honestatem impudentius irridentes & ipse irrisit. Sapienter nimirum existimabat cum B. Agatha multo præstantiorem esse Christianorum humilitatem & seruitutem, regum opibus ac superbia.

Ne vero dubites eum fuisse sincerum euangelicæ humilitatis ac modestiæ fructum; illam tantæ virtutis dignitatem adeo solerter dissimulabat, vt perspicaciorum exploratorum oculos effugeret; quos scilicet abhorrebat non secus ac omnis virtutis prædones auarissimos. Familiares ergo plerique hebetem, ignauum, & flocci hominem primum existimarunt. Sed in aliam sensim abducti sententiam, intermicantes purioris virtutis radios admirari & colere cœperunt. Oraculum est scilicet a Christo editum: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Nec vlla breuior est aut certior ad gloriam via quam per gloriæ fugam & contemptum. *Luc. 14. 11.*

CAPVT III.

Patrem auocantem generose vincit.

IN filio virtutem etiam Wicboldus aliquamdiu non agnouerat: ignauiamque existimabat, qua ille se continebat modestia. Sed vt errorem suum & ipse deprehendit, jam lætior cogitationes erexit ad suæ gentis splendorem noua filij luce accendendum. Quod enim prius & magis incensum omni nobilitati studium? Nec a virtute Christiana, quam impense colebat, ipse credidit alienum. Trudoni igitur, quo stimulos adderet, collaudabat sæpe concitatam in Diuina mentem; pergeretque porro non paucis inhortabatur.

At tamen in cælum, inquiebat, non ita cogitationes attollendæ, vt terræ, in qua viuis, nulla sit cura. Diuinę beneficentiæ dona nemo pius neglexerit. Quam tibi generis claritatem Deus à majoribus impertijt, tu ne patere tenebris obtegi. Virtus potissimum nobilitatis ornamentum jam Dei beneficio tibi est pro ætate non obscura: cur ad cetera non assurgis, quæ in adolescente nobili admirari & amare consueuimus? Nitor vestium, corporis cultus, sermonis elegantia, composita morum vrbanitas, & ejuscemodi alia quis nesciat quam genus & ętatē tuam deceant? Sed armis maxime viri virtus emicat. Ea majoribus nostris primam peperere nobilitatem. Partam ab illis gloriam ijsdem ego sustinui, atque adeo auxi. Eam tu illis ijsdem, nec alia arte vlla felicius ad posteros transmittes. Dignos ergo genere majoribusque tuis, dignos indole spiritus concipe; & imprudentiore tui diffidentia illustrem in nostra gente honorum cursum ne inhibeas, vide. His similia Wicboldus: quæ sui sequacibus fere mundus suggerit. *Filium pater hortatur ad tuendam generis nobilitatem.*

Quibus non imparia reponebat sanctus adolescens; quæ nimirum e cælo acceperat: & ijs

Digitized by Google

DIE 23. ijs veluti lorica plusquam triplici pectus armarat. Absit, aiebat, mi pater, vt generis nobilitatem inspergam aliqua labe indecora. Quo me Deus honore dignatus est, cum Deo vires suggerente tuebor integrum, illibatum. Sed amabo, quæ mihi quisquiliæ, quę vanarum mentium ludibria proponuntur? Mihi quidem omnino certum est ac fixum, nec opum jactantiam, nec vestium splendorem aut pretium, nec corporis speciem muliebriter affectatam nobilitati posse vlli esse præsidio: aut sane quæ vera sit & germana nobilitas, prorsus ignoro. De armis aliter sentiat alius: in illam ego arenam descendere amo, in qua non ferro gerenda res est, sed virtute; quæ sincera est & vnica nobilitas. Hæc vero humanarum rerum minime indiga ipsa sibi sufficit, in vnum semper Deum intenta. Hanc, si filium amas, mi pater, sine vt colam; sine vt tota mente complectar; sine vt ad quam ipsa deducit certissima via, germanam gloriam consequar.

Virtute vt id facere permittatur rogat filius

Non potuit, nec vero voluit optimus pater infringere filij constantiam: & pro sua in res cælestes propensione, illi ad virtutem citato gradu procurrenti nullum putauit obicem opponendum. Cohortari potius cœpit ipse, vt quando ducem se Deum habere profiteretur, sequi generose nequaquam dubitaret. Neque post hos conatus diutius illum vixisse comperimus. Diu vixit, qui prolem adeo sanctam reliquit superstitem, & generi suo gloriam peperit immortalem.

& obtinet.

CAPVT IV.

Castitatis obstrictus voto, magna sui demissione proximo subuenit, & majora meditatur.

Castitatem vouet.

EXultabat nobili victoria Trudo: sed bellum minime confectum esse non ignorabat, qui legem in membris regnare sciebat repugnantem legi mentis. Cui firmas vt compedes injiceret, nuncupato voto pulcherrimum illibatæ pudicitiæ florem Numini consecrauit. Sic angelica mentis puritate expeditior, ad altiora virtutum conniti perrexit. Vnum scilicet Deum quærebat; cujus super omnem rerum conditarum modum majestas immensum extollitur. Ad vilissima quæque, ad seruilia se Trudo solitus demittere, ad eam sensim erigebatur honesti altitudinem, vt ibi jam deliciaretur, & liquidissima perfunderetur animi voluptate, quo alij summo labore, totaque virium omnium contentione vix attingerent.

Inexhausta in egenos pietas.

Humanorum splendorem toto animo sic auersabatur, vt alia re nulla nisi humilitate paupertateque delectari posse videretur. Cum ijs familiaritate, suauiorique necessitudine jungebatur, quos egentiores nouerat & a ceteris magis despectos. Ad eos frequens adibat, agebat assiduus inter illos, sermones cum illis benigne miscebat; refugiebat pæne reliquos. Vt qui sermonis aditum ad illum quęreret, faciliorem nullum, quam a paupertate, aliave miseria inueniret. Afflictorum hominum jam familias, jam ipsa capita nominatim recensebat, ambitione non minore, (ita mihi dicere fas esto) quam eius ęquales illustrium majorum catalogos & stemmata pertexerent. Sed Christi membra gloriosius hic ducebat enumerare, quam vilia plerumque glorię mancipia.

Illos ergo amabat, venerabatur, beneficentiaque sic recreabat, vt non magis suas, quam illorum facultates existimare videretur: & vero illi crederent. Stipem quippe tam certi flagitabant, quam merum depositum alius reposceret; & eadem ipse quasi fide largiebatur. Eo fiebat vt in loculis vix aliquando quidpiam esset: in obuios enim egenos quidquid ferebat quamprimum profundebat. Ne Christum tamen dimitteret indonatum (illum quippe sibi in omni paupere solitus est proponere) vestem aliquam sibi detractam in mendicos erogabat, cum aliud nihil superesset, nulla vel decori vel sanitatis habita ratione. Si de tuenda dignitate, vel rigore hiberni cæli cauendo moneret tutor aut magister; nihil ille mouebatur, cum Deum potius, quam homines, sciret audiendum: & nihil, aut certe illa Iobi verba reponebat: *Quia creuit mecum miseratio, & mecum egressa est de vtero matris meæ.*

Iob 31.18.

Inopiæ spirituali subuenire amat.

Hac comite, quam numquam deserit Diuina pietas, rectam securamque viam non ingredi non potuit beatus adolescens; & ad majora subdi sensit acre calcar. Cũ sacros oratores ad multitudinem de pulpito verba facientes sæpe libenterque audiret; & pios animorum aduerteret non raro cieri motus, sancta illum incessit cupido litterarum. His enim

enim si imbueretur, ad sanctiora propellendum se ipse sperabat, & vtilem ecclesiæ nauaturum operam, dum miseros mortales ea, quę omnium longe grauissima est, Christianę doctrinæ inopia pressos sanctiore munificentia subleuaret. Ita *de virtute in virtutem* pergebat: & quod impertierat adhuc corporibus subsidium, idem multoque pretiosius animis ferre ardebat.

CAPVT V.

A Remaclo Tungrorum episcopo Metas mittitur institutionis gratia.

NVlla quies erat animo ad propagandam Diuini nominis gloriam æstuanti. Auide circumspiciebat, quo ex fonte sacros hauriret sanctarum disciplinarum latices, quibus suam aliorumque sitim restingueret. Et cum errorem omnem in re tanta minime leuem existimaret, Dei maxime ductum exoptabat, efflagitabatque sæpissime ardentibus votis. Desideria tam pia noluit frustra esse bonus Deus. Misit angelum suum, qui Trudoni forte post diuturniores preces leuiter dormitanti nuntiaret, ad vicinum pagum, quem Septemburias appellabant, venisse Remaclum episcopum. Illum esse, qui Dei nutu & consilio demonstraret, quem Christianæ sapientiæ magistrum sequeretur. A Deo missus ad Remaclum

Amando Remaclus in Tungrensi cathedra successerat, vir tantę dignitati minime impar. Hic Septemburiis cum venisset, eadem qua Trudo nocte diuinitus accepit venturum ad se proximo mane Trudonem magnæ spei adolescentem, & prouidentia Numinis ad magna destinatum. Venientem excipere jubetur pro sua caritate; & consilijs, quæ Deus suggereret, ad Diuini cultus amplificationem dirigere.

Vt ergo diluxit, familiares obuiam illi procedere jubet, & eum ad se deducere. Sed mox & ipse suos secutus, venienti occurrit. Honesta fuit hic mutuæ venerationis contentio. In adolescente virtutem Dei commendatione dignam, & eius afflatu ad illustria assurgentem suspiciebat Remaclus: episcopum Trudo venerabatur, & suæ vitæ magistrum a Deo præstitutum. Ad eius ergo pedes prouoluitur: erigitur mox ab antistite. Qui juuenem in ædes summa humanitate deductum, & jussum considere, cohortatur pergeret, quo pede ad virtutum culmen adhuc contendisset. Ne dubita, inquit, generosum sequere bonę mentis impetum. Ad alta fert; & ex certa fert Dei voluntate. Nec ardua verere: positum est in arduo honestum. Ætas viuida, & superfusus ab alto calor viam inueniet, aut faciet. Ad audendum non impelleret Deus, nisi robur ad perficiendum addere statuisset. Eius me fidejussorem accipe. Accipe me parentem tui amantissimum; & obaudi. Ego te ceu filium amore complectar, consilio regam, ope tuebor: & vbi tempus aduenerit, potestatem faciam, vt erecta sacra æde, voti te religione soluas. Mediomatrices interim abi ad Clodulfum episcopum; quem tuę vitæ in clerum formandæ peritissimum magistrum prouidentia Numinis designauit. Ibi postquam interprete beato protomartyre Stephano fortunarum tuarum partem optimam Deo consecraueris, expeditus tum denique, nudusque nudum Christum secuturus, stadium inibis; & indefessus ad euangelicę sanctitatis illustre brauium contendes: deductisque eodem feliciter popularibus tuis, Hasbanicæ nationis apostoli nomen promereberis. excipitur pro merito & Metas mittitur.

Accepit hęc non aliter quam ex oraculo sanctus adolescens, quandoquidem ea præsuli audiret esse explorata, quorum vnicum Deum præter se sciret esse conscium. Optima spe animatum, ac discedentem cum aliquo vsque deduxisset episcopus, damnarunt e familiaribus nonnulli intempestiuam illam hominis humanitatem, qui suæ dignitatis immemor, juvenem sanguine profecto inclytum, sed animo degenerem, vestibus prope laceris tectum & incomitatum, eo honore prosequeretur. Virtutibus quippe, atque in primis Christiana humilitate animum potius exornare illum voluisse, quam corpus inanibus cæcorum hominum onerare ludibrijs, jam ante meminimus. Luce diuinitus in animum infusa, sensit turpem suorum ignorantiam sanctus pręsul: & graui oratione castigatos docuit, oculos nequaquam judices esse interioris animi, qui vni Deo pateret: & sæpenumero egregiam latere sub sordido pallio sapientiam. Vana ab externis judicia.

CAPVT VI.

Metas profectus, S. Stephano Sarchinium donat.

A Remaclo dimissus Trudo, lætus & alacer aggreditur, quod a Diuina bonitate decretum esse audierat. Nihil tam arduum & graue poterat objici, quod a sancto proposito deterreret. Animos faciebat acceptum e cęlo testimonium; omnemque jam excusserat dubitationem. Veterum igitur patriarcharum sanctitatem imitaturus, contempta natalis soli dulcedine, peregrinatum abit, vt sapientiam inueniret, quam *præponebat regnis & sedibus; & diuitias nihil esse ducebat in comparatione illius:* & inuentam ad suos populares referret, ignorantiæ peccatique tenebras patria depulsurus.

Sap. 7. 8.

Miraculis in itinere celebratur.

Profectus omnem se credidit reliquisse generis & honorum claritudinem; ignotumque mortalibus, humilem vitam acturum. Sed clarissimam Deus affudit lucem plurimis prodigijs, morborumque curatione supra omnem naturæ vim ac leges. Ingentem toto itinere multitudinem conciuit ea miraculorum fama. Malis suis opem alij flagitabant; mirabantur alij hominis virtutem tot mirandis rebus testatam; gratoque eius fruituri spectaculo, apud se diutius illum vt retinerent, contendebant. Abrupit omnia retinacula generosus juuenis, cum honoris omnis fastidio, tum desiderio magistri illius, quo ducente ad cęlestem sapientiam optatum ingressum Deus polliceretur.

Metas vt venit, ad Clodulfum vrbis episcopum mox deductus, ad illius pedes venerabundus accidit, quem certissimum Diuinę voluntatis interpretem, peritissimumque reuerebatur illius sapientiæ doctorem, cujus adipiscendæ gratia volens lætusque ad vltimos mortalium penetrasset.

Ecclesiæ Metensi sua largitur.

Aperto igitur viæ consilio, antistitem supplex rogat, in suam familiam reciperet sacris disciplinis imbuendum. Et ne coram Domino vacuis manibus appareret, quidquid paternæ hereditatis in agro Hasbaniensi ad Cisindriam fl. Sarchinij tenebat, B. Stephano Metensium tutelari consecrauit, ab illa ecclesia pari secum jure possidendum, parique administrandum dominatione. Addidit & nobilia prædia complura versus Mosæ fontes, atque in primis Dongeianam villam Virduno dissitam mille quingentis passibus: quam postea Theodoricus Ottonis I. consobrinus sui juris fecit. Cetera hodieque retinent episcopi Metenses. Sarchinio per sex ferme sæcula potiti sunt: donec scilicet permutatione cum alijs prędijs facta anno supra millesimum & ducentesimum vicesimo septimo, suum omne jus ecclesiæ Leodiensi transcripserunt.

CAPVT VII.

Magnos in litteris, sed magis in virtute progressus facit, Deo obtrectatorem castigante. Creatus sacerdos in patriam remittitur.

Virtutibus & litteris dat operam.

Tanto lætus ecclesiæ suæ incremento Clodulfus, excolendum singulari cura studioque suscepit Trudonem tanti beneficij autorem. Veteranum e suis monachum religiosæ disciplinę in paucis peritum exercendo tironi præfecit. Quamquam enim litterarum amore in hanc se scholam Trudo dedisset, prima semper ei fuit virtutum cura. In quarum exercitatione licet non tiro, sed generosus & fortis athleta dici potius mereretur, acrioribus in dies stimulis ad summum sanctitatis apicem vrgebatur. Cumque sodalium singulos pro sua modestia suspiceret vt magistros; at illum in primis venerabatur ceu datum e cælo vię ducem, quem præposuerat Clodulfus; & adeo studiose sequebatur, vt ab eius pręceptionibus nec latum vnguem abiret.

feliciter

His artibus miros omnis virtutis fructus producebat. Quæ vt latere non potest in obscuro, gloriam apud omnes ipsi comparabat illustrem, simul & æmulos. Aduersis enim obluctari virtutis est: sed ab hac semper stabit Deus; stabit aduersum vitia: hæc clade & ignominia plectet, illam gloria & honore coronabit.

Vir quidam impius elucentium in sancto adolescente virtutum splendore perstrictus, audebat palam affirmare sycophantam esse Trudonem, mentirique virtutis & litterarum amore, quo sumtibus ecclesiæ deliciaretur. Cumque & luxus & cupiditatis suspicionem

quam

quam longissime nonnulli reijcerent hoc maxime argumento, quod amplissimas suas fortunas S. Stephano consecrasset: Ego vero, respondet male sanus homo, dentium acerbissimo dolori me deuoueo, si vmquam psalterium Dauidis impostor memoria teneat. Sua ipse sententia se damnauit miser. Præstituto tempore reus acerbissimo torqueri cœpit dolore: cumque linguam non comprimeret, sed probris potius & maledictis acueret vir nefarius, auctus dolor infelicem animam expressit. Inclaruit Diuino hoc testimonio beati juvenis fama. obtrectante quodam improbe & seuere punito.

Integerrimos alioqui mores qui penitius lustrabat, non poterat non probare quilibet justus rerum æstimator. Rebus gerendis maturum sensit Clodulfus: sacerdotioque inauguratum in patriam remittere constituit; vt quæ lucis vsuram illi prima dederat, euangelij lumen ab ipso vicissim reciperet. Nam gentilismi tenebris immersos adhuc in Hasbania fuisse plurimos certum est: & fuerunt ad vsque S. Huberti tempora. Sua enim cuique semper relicta est libertas: & ad Christum profitendum adduci gentes debuerunt, non cogi. In ea vero patriæ calamitate, segnem juvenis vnius pectore tantam claudi virtutem, æquum minime videbatur. Certe Numinis amore non recte gloriatur, qui perduelles eius hostes triumphare patitur; nec reprimit aut debellat, cum potest. Sacerdos in patriam remittitur

Ægre diuellebatur Trudo ab integerrimo episcopo sanctaque illius familia, cujus exploratam plurimis experimentis demiratus innocentiam, suauissimam cum omnibus necessitudinem contraxerat. Et Clodulfus ipse dimittere noluisset, vt pulcherrimis eius exemplis in virtutum stadio ipse cum suis ad citatiorem cursum propelleretur. Sed cum ecclesiæ Tungrensis depositum esse meminisset, retinere non potuit, quod patriæ necessitate reposcebatur. Priuato igitur vtriusque solatio publicum bonum placuit anteferri.

Verum ingens aliorum orta est comploratio. Viduæ, pupilli, egeni, ægroti, & alij quicumque premebantur aduersis, ad primam de Trudonis abitu vocem in questus & lacrymas effusi, suam orbitatem deflere cœperunt, affirmantes vnicum pæne tolli suis malis leuamentum. Molliorem & propensum in ejuscemodi hominum genus Trudonem ea pupugerunt, & vincula retinendo non difficulter injecissent, nisi mox illo spectaculo redijsset in memoriam alia mortalium turba nihilo hac felicior, quam suæ item munificentiæ subsidio destitutam in patria reliquerat. Huic cum se fortiori nexu crederet obstrictum, & gloriosius insuper auxilij genus cogitaret impendere, perstitit in proposito: & Clodulfo felicissima omnia precante in iter se dedit. relicto grato odore.

CAPVT VIII.

Patrato in itinere prodigio redit ad Remaclum, & rem Christianam in patria feliciter promouet.

Redeuntem in patriam, non minus quam ante paucos annos abeuntem celebrarunt prodigia Dei virtute perpetrata. Nusquam scilicet vir sanctus sui obliuiscebatur: etiam ex itinere mortalibus bene facere satagebat. Nactus aliquando homines sacræ sementi excipiendæ aptos, cum animorum insignes motus pia cohortatione non leuiter concitasset, grauius aliquod addere momentum, Deo visum est. Dormientem enim intempesta nocte sub diuo, magna luce tectum & coruscantem conspicati e vicino ad spectaculum socios euocarunt: & miraculi illius tot ferme testes fuere, quot ante fuerant dicentis auditores. Valuit apud animos haudquaquam imparatos illud Dei de suo oratore testimonium. Orto sole conuenit ingens multitudo, & sanctum virum abire minime passura, rogauit eum diem apud se ageret: & quam e cælo haustam testaretur Deus sapientiam, in cupientissimam turbam effunderet. Piæ illorum cupiditati paruit Trudo: & adeo apposite de cælestibus rebus ipse disseruit, disserentem illi audiuerunt tam auide, vt terris illis velut impressum eius nomen abolere posteriores ætates non potuerint. Nam & locum, cui dormiens incubuerat, quando nocturno illo lumine perfusus est, posita sacra æde Numini consecrarunt; & ipsi pago nomen Trudonicas posteri fecerunt. In via Deo sanctitatem indicante mortalibus bene facit.

Sparso per totum iter suaui virtutum odore, reuersus in patriam adijt ad Remaclum episco-

DIE 23. episcopum,vt cujus auspicijs in Clodulfi disciplinā transierat,ejusdem vel nutu vel imperio quas designasset terras, excoleret. Episcopum recreauit mirum in modū spectata virtus,quā aduenicns Mediomatricibus secunda sæpe fama celebrauerat. Arctissime sanctum sacerdotem complexus postquam eius sapientiæ virtutisque periculum aliquo vsu fecisset: Macte animo, inquit, vir Dei, tua opera Deus ad magna perficienda vti constituit. Nec tuam sapientiam, quam tantillo spatio tam magnam comparasti; nec virtutem, quam a teneris annis tam acri studio sectatus es, vel otiosam vel inutilem esse patietur. Sarchinium abi: & quam tibi primitus injecere superi mentem, illum omnem agrum ita virtutibus excole & exorna, vt patrem te patria sentiat. Sic ad labores sane gloriosos Trudonem misit Remaclus: ipse mox posito episcopatu Stabuletum in monasticam solitudinem secessit.

Iubente Remaclo

Reuersus denique Sarchinium Trudo, in eam totus prouinciam incubuit, quam dudum animo sibi destinarat; sed eo vehementius, quo magis persuasum habebat e duorum episcoporum sententia, illud esse Dei consilium,aut potius imperium. Quemadmodum scilicet objecta mole cohibitus aliquando torrens, majori tum denique vi se effundit, quando oppositum prefregit aggerem: non multo aliter vbi sacrum impietati vitijsque bellum denuntiauit, omnes disjecit difficultates, incredibilique ardore in hostem se ferre cœpit, admirabili patriæ bono. Sui quippe militis generosis conatibus minime defuit supremus imperator.

patriæ succurrit.

Sarchinij primum & maxime (hoc enim patriæ se debere existimauit) tum per circumfusam late omnem Hasbaniam Christianæ fidei mysteria docere aggressus, plurimos a falsorum deorum cultu auocatos ad vnius veri Numinis cognitionem & amorem adduxit. Abduxit alios pene innumeros a flagitiosa vita ad temperantiorem. Ad intima vero euangelicæ sanctitatis adyta (quod omnium maxime fuit ad eius animum) longe plurimos secum feliciter induxit.

CAPVT IX.

Sarchinij monasterium condit; item in Flandria.

PRospero conatuum euentu recreatus, cum vereretur ne temporarium dumtaxat esset hoc patriæ bonum; quo perennaret, religiosum aliquod seminarium conserere proposuit. In eo scilicet educandas sperabat plantas, quę frondium amœna viriditate, suauitateque fructuum in virtutum amorem pellicerent omnem viciniam, & sacra fecunditate florentem ecclesiæ Hasbanicæ statum in omnes venturas ætates propagarent. Instigabat memoria voti quondam nuncupati: cujus religione se soluere certum erat.

Cœnobium Sarchinij condit,

Ergo Sarchinij, loco nimirum eodem, quo illius ædiculæ simulacrum se puerum erexisse meminerat, templum excitare cœpit, adijcereque habitationes, in quas reciperet juuentutem generosæ indolis & aptæ non modo ad omnem monasticæ asceseos dignitatem tuendam, verum etiam ad vniuersam rem Christianam qua exemplis, qua cohortationibus, qua precibus amplificandam. Viro sancto facile fuit sacram illam militiam conscribere. Plurimos inuitabat nota jam illius sanctitas, & indefessa fortitudo in profligandis vitijs & impietate stirpitus reuellenda. Eo numero concurrebant, vt exstruendis ædibus nulla satis esset operarum diligentia.

Vt stetit templum, dicauit Theodardus Tungrensis episcopus. Religiosum vero cœtū magni illius patriarchæ Benedicti legibus regere instituit: tantoque sæculorum lapsu perseuerat sancta disciplina magno rei monasticæ splendore. Agros autem cœnobio addixit, quos Sarchinij habebat amplissimos, & colligenda ex illis vectigalia; item toparchiam pari cum episcopo Metensi jure potestateque administrandam adjunxit, & quæ per Taxandriam prædia tenebat.

& in Menapijs alterum.

Quo purius ad Christi paupertatem & propius accederet, quod ipsi reliquum in Menapijs erat, abijcere, Diuinoque cultui consecrare placuit. Nobile monasterium & illic condidit, tantasque attribuit opes, quæ monachos octoginta possent alere. Euertit postea Normannicus furor. Verum Deo gloriam Trudonis suscitante,bina pro vno surrexere cœnobia,virginum alterum,alterum virorum.Sed hi posterioribus temporibus facultates omnes virginibus relinquētes, in Quercetum intra muros Brugenses se receperunt. Perseuo-

seuerant in antiqua sede extra vrbem via Cortracensi virgines,& S. Trudonis nomē retinent, quem absque vlla controuersia primum suum fundatorem agnoscunt. E quibus confice, amplissimas planeque principales ipsi opes fuisse : sed animum multo celsiorem, qui despexerit omnia, pedibusque presserit.

CAPVT X.

Claret miraculis : & apostoli Hasbaniæ nomen promeretur.

INter arduas illas monasteriorum molitiones, exspatiabatur nihilominus magna Trudonis mens in regiones & prouincias, in quas Christianæ sapientiæ sanctitatisque præclara lumina diffunderet. Et diffundebat optato successu, Deo optima eius consilia perpetratis supra naturę vires prodigijs non raro probante.

Iumentum, quo propter corporis infirmitatem quandoque faciens iter vti cogebatur, furtim quidam abduxerat. Perturbata est scilicet facti indignitate familia. Altiora Trudo cogitabat, quam vt infimis illis rebus implicaretur. In sua tranquillitate constans rem totam Dei prouidentiæ permisit. Relictum sibi facinus vltus est Deus. Furem impurus genius arripuit, infessumque horrendis cœpit exercere cruciatibus. Intellexit ille punientis Dei plagam esse : & cum palam crimen suum fateretur, ad Trudonem adductus est, & pręsentissimum malo remedium inuenit. Ad eius imperium sæua diaboli tyrannide liberatus, vitam deinceps instituit sanctiorem. Monasticen amplexus, virum Dei sibi delegit agendæ vitæ ducem & magistrum. *Furem a dæmone obsessum liberat.*

Prodigium aliud ad ætatem suam perseuerasse, & multis alijs scaturijsse miraculis auctor est Theodoricus. Limpidus fons illud est; quem in amici agro siticuloso suscitauit, perhumanam hospitalitatem hoc caritatis obsequio repensurus. In hodiernum diem fons S. Trudonis appellatur. Et ne memoriæ vetustas inuideret, hospes ille fauente multitudine, ædiculam nomini eius post mortem erexit, in qua adhuc ad inuocationem viri Dei recuperant vires infirmi, sani confirmant. *Terra fontem elicit.*

In agros aliquando excurrerat Trudo, euangelicum semen de more jacturus : excepit perhumane domo sua Gothmundus quidam ; & discedenti ait : Destinaueram tibi de tenui mea re familiari verrem : sed ab aliquot diebus non aliter ac ferus aliquis ductorem omnem fugit,& per agros ita siluasque vagatur, vt potestate mea censeam exijsse. Quod apud me statueram, ratum habe : ille tuus esto. Tu pro tua apud Deum gratia illum tibi vindica. Annuit Trudo, & pro munere gratias refert, atque adeo mercedem e cælo precatur. Ad monasterium vix redierat ensequitur verres adeo jam cicur, vt vel pueri manu deinceps duceretur. *Verrem ferum cicurem facit.*

Major vis sancto sacerdoti fuit in animos mortalium , quos via salutis aberrantes in rectam veritatis aut virtutum orbitam tanta multitudine per omnem Hasbaniam adduxit, vt gloriosum eiusce gentis Apostoli nomen promeritus, apud omnem per tot sæcula posteritatem retinuerit.

CAPVT XI.

Eius eximia virtus, & ex illa fructus enascens.

NVllo magis prodigio celebratus est, quam mira suę illius vitæ sanctimonia, & animi ardore, quo ad curandam aliorum salutem incendebatur. Impensiore tamen studio in sui ipsius curam & puritatem Diuini amoris incumbebat. Nullam sibi permittebat quietem , quæ diurno labore fatigatas animi corporisque vires reficeret. Et quia dierum portionem fortasse meliorem juuandis proximis absumebat; noctes Deo sibique seruabat, eo libentius , quod mortalium neminem haberet arbitrum.

Villa fuit, cui nomen Falmio;& in ea ædes B. Martini, tribus ferme milliaribus Sarchinio dissita. Alium item viculum Septemburias appellabant; qui pari distabat itinere, B. virginis Genouefę nomine insignitus. Laborem æqua portione partitus, alternis noctibus, nunc hunc, nunc illum inuisebat. Nec vlla nox omnino pręteribat , qua non alterutrum adiret. Expleta psalmodia, domum se ante referebat, quam dies oreretur, ne alium quam Deum arcani sui testem orta lux proferret. *Indefessa religio.*

Quo-

DIE 23. Quotidianę fuerunt illi hę exercitationes, præter incredibiles alios labores, quos verbi ad populum faciendi gratia indefessus sustinebat. Et quasi hæc leuia fuissent, ille quem biduana & plerumque triduana macerauerant jejunia; ille cui raro aut numquam molliore strato somnus obrepebat; ille idem quamquam vitæ innocentissimæ, seuerus sui judex, simulque lictor pæne inhumanus, acerbos sibi IESV CHRISTI nomine cruciatus intrepidus inferebat. Singulari tamen Diuinæ manus adminiculo, ad vltimam vsque hujus mortalitatis metam inuicta fortitudine perdurauit.

Austera vita.

Cœnobij cura.

Ejuscemodi exemplis magis, quam omnibus institutionibus quamquam alias sapientissimis juxta ac sanctissimis cœnobium suum informabat: illumque suorum laborum tulit fructum, vt velut peramœna quædam areola selectis floribus consita, mirabili virtutum omnium varietate floruerit asceterium illud, & sanctam sobolem per multa sæcula propagarit, magno ecclesiæ Dei ornamento.

Illustre est hoc, quod ex illa Trudonis schola Beregisus eam vitę hauserit sanctitudinem, qua & sancti nomen obtinuit in posteros, & insigne illud omnis honesti lyceum Andaini (hodie S. Huberti appellant) condidit, religiosaque disciplina instituit, tanto magistro discipulus minime indignus. Ejusdem pariter monasterij legibus & institutioni debuit Godegrandus egregiam illam virtutem, qua & Metensem suam diœcesim ornauit, & Caroli Martelli principatum sanis beauit consilijs, & denique sanctorum honores consecutus est.

CAPVT XII.

Sancte moritur. Miraculis mirum in modum celebratur.

PAtria virtuti cælum est: nec alio fine in terris illa degit, quam vt inter hostes exercendæ fortitudini materiam reperiat, clarisque victorijs gloriosos in patria triumphos mereatur. Aduersus impias superstitiones, vitiorumque fœditatem miro animi ardore vsque ad prouectam ætatem decertarat Trudo, plurimisque virtutibus ecclesiam exornarat; illum in cælestem patriam aduocare Deus, promeritosque sanctis laboribus honores deferre constituit.

Diuinitus mortem edoctus.

Quod Diuinę pietatis decretum, nuntiante angelo vt accepit vir sanctus, animum incredibili voluptate perfundi sensit; non quod laboribus adesse finem intelligeret; mira quippe suauitate condiebatur, quidquid arduum aggrederetur Dei causa: sed quod ingenti Dei sui desiderio teneretur: tollendumque breui gaudebat velum, quo vnico summum suum bonum prohiberetur intueri. Alacrior igitur tam felici nuntio tantopere diuque desiderato, nouis etiam afflictationibus premere corpus instituit; quod militem Christi stantem, imo certantem mori decere existimaret.

Verum quod magistro voluptatem, hoc ipsum discipulis acerbum dolorem excitabat. Suam deplorabant orbitatem: & tum exemplorum sanctitate, tum sacrarum præceptionum cælesti illa sapientia se destitui, æquis animis ferre non poterant. Eos acciri voluit Trudo, vbi vires deficere sensit. Vltimum dicturus vale, cum mœstiores illos vidisset: Macti animis, inquit, estote filij carissimi: non ille vos deserit, qui imo infixos pectori semper vos geret. Abeundum est serius, ocyus: natura cogit; euocat supremus imperator. Meliore mei parte vobis adesse non desinam. Quæ docentem audistis, eadem intimis animis infixa seruate; eodem tota virium omnium contentione enitimini; & absentiam meam minime sentietis. Ab omnibus conditis rebus cogitationes & curas abstrahite: vnum intuemini Deum. Vnus ille consiliorum omnium sit scopus, vnum hoc desiderium & amor: atque in illo inuenietis omnem animi pacem, gaudium, securitatem, beatitudinem.

Discipulos ad optima hortatur.

Vltima hæc mandata, aliaque his similia suis dabat vir sanctus, quando mortem haudquaquam longius abesse intelligens, sacrosanctis Christianæ religionis mysterijs communiri voluit. Et tandem postquam iterato super se Crucis signo religiosissime dixisset: *Dirige Domine viam famuli tui in conspectu tuo:* mortuus est IX. Kal. Decembres anno ætatis quinto & sexagesimo. Situs est in templo, quod ipse posuerat, ante aram SS. Quintino & Remigio dicatam.

Miraculorum omnium a morte primum id fuisse fertur. Suauissimus odor sacro corpore exhalauit, & mirabilem adstantium omnium animis affudit dulcedinem. Hoc veluti

luti signum concursui datum est. Plerosque adduxit admiratio: tum certa fides gratię, qua polleret apud Deum Trudo, auxilij spem afflictis excitauit. Neque fiduciam fefellit Diuina benignitas. Prodigiorum igitur frequentia & admirabilitas ingentem e vicinis late prouincijs exciuit populorum multitudinem, atque etiam primates plurimos: in his & Pipinum Galliarum prætorio tum pręfectum.

Pluribus in dies concurrentibus, factum est paulatim, vt incolarum augeretur numerus & opulentia: tenuisque pagus posito antiquo Sarchinij nomine, in claram vrbem euaderet, ex viro sancto Trudonopolim appellatam.

Nec vrbe condita, neque post vnum sæculum stetit illa S. Trudonis in miseros homines eius opem implorantes beneficentia. Audet Theodoricus abbas affirmare, neminem e sanctis omnibus alium esse, qui præsentius & facilius auxilium impertierit. Incredibile videatur quod subdit, nisi sic narraret, vt nullus dubitationi sit locus. Ipsissima eius verba habe. *Singulis pæne diebus*, inquit, (*rem toti orbi compertam loquor*) *plerumque triceni, aut quadrageni, interdum etiam centeni ab hac medicinali tumba, secundum incommodorum qualitatem, recuperatæ sospitatis beneficia reportarunt. Plus est quod mecum tota testabitur prouincia. Plerique visa a longe beatissimi patris ecclesia, antequam peterent, accipiebant: & solo affectu, longe adhuc terrarum remoti spatio, fide tamen prope erant. Et medijs agris tota residens languentium multitudo, ibi orabant, ibi statim impetrabant.* Miraculorum incredibilis post mortem frequentia.

Anno pręterea post millesimum quinquagesimo quinto & sequentibus tam crebra Deus ad B. Trudonis sepulcrum miracula perpetrauit vt concurrentis multitudinis turba neque monasterij, neque vrbis totius amplitudine caperetur. Omnibus ergo publicis vijs, pratisque, atque adeo campis per passus mille quingentos ab vrbe tentoria erigebantur, quæ obsidionis aliquam speciem referrent, celebrioribus potissimum diebus. Eamque in hominum animis excitarunt religionem creberrima miracula, vt quantumcumque atrox bellum vicinis prouincijs sęuiret, securus tamen iter faceret, vel agros coleret, quicumque S. Trudonis clientem se profiteretur. At qui de nobilitate hostiliũ infestationum metu Sarchinium se recipiebant e vicinis oppidis, tutum inueniebant asylum, etsi nec fossa nec vallum, nec aliud munimentũ protegeret, quam S. Trudonis veneratio. Quodque magis mirere; si ijdem illi viri nobiles vrbe quandoque procurrerent aduersarios suos infestaturi, & ingruente vi majore fugere compellerentur, hostem alias tergo inhęrentem tum subito consistere sentiebant, cum primum eo deueniebant, vnde supremum Trudonianę turris fastigium prospiciebatur. Eoque excreuit pietas, & pro acceptis beneficijs grati animi significatio, vt oblata religiose munera plerisque hebdomadibus centenis marcis, siue libris quinquagenis ęstimarentur. His opibus vniuersum superba mole monasterium instaurauit abbas, sed in primis S. Trudonis basilicam, opus vere regium. Addidit & alterum opere magnifico templum, vrbe media Dei Matri consecratum. Denique duodecim alias ædes sacras exstruxit diuersis locis & monasterij sui prædijs. Is tum fuit S. Trudonis cultus. Sed omnis honor cælitibus hic a mortalibus delatus, leue tantummodo simulacrum est illius gloriæ, qua suorum virtutem in cælo æternum Deus compensat.

ABBATES TRVDONENSES.

Post S. TRVDONEM Sarchiniensis monasterij primum autorem, rectoremque sanctissimum

LOTHARIVS gubernauit ad annum vsque septingentesimum vigesimum septimum prępositi nomine contentus.

1. GRIMO successit abbatis auctus dignitate. Viuebat anno 745.
2. REYRAIMVS.
3. HARDEBENVS.
4. COLVMBANVS.
5. INGELRAMMVS.
6. AMBROSIVS.
7. GISELBERTVS obijt anno 838. vel 843.
8. DROGO episcopus Met. filius S. Caroli Magni.
9. ADELBOLDVS.
10. HILDRADVS.
11. SABBATINVS.
12. OMMEMARVS.
13. RADVLFVS.
14. LVDOVICVS.
15. RADBERTVS.
16. RODEGANGVS obijt anno 920.
17. IMIZO obijt 939.

18. REI-

die 23. 18. Reinervs obijt 943. sua illi laus est suo loco.
19. Adelbero episcopus Met. obijt 964.
20. Thertfridvs ob. 994. & hujus alias meminimus.
21. Herenfridvs ob. 999.
22. Adelardvs de quo narrationem instituimus suo loco, ob. 1034.
23. Gvntrammvs ob. 1055.
24. Adelardvs II. ob. 1082.
25. Lanzo abbas S. Vincentij.
26. Lvipo.
27. Herimannvs.
28. Herimannvs II. Henrici I. imp. nepos obijt 1098.
29. Theodoricvs politiorum litterarum in paucis peritus varia scripsit, suique monasterij strenue rem curauit & mortuus est 1107.
30. Rodvlfvs alias a nobis laudatus ob. 1138.
31. Folcardvs ob. 1144.
32. Gerardvs Gisberti comitis Durassij filius cessit 1156.
33. Wiricvs, cui suas laudes alibi damus ob. 1180.
34. Nicolavs pedum abdicat 1193.
35. Christianvs a nobis suo loco celebratus ob. 1222.
36. Ioannes abbas Tuitiensis obijt 1228.
37. Libertvs dignitatem abdicat 1232.
38. Ioannes abbas S. Laurentij ob. 1240.
39. Thomas olim plebanus S. Mariæ Trud. In quo munere cum aliquando sacris operaretur, ad vitam redijt S. Christina admirabilis. Abbas creatus dedit virginibus Cisterciensibus solum monasterij B. Mariæ in Rothen anno 1243.

Anno autem 40. nosocomium quod in monasterij Trudon. sepulcreto adhuc fuerat, ad alium in vrbe locum transtulit in vicum stapelium. Vir fuit solers, & rerum tractandarum peritus. Obijt 1248.

40. Gvilielmvs Rickelivs ob. 1272.
41. Henricvs a Walbeck dignitatem posuit 1276.
42. Gvilielmvs II. obijt 1297.
43. Adamvs ab Ardinghen fuit etiam abbas S. Laurentij obijt 1330.
44 Amelinvs de Schooven dictus Mascherol acri vir judicio, singulari prudentia inuictaque animi magnitudine, ecclesiæ suæ libertatem non fortiter minus quam feliciter propugnauit. Mortuus est 1350.
45. Robertvs a Cranwyck ob. 1366.
46. Lachævs a Vranckenhoven ob. 1391.
47. Gvilielmvs ab Ardinghem alias a nobis laudatus ob. 1401.
48. Robertvs Rickelivs ob. 1420.
49. Ioannes a Beesde obijt 1443.
50. Henricvs a Koninckxhem dignitatem ponit 1469.
51. Arnoldvs a Beringhem ob. 1482.
52. Antonivs a Bergis transit Audomarum ad S. Bertini anno 1517.
53. Gvilielmvs a Bruxella abbas S. Amandi ob. 1532.
54. Georgivs Sarens abbas Bonessiensis ob. 1558.
55. Christophorvs a Blocqverie designatus Georgij successor 1557. ob. 1586.
56. Leonardvs Betten & hic designatus est Christophori successor 1585. Ob. 1607.
57. Remigivs Watzon obijt 1612.
58. Hvbertvs Germeys obijt 1638.
59. Successit adm. R. D. Hvbertvs a Svtendael & præest magna celeberrimi illius monasterij gloria. Longum Deus seruet.

II. S. WILFETRVDIS antiſtita II. Niuellenſis.

SAnctæ Gertrudis Niuellanæ neptis fuit, nata ſub annum a Virginis partu ſexcenteſimum quadrageſimum quartum. A teneris vnguiculis Niuellas miſſa, enaſcentis illic parthenonis prima ferme plantula fuit a Gertrude conſita, & illius manu ſapienter educta. Vix enim annum ætatis viceſimum attigerat, quando ſacræ illi familiæ regendæ viſa eſt idonea. Gertrudis quippe, cum ſibi mortem imminere diuinitus didiciſſet, quo terrenis animum magis expediret, de ſapientiorum conſilio præfecturę munus abdicare conſtituit, qua rei familiaris adminiſtrationem maxime ſpectabat. Vnam e toto numero Wilfetrudem deſignauit, quam ad id muneris aptiſſimam explorata virtus probabat.

Ætatem illa, neceſſariarumque virtutum tenuitatem excuſans, munus detrectabat: ſed præcipientis autoritate compulſa, prouinciam impoſitam admiſit ſub idus Decembres anni ſexageſimi tertij. At Gertrude vita decedente XVI. Kalendas Apr. anni proximi, vniuerſam denique pręfecturam excepit, ingenteſque vna tempeſtates; quas ipſo ſtatim initio concitauit dæmon, vt ſolet in primos Chriſti tirones. Propinquorum enim plerique nihil niſi terrena ſapientes, inſignem illam virginis indolem dolebant cœnobio claudi, vbi inglorie conſeneſceret. Verum Diuino nixa pręſidio, vbi ſuam omnibus in ſancto propoſito conſtantiam probauit, perſequentium odijs mox in beneuolentiam mutatis, omnem ab illis opem & ſolatium experta eſt, quos ſibi ſenſerat infenſiſſimos. Numquam enim deerit Deus in eius cauſa generoſe laborantibus.

His ergo turbis expedita, cum vt in alta pace, ſic magna innocentiæ laude S. Gertrudis veſtigia preſſiſſet, annoſque vndecim ſacrum illud Niuellenſe gynæceum ſancte rexiſſet, mortua eſt anno ſæculi illius ſeptuageſimo quinto, cum annos vixiſſet triginta & vnum. Sepulta eſt in S. Petri, marmoreo tumulo clauſa. Paucis annis eximiam ſanctimoniæ maturitatem attigiſſe credita eſt.

Die vigeſimo quarto

I. S. ALBERTVS LOVANIENSIS epiſcopus LXIII. cardinalis & martyr. *Ægidius Aurea vallis.*

CAPVT I.

Deſignatur epiſcopus, nonnullis contra nitentibus.

NAtus eſt Albertus illuſtriſſima Louanienſium principum ſtirpe. Patrem habuit Godefridum, fratrem Henricum, vtrumque Brabantiæ ducem. Sunt qui velint in equitum ordinem ſolemni ritu Valentianis a Balduino Hannoniæ comite fuiſſe cooptatum. Conſtat ſanctiora deinde illum cogitaſſe, atque adeo amplexum eſſe. In S. Lamberti collegium Leodij aſcitus eſt, & creatus Kempiniæ archidiaconus.

Radulfus Leodienſis epiſcopus anno ſupra milleſimum & centeſimum nonageſimo primo mortuus erat: comitia ſucceſſori deſignando indicta Leodij ſunt in VI. idus Septemb. qui Dei Matri natalis eſt. Innumera confluxit multitudo, partium ambitione. Louanienſem commendabant omnia ſacro principatu digna: venit nihilominus dux frater cum lectiſſima nobilitate; ne (quod ſæpe fit) relicta ſibi virtus ambitioni ſuccumberet.

Venit & cum ſplendido comitatu Balduinus Hannonius, commendauitque alterum Albertum comitis Reiteſtani fratrem, Leodienſemque præpoſitum, hominem ſtolidum, illitteratum, & cui nihil non humile, præter genus. Conſtantiæ Auguſtæ patruus erat: a qua ſimul & Auguſto ipſo (erat is Henricus Frederici Barbaroſſæ filius) litteras ſapenu- Reiteſtano aduerſante

DIE 24. penumero sibi redditas affirmabat Hannonius, quibus fuisset jussus dare operam, vt episcopo Radulfo (si decedere contigisset) alius nemo subrogaretur, quam Reitestanus ille. Hęc in speciem jactabat. At reuera nec æmulum suum Louaniensem tantis augeri volebat opibus; nec sacramento dicto suam ipse fidem eius fratri obligare.

episcopus eligitur Albertus.

Itum in suffragia. Alberto Louaniensi (cum ceteri omnes archidiaconi, clerus & populus Leodiensis, totiusque dioeceseos principes in ipsum consentirent) vnus Balduinus aduersabatur; & Reitestanum omnibus viribus cum paucis canonicis eius familiaribus tuebatur. Vanum hoc erat: nisi Louaniensem mox deseruissent omnia, præter ęquitatem causę, virtutemque.

Iniquiorem sibi sciebat Augustum Henricus dux: neque fratris lectionem nisi ægre probaturum sperabat. Spes vna erat in Philippo Coloniensi archiepiscopo, qui pro mutua cum Louaniensibus necessitudine imperatorem lenire posset. Verum illo ipso die tristis ecce nuntius aduenit de eius morte. Ceteris omissis dux cum auunculo suo duce Limburgio Coloniam tendit, quo Brunonem cognatum suum communibus studijs ad archiepiscopatum proueherent. Et ecce Coloniam nuntiatur Philippum Nobilem Flandriæ comitem in Syria decessisse. Flandriam vxorio jure suam esse censebat Henricus, quod Philippi neptem haberet conjugem. Illuc mutato statim consilio, magnis itineribus contendit, vt hereditatem tam opimam adipisceretur. Præuertit Hannonius, qui Philippi Nobilis sororem duxerat; vniuersamque occupauit Flandriam. Recuperandæ dux intentus, reliquas fraterni negotij cogitationes deposuit, difficultatem omnem nullo negotio discussurus, si Cęsaris mature gratiam occupasset.

Contra Balduinus magni vir consilij animique, nullis exhaustus tractandis rebus, Reitestanum suum minime neglexit, sed ad Cæsarem misit, promptior ad perturbandam ecclesię pacem, quam ad tuendam esset Louaniensis. Verum quippe semper erit

Luc. 16. 8. illud æternę Sapientię pronuntiatum: *Filij hujus sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.*

CAPVT II.

Alberti in episcopum creationem probare non vult Cæsar.

Reitestanum cum multo auri pondere in Italiam venientem excepit benigne Augustus, lætior oblata occasione rescindendi lectionem Louaniensis, cujus fratri infensior erat; quam Reitestani studio: quem neque quidquam tanto fastigio dignum commendabat, neque vero legitimam tulerat suffragiorum partem: spem nihilominus bonam fecit. Reuertens in Germaniam occurrit demum in Alpibus legatis Alberti Louaniensis. Quibus item pari simulatione bene sperare jussis, conuentui in Germania diem dixit Kalendas Febr.

Cæsarem vincit Horstadius

Erat apud Cæsarem in exercitu comes Horstadius, militiæ fortissimus princeps, & recenti gloria rerum in Calabria Cæsaris auspicijs strenue gestarum clarus. Hic vbi competitorem vtrumque ea verborum ambiguitate dimissum accepit, vt integrum esset Augusto, in quam vellet partem inclinare, eius animum placuit occupare. Fratrem enim habebat Lotharium Bonnæ præpositum, hominem vsque adeo ambitiosum, vt artibus quibuscumque ad altiora gradum sibi struere paratus esset. Cumque hoc infelici sæculo omnia vbique etiam sacra auro venire sciret, eius vim plurimam congesserat.

Imperatorem ergo Horstadius aggreditur: Henrici ducis fastum commemorat, augetque, quod nuper expeditionem Italicam, humane primum inuitatus, tum etiam seueriore compulsus imperio, contumax detrectauerit. Eos nimirum esse gentis illius Louaniensis spiritus; cui si opes accrescant accessione virium Leodiensium, quam denique ab illa speret obsequentiam? At Reitestano, rudi, imperito, prorsusque inepto dignationem tantam impertiri, non magis gloriæ Cęsaris consentaneum esse, quam saluti, si Alberto Louaniensi largiretur. Horstadiam porro gentem eam esse, quæ summis quibus-

turpi Simonia

que honoribus nequaquam impar, integerrima in Cæsares fide polleat. Hęc aliaque non absimilia imperatori Horstadius in aurem ingesserat: impuleratque etiam vehementer promisso auri magno pondere; cujus plus honesto appetentior erat Augustus.

ANN. 1192. Dictus conuentui dies illuxerat: Wormatiam venit Albertus Louaniensis cum fratre & auunculo duce Limburgio: sed in vicinia hi substiterunt, in conspectum imperatoris

Digitized by Google

toris venire non ausi. Honestissimus vero comitatus erat canonicorum plus quadraginta: quod profecto designationem eius conuinceret esse legitimam. Cum Reitestano venere pauci nulliusque nominis canonici: sed comitabatur apparatu egregio Balduinus junior Hannonij filius spei maximæ adolescens, quem Orientis imperio deinde virtus & inuicta fortitudo ornauit. Hunc miserat parens, vt Reitestani causæ pondus adijceret: sed potissimum vt patris nomine, qui bellis distractus adesse non poterat, pro Flandriæ regione Cisscaldina, quam Imperialem vocant, apud Cæsarem dominum suum diceret sacramentum, munusque clientelare profiteretur.

Imperatoris ingenium vt perspectum habebant Horstadij fratres, marcarum obtulere tria millia: & ne prę sulatum licitari viderentur, (ita facile hominibus, non item Deo illudimus) hoc accepto munere, archicancellarium regni sui cis Alpes Lotharium Augustus creauit, quem altero die Leodiensem episcopum jussurus erat. Suboluit hoc Reitestano: qui vt spe sua se deijci sensit, certum denique jus Alberti Louaniensis fateri cœpit, transijtque palam in eius partes ipse cum suis.

Altero igitur mane Leodienses canonici non pauciores quinquaginta Louaniensem deducunt ad Augustum. Reitestanus quod præpositus esset, exorsus dicere: Albertum Louaniensem suffragio suo, cujus primæ partes erant, tum archidiaconorum, ac denique ceterorum omnium qui aderant, legitime & e canonum ecclesiasticorum prę scripto, episcopum Leodiensem designatum renuntiat. Atque in genua cum ceteris prouolutus rogat imperatorem vt more majorum in possessionem illum immittere ne grauetur. Perturbauit Augustum illa suffragiorum & multitudo & concordia: animoque concitatiore respondit: Eam imperij potestatem accepisse se traditam a parente, vt quoties suffragiorum intercesserit dissensio, sui juris sit, quem voluerit episcopum designare. Neque porro referre, quod in vnum modo conspirent vniuersi, quando dissidium fuisse primitus, nemo nesciat. Ita quæ semel hominum animos praua cupiditas inuaserit, vel omnem justi conspectum adimit, vel etiam æquitatem apertis oculis inspectantes in transuersum agit.

& repugnāte Clero Leod.

Albertus reijcitur.

CAPVT III.

Imperatore alium episcopum designante, Pontificem Albertus appellat.

STatuerat imperator ab ea, quam impie sibi proposuerat, iniquitate non discedere: eam tamen dissimulare voluit. Nam etiam improbos suarum turpitudinum pudet. Itaque ne vi tantum & autoritate potius quam justitia agere omnia videretur, controuersiam illam relinquere se professus est judicio præsulum, qui eodem illo conuentu aderant, Brunonis archiepiscopi Coloniensis designati, Conradi archiepiscopi Moguntini, episcoporum Monasteriensis, Metensis, Tullensis, Argentinensis, Herbipolensis, Bambergensis, Basileensis, abbatis Prumiensis, aliorumque. Quorum omnium nomine sententiam imperatoris ingenio seruientem pronuntiauit Monasteriensis: Quando in partes suffragia scinderentur, integrum Cęsari jus esse. Intercesserunt Leodienses; pernegaruntque e sacrorum canonum mente censeri diuisa in partes suffragia, quando conspirantibus in vnam sententiam capitibus ferme quinquaginta, quaterna dumtaxat quinaue in aliam abeunt.

Non audiuit imperator: & in vestigio Lotharium Horstadium renuntiat episcopum Leodiensem. Clerum omnem permouit iniquitas facti: insignique constantia refragari cœpit: sed fortissime omnium ipse Louaniensis, qui Augusti nulla majestate deterritus, intrepide declamabat injuriam sibi fieri, vimque inferri manifestam ecclesię libertati, quando sui lectionem nemo sanus auderet asserere non fuisse sacris canonibus consentaneam. Ad apostolicam ergo sedem prouocat.

Renuntiato Horstadio

Pontificem appellat Albertus.

Augusto iram accendit illa libertas & constantia: occlusisque regiæ portis, ne Leodiensium cuiquam exeundi copia fieret; minis canonicos terrere cœpit, & compellere ad sectandas Lotharij partes. Ac Reitestanus quidem instar arundinis vento agitatæ cum paucis alijs Cæsareæ majestatis iram sustinere non voluit. Ceteri infracto animi robore pro ecclesię libertate fortissime in gradu perstiterunt. Quibus tandem abitum

Cæſar permiſit, monitus a ſuis aliter pro dignitate non facturum.

Lotharius, vt ante conuentum erat, archicancellarij dignitatem abdicat: & damnata Alberti Louanienſis lectione, quam prius ipſe etiam probauerat (erat enim canonicus Leodienſis) ſyngraphoque ſuo confirmarat, epiſcopatum admittit. Profectus Leodium inauguratus eſt, & in omnes munitiones receptus, icto fędere cum Balduino Hannonio; qui de Cæſaris imperio ſacramentum ei dixit, & pro Hannonia clientelam profeſſus eſt. Cæſaris enim autoritate plerique ducebantur magis, quam juſtitia cauſę. Ad neutras diſſidentium partes nonnulli ſibi putabant accedendum. Louanienſem inconcuſſa fide pauci ſequebantur. Ipſe dux fratrem deſerebat: aut opis ab illo tantillum erat, vt perſequendæ cauſæ neceſſarij ſumtus non ſuppeterent. Sic alieno ſubſidio virtus ſępe deſtituitur, vt ſuo ſtet glorioſius.

CAPVT IV.

Romam profectus, a Pontifice probari ſuam cauſam obtinet.

ADuerſis exeruit ſe, quę ferme latuerat Alberti fortitudo. Vnus ipſe libertatem eccleſiæ nullo modo putauit eſſe deſerendam. In illis anguſtijs, & conſtantium amicorum raritate cum paucis ad iter Romanum ſe accingit. Et quia itinera omnia a Cæſareanis obſeſſa compererat, ſumto vili habitu ſeruulum mentitus proficiſcitur.

Poſt ſuperatas viæ ęrumnas vitataque pericula, Romam ſanctiore hebdomada peruenit. Excepit Cæleſtinus III. inſigni humanitate, qua par erat tam illuſtrem juvenem; qui annum agens ferme duodetriceſimum, eccleſiæ cauſam tam laborioſo certamine propugnandam ſuſcepiſſe ferebatur. Itineris laboribus fatigatum corpus curare primum ac recreare juſſit. Tum cauſam totam, ejuſque ad epiſcopatum lectionem expendi maturo conſilio mandat ad ſacrorum canonum normam. In re minime dubia non tam diſceptatum eſt de æquitate cauſæ, quam excuſſa & formidata Cæſaris ira. Sed pro eccleſię libertate ſtare placuit.

A Pontifice renuntiatur epiſcopus. Sub Pentecoſten celeberrimo conſeſſu pontifex Albertum Louanienſem epiſcopum Leodienſem legitime deſignatum eſſe pronuntiauit. Et quia eximiam in eo virtutem deprehenderat, in auguſtum S. R. E. cardinalium adlegit collegium: proximoque poſt Pentecoſten ſabbato ſua ipſe manu diaconorum ordinibus inaugurauit; pontificijſque inſtructum diplomatibus, quinto poſt die remiſit ad eccleſiam; cum ante illius precibus abbati Lobienſi ſacræ tiarę vſum conceſſiſſet.

Habitum diſſimulare tota via rurſum neceſſe fuit propter inſidias a Cęſareanis vbique ſtructas. Quas *quia nondum venerat hora eius* (*Ioan. 8. 20.*) certa Numinis prouidentia vitauit. Lobium ex itinere diuertit; tiaramque pontificium munus offert: quo nimirum dignitas abbati illi creſceret, qui ordinarium epiſcopi Leodienſis legatum ſeu vicarium agit.

Vix ad ducem fratrem peruenerat tot vitatis periculis lætior: ecce noua crudeliorque intonuit tempeſtas. Fama rerum in vrbe geſtarum, lατæque a Cæleſtino ſententiæ commouerat Auguſtum, & aduerſus Albertum quaſi violata majeſtate concitarat. *Metu Cæſaris* Henrico duci intentatis ſeueriſſimis minis imperat ne illum apud ſe patiatur. Inhumanum erat fratrem vel congreſſu arcere, maxime poſt toleratas tot ærumnas: barbarum etiam in aperta immittere diſcrimina. Sed vrgebat irati principis imperium. Neque ditionem fratris vniuerſam paſſus fuiſſet Albertus obijci implacabili Cęſaris indignationi. Suaui ergo oratione fratrem conſolatus, ab illo diſcedit ad Limburgi ducem auunculum ſuum: *ſecedit Limburgum.* qui fretus arcis munitione, quam crederet inexpugnabilem, Cæſaris metu nequaquam abſterreretur a nepote ſuſtinendo. Neque falſus eſt ex ſpectatione. Quamcumque fortunam cum illo, ejuſque cauſa ſubiturum ſe profeſſus eſt Limburgius.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Rhemis consecratur episcopus, indignante & sæuiente imperatore.

VT Albertum in vicino esse Leodij nuntiatum est, nonnulli spreto omni periculo ad illum concurrere vt episcopum principemque suum, & clientelare sacramentum ei dixere. Alij quibus tanta non fuit fortitudo, significauere saltem paratos se esse ad omnem obsequentiam ei deferendam. Hoc autoritati apostolicæ dabatur. Neque dubitauit Albertus plures majore fidentia idem ausuros, vbi episcopum esse consecratum accepissent.

Brunonem ergo Coloniæ archiepiscopum rogat prolatis Cælestini diplomatis, consecrationem vt sibi impertiretur. Non ausus est Bruno tantam imperatoris offensionem incurrere. Quod sane presenserat ipse pontifex: eaque de causa aliud diploma dederat ad Guilielmum Rhemorum archiepiscopum, qui S. Sabinæ cardinalis erat, & legatus apostolicus; quo jubebat vt Albertum consecraret episcopum, si Cæsaris metu tergiuersaretur Coloniensis. Suam omnem operam perhumane cum obtulisset Guilielmus, Rhemos Albertus contendit. *Rhemis sacratur episcopus*

Sacerdotio inauguratus est XIII. Kal. Octobris. Altero die, qui Dominicus erat, aggressus episcopi consecrationem archiepiscopus, cum ipsi Albertum de more stitissent episcopi duo, oblatumque librum expandisset, in hanc primam omnium sententiam incurrit: *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.* Et post paucos versus subdebatur: *Misitque & decollauit Ioannem.* Fremuit totus hoc casu bonus antistes; Louaniensique illacrymatus: *Fili*, ait, *accedens ad seruitutem Dei, sta in justitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Nam te (vt quidem auguror) gloriosum manet certamen. Quibus dictis, postquam consecratus est episcopus, sacramentum ei dixit Limburgius, præfectus arcis Bullioniæ, aliaque nobilitas, quæ e diœcesi Leodiensi conuenerat. Mox a sacro discessit archiepiscopus Compostellam, vt voti religione tenebatur; cum prius collegio suo Leodiensem episcopum commendasset; cujus gratia solidos octo dies profectionem distulerat. *non sine mortis præsagio.* *Matth. 14. 3. & 10.* *Eccli. 2. 1.*

Postero die, qui S. Matthæo sacer erat, in principe basilica sacerdotij sui primitias Numini obtulit episcopus. Delecta nobilitas Francica conuenerat, ludis equestribus celebratura festum diem. Quos cum ederet postridie, spectatumque iuisset Arduennę dux: ecce nuntiatur Leodium venisse imperatorem; episcopoque & eius sectatoribus tristissima quæque minitari. Audierat enim Lothario sincere paucos adhęrere, propendere ceteros magis in Louaniensem. Hos vt castigaret venit ipse ad vrbem. Veritus dux ne quid absente se aduersus Limburgum tentaretur, maturandum ad sua tutanda reditum censuit. Nobilium non pauci militarem polliciti operam, cum eo Limbugum abierunt.

Impiam Leodij tyrannidem exercebat Augustus: & quos in Albertum audierat proniores, vel terrore compellebat ad obsequendum Lothario suo; vel quos apostolicæ sedis reuerentia deprehenderat a recto proposito abduci non posse, illorum ædes imperabat euerti. Non satis id fuit imperatoris odio. Henricum Louaniensem accersit; exprobrataque illi fratris temeritate, qua præsulis gradum inscendere non dubitasset; seuere mandat, illum ejuret, clientelamque Lothario profiteatur. Importunum hoc duci visum est. Ægre tamen pauculas ante noctem deliberationi horas obtinuit. *Offensus Cæsar*

Autores fuere familiares, Cæsari vt pareret; nisi dignitatem, imo & caput illius iræ ludum objicere mallet. Redit sub noctem ad regiam imperata facturus. Iubetur in primis Balduino Hannonio quæcumque eripuerat oppida restituere. Restituit. Tum fratrem ejurat, & Lothario fidem addicit. Quę omnia hoc ipso duci fuere grauiora, quod ad ea cogeretur in oculis atque ex consilo æmuli sui Hannonij, quem in omnibus audiebat imperator. *ad indigna Brabantum compellit.*

Vehementius etiam persequebatur Hugo Wormatiensis; quem Lotharingiæ pridem Augustus pręposuerat, non alia potiore de causa, quam vt opponeret Henrico Louaniensi, qui se Lotharingiæ ducem appellabat. Hic igitur ex Augusti sententia cauebat omni-

omnibus consilijs, ne qua se ratione posset ęmulus attollere: totamque hanc tragœdiam ipse vnus ferme composuerat cum Horstadijs fratribus. Atque ad optata rem necdum perductam cum intelligerent perditissima capita, abeunte Cęsare in interiora regni, arcanum habuere Trajecti consessum in basilica Seruatiana: ibique nulla sancti illius loci reuerentia reuocati ab horrendo facinore, in innocentis episcopi necem conjurasse dicuntur.

CAPVT VI.

Sacrilege trucidatur.

RHemis interim agebat Albertus in magna necessariarum rerum penuria, quasi ad cælestium desideriũ a Deo præpararetur: de illo enim cogitare fratri duci liberum non erat. Ecce paucis diebus a Trajectensi conjuratione veniunt ad illũ tres e Germania viri nobiles equis, armis, famulis probe instructi, & conficta nescio qua exilij sui fabella in eius familiaritatem adeo se penetrarunt, vt pro eximio animi sui candore, plurimum delectari cœperit eorum consuetudine; ipsisque impetrarit ab vrbico magistratu liberam exeundi vrbe, redeundique facultatem. Hoc enim scelerati homines in equis factitabant, quos totos dies habebant instratos, pro more patrio, vt quidem aiebant: at reuera vt perpetrato, quod designabant facinore, semper ad fugam essent expediti.

Aduersarijs necem molientibus,

Mouebant illa & alia hujusmodi nonnullis suspicionem. Sed eam omnem discutiebat episcopi sincerus candor. Nam profecto ab inauguratione hominem indueret prorsus alium. Credi non potest quam sancta simplicitate referret Christianam agni innocentiam; in cujus jugulum gladios acuebat pertinax in impietate consilium improborum. Columbina mansuetudine arridebant oculi: linguam suauissimum caritatis mel condiebat: vultu promicabat angelica puritas. Denique totus homo dignam episcopo grauitatem mira modestiæ suauitate temperatam spirabat. Tam atrocibus appetitus injurijs non modo nihil in aduersarios acerbius ipse proloquebatur; verum etiam ægerrime ferebat alios de illis vel verbum effutire. Adeo quem tam capitali odio lacessebant hostes, secum ipse habitans, alta fruebatur animi pace.

mira eius innocentia.

At non illa sancti præsulis consuetudine mansuetudineque euangelica vincebantur impij carnifices: & non aliter quam si virtutum luce perstricti prouocarentur ad cædem faciendam, in omnem occasionem cogitationes intendebant.

Creditus est mortem præsensisse VIII. Kal. Decembris, cum multis inter familiares de morte disputasset; quæ terrenis omnibus rebus ita fines describeret, vt nullum diuitijs aut voluptatibus, potentiæque ac generis nobilitati locum, pretiumve relinquat: ejusque desiderio & exspectatione recreari se ostendisset.

A prandio ejusdem diei spatiatum abijt extra vrbem innocentissimus antistes cum impijs sicarijs. Qui longius abductum a porta cum duobus tantum comitibus, medijs in campis aggressi, immaniter contrucidarunt. Nullam emisit vocem vir sanctus, vt qui primo vulnere alterove vitam posuerit. Illa tamen fuit perditissimorum lanistarum rabies, vt tredecim magnis vulneribus inflictis, in *Christum Domini* immanitatem efferatam exercuerint.

Crudeliter obtruncatur.

Perpetrato execrando facinore, in Germaniam maximis itineribus refugerunt. Cum ingentem fecisset in vrbe motum horrendi sacrilegij nuntius, parricidas persecuti sunt nonnulli, vt e fuga retraherent. Frustra: longiore spatio pręcurrebant. Eorum famulum in vrbe relictum discerpserunt alij. Vniuersorum enim animos vi mira sibi conciliauerat spectata præsulis sanctitudo. Reliqua multitudo ad cædis locum effusa, eius acre desiderium testata est.

CAPVT VII.

Honoribus post mortem ornatur.

FVnus pro dignitatis episcopalis reuerentia Rhemensis clerus apparauit. Eodem die corpus ad principem vrbis basilicam deportatum abluit, episcopique ornatum insignibus collocauit in sacrario. Vestes autem sanguine perfusas reposuit in sancto loco ser-

seruandas. Iusta postridie persoluta sunt concurrente innumera multitudine.

Quod editum hic admirandum canonicæ disciplinæ exemplum Cantipratanus prodidit, minime prætermittendum existimaui. Veniebat eodem die Rothardus regia stirpe natus, Rhemensis archidiaconus, & episcopus Catalauni nuper designatus, Albertum (quocum necessitudinem ante contraxerat) secum abducturus Catalaunum. Accepto amici tam acerbo casu, tectus breuiori & profana veste, qua de via venerat, cum nobilibus alijs viris interfuit funeri. Iustis persolutis, decanus gente Anglus canonicos omnes, ipsumque adeo Rothardum in cœtum aduocat. Cunctis de more considentibus e Rothardo quærit an archidiaconi canonicique dignitatem abdicasset. Negat ille. Tum decanus: Ergo, inquit, cum sine sacro habitu templi nostri cellam interiorem ingressus, canonicam disciplinam violaris, solemni pæna culpam eluito. Nec mora: procumbens Rothardus vestes ponit, & postquam incussas valide manu decani plagas accepisset, tranquillo serenoque animo conuersus ad illum: Gratulor, inquit, ecclesiæ Rhemensi, quæ Dei ejusque Matris beneficio, te nacta est decanum instituti canonici adeo tenacem. Ex hoc profecto collegium istud complectar arctius, & gratam religiosæ seueritatis memoriam venerabor. Dixit, ac tum denique dignitates abdicauit. Exemplum sane, magisne integræ disciplinæ? an obsequentię simplicis? Alterum non facile prętuleris alteri. Hoc dicam: vtriusque facinus funere fortissimi martyris dignum fuisse.

Parentatur insigni disciplinæ exemplo.

Sepultus est sanctus præsul inter archiepiscopos illius ecclesiæ: ibique miraculis illum claruisse, quæ oculis vsurpauerit, testatur eius vitæ scriptor apud Ægidium. Plurimi certe ciues, quibus vitæ probitas fidem conciliarat, affirmarunt visam a se plus vice simplici delabi cælo magnam lucem, quæ totum cædis locum perfunderet. Hunc in Alberti honorem postea quadrato lapide strauerunt, & erectis quatuor columnis marmoream imposuerunt crucem. Ad eam quotannis ambaruali supplicatione proceditur die Mercurij Rogationum. Solemnes tamen preces pro mortuo ad vsque nostram memoriam fundi solitæ fuerunt. Mirum, quandoquidem sanguine perfusas vestes inter sacra repositas meminerimus. Apostolica denique autoritate sanctorum tabulis nomen eius inscriptum est.

Anno autem supra millesimum & sexcentesimum duodecimo mense Decembri sacrum eius corpus Bruxellas transtulit, & in virginum Carmelitanarum cœnobio collocauit Albertus Austriacus Brabantiæ cæterarumque prouinciarum Belgicarum princeps sane religiosissimus, & meliore dignus sæculo.

II. NICOLAVS monachus Villarij. *Cantipratanus, Henriquesius.*

Nicolaum hunc magna virtute præditum, huic diei Henriquesius adscribit; eique tribuit, quę tacito nomine de Cisterciensi quodam monacho narrat Cãtipratanus. Iter in Brabantia faciebat hiberno tempore, pręmissoque in villam famulo, in agris ipse errabat; alta quippe nix omnia viarum indicia obruerat. Triennem elegantissimę formæ puerum forte inuenit, vberibus lacrymis tristique ejulatu de frigore quiritantem. Misericordiam illi commouit spectaculum. Equo descendens, flentemque complexus puerum, lacrymas & ipse tenere non potuit, quæsijtque quam fletus causam haberet. Et quando responsum non acciperet, rursum interrogauit, vbi esset mater? eamne perdidisset. Post tristiorem ploratum tandem: Heu me, inquit puer, non mihi justa sit fletuum causa, quem solum, egenum, & media niue algentem vides; nec est qui hospitio recipiat? Ad hęc Nicolaus illum osculatus dixit: Mitte lacrymas, dulcissime puer, in hospitium ego deferam, & annonam prouidebo. Dixerat; & cum puero parabat equum inscendere, subito puer euanescens, teneri desijt simul & videri. Tum Nicolaus intelligens Christum illum fuisse Virginis filium, in terram collapsus, flere vberius diutissime perrexit, donec a famulo quæsitus ac tandem inuentus, & in equum sublatus domum redijt. Interrogatus porro quid fleret, aliud nihil tota nocte reddidit, quam: Heu me puer bone, puer pulcherrime, quare me reliquisti? cur tam cito abijsti? cur te perdidi? Illi autem postea rem totam aperuit, a quo se Cantipratanus ait accepisse; & subdit: *Quis autem sine lacrymis audire potest piaculum tale & tantum, quod Filius vnicus Patri Deo, Deus existens, hospitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis, refrigescente*

fcente caritate multorum, non est qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat Patris placiti benefica voluntate, reuoluat & foueat deuotionis sinu, veste contegat caritatis? Hæc ille. De Nicolao nihil amplius proditum est. Hoc credi potest; cælo receptum illum esse, qui hospitium in terra Christo destinauerat.

Die vigesimo septimo
S. ODA
virgo. *Molanus, Officium Leod.*

ANN. 697. Cæcitate liberata

GEnte nobilis fuit: imo rege Scotorum natam ferunt, inquit Molanus. Taxandram eam fuisse canit ecclesia Leodiensis. Hoc constat: vbi increbuit fama miraculorum Leodij perpetratorum a S. Lamberto martyrij lauream recens adepto, eo profectam esse, vt cæcitate liberaretur. Cum in itinere esset, imminentemque Leodio montem attigisset, videndi facultatem subito recepisse; viæque reliquum sperato beneficio jam potitam confecisse, sancto martyri ad eius tumulum gratias relaturam.

templum condit

Ædem postea posuit, vbi videndi vim receperat, S. Walburgis nomine consecratam. Toti monti nomen in hoc tempus ex eo relictum: quamquam ante nostram ætatem euersum prorsus jacuerit templum illud; vt nec locus satis notus esset. Restaurauit denique nuper ære suo Petrus Steuartius Leodiensis canonicus, parœcorumque curiam esse constituit, ingenti suburbanorum commodo: adjunxitque parthenonem ordinis S. Sepulcri, disciplinæ religiosæ obseruantia celebratum.

& virginitatem vouet.

Oda porro clariori quadam luce diuinitus perfusa (quod ipsum gloriosi martyris Lamberti fuisse munus credere pium sit) Christo virginitatem consecrauit. Et quo parentis reclamantis sollicitantisque ad nuptias importunitatem declinaret, in Taxandriam ignota diuertit, contemptis forti animo omnibus paternę domus illecebris, cęlestis sponsi delicijs in solitudine fruitura. In Wertensem se primum siluam abdidit. Sed cum alias latebras eius sanctimonia Deus illustrare statuisset, dum illo in nemore contemplationi se daret, garrula picarum loquacitate ferunt accolis proditam. Ea de causa appingi solitam illius imagini picam opinatur Molanus.

Miraculis celebratur.

Inde Rhodam abijt: vbi beatam denique vitam clausit sub annum septingentesimum decimum tertium. Cumque perpetratis magna frequentia miraculis a morte celebraretur, Rhodensem agrum eius honori deuouit matrona quædam nobilis: hodieque superest canonicorum collegium. Increbescentibus rursum miraculis sub annum Christi millesimum centesimum tertium, tellure educta est S. virgo, & populorum religioni proposita per Obertum Leodiensem episcopum. Nobilem pręterea virginem nomine Hiluuarem aiunt S. Odæ a pedibus fuisse: a qua conditum esse suum collegium existimat clerus Becanus. Vnde vt S. Odæ Rhoda, ita Hiluuaris Beca nominatur.

FLORVM

FLORVM ECCLESIÆ LEODIENSIS DECEMBER.

Die ſecundo

IOANNES D'AVELOIS

abbas Floreffienſis. *Bibliotheca Præmonſtrat.*

TRADITAM ab antiquo inſignem hujus virtutem colit poſteritas, quamquam ignara quæ ab illo præclare geſta tam glorioſam illius famam concitarint. Illuſtre nihilominus hoc eſſe teſtimonium fateamur neceſſe eſt, quando laudem tantam ijs temporibus tulit, quæ aurea Floreffię reuera fuerunt, recenti adhuc memoria ſanctiſſimi patriarchę Norberti: qui conditam a ſe domum hanc non tantum religioſis legibus, ſed clariſſimis potiſſimum exemplis inſtruxit. Et heſterna Hermanni abbatis IV. integritas (quam ſuo tempòre memoramus) argumento eſt, non niſi dignum tanto viro ſucceſſorem fuiſſe deſignatum. Subijcio tamen paucis verbis ſed inſigne, quod producit Bibliotheca Præmonſtratenſis, illius encomium. *Prædeceſſoris ſui puritatem & ſanctitatem ſtrenue æmulatus, per auſteræ vitæ rigorem, & indefeſſum mortificationis ſtudium eximiam mentis & corporis conſecutus eſt puritatem : & cæleſtis gratiæ rore fecundatus in amœno & florenti Floreſſiæ cœnobio ſicut candidum lilium germinauit. Vbi poſt multos pro animæ ſalute & euangelicæ perfectionis obſeruatione exhauſtos labores ad æternitatem clarus die ſecundo Decembris aſcendit.*

Die tertio

S. ELOQVIVS

presbyter. *Molanus.*

GEnte Ibernus, e S. Furſei ſodalibus fuit; quibuſcum per Saxoniam Galliamque ſtrenue operam poſuit in prædicando Dei verbo. Sed poſtquam Latiniacum monaſterium Furſeus condidiſſet, eo ipſe ſe recepit : eaque morum integritate monaſticen excoluit, vt decedens vita Furſeus Latiniacum ei commiſerit adminiſtrandum. Prouinciam ſuſcepit Eloquius, rexitque ea vigilantia & ſanctitate, vt inferi tantum religioſæ diſciplinæ ſplendorem non ferentes, acerba odia nonnullorum ex eius diſcipulis aduerſus ipſum concitarint. Sapientiſſimi quippe Magiſtri, illorumque cœtus quamquam optimi, nonnumquam ſuum Iudam reperiunt. Cedendum exiſtimauit vir ſanctus: & Grimacum ad Iſaram cum paucis ſodalibus ſeceſſit, anachoreticam vitam acturus. (Circiter annum 640.) (Latiniaco cedere compulſus) (Grimacum ſe confert)

Latere non potuit lux tanta : in oculos quamprimum incurrit S. Eligij Nouiomenſis epiſcopi : qui presbyterum conſecrauit, fecitque poteſtatem tota illa diœceſi Dominicam vineam excolendi. Fecit Eloquius, vt ardenti Diuini honoris cupiditate, ita ingenti bono omnium accolarum. Erat enim inſigni modeſtia, laborum amans, magnanimus (multoque edito fructu)

DIE 3. mus in aduersis superandis, in suscipiendis hospitibus perhumanus, pater pauperum, miserorum solatium, omnia denique omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret.

moritur. Multa sanctitate miraculisq; celeberrimus, atque extrema senectute venerabilis mortuus est. Sacrum corpus religiose humatum est in colle juxta aggerem publicum ad Somonæ & Isaræ confluentes: positaque ibi æde, magno populorum concursu & religione diu cultum fuit: donec Odone rege Dani regionem omnem vastantes templum incenderunt. Dei tamen prouidentia intactæ manserunt viri sancti exuviæ; sed & inhonoræ diu postea, mortalibus negligentibus. Quamquam enim multis radijs sæpe colluceret locus, angelorumque concentu resonaret; de restauranda sacra æde nemo cogitabat. Eilbertus denique sub annum nongentesimum quinquagesimum obtinuit, vt sacrum corpus tollere liceret, & Walciodorum inferre; vbi non ita pridem cœnobium condiderat autore Forannano episcopo & primo monasterij abbate. Illatus est in monasterium S. Eloquius ipso die, qui mortis anniuersarius erat; quo item dicati templi memoria celebratur. Triumphi illius pompam ornauit Deus multis miraculis.

Walciodorum adfertur.

Die quinto

I. REGINARDVS

episcopus L. *Anselmus, Renerus de S. Laurentio, passim nostrates, & quæ de ecclesiæ suæ archijs mihi exhibuit adm. R. D. Nicolaus de Rocourt decanus S. Bartholomæi.*

CAPVT I.

Episcopatum sacrilege consecutus, expiatur insigni pænitentia.

NObilibus in agro Coloniensi parentibus natus; eam litteris a puero, virtutibusque nauauit operam, vt in collegium metropolitanæ ecclesiæ adscitum, in familiam etiam receperit Heribertus archiepiscopus, ille qui virtutis merito sancti nomen indeptus est; & post industriam negotijs gnauiter & religiose petractandis probatam, Bonnensis ecclesiæ præpositum crearit. Quod munus postquam magna fide & vigilantia sustinuisset annos plures, accidit vt sub annum Christi millesimum vicesimum quintum orbata pastore Virdunensis ecclesia concordibus suffragijs antistitem sibi dari Reginardum postularet: eo scilicet peruenerat secunda eius nominis fama.

Episcopatũ turpiter adeptus. Sed ille vbi Durandi Leodiensis episcopi mortem accepit, eo potius animum adjecit: & qui tanta innocentia vitam adhuc egerat, illius dignitatis splendore mens eius adeo perstricta est, vt episcopatum Simoniaca nundinatione sibi comparare non reformidarit. Ad Conradum regem adijt, votorumque compos factus est oblata auri vi non parua; quam sapientius in pauperes erogasset, ne formidandum angelicis humeris pondus sustinere cogeretur. Sed conniuent sæpe hominum oculi ad humanarum rerum splendorem; quas, si acutum vidissent, auersarentur vehementius, quam imprudentes ambiunt.

ANN. 1026. Susceptum tam infaustis initijs episcopatum non omnino male primum rexisse fertur. Aduocatum Virduno Stephanum monachum multa virtute spectabilem consecrauit abbatem, præfecitque monasterio S. Laurentij, quod jam inde ab Eraclio episcopo cōdi cœptum anno Christi nati nongentesimo septuagesimo, adhuc hęrens in fundamentis, assurgere non poterat. Verum stetit modo hic ille Reginardi conatus. Neque par erat adeo illustre monasterium ab episcopo tanta turpitudine notato coronidem accipere.

ANN. 1029. Romam petit. Episcopatus quadriennium jam fluxerat, quando vti quatriduanum Lazarum monumento, sic hunc de impietatis barathro pius IESVS euocauit, & sancto consilij spiritu animauit, vt Romam proficisceretur, vbi per eum solueretur ab instiitis Simoniæ, & cęcæ ambitionis sindine, qui vice apostolorum ligandi atque soluendi munere fungebatur. Iuit, sed tam specioso numerosæ nobilitatis comitatu, vt expeditionem militarem

rem suscipi potius crederes, quam religionis gratia peregrinationem. Tantam enim male factorum pænitudinem animo conceperat, vt tot oculos non refugeret eorum testes, quę expiationis ergo sibi proposuerat.

Ingressus Romam, vt in pontificis conspectum venit, (Ioannes vigesimus erat) ad eius pedes in publico conuentu procubuit: ibique rugiens a gemitu cordis sui diu jacuit, verbum profari non valens. Commouit vniuersos inexspectatum a tanto viro spectaculum, ipsumque adeo pontificem; sed maxime peregrinationis comites eius consiliorum ignaros. Postquam omnes aliquanto tempore suspensos tenuisset facti insolentia ignoratioque; vix tandem totus lacrymis perfusus, semiformata inter singultus voce, suum Simoniæ flagitium palam omnibus aperuit. Cujus causa quasi tumentes super se fluctus cum Numinis iram sentire se metueret, antequam judicaretur a Domino, episcopatus honorem sacrilege partum abdicare se, & ad eius vicarij pedes ponere profitetur. Atque ita posito super aram principis apostolorum pedo, velut immani leuatus sarcina surrexit alacrior. & insigni pænitudine

Collaudauit tum animi magnitudinem pontifex adeo saluti necessariam. Et aliqua venia dignam arbitratus, tertio post die Reginardo ad se reuocato mandat, vt Dei nomine, autoritateque principis apostolorum pedum reciperet, pergeretque gregem ducere, non jam vt turpis negotiator, sed pastor legitimus: admissam tamen impietatem eleemosynis redimere meminisset: & si fortunæ ferrent, alicui e cælitibus templum exstrueret, qui vita olim abeuntem reciperet in æterna tabernacula. His feliciora omnia precatus, illum remisit ad gregem. veniam obtinet.

CAPVT II.

S. Laurentij monasterium absoluit: & alia.

MVtatus est in alterum virum Reginardus. Nam profecto qui a perpetrato turpi illo facinore velut effetus elumbisque marcuerat; nec ad rem aliquam præclare faciendam animum valuerat erigere; vt primum ex infami hoc emersit barathro, nouas quasi vires affundi sensit. Et quod ante episcopatum magna laude cœperat, totum animum ad opera se digna vi etiam majore conuertit.

Roma rediens Leodium descendebat e Publico monte; eratque in conspectu ædicula S. Laurentij cum humilibus monachorum tuguriolis, quando ecce Hermannus comes, Lotharingiæ ducis frater, vt erat arcanorum episcopi particeps, & in S. martyrem singulari religione ferebatur, in aurem Reginardo insusurrat: Viden' S. Laurentij oratorium? Hoc tibi sancte ausim affirmare; certissimum eius tibi futurum præsidium, quantum a primis ęterni regni proceribus sperare possis, si quidem eum tibi demereri studueris. Pluribus opus non fuit animo cælestibus desiderijs inflammato. S. Laurentij cœnobium perficit

Post pauculos dies clientibus de felici itinere gratulantibus concessos, locum ipse lustrauit: statimque quod mente conceperat opus, aggressus fuisset, nisi differre coëgissent importuni brumæ dies. Vix effluxerant, quando III. nonas Februarias anni millesimi tricesimi vetus ædicula dirui cœpta est, vt nouæ augustiori locum daret. Vbi colophonem imposuit Reginardus, quo majore gloria dicaretur, Romani pontificis legationem obtinuit. Ea functus est Ioannes Portuensis episcopus, & cum Pelegrino archiepiscopo Coloniensi dicauit, magna Reginardi exultatione, pietatisque sensu: quam insigni munificentia testatus est illo ipso die. Agris enim opulentisque prædijs monasterium ditauit, bibliothecam instruxit optimis libris, pretiosa sacrorum supellectile templum ornauit. Fortunatissimus hic Laurentianę familię dies fuit; quo tandem e prioribus illis angustijs educta cœpit amplificari.

Aliud preterea perficere opus instituit, antecessorum quidem beneficio & religione inchoatum, sed hærens propemodum in cunabulis. Bartholomæanum id erat collegium. Cui cum vectigalia Godescalcus attribuisset alendis duodecim canonicis: alia post addiderat Baldricus II. episcopus, atque alia Wolbodo, quæ canonicis præterea quinis adderentur. Quo igitur vicenarius numerus compleretur majore dignitate, noua rursum prædia Reginardus donauit. Aliena scilicet cordi habere visus est. Quod in vulgus plerumque non ita gloriosum sit: at publicæ rei fortasse non minus vtile, quam noua aggredi. & S. Bartholomæi collegium auget

Sub

DIE 5. Sub idem tempus Leodij molesta muscarum pestis vrbem agrumque Leodiensem inuasit, multitudineque innumerabili, morsiunculis, ac molesto incursu in os, nares, oculos, adeo hominum genus infestauit, vt cum ab humana industria nihil obtinerent, ad opem Diuinam se conuerterint. Illam inuenisse se crediderunt suffragante B. Nicolao Myrçorum episcopo, cui voto sese obstrinxerant. Rei se religione soluerunt extructa propter basilicam S. Crucis ædicula: quæ fertur, inquit Ægidius, prima omnium fuisse condita in regno Lotharingiæ nomini B. Nicolai. Dicauit episcopus XI. Kal. Augusti, & curialem esse jussit: quæ ab accepto beneficio nomen obtinuit, diciturque S. Nicolai ad muscas.

ædemque S. Nicolai ad muscas.

Alterum item curiale templum S. Martino in insula posuisse fertur Reginardus, & proximo S. Pauli collegio subdidisse.

CAPVT III.

Egenis in magna necessitate subuenit. Moritur.

IMmanis fames sub annum tricesimum quartum totum pæne terrarum orbem afflixit. Initium in Oriente habuit; Græciaque infestata, penetrauit in Italiam. Vnde effusa per Gallias in diuisam Oceano Britanniam transijt. Ea fuit agrorum sterilitas, vt jactæ sementis decima portio vix messe colligeretur. Dira ergo fames consecuta est: & hanc innumera horrendaque mala; quæ narrare non est instituti mei. Tres annos tenuit ea calamitas.

Egenos juuat famis tempore

Opportuna & Christiano principe digna Reginardi liberalitas tota hac diœcesi ingenti fuit solatio. Trecentos quotidiana stipe Leodij pauperes sustentauit, Hoij trecentos, Dionanti totidem, itemque Fossis. Quo euangelicæ caritatis exemplo, suorum clientum plurimos ad æmulationem prouocauit. Sed cum miseratione subsidioque non minus digni viderentur plerique fortunæ non infimæ, quos tamen a mendicatione pudor ingenuus absterrebat, plurimam ipse illorum operam conducebat. Ita quidem & priuatorum egestati subueniebat, & reipublicę commodabat plurimum, simul & illam exornabat. Nam ingenti ponte Mosam strauit: binosque alios in Transmosana regione pontes excitauit opportunis locis, quos hodie S. Nicolai & S. Iuliani appellant. Ac denique Vrtę fl. tertium imposuit, quem Amerinæ cortis nuncupamus.

& belli

Sed en nouam eius caritati simulque fortitudini materiam prębuere publicæ aliæ calamitates. Lotharingię regnum ferro flammaque fœde populari cœpit Odo Companiæ comes anno tricesimo sexto (imperatori Burgundiam, quam suam esse contendebat, extorquere nitebatur) suaque crudelitate miserorum mortalium innumeram multitudinem in interiora regni Leodium vsque compulit. Triste spectaculum erat, tot homines patria bonisque omnibus pulsos cum imbelli conjugum liberorumque turba, ad vltimam necessariatum omnium rerum inopiam redactos, stipem ostiatim emendicare. Sed & graue Leodiensibus erat a dira illa fame vix respirantibus; quibus cariorem annonam faciebat externorum tanta multitudo. Hic vero caritatis viscera pius præsul expandit: commonitoque pro concione populo, ne diuinitus oblatam excolendæ caritatis Christianæ occasionem pulcherrimam elabi sineret; ipse pręiuit exemplo. Trecentos illorum exulum sua stipe alendos suscepit: simulque illo facto ad eadem pietatis opera ceteris injecit ardorem.

ANN. 1037. Coërcendæ interim Odonis ferociæ, jussus ab imperatore Gozilo dux Lotharienſium, copias Leodium cōuenire mandauit; aduocatoque in auxilium episcopo, aduersus Campanum mouit. Hoc imperio, hoc tuendæ Leodiensi ecclesiæ Reginardus debere se credidit: cum delectis equitum peditumque copijs profectus est. Pugnatum est acriter primum, & ancipiti Marte. Sed Odone cæso cum maxima nobilitatis eius parte, vicit Gozilo: & ad Augustum cum insigni gloria reuersus, non minimam episcopo Leodiensi victoriæ partem adscripsit. Verum hoc illi fuit gloriosius, quod pro suis eo prælio desideratis, supplicationes omnibus templis, sacrificiaque per omnem diœcesim decreuerit.

Viam sibi muniebat prouidus antistes, quo sentiebat se euocari. Eodem enim anno nonis Decembris administrato sapienter episcopatu vita functus est, & terræ conditus ante majorem aram in S. Laurentij. Sepulcrum postea Euerlinus abbas exornauit. Sed

cum

Digitized by Google

tum anno supra millesimum & quingentesimum duodeseptuagesimo, templum cum toto monasterio afflict a principe Arausio; aperto postea Reginardi tumulo, corpus eius cum vestibus, præsertim episcopalibus, pedoque ac calice argenteo nulla rubigine exeso inuentum est integrum. Virtutis testimonium a multis hoc creditum est.

II. B. WERRICVS prior Alnensis. *D'Assignies e manuscr. Camberonensi scriptore monacho Alnensi.*

LEodij ad S. Lamberti canonicus erat, quando anno Christi post millesimum centesimum quadragesimo septimo Leodium venit Eugenij pontificis imperio S. Bernardus Claræ-vallis abbas, vt ad sacram militiam aduersus barbaros in Palęstina Christianum populum adduceret. Mirabili eloquentia sancti illius oratoris, prodigiorumque multitudine pæne innumerabili, omnis conditionis mortales adeo permouebantur, & militiæ nomina dabant, vt maximum id miraculorum censeri merito posset. Sanctiora arma & ipse Werricus induere constituit. In Bernardi disciplinam abdicato canonicatu se transcripsit, eumque secutus est. *E canonico S. Lamberti monachus*

Sed anno proximo coloniam e Clara-valle cum deduci vellet Alnam sanctus abbas, cum alijs Werricum designauit. Profectus est ille, ibique innocentia singulari, miraculorumq; adeo perpetratione floruit. Ea morum suauitate animique candore pręditus fuit, vt omnem assentationis speciem aduersaretur, aliorumque existimationi non modo numquam detraheret ipse, sed neque detrahentes vlla ratione ferret. Tanta se modestia continebat, vt inter ea colloquia, quæ sapiebant sæculum, aut bellicos euentus referebant, rudem illum ac imperitum hominem dixisses: at si de cęlestibus rebus inferretur sermo, sapientiam & loquendi facultatē nemo non mirabatur. Quare si cum viris nobilibus versari cogeretur, parcissimi sermonis fuit; at disertissimus cum hospitibus monachis. *ANN. 1148. venit Alnā.*

Creatus prior, viscera mirę pietatis in pauperes expandit: & studiose solitus est conquirere, quod illis elargiretur. Cum sodalibus metentibus adesset, conuersos illos acriter castigabat, a quibus pauperes haberi durius animaduertebat: & ni humanius agerent, illos peccatis se non absoluturum minabatur. Præ sanctis omnibus teneriorem præferebat animum aduersus S. Martinum, cujus laudes fuse deprędicabat magna lætitiæ significatione: ejusque exemplo sæpe vestes etiam interiores sibi detractas pauperibus donauit. *In egenos largus.*

Lepidum est, quod subijcio. Iumentum, quo faciens iter vehi solitus erat, subsistebat, quoties pauperes occurrerent, donec vel stipem accepissent, vel salutarem aliquam monitionem: at si nobiles aut splendide vestitos homines haberet obuios, celerius excussis auribus præteribat. Ad monasterij portam aliquando vetula petijt eleemosynam: ille cum sex haberet denarios, vnum dedit. Redijt illa mox velato capite, & secundum accepit: tum prætento scipione claudam simulans & tertium abstulit, ac denique tres reliquos alijs artibus. Vbi fraudem Werricus intellexit: Bonum factum, inquit; mulierem admodum indigam a bono Deo missam ego quidem arbitror. *Equi prodigium.*

Alienę vero indigentiæ non ita subueniebat, vt suę obliuisceretur. A libris bonis, pręsertim ijs, qui sanctorum res gestas explicant, auidissime sacram stipem emendicabat: eoque fine semper aliquos in sinu gestabat. Flagris in suum corpus acriter sęuiebat. Diuinarum rerum contemplationi sic inhiabat, vt constituto reliquis tempore minime contentus, multas horas impenderet, etiam post Completorium alijs abeuntibus. Ea forte hora solus aliquando precibus vacabat, quando clara luce splendescere vidit totum templum, & dum tacitus miratur, vocem hanc audijt: Corpus tuum, quoad viues, acerba patietur; sed in cęlo hac luce clarius septimo tanto splendebit. Quæ vero sustinuerit pręter spontaneas corporis afflictationes, proditum esse non memini.

Sed multa apud Deum gratia valuisse, prodigijs non paucis compertum est. Vtebatur eo familiariter sacerdos quidam: & cum illius se precibus sæpe commendasset, studiose aliquando petijt ex eo, num inter vota facienda sui meminisset: Ego vero memini sæpius, inquit ille; sed quo bono, nescio. Nam quoties apud Deum tuam causam ago, tam densis me sentio tenebris inuolui, vt grauiter timeam, ne graui aliquo peccato tenearis.

Digitized by Google

nearis. Stimulum animo sensit sacerdos: & mox in lacrymas solutus, expiauit sacra confessione quam diu celauerat noxam.

Miraculis claruit.

Rogatus alias Deum precaretur pro puerpera periclitante, oraturum se viro promisit, liberandamque mox omni periculo feminam, si ea esset in Deum fiducia. Vix ille domum redierat, femina feliciter peperit. Aquam vero, qua secundum rem Diuinam calicem abluerat vir sanctus, febrientes multi salutarem experti sunt.

In cœlo denique virtuti præmium Deus reddidit. Anno Christianæ salutis millesimo ducentesimo decimo septimo, Werricus senectute, multoque magis rebus præclare gestis venerandus, religiose mortuus est.

ABBATES

ALNENSES.

ALnam constat a S. Landelino primitus conditam fuisse, constitutumque in ea clerum, cui deinde canonici regulares successerint. Sed anno denique post millesimum & centesimum duodequinquagesimo coloniam eo deducturus e Clara-valle venit cum delecto sodalium manipulo

1. FRANCO S. Bernardi discipulus, & primus abbas monasticès fundamenta jecit: neque constat quamdiu sacrum illum clavum tenuerit.
2. GERARDVS DE GRAVIO diu rexisse fertur insigni prudentia magnoque virtutum simul & rei familiaris incremento.
3. IOANNES DE HOIO.
4. EDMVNDVS DE BRITANNIA.
5. FREMALDVS DE FONTANIS, qui suppressis silentio ceteris martyr inscribitur.
6. ALEXANDER.
7. LAMBERTVS DE TVDINIO obijt anno 1214.
8. ÆGIDIVS DE BEAVMONT anno 1224.
9. BALDVINVS DE CASTILLETO anno 1231.
10. IOANNES ONKELIN anno 1266.
11. IOANNES FILVERT anno 1280.
12. THOMAS DE MONECAN theologicis disciplinis clarus obijt anno 1292.
13. IACOBVS DE GOCE anno 1331.
14. GVILIELMVS DE BINCHIO.
15. IOANNES MESSIA cum sacellano monacho martyrij lauream adeptus creditur anno 1338.
16. ARNALDVS DE MARBASIA.
17. IOANNES DE MARCIENNE anno 1352.
18. IOANNES DE BARBENSON anno 1382.
19. IOANNES DE TVDINIO anno 1410.
20. IACOBVS DE TOVCRINNES anno 1480.
21. GODEFRIDVS anno 1437.
22. GOBERTVS anno 1448.
23. THOMAS anno 1478.
24. IOANNES DE BRVXELLA S. Theologiæ doctor postquam tribus alijs monasterijs abbas præfuisset, ad idem munus Alnam euocatus obijt anno 1491.
25. ÆGIDIVS Parisijs S. Theologiæ doctor renuntiatus, abbas creatus, Romæ sibi suisque successoribus cum mitrę vsum obtinuisset, ibidem mortuus est anno 1494.
26. IOANNES BONFILT anno 1497.
27. GERARDVS insigni prudentia vigilantiaque ita pręfuit, vt rem asceticam familiaremque non parum prouexerit. Obijt anno 1529.
28. IOANNES mutuæ inter suos caritatis amans, insuper œconomia clarus obijt anno 1556.
29. GVILIELMVS antecessore minime inferior mortuus est anno 1575.
30. DIONYSIVS DIONYSII anno 1603.
31. SEBASTIANVS ANTONII anno 1614.
32. HENRICVS VOLPEN mortuus est anno 1622. 23. Februarij.
33. Postridie substitutus est adm. R. D. EDMVNDVS IOVVENT qui venerandum illud antiquæ sanctitatis domicilium magna laude regit.

III. WALTERVS

prior Alnensis. *Quæ R. D. Carolus Rond ibidem monachus mihi e sui monasterij archijs exhibuit, Henriquesius, d'Assignies.*

FVit etiam hic eodem quo Wericus anno Leodij canonicus, sed vno dumtaxat die. Cum enim Philippus in ecclesia Leodiensi archidiaconus ipsi cognatione proximus S. Bernardi oratione permotus, Cisterciensem disciplinam amplecti statuisset, S. abbatem rogauit vt huic Waltero suum canonicatum ab episcopo obtineret. Tergiuersabatur rogatus episcopus, & obligatam cuidam antistitę fidem obtendebat. Tum Bernardus: Ne dubita, inquit: concessum munus breuissimo tempore tenebit. Sic affirmanti credidit episcopus. Cooptatus in canonicum Walterus, sequenti mane procidens ad pedes S. Abbatis, in eius disciplinam vt reciperetur, obtinuit. *Relicto S. Lamberti collegio* *fit monachus*

Ea vero fuit animi magnitudo in obeundis monasticæ non parum alias seueræ exercitationibus, vt cum anno proximo suorum discipulorum manipulum mitteret Bernardus, qui abbate Francone viro religiosissimo monasterium Alnæ constituerent, priorem renuntiauerit Walterum tirocinio vix egressum. Neque falsus est exspectatione sua vir Dei. Suam enim hic Spartam adornauit ea vigilantia, vt in Normannia deinde cœnobium regere jussus sit. Quod valde sapienter cum administraret, vigilijs & precibus ad Deum fundendis incenso mentis ardore totus adeo insistebat, vt omnibus diebus nuncupati voti religione constrictus vniuersos Dauidis psalmos recitaret. Eius porro precationibus tantum Deus momentum addidit, vt monachos tres mente captos incolumitati restituerit.

Verum neque sodalium cura, neque cælestium commentationum dulcedo excludere memoria potuerunt fratrem eius Libertum, de cujus salute sollicitus, nullam animo pacem retinere posse videbatur: illum quippe nouerat in sæculi vias animo solutiore pręcipitem ire. Post fusas ad Deum indefessa constantia preces tandem exauditus est, didicitque e cælo Libertum Cisterciensem ordinem ingressurum. *eoque fratrem allicit.*

Non absimile beneficium obtinuit viro nobili Waltero de Fontanis. Cui cum vita ex graui vulnere periclitaretur, noxarum condonationem non tantum impetrauit, sed etiam ducendam e Cisterciensi norma religiosiorem vitam.

Denique post exercitos præstanti virtute plurimos annos, cum æstuaret immortalis vitæ desiderio, illudque magno ardore identidem repeteret: *Quando veniam, & apparebo ante faciem* tuam, Domine? Audiuit e cælo responderi: *Regem in decore suo videbunt oculi.* Quod ipsum publico Deus testatum voluit. Cum enim moreretur, culmini domus in qua jacebat, illuxit stella, medioque die per totam prouinciam visa est: quę scilicet morienti fulgorem portenderet *in perpetuas æternitates.* *Ps. 41. 3.* *Is. 33. 17.*

Die septimo

NICOLAVS

conuersus Villariensis. *D'Assignies e chronico Villar.*

SAnctitatem non impediunt, quæ mortalibus abjecta sunt. Opilio conditione Nicolaus fuit, fuit & corpore paruo, nigro, deformi; sed quod incoleret mens magna, multisque virtutibus speciosa. Semel dumtaxat diebus omnibus cibo corpus reficiebat. Ita cilicio se macerabat, vt illud numquam, nec dormiturus exueret. Lecti vix vllus ipsi fuit vsus: sed quo loco solitus erat preces fundere, eodem se dabat somno in nudam humum abjectus, capitique rudem tantummodo truncum pro ceruicali supponebat. Ita scilicet expeditam corporis contagione mentem in cęlestia celsius attollebat; fiebatque vt alia nescire videretur, sed de rebus Diuinis essent omnes eius sermones.

His paucis perstricta est non parua illius virtus: quam singulari studio postquam excoluisset totos quinquaginta annos, quibus in monastica disciplina vixit, religiose vita defunctus est. Probatæ fidei quidam affirmauit se diuinitus accepisse, dum hac vita migraret Nicolaus, plerosque alios purgantibus flammis in eius gratiam eductos, cælesti gloria cum illo receptos fuisse.

Die

Digitized by Google

Die octauo

ARNOLDVS DE NOVA DOMO abbas I. S. Remigij. *Raissi Hierogazophilacium.*

A Teneris annis sacrorum amans, ætatis primitias Deo consecrauit in Hortulo B. Mariæ ad portas Walcuriæ. Dimissis hinc virginibus Cisterciẽsibus, ejusdem instituti viros inducere tentabat præsidum suorum imperio Ioannes Eustachius, creatus abbas primus, cujus suo loco meminimus. In eius disciplinam omnium primus se tradidit Arnoldus. Tanto magistro minime indignus discipulus egregios fecit in virtute progressus. Quare cum item ad B. Remigij virginibus viros substituere placeret, designatus est primus abbas, qui magistri sui prudentiam & religionem æmularetur. Fecit Arnoldus insigni asceticę rei incremento; quam illic magna sapientia & religione stabiliuit. Ad priuatæ vitæ quietem videtur abdicata dignitate redijsse. Nam vt Ioanni Eustachio conjunctissimus vixerat, mortuo jungi sepultus voluit. Mortuus est autem magnæ virtutis opinione actis in monastica disciplina annis sexaginta quatuor.

ABBATES S. REMIGII.

QVando conditus fuerit Succursus B. Mariæ Virginis, quem vulgo S. Remigij monasterium appellant, quamdiu Cisterciensis disciplinæ virgines incoluerint, quæ rexerint abbatissę, non proditur

1. Primo abbati Arnoldo de Nova domo, quem alij de Gandavo dicunt, successit.
2. Iacobvs de Valle, alias ab Insvlis vir disciplinę amãtissimus, potens in opere & sermone, omni veneratione dignus, cum annis duodecim laudabiliter gubernasset, obijt 1519.
3. Ioannes de Nassonia eximię religionis ac humilitatis obijt 1528.
4. Ægidivs de Campis.
5. Iacobvs de Gandavo ædificijs & disciplinę monasticæ studio monasterium auxit, & mortuus est 1539.
6. Nicolavs a Floreffia cum laude præfuit, obijtque 1548.
7. Bernardvs de Malmvndario obijt 1565.
8. Leonardvs de Carnoto religiose prudenterque rexit & obijt anno 1568.
9. Valentinvs Vineolei obijt 1592.
10. Antonivs Grimont obijt 1602.
11. Henricvs Bricmontanvs vir egregiæ religionis ac humilitatis prudenter & magna laude rexit, obijt 1617.
12. Gerardvs Tassinet mira morum suauitate, humilitate, religiosæ disciplinæ studio prędltus sapienter rexit, relictoque sui magno desiderio mortuus est anno 1638.
13. Lambertvs Cheolivs munere laudabiliter functus obijt 1643.
14. Adm. R.D. Ioannes Bricmontanvs religiosis antecessorum suorum vestigijs sedulo insistit. Pijs conatibus Deus faueat.

Die

Die vndecimo
B. IDA LEVIENSIS
sanctimonialis Rameiæ. *D'Assignies e Hagiologio SS. Brabantiæ.*

CAPVT I.

Virtute præstans, monasticen amplectitur, grauiterque impugnatur a dæmone.

ALteram colit hic dies Idam, clarum etiam ordinis Cisterciẽsis atque adeo Rameię sidus. Nata est hęc Leuiæ oppido Brabantiæ, Leodiensisque olim Diœcesis. Patrem habuit Gislebertum, Idam Matrem. Honestissima forma fuisse ferunt: sed cum præ cælestibus terrena omnia despectui haberet, virtutibus mentem exornare totum illi studium fuit.

Septimum ætatis annum necdum attigerat, quando scholas ea cupiditate constantiaque frequentare cœpit, vt si quando prohiberetur aëris inclementia, multis precibus a famula obtineret, eo vt deferretur. Festis diebus, quibus vacant scholę, ludos & illius ætatis oblectationes auersata, se dabat precationi, afflictationibusque corpusculum exercere gaudebat. Vestium exosa luxum, vilioribus tegi amabat; vt illius puderet etiam sororem, eamque comitem non raro per vrbem dedignaretur. Ipsi tamen aliquando comes addita, cum eminus tripudium vidisset, insipientium mortalium miserta, spectaculum illud ferre non potuit: relicta sorore domum se retulit. Intactam scilicet mundi illecebris animulam, suis amoribus totam imbuere, Deo constitutum erat. A prima ætate cælestibus inhiat.

Ab anno vitæ decimo tertio venit Rameiam, vt Diuino cultui se totam manciparet. Tirocinio necdum recepta, forte religiosa quadam alacritate matutinas preces concinebat, in eius mentem adeo mirabili dulcedine se Deus infudit, vt ipsa tantæ suauitati impar, vberrimis lacrymis effundere cogeretur, quidquid animæ suæ talia necdum expertæ angustijs continere nequiret. Verum ille, quem *qui gustant adhuc esuriunt, & qui bibunt adhuc sitiunt*, sui desiderium illi tantum impressit, vt acerbius ipsa nihil arbitraretur, quam tanta felicitate diutius arceri. Vereri cœpit igitur, molestaque sollicitudine angi, ne purgatorio ergastulo post mortem detenta, tantis frui delicijs diutius impediretur: idque mali Deus auerteret, obnixe precata est. Sedauit mox illam inquietudinem Diuina pietas, sanctoque ardore nouum illi robur affudit, secuturo scilicet opportunum certamini. insolenti suauitate inuitatur.

Inferis enim congrediendum fuit, qui mox acre bellum indixerunt. Exercendæ fortitudini, promerendisque triumphis materiam suę sponsę Deus deesse nolebat: idque tenerioris amoris certum pignus cum intelligeret Ida, totum prælij pondus inuicto pectore sustinebat. Solidum annum, sexque menses tenuit bellum: quo toto infensissimum odium exeruit dæmon, & solitis illam artibus impugnauit; atque flagris crudelissime non raro cecidit. Perstabat in gradu generosa Amazon, vanosque conatus hilari mente ridebat. Fortissimum illi præsidium fuit in sacro illo Gedeonis gladio, vitali inquam augustissimæ EVCHARISTIÆ sacramento; quo frequentissime percepto munita, tartareos illos Amalecitas potenter debellabat. Quos si quando cessare sentiret, & de sua illa rabie quidquam remittere, non ipsa sibi de pace gratulabatur; vt fere solent iniqui germanæ virtutis æstimatores, qui delitescere malunt in ignauo otio, quam fortiter cum Christo certare. Generosius Ida. Cum sponso pugnandi cupida, ab illo se minus amari verebatur, cum hostem minus sæuire sentiret. Inuictam interim illam animi magnitudinem, recentibus semper auxilijs firmabat Diuina pietas; donec debellato tandem hoste pacem esse iussit. Acriter a dæmone impugnata S. Eucharistia se tuetur & triumphat.

CAPVT II.

Magnis a Deo beneficijs ornatur.

GRaui defuncta bello, cæleſtia purius omni ſtudio conſectari cœpit. Sabbatis omnibus mira ſentiebat animum excitari alacritate: at Dominicis diebus in alta tranquillitate conquieſcebat. Celebrioribus autem feſtis ea Diuinarum deliciarum puritate fruebatur, vt eſſent faſtidio cetera; illique moleſtiſſimum fieret, ad communem reliquis cenationem abire, atque ad menſam accubare. Hoc illi arridebat inuentum, quo ſe ſtimularet. Primo ſui nominis elemento I rectitudinem ſignificari volebat, altero D Deum, ac tertio A amorem: quibus ſe moneri aiebat, vt Recta tenderet in Dei Amorem.

Vix vllæ ſapiebant illi deliciæ, etiam ſpirituales, ſi Angelico Pane diutius abſtinere cogeretur. In quem tam incenſo mentis æſtu ferebatur, vt ſæpe humanis erepta mens efferretur in cæleſtia, cum eius ſumendi copia fieret: ſæpe etiam cum vehementi dumtaxat illius deſiderio ſuccenderetur: nonnumquam alias quando in eius ſolummodo conſpectum veniebat. Frequentiſſimum etiam fuit, vt omnium oblita, conſtitutum accedentibus ad ſacram ſynaxim ordinem præuerteret, vel a ſodalibus in eum reduceretur. Semper autem admirandam animi pacem conſequebatur. Oculis porro animi perſpicacibus Chriſtum in admirando illo Myſterio latentem intuebatur, maxime quando ſacram EVCHARISTIAM erat perceptura, quamquam neque ſacrum facientem videret ſacerdotem, neque vllum dari cymbalo conſecrationis ſignum audiret: & factum eſt non ſemel, vt officij ſui moneret ſodalem illam, cujus partes erant æs campanum pulſare.

Ingens cupido Ven. Euchariſtiç.

Suauis cum Chriſto familiaritas,

Aliquo Dei parentis feſto die adfuit illi ſanctiſſima Virgo Mater, dum in choro ſodalium Dei laudes concineret; ſuumque ei Filium obtulit. Accepit Ida amantiſſime: ſed cum adeſſet tempus, quo demiſſis de more brachijs verſiculum ipſa caneret, hæſit aliquamdiu dubia quid faceret: tandemque Chriſto dixit, quandoquidem parendi eſſet neceſſitas, ſibi ipſe proſpiceret. Et Chriſtus injectis blande in collum illius brachijs, ex eo pependit.

& Diuinorum cognitio.

Magna illi cum ſuperis interceſſit familiaritas: & in ecſtaſibus, quę illi frequentiſſimæ fuerunt, arcana vidit ac audiuit de perſonarum Diuinarum TRINITATE, & earum in cęlitum choros mirifica diffuſione, quæ illos felicitate complet. De quibus ſi quando diſſerere vellet, tam ſublime fuit illi dicendi genus, vt ęgre caperent audientes, quantumuis alias theologicarum diſciplinarum haudquaquam ignari.

CAPVT III.

Virtutibus clara, religioſe moritur.

AB ea ſanctimoniæ celſitudine non exiſtimabat alienum ad omnem obſequentiæ, ſui demiſſionis, ac caritatis rationem ſe conuertere. Otij fugitans, ſodales omnes laboris aſſiduitate ſuperabat: & præter commune cum reliquis operę penſum, ſcribendis corrigendiſve chori libris plurimum temporis dabat. Diligentiæ illius ſupereſſe monumentum fertur liber ille, ex quo etiamnum Rameiæ in *officio feriali* lectiones recitantur.

Plurimis auxilio eſt.

Sed pluris æſtimanda, quam curandis animabus operam impendebat. In erratum aliquod impingere ſæpius conſueta quędam e ſodalibus, cum ſuę illam inconſtantiæ puderet, Idam rogauit, majus a Deo ſibi robur mentis impetraret, quo impugnanti deinceps hoſti non ita leuiter manus daret. Vade, inquit illa, reficere cæleſti pane: & quando pectore Deum tenebis, dic: Domine, adſum Idæ ſororis meę miſſu tuam opem imploratura. Paruit illa candide: & reuera fortior deinceps aduerſario repugnauit.

Aliam intellexit pia virgo turpi victam pudore ſuum peccatum ſilentio occulere. Adijt ad illam, & ad confeſſionis ſinceritatem hortata, ne quem negationibus locum relinqueret, ſuum illi delictum nomine deſignauit. Illa pudore ſuffuſa, acrius reſpondit: Tibine arcana cælites aperiunt? Ida vero: Deum ſcio propter illam noxam tibi infenſio-

Digitized by Google

sensiorem, multa jam auxilia subtraxisse, breuique pœnas a te repetiturum, ni saniora cogitaueris.

Aliam nacta justo timidiorem, & suis rebus prope desperantem, ad mentis æquitatem hoc dicto reduxit: Alacrior in posterum viue: quidquid enim in me boni est, tibi totum transcribo; accipio quidquid in te mali: tantum vide, in virtutem sedulo deinceps incumbe.

Sodalium vnam rogauerat ad Dominicam secum mensam veniret. Quæ jam parata, ecce alio sic a prȩsidibus auocatur, vt nullus esset excusationi locus. Deum Ida rogauit, vt promissum exequi liceret. Subitoque decidens immodicus imber impedijt ne illuc pergeret sodalis, quo mittebatur.

Inter hęc prȩclara, de se adeo abjecte sentiebat, vt ignorare se assereret, qua de causa tantis se beneficijs dignaretur Deus. Sed Dominico quodam die cum solita Diuinæ pietatis pignora non persentisceret, ideoque grauiter angeretur, hoc nutu alteri alicui virgini indicauit. Respondit illa, Deo se permitteret eius fortitudinem periclitanti. Hic Ida: Numquam ego repugnauero. Modo citra meam noxam fuerit, omnem Domini mei voluntatem toto pectore amplectar. Certum scilicet illud est sinceri amoris argumentum. Sui contemptus.

Tribus denique annis ante mortem grauissimis conflictata morbis, admiranda Christianæ fortitudinis reliquit exempla. Emicuit & parendi studium illustre, cum aliorum arbitratu potius, quam sua appetitione cibum sumeret, & secum agi pateretur. Ac tandem multa sanctitudine, non minus quam prodigijs eximia, mortalem hanc vitam deseruit.

III. WIRICVS abbas Trudonensis XXXIII. *Ex archijs suis mihi hæc exhibuit admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas Trudon.*

EA vitæ innocentia, morum suauitate, prudentiaque se probauit Wiricus in Trudonensi monasterio, vt cum anno post natum Christum millesimo centesimo quinquagesimo quinto abbatis dignitatem Gerardus abdicaret, vnum hunc optarit successorem, & omnium suffragijs vniuersus religiosorum cœtus designarit. XVIII. Kal. Febr. Leodij consecrauit Henricus Leodiensis episcopus. Prouinciam illam aggresso generosa fuit opus animi magnitudine sapientiaque, quo ne frangeretur aduersis, aut plus æquo prosperis efferretur. Cum anno primo conflagrasset vniuersum monasterium, magnis operibus instaurauit. Sanctorum Trudonis & Eucherij sacrarium dum exstrueret, inuenit quæ diu latuerant sacra illorum corpora, lucique restituit, vt meritos a populo honores referrent. Quȩ religio ne annorum lapsu refrigesceret, obtinuit vt anniuersarium illum diem a populo Trudonensi celebrãdum decerneret Radulfus Leodiensis episcopus anno sexagesimo nono. Annis viginti quinque dignitatem Wiricus tenuit, & rebus præclare gestis ornauit. Ingenti relicto sui desiderio anno octogesimo mortuus est III. Idus Dec. & ante Sanctorum Trudonis & Eucherij oratorium terrȩ mandatus.

IV. THEODORICVS MONASTERIENSIS Minor. *Raissus ex archijs Minorum Antuerpiæ.*

CAPVT I.

Egregia caritate insignem in Hollandia & Bruxellis operam publico nauat.

MOnasterij in Westfalia natus, a patria nomen accepit. Monasticen e S. Augustini lege primum professus, ad Franciscanos deinde transijt. Non temere, sed Numinis

CAPVT II.

Magnis a Deo beneficijs ornatur.

GRaui defuncta bello, cælestia purius omni studio consectari cœpit. Sabbatis omnibus mira sentiebat animum excitari alacritate: at Dominicis diebus in alta tranquillitate conquiescebat. Celebrioribus autem festis ea Diuinarum deliciarum puritate fruebatur, vt essent fastidio cetera; illique molestissimum fieret, ad communem reliquis cenationem abire, atque ad mensam accubare. Hoc illi arridebat inuentum, quo se stimularet. Primo sui nominis elemento I rectitudinem significari volebat, altero D Deum, ac tertio A amorem: quibus se moneri aiebat, vt Recta tenderet in Dei Amorem.

Vix vllæ sapiebant illi deliciæ, etiam spirituales, si Angelico Pane diutius abstinere cogeretur. In quem tam incenso mentis æstu ferebatur, vt sæpe humanis erepta mens efferretur in cælestia, cum eius sumendi copia fieret: sæpe etiam cum vehementi dumtaxat illius desiderio succenderetur: nonnumquam alias quando in eius solummodo conspectum veniebat. Frequentissimum etiam fuit, vt omnium oblita, constitutum accedentibus ad sacram synaxim ordinem præuerteret, vel a sodalibus in eum reduceretur. Semper autem admirandam animi pacem consequebatur. Oculis porro animi perspicacibus Christum in admirando illo Mysterio latentem intuebatur, maxime quando sacram EVCHARISTIAM erat perceptura, quamquam neque sacrum facientem videret sacerdotem, neque vllum dari cymbalo consecrationis signum audiret: & factum est non semel, vt officij sui moneret sodalem illam, cujus partes erant æs campanum pulsare.

Ingens cupido Ven. Eucharistiç.

Aliquo Dei parentis festo die adfuit illi sanctissima Virgo Mater, dum in choro sodalium Dei laudes concineret; suumque ei Filium obtulit. Accepit Ida amantissime: sed cum adesset tempus, quo demissis de more brachijs versiculum ipsa caneret, hæsit aliquamdiu dubia quid faceret: tandemque Christo dixit, quandoquidem parendi esset necessitas, sibi ipse prospiceret. Et Christus injectis blande in collum illius brachijs, ex eo pependit.

Suauis cum Christo familiaritas.

Magna illi cum superis intercessit familiaritas: & in ecstasibus, quę illi frequentissimæ fuerunt, arcana vidit ac audiuit de personarum Diuinarum TRINITATE, & earum in cęlitum choros mirifica diffusione, quæ illos felicitate complet. De quibus si quando disserere vellet, tam sublime fuit illi dicendi genus, vt ęgre caperent audientes, quantumuis alias theologicarum disciplinarum haudquaquam ignari.

& Diuinorum cognitio.

CAPVT III.

Virtutibus clara, religiose moritur.

AB ea sanctimoniæ celsitudine non existimabat alienum ad omnem obsequentiæ, sui demissionis, ac caritatis rationem se conuertere. Otij fugitans, sodales omnes laboris assiduitate superabat: & præter commune cum reliquis operę pensum, scribendis corrigendisve chori libris plurimum temporis dabat. Diligentiæ illius superesse monumentum fertur liber ille, ex quo etiamnum Rameiæ in *officio feriali* lectiones recitantur.

Sed pluris æstimanda, quam curandis animabus operam impendebat. In erratum aliquod impingere sæpius consueta quędam e sodalibus, cum fuę illam inconstantiæ puderet, Idam rogauit, majus a Deo sibi robur mentis impetraret, quo impugnanti deinceps hosti non ita leuiter manus daret. Vade, inquit illa, reficere cælesti pane: & quando pectore Deum tenebis, dic: Domine, adsum Idæ sororis meę missu tuam opem imploratura. Paruit illa candide: & reuera fortior deinceps aduersario repugnauit.

Plurimis auxilio est.

Aliam intellexit pia virgo turpi victam pudore suum peccatum silentio occulere. Adijt ad illam, & ad confessionis sinceritatem hortata, ne quem negationibus locum relinqueret, suum illi delictum nomine designauit. Illa pudore suffusa, acrius respondit: Tibine arcana cælites aperiunt? Ida vero: Deum scio propter illam noxam tibi infenso-

Digitized by Google

ſenſiorem, multa jam auxilia ſubtraxiſſe, breuique pœnas a te repetiturum, ni ſaniora cogitaueris.

Aliam nacta juſto timidiorem, & ſuis rebus prope deſperantem, ad mentis æquitatem hoc dicto reduxit: Alacrior in poſterum viue: quidquid enim in me boni eſt, tibi totum tranſcribo; accipio quidquid in te mali: tantum vide, in virtutem ſedulo deinceps incumbe.

Sodalium vnam rogauerat ad Dominicam ſecum menſam veniret. Quæ jam parata, ecce alio ſic a pręſidibus auocatur, vt nullus eſſet excuſationi locus. Deum Ida rogauit, vt promiſſum exequi liceret. Subitoque decidens immodicus imber impedijt ne illuc pergeret ſodalis, quo mittebatur.

Inter hęc pręclara, de ſe adeo abjecte ſentiebat, vt ignorare ſe aſſereret, qua de cauſa tantis ſe beneficijs dignaretur Deus. Sed Dominico quodam die cum ſolita Diuinæ pietatis pignora non perſentiſceret, ideoque grauiter angeretur, hoc nutu alteri alicui virgini indicauit. Reſpondit illa, Deo ſe permitteret eius fortitudinem periclitanti. Hic Ida: Numquam ego repugnauero. Modo citra meam noxam fuerit, omnem Domini mei voluntatem toto pectore amplectar. Certum ſcilicet illud eſt ſinceri amoris argumentum. Sui contemptus.

Tribus denique annis ante mortem grauiſſimis conflictata morbis, admiranda Chriſtianæ fortitudinis reliquit exempla. Emicuit & parendi ſtudium illuſtre, cum aliorum arbitratu potius, quam ſua appetitione cibum ſumeret, & ſecum agi pateretur. Ac tandem multa ſanctitudine, non minus quam prodigijs eximia, mortalem hanc vitam deſeruit.

III. WIRICVS abbas Trudonenſis XXXIII. *Ex archijs ſuis mihi hæc exhibuit admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas Trudon.*

EA vitæ innocentia, morum ſuauitate, prudentiaque ſe probauit Wiricus in Trudonenſi monaſterio, vt cum anno poſt natum Chriſtum milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto abbatis dignitatem Gerardus abdicaret, vnum hunc optarit ſucceſſorem, & omnium ſuffragijs vniuerſus religioſorum cœtus deſignarit. XVIII. Kal. Febr. Leodij conſecrauit Henricus Leodienſis epiſcopus. Prouinciam illam aggreſſo generoſa fuit opus animi magnitudine ſapientiaque, quo ne frangeretur aduerſis, aut plus æquo proſperis efferretur. Cum anno primo conflagraſſet vniuerſum monaſterium, magnis operibus inſtaurauit. Sanctorum Trudonis & Eucherij ſacrarium dum exſtrueret, inuenit quæ diu latuerant ſacra illorum corpora, lucique reſtituit, vt meritos a populo honores referrent. Quę religio ne annorum lapſu refrigeſceret, obtinuit vt anniuerſarium illum diem a populo Trudonenſi celebrãdum decerneret Radulfus Leodienſis epiſcopus anno ſexageſimo nono. Annis viginti quinque dignitatem Wiricus tenuit, & rebus præclare geſtis ornauit. Ingenti relicto ſui deſiderio anno octogeſimo mortuus eſt III. Idus Dec. & ante Sanctorum Trudonis & Eucherij oratorium terrę mandatus.

IV. THEODORICVS MONASTERIENSIS Minor. *Raiſſius ex archijs Minorum Antuerpiæ.*

CAPVT I.

Egregia caritate inſignem in Hollandia & Bruxellis operam publico nauat.

MOnaſterij in Weſtfalia natus, a patria nomen accepit. Monaſticen e S. Auguſtini lege primum profeſſus, ad Franciſcanos deinde tranſijt. Non temere, ſed Numinis

Digitized by Google

DIE II. minis afflatu factum hoc fuisse, quos deinde produxit, vberes fructus comprobarunt. Excelluit rudi illa ætate vir apostolicus magno dicendi ardore: peragrataque Belgica vtilem rei Christianæ operam nauauit. Teneram in primis ætatem, rudioresque homines singulari studio excoluisse fertur.

Hollandiæ pacem reddit. Sedata Hollandia primam gloriam tulit. Illam gentem cruenta Hamatorum & Asellorum (partium nomina sunt) dissidia jam pridem lacerauerant, & tristibus cladibus funestarant. Philippus Bonus Burgundiç dux illum adeptus principatum, infestos animos sedare studuit, magno publicæ rei bono, cui magnam pacem restituit. Sed principum imperijs comprimuntur potius odia, quam extinguuntur. Animis ergo vim fecit eloquentiæ suæ vi Theodoricus: & prouinciam illam obeundo, tantum Diuinorum judiciorum terrorem suis auditoribus incussit, illamque Christianç caritatis dignitatem & in cęlo præmia demonstrauit, vt ipse potissimum sinceram illi populo tranquillitatem creditus sit reddidisse.

Bruxellis peste infectis subuenit. Nihilo obscurius existimo decus, quod sibi Bruxellis admirabili sua caritate peperit. Anno Domini millesimo quadringentesimo vndenonagesimo dira pestis nobilem illam vrbem infestauit, ipsosque primum extinxit curiones. Perculsus certissimo populi discrimine Theodoricus, a suis præsidibus facultatem obtinuit imminens illud tantæ multitudini malum propulsandi. Medio igitur foro tentorium, & aram in eo statuit, vbi rem Diuinam faceret, asseruaretque sacram EVCHARISTIAM in ægros distribuendam, & sacra ministraret. Sed quos mali vis domi detinebat, adibat ad illos, & necessarijs omnibus præsidijs communiebat. Comitem habuit cujusdam templi ædituum, qui præluceret, & nolæ pulsu populum commoneret VEN. SACRAMENTVM deferri. Sed breui hic peste interijt; & inuentus est nemo qui succederet. Ipse ergo Theodoricus religata ad cordam, qua cingebatur, lucerna, præferebat dextra Hierothecam, læua cymbalum agitabat: atque ita semper integer perseuerauit.

non sine prodigijs Caritatem prodigijs voluit Deus ornatam. Cum hieme spirantibus inclementius ventis in tentorio lumen extingueretur, Theodoricum domo sua recepit quidam cereuisiæ coctor, non sine illustri præmio. Omnes enim illius generis tabernas, quotquot erant Bruxellis, inuasit pestis; sola illa mansit intacta, quam inhabitabat Theodoricus. Atque adeo certis testibus compertum est, quicumque cereuisiam ex eadem taberna biberunt, mansisse ab omni lue immunes: imo incolumitati restitutos, quos jam ante corripuerat pestis. Nemo fuit, qui viro Dei factum non adscriberet.

cum admirabili bono animarum. Sæuijt immane hoc malum annos duos; & triginta tria mortalium millia sustulit. E quibus triginta duo millia Theodoricus Sacramentorum sanctitate communijt ad immortalitatem. Quam feliciter, e cælo didicit: neque dubitauit palam tum edicere, quando discussa jam peste populum ad agendas Numini gratias cohortatus est. Affirmauit enim e tota illa hominum multitudine, quibus suam operam impenderat, duos dumtaxat æternis supplicijs addictos interijsse: alterum, quod extrema vita de Dei bonitate desperasset; alterum, quod Pænitentiæ sacramento respuisset expiari. Quanto gloriosius Theodorico fuit in vitam æternam tot millia induxisse, quam Iulio Cęsari decies centena millia occidisse, hoc est demisisse in mortem æternam!

CAPVT II.

Multis vaticinijs & sanctitatis opinione clarus moritur.

VAticinio Theodoricum claruisse memorant. Antuerpiensi familiæ præerat, quando ex ea vrbe Hoestratum iter faciens, assedit in curru cuidam virgini. Quam majore cura cum sollicitam videret, ne qua luti aspersione vestem rotę inquinarent: Nimiam illam, inquit, pro veste sollicitudinem pone, Catharina; (hoc virgini nomen erat) nam & vestem ipsam breui positura es. Nihil tum Catharina, nisi nuptias cogitabat; & juueni cuidam ætate florenti desponsa erat. Ibat porro Hoestratum, vt adesset sorori professionem inter Clarissas editurę. Eadem erat itineris causa Theodorico, orationem habituro. Habuit autem tanto sententiarum pondere, dictionisque vehementia, vt Catharina repudiato ex tempore sponso, disciplinę monasticę se consecrarit, breuique vita sed in paucis religiosa expleuerit tempora multa. Eius mortem cum viro Dei quispiam nuntiaret: Imo vero, inquit ipse, beata viuit. Nam felicior e cælo nuntius significauit,

Vaticinia 1.

Digitized by Google

ficauit, sublimem illi apud B.Claram inter cælites decretam fuisse gloriam, eo in primis nomine, quod rejecto homine sponso, Deum elegerit.

Neque tacendum, quod de eodem Hocstrati parthenone vaticinatus est. Ad vitę perfectionem & constantiam in ea persequenda virgines aliquando hortabatur, serio monuit, vt ne paupertatis obtentu animos aliquando desponderent: Nam sane, addit, ex illis rei familiaris angustijs, in quibus modo gemitis, numquam domus hęc emerget: at si totis animis sincere Deum quæritis, effusis vtraque manu liberaliter spiritualibus beneficijs carissimas filias Diuina pietas cumulabit. Dicti veritatem in hoc tempus illius familię status demonstrat. 2.

Ad populum Louanij verba faciebat, derepente conticuit, animo ad alia per Diuinam ecstasim abrepto. Sibi redditus quærit ex auditoribus, adessetne femina, quam nominabat. Aderat illa: cui mandat orator, vt domum abiret quamprimum: occurrentemque ancillam interrogaret quo tenderet, quidve sinu abditum efferret. Paret mulier, obuiamque ancillam sistit, & rogat, quo abiret: Ad Diliam fl. respondet illa, immunda quædam ablutura. At hera: Cur vero procul ad Diliam, quę affatim aquæ propius habes? simulque manum immittit in sinum; & natum recenter infantem deprehendit, quem in amnem abibat projectum. Scelus auertit Dei pietas illa sancti viri prænotione. 3.

Inuitatus ad mensam a nobili viro Dei famulus, cum ambitiosa ferculorum varietate mensam onerari videret; aliquid e tanta copia rogauit in egenos erogari. Hospite potestatem faciente, quod visum est, accipit, ejusque famulo tradit deferendum ad eam domum, ad cujus portam linteolum vidisset aduolare. Abit domo famulus, & in proxima platea, ecce abreptum vento linteum deferri videt in portam aliquam; sed qui ædes incolebat, vir erat honesto genere, passimque habebatur opulentus: & sic opinabatur ipse famulus: ideoque infecta re se domum refert. Sed a Theodorico nihilominus redire jussus, ingressusque domum, geminos e liberis vidit esurientem stomachum porcorum siliquis e scutella vna complere. 4.

Hæc Louanij gesta: vbi postquam pluribus alijs familijs præfuisset, regendis item sodalibus, & ad accuratam monasticarum legum obseruationem adducendis, strenuam diu nauauit operam. Rudibus Christiane informandis edidit libellum, quem inscripsit Speculum Christianum. Anno denique sesquimillesimo decimo quinto, cum suam pro concione mortem prędixisset, vita defunctus est cum certo omnium de sanctitate illius judicio. Magnę illius animæ nobiles exuuiæ terra eductæ sunt superiorum autoritate, & in domestico sacrario collocatæ anno hujus sęculi decimo octauo. Louanij religiose moritur.

Die decimo tertio

ADOLFVS VVALDEGANVS episcopus LXXIII. *Joannes Hocsemius, Snoui, Joannes a Leidis.*

PAtre natus comite Waldegano e filia marchionis Brandeburgici, aliud sane rarum in ea gentis claritudine decus a litteris quęsijt; & in theologicis scholis doctor renuntiatus est. His inclytus ornamentis, Leodij canonicus, Vltrajectique præpositus fuit. Et cum anno millesimo trecentesimo Vltrajectensi ecclesię pastor quęreretur, & Waldeganum Transiselani magna contentione peterent, competitorem eius Guidonem Hannonium prætulit quidem pontifex; ipsum tamen dignis antistite virtutibus excultum cum negare non posset, Hugoni Cabillonio succedere jussit, quem paucis ante diebus ab ecclesia Leodiensi transtulerat ad Bisontinam. ANN. 1301.

Sunt qui gibbum, & reliqui corporis specie parum honesta fuisse aiunt; item iræ non satis potentem; sed justitiæ studiosum, peritissimumque disciplinæ militaris. Episcopum profecto sanctum fortemque principem breui spatio exhibuit.

Leodium venit VIII. Kalend. Iulias anni millesimi trecentesimi primi cum multa nobilitate Germanica. Turbas inuenit tota prouincia ingentes. Vrbana nobilitas, item Hasbanica cruentis jam dudum inter sese odijs grassabatur. Hoiensibus bellum erat aduersus ceteros ordines. De nobilitate nihil proditum inuenio toto Adolfi principatu: Existimo equidem noui principis autoritate & reuerentia repressam. De Hoiensibus ad officium Turbatam dissidijs rempubl.

DIE 13. officium reducendis cogitauit Waldeganus, memor episcopum se potius esse, quam imperatorem: arma quippe numquam attigit, nisi vbi sacra negligerentur.

Sapienter sedat. Leodij ergo more majorum inauguratus, ceteras Leodiensis nominis vrbes obiuit: Hoium cauit videre. Coquebat hæc cura ciues; & ex eo crescebat pastoris reuerentia metusque. Quem ille vt augeret, quæsita causa Mohanam arcem in proximo adibat frequenter: sed ex itinere non magis Hoium diuertebat, quam si nullum fuisset. Infregit hoc adeo Hoiensium animos, quandoquidem solos se bello sustinendo satis intelligerent impares, vt pacem poscerent. Sed nullam ille pacem volebat, nisi quam ipse dedisset. Durum vero illud Hoiensibus accidit, qui designandos ab vtraque parte sperabant arbitros. Hinc se dimoueri passus non est Adolfus. Ipsum ergo delegerunt Hoienses æque ac Leodienses, polliciti pendere sena librarum Turonensium millia, si judicio non paruissent. Discussa mature cognitaq; causa, Hoienses damnauit espiscopus, multamque irrogauit; ac ita vniuersæ reipub. feliciter sine vllo certamine tranquillitatem restituit.

Feneratores vrbe pellit. Aliud deinde sanctius aggressus, gloriosius etiam confecit. Roma venerat a Pontifice mandatum, quo Gregorij X. decretum de pellendis vrbe feneratoribus obseruandum serio proponebatur. Quęstum ex illis faciebat magistratus, non facile passurus aliquam illius jacturam. Veritus res nouas antistes, religione maluit, quam ferro certare; obstinatos in turpe lucrum animos illa melius expugnandos ratus. Igitur pedo, infula, ceterisque pręsulis insignibus ornatus prodit cum familia in publicum. Spectantibus incussit venerationem habitus ille. Omnibusque religione perstrictis, processit ad feneratorum ædes, fores jussit effringi, omnia excuti pignora, restitui cuique suum, in egenos distribui cetera, omnes denique feneratores exulare. Hæc omnia palam, clara luce, & nemine contra quidquam audente. Ita quod sine graui procella tentari non posse plerique existimabant, quiete perfecit episcopi sapientia.

Verum & ad arma compulsus, insignem prætulit animi fortitudinem. Injuria reuulsum ab episcopio Tudinium, itemque Mirewartiam arcem, cum ferro recuperasset, & alia publico bono præclara cogitaret, mox febri correptus, dimissis copijs Leodium redijt.

Non abfuit veneni suspicio. A feneratoribus propinatum fuisse, fama fuit: si vera; gloriosam profecto mortem obijt Adolfus pro justitia & apostolicę sedis veneratione.

Gloriosam mortem obit. Moriturus adstantes canonicos rogauit, vt Ioannes Enghianus nuper episcopus, qui in B. Virginis ad fontes cum indecora nota sepultus fuerat, secum in principe basilica conderetur. Obtinuit, etiam in morte testatus insigne studium tuendæ episcopalis dignitatis. Denique perceptis ecclesiæ sacramentis, postquam religioso mentis ardore exclamasset: Domine suscipe me, vt cum fratribus meis sim: honesto fine vitam clausit anno millesimo trecentesimo secundo. Appositus est ad dextrum latus Hugoni Petrapontio, ad sinistrum Ioannes Enghianus ante summum altare.

Die decimo quarto

I V D I L A

vidua. *Ægidius Aureæ vallis, Transmosanus, &c.*

CVm Ægidiani cœnobij prima fundamenta Leodij poneret Goderanus, pijs quibusdam mulieribus autor fuit, vt tuguriolis in vicinia clausæ Diuinis se rebus traderent. Obtemperarunt non paucæ: religiosisque illius exemplis & adhortationibus eximiam morum innocentiam consecutæ sunt.

Circiter ANN. 976. Sanctimonia & pię mentis ardore inter ceteras excelluit vidua quædam Iudila nomine, quam *venerabilem mulierem & Deo dilectam* appellat Ægidius. Verum in ijsdem, quibus alij plures sancti, relicta silentij tenebris, apud cælites pro merito per omnem æternitatem celebrabitur. Vt sanctioris vitę magistrum suum proxime, quoad vixit, secuta fuerat, apud eum moriens sepeliri voluit ad S. Ægidij ante aram SS. Dionysij & Lamberti.

Die

Digitized by Google

Die decimo ſexto
EVERARDVS AB ORSOY
magiſter generalis ordinis S. Crucis. *Henricus Ruſſelius.*

OMnem contempſit generis nobilitatem, quo germanam virtutis claritudinem aſſequeretur. Fruſtra blanditijs miniſve parentes obſtiterunt, vt vnicum filium ſancto propoſito abſterritum ad mundi nænias retraherent. Inuicto animo ipſe perſtitit, & per calcatos parentes ad S. Crucis vexillum euolauit. Monaſticen profeſſus eſt in Bentlagenſi familia: tantoque ardore ſibi bellum indixit, vt longa inedia, vigilijs, precationibus afflictas deinde ſenſerit vires, quoad vita manſit: & ſint qui audeant longioris martyrij gloriam adſcribere. Eum porro caſtimonię nitorem aſſecutus eſt, vt ad annum vſque trigeſimum vix vllos aduerſarij ſenſerit inſultus. Arcano tamen Diuinæ prouidentiæ conſilio poſtea factum eſt (ita nimirum quamdiu viuimus, ſemper velut in acie ſtandum eſt, etiam quando nullus minatur hoſtis) vt prouectiore jam ætate tanto vehementioris tentationis æſtu concitaretur, quantum ſuſtinere ſe poſſe vix ſperaret. Diu noctuque importunus inſtabat hoſtis, nec vllas patiebatur inducias. Ille præſenti periculo conſternatus, ad certiſſimum omnibus periclitantibus aſylum Dei matrem confugit, & ſic cauſam peregit, vt tranquillitatem ſubito conſecutus, nullos aduerſarij motus deinde ſenſerit. Bentlagenſis prior creatus, ad eum Diuinarum rerum amorem erexit ſodales, vt earum peritiſſimi ſimul & amantiſſimi haberentur etiam ij, qui rem familiarem procurabant. A ſuperbia vt hoſte maxime omnium capitali ſedulo cauendum eſſe commonebat: omnis operis principium a ſancta Cruce docebat eſſe deducendum; ſed ipſum deinde progreſſum breuibus precationibus velut ignitis jaculis eſſe ſubinde accendendum, ne quo ſenſim torpore frigeſceret. Ad S. EVCHARISTIAM illos non aliter volebat venire comparatos, quam ſi imminente morte ad æterni judicis tribunal citarentur. Ipſe vero quotidie manantibus vt plurimum cum mira animi ſuauitate lacrymis ſacrum faciebat: quod ſi prohiberetur corporis infirmitate; tum idem ſacrificium in conſpectu ſuo peragi, & ipſe angelico pane refici volebat. Creatus ordinis generalis magiſter, in nullo ſibi diſſimilis, magna vigilantia Spartam ſuam adornare contendit. In hoc tamen peccaſſe creditus eſt, quod ab Hoienſi domicilio diutius abfuiſſe viſus ſit, & generalem totius ordinis cœtum non Hoium (vt receptum erat more majorum) ſed ad monaſterium S. Agathæ conuocauerit. Conſultus ſuper ea re Innocentius VIII. pontifex maximus factum improbauit; ſanxitque vt Euerardus, omneſque in poſterum ſucceſſores ſuæ inaugurationis die ſacramento rogati ſancte promitterent generalem ordinis conuentum nulla alia quam Hoienſi domo ſe habituros, aut vlla ratione permiſſuros ab alijs haberi: tum omnes ejuſdem domus conſtitutiones, jura, prerogatiuas inuiolata ſeruaturos: denique quod ſolens fuit omnibus anteceſſoribus, Hoij habitaturos. Conſtituit præterea idem pontifex, vt ad magiſtri generalis lectionem ſuffragij jus haberent octo totius ordinis definitores, ejuſdem ſcilicet anni & proxime præteriti; & quotquot inſuper in Hoienſi domicilio monaſticam profeſſionem ediderunt. Quod ſi definitorum aliquis diem obijſſet, aut aliam ob cauſam non veniret, penes ceteros definitores poteſtas eſſet, e numero priorum illum deſignandi, qui mortui vel abſentis locum ſuppleret. Vndecim annis magno totius ordinis honore ſummum illum magiſtratum tenuerat Euerardus, quando anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio religioſe vita deceſſit.

Digitized by Google

Die decimo septimo
S. BEGGA
vidua, fundatrix Andanensis. *Surius, Molanus, Stephanus abbas in S. Modoaldo.*

Nobilissima

PAtrem habuit Pipinum præfectum prætorio regum Dagoberti & Sigeberti, matrem Idubergam lectissimam matronam: vtrumque sanctum veneratur posteritas. Religiosam igitur educationem nacta est, qualem ab ejusmodi parentibus sperare fas erat. Matura ętate nuptui data est illustrissimo juueni Ansigiso S. Arnulfi Metensis filio: ex quo genuit alterum Pipinum Augustæ illius familiæ autorem quæ tot reges imperatoresque procreauit.

aduersa multa patitur.

In illo humanarum rerum splendore, quo illustriorem non vidit ætas illa, multis percelli se Begga sensit aduersis. Virum eius ętate florentem, & in aditu summorum honorum, per summum scelus occidit is, qui vitam illi debebat. Illum enim infantem expositum ad se receperat Ansigisus, adultumque magnis opibus auxerat. Tum Grimoaldus Beggæ frater, cum omnem Austrasiam summa cum autoritate regeret, Parisijs a Clodouæo rege crudelissimis supplicijs cruciatus interijt. Filius denique Pipinus ab Ebroino magna pugna profligatus est. Adeo humana cuncta, quo celsiora, hoc magis cladibus patent.

Sapientior tot aduersis casibus Begga, vt moueri terrenorum fastidio, ita cælestium desiderio cœpit æstuare. Æmulatione sancta non parum accendebat Gertrudis soror. Quam etsi magna sanctitudine viuentem semper suspexisset, vt matrona erat recti perquam studiosa; admirabatur potissimum a morte inclarescentem non modo prodigijs pluribus, verum numerosa juxta ac sancta prole, quam virginea fecunditate Christo pepererat: ijsque stimulis excitari se sentiebat ad virtutis imitationem.

S. Gertrudis sororis exemplo

Quo felicibus auspicijs tantæ molis rem aggrederetur, præsidium Roma censuit ab apostolorum principibus arcessendum. Tantum iter ingressam excepit pro dignitate pontifex maximus Adeodatus (Adrianum errore appellant aliqui, quando nullus fuit Adrianus ante annum octaui sæculi septuagesimum secundum) qui sacris sanctorum donatam reliquijs, felicia omnia precatus in patriam remisit.

sanctitatem aggressa

Vbi dum circumspicit, quo loco Numini se suaque consecraret, monstrante Deo Andanam delegit. Septem hic sacras ædes construxit in earum memoriam, quæ Romæ sacris stationibus celebrantur. His parthenonem adjecit, aduocatis e Niuellensi virginibus. Ibi tum præerat Agnes, postquam Wilfetrudis suum diem feliciter obijsset; templumque posuerat Gertrudi, cujus quondam alumna fuerat; & in illud intulerat eius lectulum, quo vltimum inierat agonem. Cujus item partem cum aliquot sacris Deo virginibus, quæ coloniam Andanam deducerent, ad Beggam misit.

Andanam condit.

Circiter annum 675.

Accepit pientissima matrona, qua par erat veneratione. Ac lectuli quidem partem propter aram S. Genovefæ virginis collocauit, vbi multis miraculis inclaruit: at se ipsa sacro gynęceo cum virginibus inclusit, sanctiorem e religiosa disciplina vitam actura. Feminam ter beatam! In ea honorum luce, ceterarumque conditarum rerum copia vixerat, quę præ omnibus suspiciunt mortales, & consectantur summa virium omnium contentione: eorum tamen intellexit inanitatem: quanto diuinitus lumine perfundi debuit? Agnitam vero despexit, abjecit, pessumdedit: quo robore mentem firmari necesse fuit? Potuit hoc videre femina, facere hoc potuit, quod non vident plerique sapientes, quod viri plerique non faciunt.

Acta seuere vita

Novum aggressa viuendi genus, mirabili ardore aduersum se ipsa bellum suscepit: obseruatoque seuerissime totos tredecim annos jejunio, magna denique sanctimonia diem obijt anno Christianæ salutis sexcentesimo vndenonagesimo, vt quibusdam placet: in nonagesimum octavum reijciunt alij. Quod si verum est, luctuosam egerit senectutem, ob infamem filij Pipini intemperantiam, sanctique martyris Lamberti cædem sacrilegam. Illam antea mortuam esse ego quidem opinor, quod vel in officio filium matris reuerentia retinuisset, vel religiosissimæ parentis vltimam ętatem adeo tristi spe-

sancte moritur.

ctaculo

ſtaculo funeſtari Diuina bonitas noluerit: vel denique ne vitę ſpatium juſto plus prorogemus. Nam ſi Gertrudis ſoror pæne quinquagenaria (vt ſuo loco demonſtrauimus) viuere deſierit anno ſexageſimo quarto: Beggam natu majorem ad annum vſque nonageſimum nonum ægre deduci poſſe arbitror. Certum hoc ſaltem eſt, egregia fuiſſe ſanctimonia. Andanę ſepulta eſt; & plurimis inclyta prodigijs, in hanc ętatem inſigni multitudinis concurſu ac religione celebratur.

Die vigeſimo primo
S. SEVERINVS
epiſcopus V.

QVintum hunc ſuorum epiſcoporum recenſent Tungri: neque de hoc plura, quam de præceſſoribus, ſucceſſoribuſve pluribus acceperunt a majoribus. Itaque ignoramus illos, quibus Chriſtianam lucem debemus acceptam, & quorum præſidio protegimur. Sunt tamen qui hunc, quemadmodum & tres illos qui præceſſerunt, & alios quatuor, qui ſecuti ſunt, omnes Tungris martyrio coronatos eſſe affirment; ſacraque illorum corpora per S. Seruatium deinde Trajectum auecta, ibidem aſſeruari: neque certo contrarium Treuiri poſſunt aſſerere.

Die vigeſimo quarto
ANASTASIA
ſanctimonialis Rameiæ. *Hagiologium SS. Brabantiæ.*

DIu eximia virtute fertur vixiſſe. Cujus, ſi nullum aliud ſit, hoc profecto illuſtrē teſtimonium eſt. Eam poſt mortem incredibili gloria coruſcantem vidit B.ª Ida Niuellenſis, ſanctitudine tum in eodem parthenone celeberrima: quæſijtq; quid vellet purpureæ veſtis ornatus. Reſpondit illa, præmium eſſe languorum fortiter toleratorum, quos non aliter ac ſaluberrimum Dei parentis optimi dextera incuſſum flagrum exceპiſſet magna mentis alacritate; eaque de cauſa martyribus in cælo ſe adjunctam eſſe: ſplendidiſſimis porro gemmis quatuor, quibus impoſita vertici corona miro fulgore radiabat, deſignari virtutes, quas dicimus cardinales. Quæ cum dixiſſet, deducente propemodum innumera ſanctarum virginum multitudine cælum conſcendit.

Die vigeſimo ſexto
DANIEL
cellerarius Villarij. *Chronicon Villar. Geſta virorum illuſtrium Villar.*

DOmo nobilis, operam litteris dabat, quando his relictis Treſigniacum abire conſtituit, vbi in equeſtri decurſione in equitum collegium ſolemni ritu adlegeretur. In nobiliorem alium ordinem Deus vocabat. Graui morbo mox incumbente conſilium mutat; votoque nuncupato, monaſticen amplecti decernit, ſi valetudinem conſequatur. Conſecutus eſt; & ſe voti religione ſoluturus, Villarij monaſticen amplexus eſt, omnibus, qui hominis ingenium noſſent, admirantibus & affirmantibus eam dexterę Dei mutationem eſſe. Antiquius quippe nihil habuit, quam domitis omnibus carnis appetitionibus, contraria omnia ſummopere ſectari. Aſſiduus ergo fuit in jejunijs, vigilijs, lacrymis, laboribus, precibus, alijſque religioſæ vitæ exercitationibus: ac denique mortem his non imparem aſſecutus eſt.

Die vigeſimo octauo GERARDVS GROESBECKANVS cardinalis & epiſcopus LXXXVIII. *Chapeavillus, Archia Leod. &c. Fam. Strada.*

CAPVT I.

Creatus epiſcopus de tuenda religione cogitat: accerſitque Societatem IESV.

E decano Leod.

NAtus illuſtri genere baronum Groesbeckanorum, in S. Lamberti collegium cooptatus eſt. Eam morum humanitatem, perſpicaciam ingenij, judicij grauitatem, magnitudinemque animi probauit, vt omnium voluntate Decani dignitatem obtinuerit. Suſtinuit illam magna laude, tantamque rerum tractandarum peritiam adeptus eſt, vt cum anno a Virginis partu ſeſquimilleſimo vndequinquageſimo canonicorum omnium ſuffragijs quini deſignarentur, e quibus quem voluiſſet Carolus Cæſar Georgio Auſtriaco Leodienſi tum epiſcopo renuntiaret ſucceſſorem, nominatus ſit ſecundo loco Groesbeckanus. Primas tulit Antonius Perenottus Atrebatum epiſcopus; tertius fuit Hermannus Renenburgius, tum Antonius Scauenburgius; vltimus denique locus Roberto Bergano relictus: cui tamen epiſcopatum Cæſar addixit.

princeps creatur.

Auſpicatus principatum Berganus anno quinquageſimo ſeptimo, tenuit ad annum vſque ſexageſimum tertium: quando capite male affecto, viſus eſt publicæ rei adminiſtrandæ parum idoneus: cumque nulla melior ſpes affulgeret, principatum abdicauit. Inſigni animorum conſenſione juſſus eſt Groesbeckanus rempublicā capeſſere pro principe, quamdiu quidem ſuperſtes is eſſet: vita vero deceſſit anno proximo. Sexageſimo igitur quinto poſtquam epiſcopatus ineundi poteſtatem feciſſet pontifex, & ab eo recepiſſet Cæſar clientelæ profeſſionem, Herckenrodæ XIII. Kal. Iunias ſacratus eſt epiſcopus: ac III. Nonas illuſtri equeſtris ordinis comitatu Leodium venit inaugurandus. Solemni ritu, magnaque gratulatione exceperunt ordines omnes.

A Catholicæ fidei defenſione auſpicatus

Altero die celebratis comitijs, vna omnium ſententia ipſo autore decretum eſt, ab antiqua religione nec latum vnguem eſſe recedendum: contra acres in hæreticos omnes inſtituendas eſſe quęſtiones, pænaſque irrogandas. Hęc fauſta credidit auſpicia, quibus principatum aggrederetur. Ea nimirum erat iniquitas temporum, vicinarumque omnium prouinciarum calamitas, vt prius nihil quam religionis integritas curanda videretur. Quare cum deceſſori ſuo Bergano Societatem IESV cordi fuiſſe non ignoraret, à qua vtilitatem eſſe permagnam ſciebat finitimis late regionibus: epiſcopatum adminiſtrare incipienti prima ſtatim fuit eadem cura. Verum pia ſtudia differre coëgit & grauiſſimorum negotiorum neceſſitas, & abſentia Euerardi Mercuriani, qui cum hactenus in inferiore Germania Societatem rexiſſet, Romę jam præpoſito generali pro Germania a conſilijs erat: ac deinde Societatem vniuerſam regere juſſus eſt. Vt primum ergo illi ſucceſſit in prouinciam Franciſcus Coſterus, aliquot e ſocijs vrbi ſuæ princeps obtinuit. Quos ædes incolere conductas; & ad S. Crucis primum, tum ad S. Dionyſij conſueta pro inſtituto munia obire juſſit: aluitque fere e ſuo, donec certa inueniſſet, quæ illis addiceret vectigalia.

Societatem IESV Leodium aduocat.

CAPVT II.

Res Forenſes moderatur. Tum integritati religionis intentus, tumultuantes Geuſios impedire nititur.

AD tuendam reipublicæ incolumitatem indefeſſa fuit opus vigilantia turbatiſſimis illis temporibus. Domi multa, plura foris perſpicaces in omnem partem oculos prom-

promptasque manus requirebant. Comitia denuo habuit princeps IV. Idus Ianuarias anni proximi. Quæ ibi in deliberationem vocata fuerint, recensere singula non est modo instituti mei: alibi factum est explicate. Hoc minime tacendum. De corrigenda forensi corruptela deliberatum est. Cui malo, quod ad singulos magis pertineat, mederi visum est magis necessarium: eoque libentius in illud incumbendum esse censuerunt vniuersi. Raro quippe publicam diligentius, quam priuatam rem curamus. Ab ordinibus ergo lecti, qui antistitis imperio forenses abusus emendarent, patriasque consuetudines in vnum collectas perscriberent. Perscripserunt maturo judicio: tandemque post aliquot annos publica autoritate edita est, hodieque vsurpatur ea, quam vocant, Groesbeckani reformatio. Forenses abusus corrigit:

Verum quod miserrimis illis temporibus omnium longe primum erat, actum est de orthodoxa fide retinenda. Nimirum aduersus hostem numquam omnino, quamdiu superest, subactum, numquam quiescentem, arma semper retinenda sunt. Hic (inquit Chapeavillus) eminuit prẹsulis fides & eloquentia, plurimis in medium adductis rationibus ad antiquam, catholicam, & Romanam religionem his in locis ab apostolorum discipulo plantatam, atque per continuam episcoporum successionem absque interruptione sartam tectam seruatam, illibatamque constanter tuendam: errores contra ac hæreses, ceu pestes animarum reijciendas, detestandas. Adeoque feliciter perorauit, vt vno omnes ore, in majorum fide velle viuere & mori conclamarent. stabilit rem catholicam:

Magni hoc omnino momenti fuit, ea quæ tunc erat per Franciam Belgicamque religionis inclinatione. Sed duo primæ nobilitatis fratres non leuiter illo ordinum decreto perstricti sunt: qui vt rerum nouarum erant cupientissimi, quas per Belgicam occœperant ciere turbas, ijsdem & patriam suam commoueri voluissent. Quibus vbi viam omnem non sapienter magis quam fortiter ab episcopo senserunt occlusam, concepto in ipsam patriam odio, nescio quas facessere Leodijs molestias instituerunt. Sed subsecuta proxime alterius mors, & alterius infaustus lictoris manu Bruxellis interitus consilia discussere: imo cum sine prole ambo decesserint, præcipua eorum hæreditas, ceu clientelare Leodiensis ecclesiẹ beneficium in episcopi potestatem deuenit.

In exitium interim jam non ferebatur, sed prẹceps ruebat per Belgicam religio, maximo Leodiensium discrimine, nisi tutelarium cælitum ope, strenua principis, & prouincialium ordinum vigilantia hanc ecclesiam seruasset. Quis enim non timeat, quis sapiens indormiat, cum proximum ardere parietem viderit? Imo in penetralia flammæ peruadebant. Nam aperta jam Bruxellis erat virorum nobilium ferme quingentorum conjuratio: qui Geusij primum indigitati, pleraque designarunt indigna ordine suo, indigna Catholici regni majestate, indigna hominibus orthodoxam fidem sectantibus. Et crescente numero, ad septingentos Trudonopolim conuenire statuerunt. Partes rei cum episcopo conficiendæ suscepit Ludouicus Nassauius principis Arausij frater misso ad eum Villerij Domino, vno e fæderatis, qui Ludouici sociorumque nomine Trudonopolim habendo conuentui impetraret. Princeps excusatis imperij legibus, quibus hujusmodi cœtus per omnes Cæsareas vrbes inhibentur, rem totam Margaretæ Belgarum præfectæ significauit secretis litterarum notis occultatam: simulque senatui Trudonensi mandauit, ne venientes admitteret. eoque inuito

Oppidani tamen metu ne illi, si portis arcerentur, infensi messem corrumperent, flammisque vicinum omnem agrum perderent, vrbe Brederodium (factiosorum hic caput fuit) & socios acceperunt. Conueniunt ergo Geusij in commune deliberaturi de rationibus patriæ libertatis tuendẹ, quam conuulsum iri declamitabant, nupera tot episcopatuum inter Belgas multitudine, concilijque Tridentini decretis: quẹ nimirum speciosis nominibus obtectam Hispanicæ inquisitionis tyrannidem inueherent. Trudonopoli consilia captant Geusij,

Venenum hic animis hauserunt, quod in suas deinde prouincias diffunderent. Publice multis locis spargentes insana sua dogmata hæreticos audire primum ausi sunt: tum vlterius progressi, in Flandria quidem principio Augusti, sub ipsas vero Idus Antuerpiæ, templa irrumpere, temerare sacra, imagines deijcere, sanctiorem supellectilem diripere, in superos omnes sacrilega scommata jacere; magna bonorum omnium consternatione, vel potius ignauia, qui paucos furentes reprimere non ausi, ab illis mox opprimi non immerito visi sunt. Cur enim euadant, quam a sacris non arcuerunt violentiam? & per Belgium exequuntur impie.

Sic exarsit infaustum incendium, quod in hoc tempus miseram Belgicam depascitur, vniuersa propemodum Europa materiam alendis flammis congerente.

Digitized by Google

CAPVT III.

Quam potest Trajecti fert opem religioni : & citra eius periculum sua principis jura Leodij tuetur.

CVm Leodiensis prouincia Belgicis adeo sit inserta, vt earum fortunam aliqua veluti necessitate sequi debere videatur; eximia fuit Groesbeckani sapientia, quæ Belgis tam fœda tempestate jactatis, in tranquillo Leodiensem ecclesiam retinere potuit. Tantum viciniæ malum minime improuisum sagaci principi fuerat: suisque consuluerat, qua potuerat prouidentia. Sed vbi procellam sensit inhorrescere, omnes animi vires aduocauit, quo malum omne auerteret. Præfectis omnibus ac magistratibus vtriusque ordinis seuere tota ditione præcepit, ne quos cœtus clandestinos permitterent, aut paterentur concionatores quoscumque multitudini quidpiam proponere orthodoxę doctrinæ minus consentaneum.

Catholicæ rei tuendæ

Salutaria pastoris imperia non audiebant Trajectensium plerique. Lupum audiebant impium apostatam, Caluinique impurum sectatorem Cachhosium: qui paucorum auditorum audacia fretus, catholicos ad certamen prouocare non dubitabat. Orthodoxæ puritati subsidio misit episcopus Henricum Dionysium e Societate IESV sacerdotem, de cujus eruditione morumque innocentia diximus. Hic cum vitæ exemplo, tum priuatis sermocinationibus, sed publicis maxime orationibus ad populum habitis rem catholicam non parum restaurauit. Cachhosij impudentiam in primis fregit, vt vix mutire, vix in publicum prodire auderet.

Trajectum mittit P. Henricum,

Erectis vero catholici animis, adeo frequentes ad Henricum audiendum concurrere cœperunt, vt relicto B. Virginis templo (quod quamquam satis amplum, tantæ nihilominus multitudini capiendæ non erat) in proximi sepulcreti aream ad verba facienda prodire cogeretur. Qui fructus vt vrbi proprius perennaret, hortante Groesbeckano, constitutum est Societati collegium; & docendis humanioribus litteris apertæ tres scholæ.

bono euentu.

Leodij interea plus centenis Argi oculis prospiciebat episcopus arcendo malo, senatu populoque in eius sententiam conspirante. Nihil non sperari potuit illa omnium consensione: quæ profecto maxime fuit necessaria, statu finitimorum adeo periculoso. Sed inuidere mox inferi Leodiensibus tantam animorum conjunctionem, qua sublata conuellendam crederent catholicam veritatem. De principis autoritate, de libertate populi, priuilegijsque controuersiam injecere. Capita sunt illa, quæ pro se singuli vel sanguine tuenda existimant. Nam autoritatem tolle principi; redegeris illum in ordinem, principemque sustuleris. Sine libertate seruum se populus credit. Quid tum occurrerit disceptandum, non est modo consilij mei narrare, quod alias multis factum. Hoc prætergredi non debeo. Sui principatus jura putauit tuenda esse, ea ratione, quę minime publicæ rei salutē in discrimen adduceret. Nec enim sine vltimo periculo poterāt in factiones diuidi tum prouinciæ vires, quando conjunctę vix satis esse poterant patriæ incolumitati seruandæ: pręsertim cum infensissimus is aduersarius instaret: qui grauissimam omnium inferre calamitatem potest. Hæresim intelligo, quę in Francia Belgioque mirum in modum inualescens, impijs armis se propagabat. Lege igitur & ratione maluit agere bonus pastor, quam viribus cum grege suo contendere. Initium hoc fuit diuturnæ illius concertationis, quæ in hoc tempus in Spirensi curia principem inter & populum agitatur. Nimirum bono Deo curę fuit ecclesia Leodiensis: vt cum suam singuli causam mira contentione susciperent agendam, vbi tamen ab externo metus esset, aut pro catholica veritate retinenda fuit standum, seposita mox omni disceptationis alterius memoria, in vnam vniuersi sententiam conspirarint. A Deo fuit illa felicitas.

Tuetur ecclesię suæ jura.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Deficientes ab auita religione Hasselenses & Masecanos prouide sed frustra reuocatos, damnandos curat.

NOuas quotidie vires accipiebat hæresis, latiusque per Belgicam suos iconoclastas diffundebat. Nuperrime eodem hoc anno sexagesimo sexto Mechliniam, tum Siluam ducis penetrarat. Hoste tam propinquo vigilias auxerat fidelissimus pastor. Sed nescio quibus artibus (quæ semper plus millenis ad nocendum hęresi fuerunt) Hasseletum se insinuauit impius quidam zizaniorum sator Hermannus Stuickerus Zuollanus turbulentissimi homo ingenij, e fece Caluinistarum, nominatus inter suos concitatis ante paucos dies Antuerpię tumultibus, occupatoque principe vrbis templo. Hasselenses in fide vacillantes

Hasseletum vt intrauit, non paucos e vestigio nactus sectatores, publice medio foro suam impietatem serere non dubitauit, multis ciuibus armatis stipatus. Nihil hic ausi ciuium optimi. Grauis quidam stupor manus æque ac mentes obstrinxerat. Pessimorum impudentia & temeritate absterrebantur.

Nihil cunctandum existimauit princeps. Perscriptis primum litteris, mox sapientibus quibusdam viris commissis, humanitate magna populum hortatus est, ne Deo fidem, principique ac patrię falleret. At surdis occinuit. Animos pręstigijs occupauerat doctor Hermannus: hoc nominis in vulgus ipsi fuit. Ausus que est intempesta primum nocte confringere sacras imagines, soloque affligere: mox etiam meridie omnibus rei sacræ instrumentis in pyram foro mediam congestis facem subijcere. Verum (vt sępius alibi) res memoratu digna & miraculi loco habita accidit. Occupati erant iconoclastę media nocte in deturbanda Christi Domini in crucem suffixi imagine: & ecce semel atque iterum nullo vento flante cerei & faces omnes extinguuntur. Cumque rogum accendissent, vt sanctorum imagines exurerent; fuit ille subito haud aliter extinctus, quam si copiosissimo fuisset imbre perfusus. Aderat bonus ille minister Hermannus, qui ne quis rem alijs indicaret, omnes obtestatus est. Ejusmodi miraculis non perpetratis, at silentio suppressis soliti sunt nimirum nouatores sua dogmata comprobare. & contemnentes salubria monita

Fidem tamen inuenerat Hermannus, & ciuibus adeo carus euaserat, vt sparsa in viciniam late fama, cum nonnulli Tungros ad aliquot dies inuitarent, nullo modo dimittendum censuerit populus Hasselensis, nisi præsidio trecentorum quadringentorumve armatorū, vel ab ipsis certe consulibus deduceretur. Sed paucorum priuatorum eæ fuerant inuitationes. Cum multitudine viribusque superaret pars sanior; pauculis suum caput non ausus credere Hermannus, Tungros præteruectus, Trajectum contendit: miseramque vrbem in eamdem statim insaniam pertraxit. Secuta est veluti contagio Maseca. Ita totos populos in ruinam pronos scelestus homo pertrahebat, arcano Dei judicio præterita peccata castigantis. Quo enim aliter pacto fieret, vt relictis majorum sacris, pro ignoti hominis arbitrio liberet insanire?

Postquam paternas cohortationes negligi sensit optimus princeps, seueriorem manum censuit admouendam. Quod molliori malagmate non potuit, ferro flammave curandum est vulnus. Cum immissum militare pręsidium populus Hasselensis admittere detrectaret, palamque principis dominationem excussisse videretur, cognoscendam Scabinis caussam committit episcopus. Illi sæpius citatos Hasselenses, nec sistentes in jure, etiam absentes, minutę majestatis Diuinæ juxta ac humanæ reos & perduelles pronuntiarunt. damnandos curat.

Nihil illa Masecanos terruerunt. Nullo discrimine quoscumque hæreticos recipiebant, & suas insanias proponendi potestatem illis faciebant. Nec erubuit ipse Hermannus palam jactitare, spem esse Leodij post paucos dies sua dogmata stabiliendi. Vigilantem generosumque principem illa perstrinxerunt. Abiturus Curingiam, vt e proximo præcipitantes Hasselenses forte sustineret, vocatis ad se consulibus postquam impudentem Hermanni temeritatem aperuisset, ad senatum referri mandauit, prospicique ne se absente quidpiam eorum ignauia detrimenti respubl. acciperet. Retulerunt consules: decretumque vt juncta principis populique autoritate ediceretur, ne quis in vrbe hospitio reciperet externum quempiam, cujus nomen eodem die ad prætorem consulesve non referret: ANN. 1567. Sequuntur Masecani.

DIE 28. referret: qui secus faxit, ingentem pensurum multam: at vero proscriptum iri, quicumque doctorem Hermannum accepisset. Contra centenos a principe, totidemque a senatu Philippicos, prętereaque cujusvis criminis (excepto violatæ majestatis Diuinæ vel humanę) condonationem accepturum, quicumque Hermannum vivum sane aut mortuum episcopo consulibusve tradidisset.

Tum vt in totius gregis salutem intentos habebat oculos episcopus; ab omnibus totius gentis ordinibus ad Mascecanos scribi postulauit, quo commonerentur ad officium vt redirent, & episcopo principique suo, qui nullas in sua ditione hæreses patiatur, obtemperarent. Verum quando excusationibus parum idoneis ordinum eluderent consilia, in jus vocati perduellionis pariter damnati sunt.

CAPVT V.

Hasselenses armis, metu Mascecanos & Stochemios ad officium reducit. Ecclesiæ suæ ab hæreticorum contagio cauet.

VBi princeps humanitate sua rationibusque nihil inflecti Hasselenses, non seuera illa Scabinorum condemnatione, turpique perfidiæ nota, non minis reuocari ad ad officium sensit; contra potius eorum petulantia, armisque se prouocari: ex concordi prouincialium ordinum sententia vrbis Hasseleti obsidio decreta est. Agrariam ergo ditionis Leodiensis militiam misit cum mille militibus mercede conductis, quę obsidionem auspicaretur. Hasselensibus animos dabant non modo vrbis firma munimenta, sed & numerosa juuentus rei fortiter gerendæ cupida; maximeque non exiguus numerus hæreticorum e Belgicis prouincijs profugorum: qui a regijs præfectis jam vigilantioribus pulsi, vt suas hic sedes, ita nouellam ecclesiam condere stabilireque satagebant. Quibus ferociores obsessi, cum fortiter erumpere, obsidentesque ipsos vltro lacessere non dubitarent, cæsis etiam nonnullis: episcopus qui suarum ouium salutem alias suauitate curatam maluerat, armis rebelles ad imperata facienda compellendos intellexit.

Obsessos Hasselenses

Quare tandem & ipse in castra venit cum beneficiariorum clientum equitatu, ciuiumque Leodiensium quaternis cohortibus: & muralibus tormentis vrbem vehementius verberari imperauit. Tum demum vrgeri se senserunt obsessi: & quos Diuinæ gloriæ contemptus, quos sacrorum violatio non tetigerat, jam direptionis fortunarum metu perculsi sunt. Illi in primis extrema tentare detrectantes, deditionem palam optare cœperunt: hæreticisque seu ciuibus, seu exteris frustra renitentibus, eam suo principi proposuerunt, impetraruntque his pactionibus: Obsidionis sumptus suo ære Hasselenses sustinento: cœnobia templaque igne vel alijs injurijs fœdata restauranto: catholicam ac Romanam fidem deinceps profitentor, colunto: militare præsidium recipiunto, alunto. His legibus ad fidem rediere. Hermannus doctor sanguine suo nouellam ecclesiam fundare non ausus, in fœnum se abdidit, atque ita curru auectus est.

ad officium cogit,

Debellatis feliciter Hasselensibus, hoc est exterminata inde hæresi, propugnataque gloriose catholica ecclesia, Leodium victor princeps redijt, magna omnium ordinum exceptus gratulatione.

eodemque terrore ceteros.

Mascecani victis Hasselensibus animos submisere, missumque ab episcopo militem recepere. Idem Stochemijs imperatum, vt in Officio continerentur, qui vacillare visi fuerant. Felicia imperia! quæ diram mentibus perniciem vt pellunt, ita bonorum omnium maximum rectam fidem etiam inuitis seruant.

Molis non paulo majoris erat ad officium Trajectenses reuocare; quibus vrbis munimenta, ingentesque opes, sed maxime connata hæresi pertinacia animos erigebat. Sed postquam non modo Hasseletum suo principi, sed & Valentianas Hispano regi cessisse compertum est, altiores spiritus demisere. Norcarmiumque cum regio exercitu venientem portis receperunt, nihil eorum abnuentes, quæ regis nomine fuissent imperata. Vrbem ille ingressus, acceptis a magistratu clauibus, tormenta majora, atque omne bellicum instrumentum ciuitati ademit, ciuium singulos armis spoliauit, jussitque rebellionis autorem medio foro suspendi.

Repressis hęreticis respirare videbatur ecclesia Leodiensis, quando majore fuit opus episcopi vigilantia. Multi quippe Belgicis prouincijs sacrilegiorum suorum conscientia territi

A vicinæ hæresis cōtagio

Digitized by Google

territi profugere pergebant, & Leodium migrare, aut alias in vrbes Leodiensis nominis. A contagio periculum erat non minimum. Et rumor erat nonnullos in arcano, imo in circulis nequaquam impijs vocibus abstinere. Quare decreto sanxit episcopus, vt Leodiensibus finibus excederent, qui toto biennio quieti sedes non fixissent: pœnas legibus irrogatas daturos, qui seditiosos impiosve sermones miscuissent. Suus decreto fructus existit. Sed brevi nouum proponi debuit imperium. Suis cauet,

Rex enim Catholicus audito Belgarum tumultu, quos difficulter in fide retentura videbatur Margareta Austriaca, summo cum imperio miserat Ferdinandum Aluarezium Albę ducem. Qui medio Augusto Bruxellas ingressus, cum nimiam toto Belgio creuisse libertatem crederet, mollioribus Margaretæ imperijs seueritatem ipse prætulit. Primis igitur suę præfecturæ auspicijs, cum multos, atque adeo nonnullos etiam principes viros in vincula misisset, longe plurimis incussus est terror; qui promeritas suis sacrilegijs pœnas vt vitarent, in fines Leodienses relicta patria se rursum effuderunt. Raro periculis vacat miserorum vicinia: hæreticorum certe numquam. In vltimo discrimine versabatur hæc ecclesia, cum eo confugeret, quidquid tota Belgica noxium erat. Integritatem sui præsulis vigilantiæ debet, qui proposita edictorum seueritate hæresim suis finibus exclusit. eosque ferro arcet.

CAPVT VI.

Principe Arausio hostilia intentante, rempublicam seruat.

AB ecclesia Leodiensi condita vix concitatiores aliquando vel periculosiores insonuerunt procellæ, quam toto Groesbeckani principatu. Qui tamen ea sapientia clauum semper tenuit, vt quamquam finitimas prouincias fœda naufragia funestarint, suam ipse nauim seruarit integram, saluo non tantum publicæ rei politico statu, sed etiam (quod omnium maximum merito habendum est) catholicæ puritatis illo nitore, quem ab apostolorum discipulo gloriamur acceptum. Quod eo fuit illustrius, quo & majoribus viribus partes concurrebant, & speciosiore honesti velo perfidia hæresisque tegebantur. Sed latentes scopulos vidit peritissimus nauarchus, & feliciter declinauit.

Increbuit rumor anno proximo, qui erat post sesquimillesimum sexagesimus octauus, ingentes copias in Germania Protestantium principum auxilio conscribere Arausium. Albanus contra quas poterat vires colligebat. Malleum inter & incudem se versari Leodienses sentiebant. Insanum sit ea rerum perturbatione tutum se credere: temerarium in vltimum discrimen reijcere consilia. Sapienter anteuertit princeps. Multa colloquia habuit ab ipso primo vere pro tuenda republica cum principum canonicorum collegio, cum prouincialibus ordinibus, cum senatu. Decretum vt ordinum sumtu miles conscriberetur, & alia plura fierent, quæ ad publicam incolumitatem facere visa sunt: neque hic sigillatim enarrare, hujus consilij est. Turbatis Belgis Leodio prospicit.

Augusto mense coierunt vtrimque copię. Albanus equitum quina millia, quingentos, peditum dena sena numerabat: castraque ad vrbem Trajectum communijt. Arausius equitum dena millia, peditum dena octona ducebat: octo millibus alij copias vniuersas augent. Rhenum transgressus, totum Septembrem in Transmosanis regionibus hæsit; honestissimam expeditioni causam pręferens, quam typis excusam publico dedit hac inscriptione: *Bellum ad Dei honorem, regis Hispaniæ, necnon Cæsareæ majestatis ejusque filiorum, tamquam proximorum regis heredum vtilitatem susceptum, contra sæuissimam furibundi ducis Albani tyrannidem.* Argumentum tractabat, quod plurimis adscripserat vexillis: *Pro lege, grege, & rege.* Appinxeratque pellicanum perfossi pectoris sanguine pullos pascentem. Speciosiorem sanctis consilijs præferrę causam non potuisset quiuis alius vel patriæ amantissimus vel sui regis obsequentissimus. Sed quid animo tegeret ipse mox prodidit. Aduersus Arausium

Cum Nonis Octobris Maseeam inter & Stochemium Mosam transmisisset, nec Albanum potuisset ad pugnam elicere, ducturus in Brabantiam, Tungros mouit quieto primum agmine: sed omnem statim sacrorum æque ac profanorum reuerentiam posuit. Villarij episcopi (pagi nomen est) calcatum pedibus augustissimum SACRAMENTVM, sacro oleo inuncti calcei, imagines deturbatæ, fœdata altaria. impie grassantem,

Ple-

DIE 28. Plerisque alijs locis ablati calices, sacræ vestes ad profanos & turpes vsus abjectæ non sine scurrilibus impijsque scommatibus. Sacerdotes inhumanis modis vexati, excoriato capite, præcisis naribus, auriculis, & alijs quæ pudor occuluit; in eos explosis velut in signum sclopis. Arausius ipse, audito Loscastri nouatore quodam ministello, qui verba fecerat, iconomachiam mox imperauit; templumque violatis ac direptis impie sacris in equile conuertit. Tum superbis ad principem, canonicosque datis litteris, questus se imperij principem multis affectum contumelijs; (transitu per vrbem prohibitus fuerat) contra publicum hostem Albanum consilio, commeatu, pecunia, milite adjutum; imperat multam centies mille ducatorum: extrema minitatus, nisi e vestigio pependissent. Pedendam tum multam respondit princeps, quando cognita causa legitimus judex irrogasset.

seruat patriam.

Trudonopolim deinde pauculorum perfidia receptus egregius ille publicæ libertatis assertor, ab abbate auri vim ingentem extorsit, plurimis alijs pro fortunarum modo pecuniam imperauit, ciuium opulentissimum quemque spoliauit, diripuit amplissimum illud S. Trudonis cœnobium, ecclesiastici ordinis nemini pepercit; quidquid e circumjecto agro in vrbem ceu asylum fuerat importatum, militi concessit. Denique quidquid inuentum est in vrbe bellicorum tormentorum, igniarijque pulueris, euectum est in castra. Omnem prędam aiunt æstimatam octies centenis aureorum millibus. Tanti perfidis illis ciuibus placuit hæreticorum & perduellium gratiam emere. Sed capite deinde principi luerunt.

Historiam rerum Leodiensium hic non scribo. E multis ea pauca satis sint, vt quiuis justus rerum æstimator Groesbeckani prudentiam & merita in remp. intelligat, qui nullam illis fidem habendam esse duxit, qui datam Deo regique soluerant.

CAPVT VII.

Leodium ipsum eodem periculo liberat.

EXeunte Octobri labebatur opportunum bello gerendo tempus: nec habebat Arausius, in qua militem dimitteret hiberna. Quem enim magna multorum promissa pellexerant in Belgicam, quasi primo signorum Arausianorum conspectu Belgæ omnes in eius castra conuolaturi fuissent, suasque portas reseraturę vrbes; jam cum neque pugnæ copia fieret, nec vllum vsquam motum audiret, rebus suis diffidere cœpit. Tutior nullus quam in Germaniam recursus videbatur: sed autumnalibus pluuijs tumidior Mosa nusquam vadosus erat.

Leodium ipsum tentantes hæreticos

In castris plerique Leodium non difficulter occupari posse affirmabant. Magnum illa in vrbe positum esse belli momentum. Eum scilicet fructum tantæ expeditionis apud socios, imo & hostes non inglorium ostentatum iri. Ex opibus cleri numerandum militi stipendium: viam integris copijs & sine periculo, & facilem futuram; facilemque deinde in Belgicam e Germania reditum: belli denique sedem ibidem constituendam. Eam igitur vrbem tentare placuit. Quod si non procederet, in Franciam denique ad Hugonottorum copias signa vertere constitutum est.

Vbi nuntiata Leodium Arausij consilia, non leuis quibusdam injectus est timor. Occulta quorumdam conjuratione reuocari suspicabantur, qui vel nouellarum sectarum insana cupiditatę, vel (quod toto Belgio frequentissimum fuit ea tempestate) Hispanorum odio partibus Arausianis fortasse plus æquo fauerent. Verum periculis omnibus major fuit Groesbeckani animus. Multis ad fortitudinem cohortatus, clerum populumq; sacramento rogauit ad veteris & orthodoxæ religionis integritatem, salutemque publicam communibus viribus propugnandam ad extremum vsque spiritum. Igitur conuersis ad arma consilijs munitiones lustrantur, aggeribus infirmiora muniuntur, tormenta statuuntur, jubentur arma ciues expedire, in stationes describuntur, per vrbem & extra muros ordinantur excubiæ.

& excidium molientes

In vrbis conspectum pridie Kalend. Nouemb. venit prima hostium acies, suburbiaque S. Walburgis occupauit, incendit. Cum reliquis copijs primo circiter ab vrbe lapide substitit Arausius: missoque ad senatum feciali rogauit, exercitum per vrbem ducere liceret: & qua principem imperij deceret, fide pollicetur, integram seruaturum populo libertatem: contra dira minitatur, si vim experiri malint. De principis sententia responsum est, nec e re, nec e publica dignitate esse, hoc rerum statu transitum permittere.

Alias

Alias ducendis copijs vias patere. Si vim fecerit, animos & vires principi populoque esse repellendo hosti.

Infregit hoc responsum hostis ferociam: qui molliora locutus, petijt militi suo extra muros nauibus transitum permitti. Quod item cum audisset negari, labefactandam omnibus machinis credidit illam, quam intelligebat, populi cum suo principe consensionem. In vrbem ergo admitti oratores suos, audirique postulauit: a quibus scilicet serenda sperabat occultis artibus dissidiorum semina. Eam spem in castris faciebant nonnulli, qui se rerum Leodiensiũ peritiores jactitabant. Negauit episcopus legationibus audiendis tempus esse, cum portas arma pulsarent. Si quo nuntiato opus esset, litteris mandaretur. Nec enim inter hæc quiescebat hostis: occupato Publico monte, in suburbia omnia se infuderat. Sapienter cludit princeps

Irritatus tertia repulsa Arausius, quartas dat litteras, sed impotentis animi testes, acerbissimarumque minarum plenas. Quas cum tradidisset fetialis, facessere jussus est, nec redire ipse, aliusve, nisi crucem velit. Ad oppugnationem igitur se hostes accingunt. Fossæ ducuntur, jaciuntur aggeres, machinæ murales in vrbem librantur ad pilarum jactum. Verum hæc ad speciem dumtaxat, incutiendumque, si fors ferret, terrorem. Tantam enim vrbem constanter, vt cœperat, repugnantem, non nisi longa laboriosaque obsidione intelligebat hostis ad deditionem cogi posse. At moram nec hiberni cæli inclementia, nec incubans ceruicibus Albanus patiebatur.

Ad primum Arausij redeuntis famam, e cleri senatusque sententia per Longiensium, Condrusorumque, ac Arduennæ tractus militem conscribi jusserat princeps. Ante mediam noctem, quę tertia fuit exercitui ad vrbem hærenti, venerunt mille ducenti in senas cohortes descripti. Transmosana porta, quæ ab hostibus auersa erat, in vrbem admissi sunt. Cumque intrantium tympana Hispanicis modis personarent, (dolus an virtus, quis in hoste requirat?) Arausiano militi per Aurotana suburbia ad Mosam diffuso speciem præbuerunt aduenientis Leodium Albani. & abire cogit.

Cohorruit Arausius hoc nuntio: & e vestigio conuasari jussit, ac moueri signa. Atque vt egregiæ suæ pietatis monumenta relinqueret, cœnobijs S. Laurentij, S. Ægidij, & Vallis benedictę flammas injecit. Conspecti ignes indicio fuere Leodiensibus abeuntis hostis. Quorum nonnulli orto sole extremum agmen aggressi carpere, cladem ediderunt. Capti non pauci in vrbem attracti, suspendio periere. In Hannoniam abiere hostes, cum nulla alia pateret via; & in Galliam euasere. Nam & frequentioribus pluuijs intumuerat Mosa, & aduersam eius ripam Namurco Trajectum vsque armati tenebant Condrosi, Longienses, Francimontij, Limburgij.

Ita Leodiensis ecclesia, quamquam grauissimis affecta damnis, & tantum non obtrita diuturnis magnorum exercituum concussionibus, feliciter tamen euasit dirum, quod hæresis machinabatur exitium. Publicam incolumitatem omnes adscripserunt principis vigilantiæ, insignique sapientię, qua omnes ordines inconcussa concordia junctos continuerat. Sed acceptum ipse pietati Diuinæ beneficium retulit: decretumque fieri voluit, vt quotannis deinceps III Nonas Nou. qui S. Huberto sacer est, post rem Diuinam ritu celebriori peractam vniuersus clerus cum consulibus, scabinis, reliquoque populi magistratu, delata VEN. EVCHARISTIA supplicatum procederet, in perpetuam seruatę reipublicæ memoriam.

CAPVT VIII.

Magno reipublicæ bono Leodienses a Belgico bello auertit.

Republica tanto periculo feliciter defuncta, principi non diu licuit esse quieto: atque adeo, quoad vixit, in omnem partem animum intendere semper necesse habuit, vt ab insurgentibus vndequaque turbinibus suam ecclesiam seruaret immunem. Vix bene sedata per Belgicas prouincias fœda illa tempestate, anno proximo noui motus tranquillitatem turbauere. Imperatorum ab Albano vectigalium grauitatem omnes Belgę, quantum sine periculo licuit, detrectabant: apud regem causam nonnulli dixerunt. Sed propositi tenacior Albanus, cum de seueritate nihil remitteret; immane bellum exarsit, Belgicam in grauiores prioribus ærumnas tracturum; multis scilicet in hæreses propendentibus, omnibus in proregem inflammatis. Principia minus ad Leodien- ANN. 1572. Recrudescente per Belgium malo

 ses

Digitized by Google

DIE 28. les spectare visa sunt, quod in Hollandia procul, & proxime Oceanum primi ignes emicuerint. At diffusum paulatim latius incendium proxima quæque corripuit, suisque flammis heu nimis sæpe! vicinum Leodium perstrinxit. Non est instituti mei commemorare calamitates, quibus totam prouinciam vel hæreticorum exercituum impietas, vel tumultuantis Hispani militis insolentia inuoluit. Satis sit, dixisse Groesbeckanum numquam omisisse optimi principis partes: & militum auaritiam si non semper coërcere vel amoliri potuit; hæreseon sane pestem ab ecclesia sua quam longissime semper rejecit.

Sed crescente inter Belgas malo, auctum est Leodij periculum: cui non cessit episcopi prouidentia. Cum anno septuagesimo sexto Catholicus rex suarum prouinciarum ordinibus rerum summam demandasset, neque eorum imperijs obtemperaret Hispanus miles, quod se despectui præ alijs nationibus haberi quereretur, cruentis inter se odijs decertarunt. Et ne lectorem externis distineam: XIII Kal. Nou. Trajectum Hispani multis primum cæsis occuparunt, diripuerunt. Exacerbauit ea clades vniuersos Belgas, ac in primis Leodienses: quos vt periculo propiores, non deerant qui concitarent aduersus Hispanos. Principio Nouembris comitia princeps coëgerat, quibus tanta finitimorum perturbatione quærerentur rationes seruandę reipublicę. Proposita capita forte senatus expendebat Nonis Nouembris, quando curiam intrarunt Belgicorum ordinum oratores; rogaruntque vt icto fœdere cum Belgis omnibus Leodienses in Hispanum nomen conjurarent. Sumtis deliberando paucis diebus, cum denuo senatus conuenisset, venit in ciuilem curiam ipse episcopus: nec eo suæ principis dignitati detrahere se quidquam existimauit, quando de summa reipublicæ agi crederet, cujus salutem omnibus anteferendam nemo sanus dubitaret. Populi Trajectensis calamitas populares animos grauiter affecerat, Hispanoque nomini antea parum amicos (id erat tum omnium fere Belgarum ingenium) jam non parum irritarat. Ideoque princeps hac admodum coquebatur cura, ne populum vehementior impetus abriperet in consilia parum sana. Qua præstabat ergo facundia sane insigni, grauem habuit orationem, qua demonstrauit, adeo reipublicę Leodiensis interesse, dissidentibus inter se finitimis, neutras amplecti partes, sed amicitiam (quatenus scilicet religio pateretur) cum vtrisque colere; vt publicam incolumitatem, dignitatemque ecclesiæ illius, imo salutem in præceps mittere judicandus sit, quicumque aliter sentiat. Vt perorauit, pedibus manibusque venit in eius sententiam senatus: ipsoque autore fieri decretum voluit, quo Belgis suas res curandas relinquerent.

periculum suis episcopus auertit

Quod vt audierunt legati, vehementius institerunt, vt plus aliquid finitimorum veteri amicitiæ tribueret princeps. Verum in sententia perstitit, immortali dignus gloria, & vel hoc solo Pater patriæ nuncupandus, cui libertatem, incolumitatem, ac religionem seruauit illibatam.

magna felicitate.

Sub hæc, nouum ecce malum Belgas vniuersos consternauit. Antuerpiam nobilissimum emporium, numeroso insessam præsidio, erumpentes ex arce paruo numero Hispani, multis cęsis diripuerunt. Venere Leodium nuntij post redditum oratoribus responsum. Et quamquam in Antuerpiensium causam plerique populariter magis ferrentur, & ab Hispanis alieniores fierent; episcopi tamen consilium probarunt omnes. Nec vtilem rei Leodiensi illorum amicitiam esse posse crediderunt, quorum effluere vires, & tristissimis quotidie calamitatibus subuerti spectabant. Proximi ergo Vcalegontis incendio sapientiores, cauendam summopere vel scintillam omnem censuerunt.

CAPVT IX.

Seruata ecclesiæ suæ pace ac religione, creatur cardinalis.

TVenda constanter episcopo fuit ea felicitas, quam ipse in rempublicam inuexerat; sed conuellere Belgici ordines acriter tentabant. Missum a rege summa cum potestate Ioannem Austriacum cum anno septuagesimo septimo recepissent; initam autem cum illo pacem plerique parua fide colerent; captum ab illo Namurcum vt primum acceperunt, bellum resumserunt. Cui gerendo cum opportunam intelligerent esse Leodiensium societatem; decreta rursum legatione sollicitandos censuerunt. Nouembri Leodium venerunt oratores, & publicum totius gentis conuentum ingressi, cum suorum

Fœdus aduersus Hispanum rejicit

rum

rum ordinum postulata proposuissent, magnaque vehementia suasissent armorum societatem, episcopo tamen fortiter suam illam sententiam retinente, nihil plus legatione hac, quam priore retulerunt. DECEMB. DIE 28. reijcit princeps

Ingratum accidit Belgis illud responsum. Sed cum peregrinum militem ab Austriaco reuocatum fama ferret, (dimissus nimirum fuerat ex pacis conuentione) & inferendo sustinendove bello peropportunam esse scirent Leodiensem ditionem, nouam legationem adornarunt XIII. Kal. Februarias anni sequentis, & senatum ad jungendam societatem pertrahere conati sunt, nulla principis facta mentione: quem scilicet fortius obniti sciebant. Sed a salutaribus sui principis consilijs abstrahi nequijt senatus, ratumque habuit prius decretum.

Cecidit & hoc Leodiensibus quam felicissime. Nam eodem, quo senatus respondebat die, Ioannes Austriacus cum peregrino milite jam reuerso ferociter inuectus in hostem, qui ad vrbem Namurcensem hactenus castra habuerat, sed comperto aduentu Austriaci se in Brabantiam recipiebat, magnam stragem edidit. Et mox redintegrato ad Gemblacum prælio, illum integra victoria fudit, fugauit.

Consternati hac clade Trajectenses, cum primum deinde victoris impetum exspectarent, missa item Leodium legatione auxilia flagitarunt, quandoquidem æqua esset episcopo Leodiensi cum duce Brabantiæ in vrbem Trajectensem potestas. Sed pari semper sapientia responsum. Videbant nimirum Leodienses, manuque tangebant præmium medię inter diffidentes conditionis, tam prudenter a principe suo commendatæ. Salus enim illi quæ potest esse, qui alienis minimeque necessarijs se controuersijs implicat? Cui suum jam graue jugum est, opprimetur, si alij pręterea ceruices subjecerit: At modo qui e re sua non esse judicarant alteros sequi, cum vtrosque spes pæne par erigeret, illis jungi quorum res inclinabantur, consilij fuisset parum sani. Perire vult, qui pereuntes sequitur. & Trajectensibus auxilia negat.

Austriaco feliciter agente, pessum ibant res Belgarum, & in varias factiones scindebantur. Qui sectabantur Arausium, propagandæ simul hæreseos cupiditate ardebant; atque vt in dies inualescebāt, multis locis ecclesiasticum ordinem pellere cœperunt. Hęc erat belli aduersus ecclesiam denuntiatio, quod pro libertate suscipi jactitarant: certosque sibi de gregibus triumphos pollicebantur post exactos pastores. Ea nimirum arte canes ab ouibus remouendos Æsopici lupi pepigerunt. Pulsis porro non aliud facile magis opportunum fuit asylum, quam ecclesia Leodiensis: ad quam publicę rei tranquillitate, puritateque religionis inuitati complures canonici, & magno numero cujusvis conditionis homines catholici confugerunt. Augustinianorum vniuersa Brugensis familia cum priore suo Francisco Scapelinckio, ac deinde cœnobitæ Villarienses monasterio suo pulsi Leodium se receperunt non parua hujus ecclesiæ gloria. Pulsis catholicis asylum prębet.

Quæ profecto cum primum omnium Groesbeckano deberetur præsuli vigilantissimo: summus pontifex Gregorius XIII. ne eius tantis meritis honor deesset, in cardinalium collegium illum adsciuit misso nouæ dignitatis insigni per Guilielmum Berganum, qui ex decano Leodiensi postea creatus est episcopus Antuerpiensis, ac denique Cameracensem archiepiscopatum adeptus est. Ceterum hunc honorem Groesbeckanus non tam sibi quam ecclesię Leodiensi delatum fuisse, pro ingenita sibi modestia solitus est respondere gratulantibus de nouæ dignitatis accessione. Germanam virtutem semper pręit, eique viam sternit modestia: semper eam consequitur honor, numquam nisi in eius comitatu sincerus. Creatur cardinalis.

CAPVT X.

Ad vltimum diem sibi similis, religiose moritur.

ETiam Aquisgrani hæresim oppugnare aggressus est. Eo plurimi ex omnibus Belgicę prouincijs, ex quo hæreticos insectatus fuerat Albanus, commigrarant, vt hic, quas in patria suppliciorum metu non audebant, hæreses libere profiterentur. Paulatimque adeo creuit eorum multitudo, vt Februario anni octogesimi etiam publice dogmata sua docere non erubescerent. Aquenses tumultuantes

Senatum officij sui semel iterumque commonuere cardinalis Leodiensis & Cliuiæ dux (ambo in circuli Westfalici quatuoruiros adlecti erant) effeceruntque vt publico edicto

Digitized by Google

DIE 28. edicto conuentus ejuſcemodi prohiberentur. Verum vt incendio, ſic hęreſi niſi quamprimum occurratur, omnes mox conatus eludet: prima ſcintilla non difficulter opprimitur. Itaque ſemel ac iterum peſſumdata ſenatus autoritate, (vt hæreſi connata ſunt impudentia & rebellio) publico ſuam impietatem audacia majori oſtentare non dubitarunt. Damnauit proteruiam Cæſar; Leodienſique & Cliuio compeſcendam mandauit. Suſcepere prouinciam catholici principes: atque vt ratione prius, quam vi reducendos ad officium cenſebant, dum colloquijs tempus teritur, rem illam conficere cardinalis morte prohibitus eſt.

ad officium reducere tentat.

Extremus hic ferme fuit optimi principis conatus poſteritate dignus. Niſi eius conſilio dixeris Arſchotanum ducem relicta Belgicorum ordinum factione ad regem redijſſe. Ab ijs Coloniam Nouembri menſe miſſus fuerat: vnde poſt paucorum dierum moram Leodium ad cardinalem reuerſus, poſtquam remotis arbitris cum illo multis egiſſet, Namurcum ſuo regi reconciliatus ad Farneſium abijt. Senſim enim Belgicæ res ad regem inclinabant. Arteſijque ac Hannones ab ipſa obſidione Trajectenſi (quæ fuit anno ſuperiore) in gratiam cum Parmenſi principe redierant.

Arſchotanum regi ſuo conciliat:

Obambulans cum Arſchotano cardinalis alliſerat forte pedem ad ſaxum; recruduit vulnus, quod pridem acceperat: afflictaque ex eo valetudine, cum de vita deſperari audijt, Sacramentis omnibus religioſiſſime inſtructus, ſuum diem obijt magna Leodienſis eccleſiæ jactura, optimus princeps, ac verus patriæ parens: *incredibili prudentia ac facundia præditus*, (quemadmodum eius ſepulcro inſcriptum eſt) *qui prouinciam ſuam temporibus difficillimis, annos ſedecim, ſumma innocentia, atque animi fortitudine, pace & bello non modo conſeruauit, verum etiam auxit: atque ipſis hoſtibus admirabilis, virtute inuidiam ſuperauit.* Tertium & ſexageſimum ætatis annum exegerat. Sepultus eſt in S. Lamberti ad arę principis latus dextrum.

& moritur.

Eius funus nihil magis honeſtauit, quam acerrimum illius deſiderium. Tanti principis meritis nulla par eſſe potuit veneratio, aut virtutum prędicatio. Integritas, fides, vigilantia, magnanimitas, pietas in Deum, effecerunt pręclare factis, vt ſalutem, incolumitatem, libertatem, priſtinam dignitatem & gloriam ſeruatam illi reſpublica eccleſiaque Leodienſis debeant: & illam famam, quamdiu ſtabunt, ad omnes poſteros cum immortali honore tranſmittent.

Die ignoto

GODESCALCVS MORIALMÆVS

prępoſitus S. Lamberti, conditor S. Bartholomęi.

Anſelmus, Ægidius, & quæ ex archijs ſui collegij mihi exhibuit adm. R. D. Nicolaus de Rocourt decanus S. Bartholomæi.

ILluſtri gente Morialmæorum natus eſt in prouincia Interamnenſi. De cujus virtute etſi pauca prodiderint majores noſtri, ea nihilominus ſatis oſtendunt, magnis vixiſſe dignum encomijs. Cum enim S. Lamberti præpoſitus fuerit Notgero ac Baldrico eccleſiam illam regentibus, quando ſcilicet ſi vmquam alias, aurea vere Leodij fuerunt ſæcula, non facile credendum eſt ad eam dignitatem aliter euectum eſſe, quam eximiæ virtutis commendatione.

Nobile religionis ſuæ monumentum reliquit, baſilicam S. Bartholomæi, quam extra vrbis pomœrium (hodie intra muros eſt) exſtruxit cum collegio canonicorum duodecim, quibus alendis addixit vectigalia. Auctus eſt poſtea numerus ad tringinta. Templum dicauit Baldricus epiſcopus XLVII vna cum S. Heriberto Colonienſi archiepiſcopo, III Kal. Nou. anni milleſimi decimi quinti.

Condit collegium S. Bartholomæi.

At certius virtutis argumentum habemus ab vniuerſę Leodienſis eccleſiæ judicio. Cum enim anno viceſimo primo epiſcopus Wolbodo vitę ſanctimonia longe celeberrimus viuis exceſſiſſet, eaque tempeſtate in S. Lamberti collegio virtus & litteræ maximo in pretio eſſent, vnus Godeſcalcus omnium ſuffragijs judicatus eſt digniſſimus, qui tanti pręſulis ſucceſſor deſignaretur.

Electus epiſcopus

Ad

Ad Cæsarem ergo profectus, vt factum pro se a Leodiensi collegio decretum illius autoritate confirmaretur, occurrit in itinere Durando suo quondam clienti. Qui vt litterarum jam pridem & religionis claro sidere Bambergensem illustrarat ecclesiam, S. Henrici imperatoris voluntate, Leodiensem regere jussus erat: sed vbi Lambertianorum canonicorum sententiam accepit, pro reuerentia, quam domino suo debere se profitebatur, Cæsareo ipse beneficio cessurus, Godescalcum sibi subrogare voluit. Contra Morialmæus præstantem in cliente virtutem sapientiamque reueritus, Cæsaris imperium laudabat, ratumque manere debere contendebat. Insignem vero & apud omnem posteritatem summa laude dignam contentionem! Euicit tandem in Godescalco germana generosi animi nobilitas. Herili imperio clientem adegit, vt Cæsareo staret decreto; litterarum virtutisque splendorem ratus potiorem, quam generis, ad ecclesiam regendam. Nullo sane alio argumento meliore probare potuit se tanto dignum munere. Ad constantius aliud in cælo consequendum Deus euocauit. Mortuus est Decembri: quo die vel anno, a nemine perscriptum inueni.

mirabili exemplo cedit.

FLORVM

Digitized by Google

FLORVM ECCLESIÆ LEODIENSIS PARALIPOMENA

EX amœno Leodiensis ecclesiæ paradiso pulcherrimi, iijque non pauci pullularunt flores, quos in suos dies describere non potuimus: nec propterea debuimus illos omnino taciti preterire. Cur enim vel quos a mortalibus meretur honores, non ferat virtus; vel eius gloria hæc ecclesia destituatur, vel præclara tot exempla posteritati non proponantur?

Collegimus igitur in hunc locum, quos alio magis apposite nequiuimus constituere. Ac primum quidem quæ ad communia pertinent producemus: tum capita ipsa censebimus.

PARALIPOMENON PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

Quam ab episcopis suis gloriam ecclesia Leodiensis acceperit.

ORDIMVR ab episcopis: quorum vt altissimus est in omni ecclesia gradus, ita minus abscondi potest, quæ ab illis elucet sanctitudo. Meliorem eorum partem lectori jam dedimus: reliqui tamen sunt multi, quos par est suum etiam locum obtinere.

Verum quando preter eximium illud ornamentum, quod huic ecclesię singulorum virtus addidit, aliud accedat non minus illustre ab admirabili illa collectione tot episcoporum sibi continua serie succedentium, hoc omnino commemorandum fuit; omnes, quotquot fuerunt, episcopos, ab ipso S. Materno principis apostolorum discipulo (qui sub annum a Christo nato nonagesimum septimum Christianæ fidei lumen Tungris impertijt) ad annum vsque septingentesimum quadragesimum sextum, hoc est toto sexcentorum quadraginta sex annorum decursu, vniuersos

Episcopi Leod. annis 646. sancti omnes fuerunt.

vniuersos inquam illos episcopos ea vitæ integritate floruisse, vt suis fastis inscriptos cælitum honoribus ecclesia veneretur. Rarum omnino, paucarumque (ni fallor) ecclesiarum hoc decus est.

Illis vero tot ætatibus (quas optimo jure aureas appellemus) hanc cathedram tenuerunt episcopi quadraginta sex. Scio huic numero a plerisque veterum eximi denos quinos; eos nimirum, qui proxime post Maternum Treuiros rexerunt: sed hujus ecclesiæ injuria non leui, vt quidem arbitror. Postquam enim Tungrorum ecclesiam condidit Maternus, quandoquidem eam non dimiserit, sed gubernauerit vna cum Treuirensi: atque (vt fatetur etiam omnis antiquitas) eius exemplum secuti fuerint, qui post illos quindecim episcopos Treuiris præfuerunt; quo argumento conficietur, eos qui medij vixerunt, vtramque pariter gentem non rexisse?

Cur ergo, oppones, inter suos non recensuerunt majores? Hanc ego quidem existimo fuisse causam. Cum breui spatio singuli vixerint, omnesque sibi ordine succedentes annos quinquaginta non superauerint (immanem adeo procellam in Christianos sæuijsse proditum est: etsi non desint, qui longius concedant spatium) vix se Tungris ostenderunt: eaque de causa hos suis accensendos posteri non putarunt. Illi autem, qui secuti sunt octo episcopi, in Tungris diutius versati, ipsos aduersus tyrannorum inhumanitatem lingua manuque confirmarunt, & ibidem generoso certamine gloriosum martyrij triumphum consecuti sunt: atque adeo eamdem vrbem suis sepulcris exornarunt: qui subinde a S. Seruatio Trajectum auecti, in ejusdem templo creduntur conditi, quamquam ignotis sepulcris. Hos ergo potiori jure suos existimarunt antiqui, & alijs non satis prudenter omissis, putarunt statim Materno subjungendos; cum omnes alias earumdem ecclesiarum æque fuerint antistites.

Eorum porro quindecim episcoporum cum ad posteros preclara facinora non peruenerint, nomina saltem accipe, quo Maternum ordine secuti sunt.

S. AVSPICIVS.	S. ANDREAS.
S. CELSVS, alijs SERENVS	S. RVSTICVS.
S. FELIX.	S. AVCTOR.
S. MANSVETVS.	S. MAVRITIVS, alijs FABRITIVS, aut potius FABITIVS.
S. CLEMENS.	S. FORTVNATVS.
S. MOSES.	S. BASSIANVS.
S. MARTINVS.	S. MARCVS
S. ANASTASIVS.	

Illos autem quadraginta sex episcopos, quos omnes sanctitatis gloria celebrari diximus, qui proxime secuti sunt alij viginti duo, & sanctæ hujus reipublicæ clavum trecentis alijs annis tenuerunt, illa vixerunt vniuersi integritatis laude (vnum vix, alterumve jure demas) vt ad eosdem cum antecessoribus honores, nihil illis nisi publicum defuisse decretum dici possit.

Vide Legia, quos tuæ religionis parentes habeas, quos educatores. Sua hi sanctimonia gloriosum illud SANCTÆ nomen tibi compararunt, quando tua erat sanctitas, illis nimirum viuentibus. Alienam hodie jactas gloriam, si hodiernam non studes exhibere sanctitatem.

CAPVT II.

Leodiensem ecclesiam qua gloria S. Lamberti collegium ornarit.

AVgustum illud S. Lamberti collegium, autoritate non magis tota Leodiensi ditione, quam sanctimoniæ studio sic aliquando excelluisse accepimus, vt celeberrima illa priscæ religionis domicilia Andainum, S. Laurentij & S. Iacobi cœnobia, Clara-vallis, Alna, & Clarus locus primaria Cruciferorum familia, eius quasi quædam coloniæ potuerint appellari. In illis enim vt primum monastices vexillum sustulit virtus, adeo certatim ex eo collegio concursum est, vt pluribus deinceps exemplum sequentibus, frequenti sanctimonia floruerint religiosi illi cœtus. *Sanctitatis quasi seminariũ fuit.*

Quæ pluribus persequi non est animus, tum quod ea jam attigerimus suis locis, tum quod mea omni narratione grauius futurum sit B. Petri Cluniacensis testimonium: cujus hic epistolam e Bibliotheca Cluniacensi subijcio ejusdem ipsis verbis.

Egregie

Egregio & sublimiter venerando Alberoni magnæ Leodiensis ecclesiæ magno pontifici, ac nobili ejusdem ecclesiæ conuentui frater Petrus humilis Cluniacensis abbas, humilisque grex Cluniacensis ouilis, salutem.

Vtinam humilitati meæ talis daretur facultas, qualis ab antiquo jam data est voluntas, vt amplexandam nobis, & omnibus bonis personam vestram, vt sacrum, & venerabile ecclesiæ vobis a Deo commissæ collegium videre, vt jam dudum aueo non chartæ committere, sed feruentissimum caritatis affectum, quem ad vos ore ad os communicare vobis coram positis possem.

Cum enim omnibus Christi ecclesijs, quæ numerositate sua vnius, & catholicæ ecclesiæ corpus perficiunt, caritatis compagine, honorem simul & amorem debeamus: inter omnes Germanorum ecclesias, hoc vobis quadam familiari prærogatiua debemus. Quorum non solum amore prouocati, sed etiam frequentibus beneficijs, & permaximis muneribus ad mutuam beneuolentiæ vicissitudinem rependendam magnifice inuitati sumus. Et frequenter quidem a magistris ecclesiæ Dei, & ab innumeris populi Christiani principibus multa Cluniacense monasterium dona, multa beneficia percepit. Sed cum hæc vestris donis, vestris beneficijs, vestris muneribus comparantur, licet magna sint, & pretiosa, vilescunt. Suscepit vere Cluniacensis ecclesia; & sæpe, vt dixi, suscipit multorum, & diuersorum non in terra, sed in cælo thesaurizantium gazas. Sed vestra xenia tanto aliorum munera superant, quanto homo pecoribus, quanto sapientia cunctis opibus antecellit.

Cluniacum ornarunt canonici Leod. *Auro igitur, & Topazio longe cariora Cluniacus a Leodiensi ecclesia munera suscepit; quando magnificos viros, & summa cum laude, ac dulcedine recolendos, a vobis ad nos venientes humili suorum collegio copulauit. Nam vt alios ante nostra tempora venientes, nobisque vultu incognitos taceam, quando Leodiensis ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Hezelonem, Theselinum, Algerum canonicos, magnosque suis temporibus magistros, humilitatis discipulos, & vt ipsi, qui vidimus, attestamur, veros monachos effecit?*

Hezelo, *Quorum primum multo tempore pro ecclesia, ad quam venerat, laborans, singulari scientia, & prædicabili lingua, non solum audientium mores instruxit, sed corporalem nouæ ecclesiæ fabricam, quam aliqui vestrum viderunt, plus cunctis mortalibus post reges Hispanos, & Anglos construxit.*

Theselinus, *Sequens spiritualibus tantum studijs totum suum hominem occupans, in sancto proposito longæuus consenuit; & prius Cluniaci sub S. patre Hugone, dehinc Vizeliaci cum D. Rainoldo abbate eius nepote, ac demum Lugdunensi archiepiscopo degens, laudabilem vitam sancto fine conclusit.*

& Algerus *Tertius, cujus vix memoriam sine lacrimis facio, humilitatę, puritate, vitæ totius sinceritate, secundum meum judicium longe præcedentes exsuperans, ita meo tempore apud nos vixit, in tantum benigne, & sancte conuersatus est, vt licet a nobis carne recesserit, spiritu tamen, & memoria singulari nobiscum semper, dum viuimus, non esse non possit. Qui & librum de Sacramento altaris autoritatibus SS. Patrum inuincibiliter communitum, nobis, & fidei suæ insigne testimonium, & contra quorumdam modernorum vel imperitiam, vel errorem singulare præsidium dereliquit.*

Inspiret igitur omnipotens Spiritus, qui vbi vult spirat, cordibus vestris, vt SS. istorum, quos ante oculos mentis vestræ memorans reduxi, vitam & exempla imitemini. Qui a vobis, vt dixi, venientes, & more magni patriarchæ de terra, de cognatione, de domo propria egressi, peregrinatione sancta amissam patriam repetierunt, & mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, diuitias in paupertatem commutantes, ad eam jam per Dei gratiam peruenerunt. Hac ergo recordatione carissimi, velut quodam caritatis glutino adhærentes, vosque vicissim nobis adhærere rogantes, vt hæc memoria apud vos sit continua, quæ & apud nos est perpetua, precamur.

In hunc modum vir ille magnus omni fide longe dignissimus, hujus collegij gloriam deprędicat, missa ad illum episcopum epistola, qui anno supra millesimũ & centesimum duodetrigesimo viuere desijt. Cluniacense vero chronicon eamdem ita describit: *Tempore S. Hugonis vsque ad Petrum Cluniacensem vixerunt religiosi religiose Hezelon, Theselinus, & Algerus, qui fuerunt canonici in ecclesia Leodiensi, magni suis temporibus magistri.* Et post pauca: *Algerus ab infantia totum se litterarum studio tradens, sub clarissimis viris, quorum scientia & honestate morum tunc temporis Leodiensis fulgebat ecclesia, & Francia illustrabatur, nobiliter floruit: adeo vt nulla Christianæ fidei regula ei credatur incognita.*

De Algero mihi fuerat alio loco dicendum: sed cum a publicis encomijs sejungere non potuerim, hic quæ pauca supersunt subijcio rursum e Petro Cluniacensi. Cum enim pręcipuam tulerit gloriam eo scripto, quo insanam Berengarij impietatem confutauit; de eo sic Petrus sensit: *Lantfrancus*, inquit, *contra hæresim Berengarij bene, plene, perfecte scripsit: Guitmundus melius, plenius, perfectius: Algerus optime, plenissime, perfectissime.*

Hæc a Cluniacẽsibus de illustri illo S. Lamberti collegio prædicata, vice plurium aliorum lectori sint ad probandam illius ea tempestate gloriam eximia virtute partam.

Nominis

Nominis immortalitem hi fuga consecuti sunt: at ecce qui tametsi honores non rejecerint, gloriam nihilominus haud multo inferiorem promeriti sunt, quando dignitates non aliter ac præclarum ab alijs receperunt suæ virtutis testimonium, simul & acre calcar ad vtilem Christianæ rei nauandam operam. Quamobrem nequaquam obscurum illustrissimo huic collegio decus esse existimo, quod e suo gremio plurimos emiserit antistites, qui sparsas toto orbe ecclesias administrarunt. Singulos referre episcopos neque facultas mihi est, nec animus: & lectori tœdium sit. Pręcipuos quosdam enumerare satis esto, quando nonnullorum suis locis meminerim.

Eductum ex hoc clero Brixiensem episcopum Adelmannum Italia veneratur: Gontherio gloriatur in Germania Salisburgum: in Anglia Dunelmensem ecclesiam rexit Gualterus. Cameracenses olim Rothardum habuerunt episcopum, & qui illi successit, Erluinum. In Lotharingia Virduni sederunt Haimo & Ioannes Richecurtius, Tulli Hezelo, & Metis Burchardus Hannonius. Adelboldum, Andream Cuickium, Guilielmum Bertoltium, Guidonem Hannonium, suos quondam episcopos coluit Vltrajectum. Patrum nostrorum memoria Guilielmus Pictauius & Philippus Nigrius primi antistites designati sunt, Audomarensis ille, hic Antuerpiensis; vtrumque mors anteuertit. Episcopi.

Majore etiam gloria idem hoc S. Lamberti collegium archiepiscopos produxit. Ecclesiæ Bisuntinæ ternos dedit Guilielmum Aruernum, Hugonem Cabilonensem, & Ægidium Buslidium. At quaterni prædicantur a Coloniensibus Guilielmus Hanessius, Waleranus Iuliacensis, Enguelbertus Marcanus, Antonius Schauemburgius. Guilielmum Grimberganum vidimus ante paucos annos cum e decano Leodiensi creatus fuisset episcopus Antuerpiensis, ad archiepiscopatum deinde Cameracensem fuisse euectum. Lęuinus pariter Torrentius, postquam e vicario Leodiensi transisset ad episcopatum Antuerpiensem, archiepiscopus subinde Mechliniensis renuntiatus est; sed mortem prius obijt, quam iniret. His suo jure postulat accenseri Hugo Petrapontius, qui a Rhemensibus rogatus eam vt metropolim susciperet, in Leodiensi cathedra maluit conquiescere, quam annis viginti sex jam tenuerat. Archiepiscopi.

Sed quanto illustrius est ex eodem clero prodijsse tot ecclesię Romanæ principes & purpuratos patres? Cardinales.

Antiquiorem reperio neminem Frederico Bullionio Godefridi Gibbosi Lothariensis ducis patruo, qui ex archidiacono Leodiensi Cassinensis primum abbas, tum etiam S. R. E. cardinalis S. Chrysogoni creatus est a Victore II. anno post millesimum quinquagesimo septimo. 1

Toto ferme sęculo secutus Gerardus, Lobiensis primum canonicus scholasticusque, tum etiam Leodiensis, in supremum hunc ecclesię senatum adlectus est; & anno millesimo centesimo quinquagesimo sedis apostolicæ legatus Leodij synodum habuit. 2

Post illum inuenio S. Albertum Louaniensem, qui (vt alibi narramus) sacram illam purpuram fuso sanguine pro ecclesiæ libertate anno millesimo centesimo nonagesimo secundo consecrauit. 3

Eamdem cum illo dignitatem consecutus est Simon Limburgius ipsi Alberto cognatione propinquus. 4

Quintus fuit Conradus comitis Senensis filius: qui factus e canonico Leodiensi Villariensis monachus, tum etiam abbas, ac postea Cisterciensis, creatus est denique cardinalis sub annum millesimum ducentesimum vigesimum. 5

Secutus est longo post interuallo Bertrandus Leodiensis præpositus; quem habeo fuisse anno Christi post millesimum & trecentesimum vigesimo quinto S. Agathæ cardinalem. 6

Alius sed ignoto nomine præpositus eamdem purpuram adeptus est anno ejusdem sęculi trigesimo quinto. 7

Bertrandus Leodiensis decanus eidem eminentissimo collegio adscriptus est titulo S. MARIÆ de Aquiro anno trigesimo septimo. 8

Solusne hic decanus fuerit ad eam dignitatem euectus, non liquet. Hoc constat: cum ecclesia Leodiensis diu grauissimis difficultatibus colluctaretur, rogandum censuit esse summum pontificem, vt ne pateretur ipse longiorem decani absentiam (qui scilicet cardinalis in pontificia curia distinebatur) cujus in tractandis negotijs præcipua Leodij esse solet autoritas, quam prodecanus sustinere non posse crederetur. Neque tamen inuenio Leodij decanum ante annum sexagesimum quartum, quo dignitate illa

 potie-

Digitized by Google

PARS I. potiebatur Ioannes Blanchartus. Adeo vt vero non absimile sit alium a Bertrando decanum cardinalibus adscriptum fuisse. Verum sola conjectura nihil affirmo.

9 Anno illius sæculi quadragesimo quarto prępositi Leodiensis munus adijt Bertrandus de Docio cardinalis.

10 At duo mihi occurrunt anno septuagesimo quinto. Vnus est Simon præpositus item Leodiensis, & Mediolanensis archiepiscopus:

11 Alter Guilielmus Agrifolius archidiaconus Brabantiæ cardinalis S. Stephani in monte Cælio.

12 Extremo eodem sęculo vixit in supremum hunc ecclesiæ ordinem cooptatus Ioannes Ægidius titulo SS. Cosmę & Damiani, vulgo dictus cardinalis Leodiensis, quod hujus ecclesiæ præpositus esset. Sepulcrum eius hodie visitur propter aram SS. Cosmæ & Damiani in S. Lamberti basilica.

In eadem dignitate collegas illo ipso tempore quaternos habuit ex eodem clero, omnes archidiaconos,

13 Brabantiæ,
14 Campiniæ,
15 Condrosorum, &
16 Famennæ;

quorum nomina nusquam inuenire potui.

17 Sequentis sæculi anno trigesimo primo cardinalis fuit titulo S. Angeli Iulianus de Cæsarinis in hac ecclesia Hasbanię archidiaconus.

18 Ejusdem honoris particeps paulo post fuit eius collega & archidiaconus Nicolaus Cusanus creatus S. Petri ad vincula cardinalis.

19 Annis ferme centum postea eumdem tulit honorem titulo S. Chrisogoni Erardus Marcanus:

20 Quem proxime consecutus est non minore gloria Gerardus Groesbeckanus; episcopi ambo & principes Leodienses.

21 In eadem purpura nuper vidimus serenissimum Franciscum a Lotharingia ducis Lotharingię fratrem, & hujus ecclesiæ canonicum.

His adjungamus licet Guidonem Hannonium ibidem archidiaconum & thesaurarium, posteaque episcopum Vltrajectensem, qui oblatam cardinalis dignitatem recusauit, illi se imparem esse professus circiter annum a nato Christo millesimum trecentesimum decimum septimum.

Eadem item laude fertur rejecisse Theodoricus Hesius, cum Adriano VI esset a confessionibus, Leodijque vitam priuatam ad S. Lamberti prætulisse. Vtrumque sane omni purpura ornatiorem recte judicabimus.

Pontifices. Denique ad id veniamus, quod inter mortales omnium summum, propius ad Deum accedit, ejusque vicariam in terris potestatem habet; supremum dico ecclesię catholicæ pontificatum, quem etiam attigerunt e S. Lamberti collegio

STEPHANVS X.	creatus anno 1057.
NICOLAVS II.	anno 1058.
VRBANVS IV.	anno 1261.
GREGORIVS X.	anno 1271.
CLEMENS VI.	anno 1342.

Quibus tamen altius sese videtur extulisse Conradus is, quem e canonico Leodiensi post varios gradus in ordine Cisterciensi, denique cardinalem fuisse meminimus. Summum enim pontificatum sibi jam deferendum egregia animi magnitudine declinauit. Quo certe facto mentem exhibuit omni humano fastigio celsiorem. Nihil scilicet adeo sublime, quo se non euexerit educata in S. Lamberti collegio virtus.

CAPVT III.

Ab vniuersa diœcesi partum ecclesiæ decus.

CVm tanta virtutis dignitas e primis hujus ecclesiæ capitibus emicuerit, quid in reliquo corpore fuisse ornatus arbitrabimur? A capite namque in membra vigor omnis ac robur diffunditur. Non obscure hoc existimo demonstratum, quando produximus

ximus illam eorum multitudinem, qui insigni virtutum luce claruerunt. Profero tamen illustre encomium, quod vt antiquitati magno est ornamento, sic posteritatem omnem accendere debet ad imitationem. Autor est S. R. E. cardinalis Iacobus Vitriacus, vt præstanti sapientia, sic virtute longe celeberrimus: qui ad Fulconem Tolosanum antistitem in hæc verba Leodiensem sanctitatem describit.

Sanctus & venerabilis Tolosanæ ecclesiæ episcopus, ab hæreticis e sua ciuitate expulsus, cum in Galliam Belgicam, petiturus auxilia contra fidei hostes, venisset; & tandem ad Leodiense territorium, quorumdam in vera humilitate Christo militantium fama & odore attractus, descendisset, non potuit satis admirari fidem & deuotionem, præsertim sanctarum feminarum; cum eas videret summo studio, desiderio & reuerentia Christi ecclesiam & Sacramenta sanctæ ecclesiæ prosequi, quæ in ipsius regione ab omnibus fere vel prorsus reijciebantur, vel parui pendebantur: cupiebatque summopere quædam ex ijs, quæ vidisset, & audiuisset, ne perirent, tamquam fragmenta colligere.

Scis enim pater sancte, Tolosanæ ecclesiæ pastor, imo totius ecclesiæ Christi columna fortis, (ad te namque mihi sermo est) quo præcipiente, & me negligentiæ arguente, præsens opusculum scribendum suscipere ausus sum: nosti, posteaquam ad partes nostras peruenisti, vt tibi visus sis tamquam in promissionis terra versari. Te enim narrante memini me audiuisse, in tua regione reliquisse te Ægyptū, & transeuntem per desertum, terram promissionis in ditione Leodiensi inuenisse. Videras apud tuos, multos nostræ regionis Cruce signatos, contra hæreticos, fide feruentes, in afflictione mirabiliter patientes, misericordiæ operum valde studiosos: imo, quemadmodum ipse mihi dixisti, audieras non sine multa admiratione feminas quasdam apud nos acerbius lugere vnum aliquod veniale erratum, quam vestrates homines vel mille mortifera peccata lugerent. Cumque ad nos venisses, non aliter vidisti, quam audieras; imo plus etiam quam audieras: ita vt ægre potueris credere, nisi certa oculorum fide & experientia cognouisses.

Leodiensis ditio terra promissionis.

Vidisti enim in hortis liliorum Domini, multas diuersis in locis sanctarum virginum cateruas, quæ Christi amore spretis carnis illecebris, & præ desiderio regni cælestis, contemptis mundi hujus opibus, in paupertate & humilitate sponso immortali adhærentes, labore manuum tenuem sibi victum acquirerent: & licet parentes earum multis diuitijs abundarent, attamen obliuiscentes populum suum & domum patris sui, mallēt angustias paupertatis perpeti, quam male partis opibus affluere, vel inter homines fastuosos, & pompis deditos sæculares, cum salutis periculo permanere. Vidisti non sine exultatione sanctas, & Deo seruientes matronas, magno zelo puellarum pudicitiam tueri & conseruare, & eas in sancto proposito confirmantes, vt solum sponsum cælestem concupiscerent, salutaribus monitis instruere. Vidisti ipsas viduas, in jejunijs, orationibus, vigilijs, lacrymis, manuum laboribus Domino seruientes, quemadmodum maritis suis quondam in carne placere studuerant; ita jam, immo vero multo etiam amplius in id incumbere, vt sponso Christo in spiritu placeant, crebro illud Apostolicum reuoluentes: Vidua quæ in delicijs est, viuens mortua est: & sanctas viduas, quæ sanctorum necessitatibus communicent, quæ pedes pauperum lauent, quæ hospitalitatem sectentur, quæ operibus misericordiæ deditæ sint, fructum sexagesimum promereri.

Sanctæ virgines

item viduæ

Vidisti præterea, & gauisus es, sanctas mulieres in matrimonio Domino pium exhibere famulatum, proles suas in Dei timore erudire, honestas seruare nuptias & thorum immaculatum, ad tempus vacare orationi, & postea in id ipsum cum timore Domini reuerti, ne tententur a satana: ex quibus tamen multæ, consentientibus maritis, a licitis amplexibus abstinentes, continenter viuunt, & angelicam ducunt vitam, eo illustriori dignæ corona, quod etiam in igne positæ non arserunt.

ac conjugatæ.

At vidisti nihilominus, non sine admiratione, atque etiam multo animi dolore impuros quosdam homines, totius religionis hostes, earum feminarum religionem maligne traducere, & canina rabie mores, ipsorum vitæ plane aduersos, lacerare & proscindere; cumque nihil possent aliud, nouis quibusdam a se confictis nominibus eas appellare, quemadmodum olim Iudæi Christum Samaritanum, & Christianos Galilæos dicebant. Neque id mirum: Ægyptij enim abominantur oues: & tenebriones atque malitiosi homines simplicium innocentiam derident, inter pocula & epulas, in ebrietate & crapula vitam abstinentium proscindentes. Itaque sanctus quidam monachus Cistertiensis ordinis, in Alnensi abbatia Christo militans, præ simplicitate dubitare cœpit, cujusmodi illi essent homines, qui insitatis nominibus a maleuolis vocarentur: sed cum oraret, a Spiritu sancto responsum est ei: Inueniuntur in fide stabiles, & in opere efficaces. Ab eo vero tempore senex ille tanta dilectione illis conjunctus est, vt ferre non posset, se præsente mali quippiam de eis dici. Et illi quidem opprobria & persecutiones mirabili patientia pertulere, sæpe animis commemorantes illud Euangelicum: Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret: & illud: Non est seruus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Sed quia scriptum, A fructibus eorum cognoscetis eos: quod sinceriter & reuera Deo inhæserint, in Leodiensis vrbis deuastatione compertum est. Quæ enim ad sacras

Crux a sanctitate nūquam diuellitur.

Digitized by Google

PARS I.

Castitas periculis emergit

cras ædes confugere non potuere, in flumen sese præcipitarunt, potius mori volentes, quam castitatis jacturam facere. Nonnullæ etiam in cloacas insilierunt, fætore extingui malentes, quam prodere virginitatem. At interin benignus sponsus ea humanitate curauit sponsas suas, vt in tanta multitudine nulla prorsus vel vitæ, vel castitatis acceperit detrimentum.

& gloriose triumphat:

Vna ex ijs sancta muliere in flumine periculose laborante, duo ex hostibus in nauicula ad eam properarunt; & cum illam extraxissent, volebant turpiter ea abuti. Sed quid fecit casta inter lenones, agna inter lupos, columba inter accipitres? Maluit iterum in flumen se demergere, quam corrumpi. Itaque desilijt ex naui in vndas, sed cum nauicula illius saltu depressa mergeretur, duo illi mersi perierunt: illa vero absque vllo corporis & animæ damno, fluuio obsequente ad littus emersit.

alitur que Dei prouidentia.

Mirandis plus miranda succedunt. Cum diuturna & intolerabilis fames regnum Francorum, & magnam Imperij partem adeo obtinuisset, vt vtriusque sexus homines passim in agris, & pagis fame morerentur, atque illi etiam qui antea diuites fuerant, publice mendicare cogerentur, & inedia confecti perirent: in tanta multitudine nec vna reperta est, quæ vel fame deficeret, vel palam mendicare cogeretur.

Mirabilis singularum sanctitas.

Veniamus nunc ad singulares personas, & specialia miracula. Testem hic adhibeo sanctitatem tuam. Tuis enim oculis vidisti mira Dei opera, & in personis diuersis gratiarum diuersitatem. Quædam enim diuinitus tantam accepit gratiam, (vt tu ipse certissime comperisti) vt peccata hominum quæ per veram confessionem tecta non essent, in multis cognosceret: cumque peccata occulta eis indicaret, & ad faciendam confessionem illos inuitaret, non paucis post Deum causa salutis esset.

Quasdam etiam vidisti feminas, tam mirabili & singulari erga Deum amore liquefactas, vt præ desiderio languerent, nec possent multis annis e lecto, nisi raro, surgere: quarum debilitas nullam aliam habebat causam, nisi illum solum, cujus amore & desiderio liquefactæ, cum Domino suauiter quiescentes, quanto plus spiritu confirmabantur, tanto corpore amplius debilitabantur, clamantes corde, licet pro verecundia aliud ore simularent: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cujusdam etiam anima præ amoris magnitudine liquescente, eius genæ miro quodam modo etiam sensibiliter extenuatæ, resoluebantur. Plerisque ex fauo spiritalis dulcedinis, quam in corde percipiebant, melleus gustus redundabat in ore, suaues eliciens lacrymas, & mentem in deuotione cõseruans. Quædam vero tantam accepere gratiam lacrymarum, vt quoties Deus versaretur cogitatione in pectore, præ deuotione riuulus lacrymarum manaret ab oculis; idque adeo vt lacrymarum vestigia ex fluendi assiduitate in genis apparerent: nec tamen lacrymæ illæ euacuabant caput, sed quadam plenitudine confouebant mentem, spiritum suaui vnctione imbuebant, corpus mirabiliter recreabant, & tanto fluminis impetu totam Dei ciuitatem lætificabant.

Nonnullæ tanta spiritus ebrietate extra se rapiebantur, vt in illo beato silentio totum fere diem illis quiescentibus, dum erat rex in accubitu suo, non esset illis vox, neque sensus ad vllas res exteriores. Pax enim Dei exsuperabat, & sepeliebat sensus earum, vt ad nullum possent euigilare clamorem, nullam prorsus sentire corporis læsionem, etiamsi multum pungerentur. Vidi ego quamdam tanto zelo triginta fere annis intra monasterium a sponso cælesti detineri, vt extra illud nulla posset ratione egredi, etiamsi mille homines per manus eam trahere niterentur. Sæpius enim exire tentabat, quibusdam etiam eam trahentibus, sed frustra: quippe quæ facilius dirumpi posset.

Vidi aliam quãdam, quæ cum crebros pateretur mentis excessus, nonnumquam viginti & vno diebus (quæ etiam me præsente amplius septies, vti credo, extra se rapta fuit) vbicumque ecstasim patiebatur, illic permaneret immobilis, donec esset sibi reddita: nec tamen quantumcumque inclinaretur, Dei spiritu eam sustentante corrueret: manus quoque in aëre immota penderet eo in statu, in quo ecstasis eam obtinuisset. Cum autem illa ad se rediret, tanto complebatur gaudio, vt reliquijs cogitationum diem festum agentibus, gaudium interius quodam corporis plausu foris prodere cogeretur, instar Dauidis coram arca saltantis: vt posset etiam ipsa dicere: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quædam vero in perceptione illius panis, qui de cælo descendit, non solum cordis refectionem, sed etiam sensibilem in ore suauitatem & consolationem experiebantur, dulciorem super mel & fauum: dum carnes veri agni, a faucibus cordis, quas repleuerant, vsque ad fauces oris gustu mirabili redundarent. Nonnullæ tanto desiderio ad odorem tanti Sacramenti currebant, & inhiabant, vt nullo modo illo diu carere sustinerent, nullam neque consolationem, neque requiem capientes, sed prorsus præ languore deficientes, donec suauitate cibi illius, animæ illarum crebro vegetarentur. Erubescant igitur infideles, & perfidiosi hæretici, qui cibi hujus dulcedinem, nec fide, nec corde & ore percipiunt.

Noui ego quamdam in ijs sanctis feminis, cui cum ingenti veri illius agni carnes edendi desiderio teneretur, ipse agnus se ipsum impertijt, non ferens diutius illam languere: atque ex ea refectione,

illa

Digitized by Google

illa conualuit. Vidi aliam circa quam mirabiliter operatus est Dominus, ita vt cum diu jacuisset exanimis, antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atque a Domino obtinuerit, vt in hoc sæculo viuens, purgatorium pateretur. Itaque multo tempore mirum in modum a Domino afflicta, quandoque se volutabat in igne, nonnumquam hiberno tempore in aqua congelata diu morabatur, interdum in mortuorum sepulcra ingredi cogebatur. Tandem vero peracta pœnitentia, in tanta pace vixit, tantamque a Domino gratiam adepta est, vt crebro rapta in spiritu, animas defunctorum, vsque in purgatorium absque vlla sui læsione, & ad superna regna deduceret.

Hæc magnus ille Vitriacus: eumque illius esse librum existimo, quem de sanctis feminis Leodiensibus scripsisse fertur; quem tamen ita præfixit illis libris, quos de vita S. Mariæ Oegniacensis scripsit, vt eorum præfatio habeatur.

Scio nonnullis, quibus terrena tantummodo sapiunt, cęlestes illas sanctarum animarum delicias esse despectui. Sed eos jam damnauit ipse Vitriacus: damnabunt ij, quoscumque Diuina pietas in spiritalis dulcedinis vinariam cellam induxerit. Ingressus erat, & sanctam illam suauitatem gustarat sanctissimus ille Ludouicus virtute, quam Galliarum sceptro major. Ideoque sanctitatem hanc eo loco habebat, vt cum anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo Leodium ad patres Dominicanos litteras dedisset, (quas hodieque seruant illi magna fide) sic eas concluserit: *In vestris orationibus nostri memoriam habeatis, facientes pro nobis & regina, & liberis nostris, a deuotis personis, quæ in vestris partibus abundare dicuntur, regem regum & dominum exorari.* Ea fuit ergo tunc Leodij sanctitudo, quæ & ad tantum regem fama penetrarit, & cui suam ille salutem, reginæque ac liberorum voluerit commendatam. *Sancti regis testimoniũ.*

CAPVT IV.

Magnum etiam ab academia Louaniensi ornamentum.

PRęclarum affulsit ecclesię Leodiensi lumen ab academia Louaniensi: quã anno Virginei partus supra millesimũ quadringentesimum vicesimo quinto condidit V. Idus Decembris Martinus V. pontifex maximus, rogante Ioanne Burgundo Brabantię duce. Sic enim hic illam vrbis vastitatem, alio dilapsa ciuium multitudine, meliore profecto frequentia beandam sibi proposuit. Quis enim aliter sentiat, qui litteras & eruditionem lanis & pannificio substituta videt?

Omne genus artium docendi potestas facta erat: *sola tamen* (ita loquitur Lipsius) *theologia regina scientiarum excepta. Quid mouerit nescio. Fortasse vulgare doctrinam eam, & spargere, haud ex vsu censuit pontifex; neque campum nimis aperire disputationibus & sermonibus super rebus Diuinis. Quod tamen ipse abnuit, statim post annuit Eugenius IV. quinto ipso anno a schola instituta; cum super hac re legatos ad eum Philippus Bonus, tum princeps noster misisset.* In hunc modum ille.

Ista sunt velut incunabula florentissimæ hujus academię: quæ e nostra diœcesi in omnem primum late viciniam, in reliquum deinde, qua patet, Christianum orbem, incredibili totius ecclesię bono propagines diffudit. Nonnullas suo loco producimus: singulas enumerare non est instituti mei. Sunt qui justo volumine conati sunt, magna illius academiæ gloria: ab illis petere lectori meo licebit.

Validum hic Diuina prouidentia constituere visa est ecclesiæ suæ munimentum aduersus hæreticam impietatem, quę non ita multo post vniuerso pæne Septemtrione grassata, tristem orthodoxæ puritati cladem intulit. Firmissimum se pro domo Dei murum opposuit hæc academia: & de nouis dogmatibus nimis libere spargi cœptis sententiam rogata, insigni sinceritate constantiaque illa damnauit: editisque publice libris plerique eius alumni sapientissime confutarunt. *Hæreses retundit.*

Verum quas opes suo sinu reconditas haberet hæc academia, vix alias clarius patuit, quam anno supra sesquimillesimum sexagesimo, quando constitutis per Belgicam nouis episcopatibus, ab illa ceu fecundissima matre suos antistites acceperunt vniuersæ ferme nascentes ecclesię, illo fastigio longe dignissimos. *Episcoporum seminarium.*

Cornelio Iansenio Gandensis attributa est, viro super æthera noto, non tantum ob res in Tridentina synodo gestas, sed ob præstantissimos commentarios in lucem editos. Martinum Rithouium Iprensis accepit: qui & ipse Tridentum profectus cum Ioanne Hesselio nostrate, & Michaële Baio, suam ita doctrinam probauit, vt teste cardinale

Hosio

Hosio concilij pręside, Melanchton impius hæresiarcha theologorum Belgarum se mirari eruditionem confessus sit. Ruremundanam ecclesiam accepit Guilielmus Damasus Lindanus; cujus eximiam sapientiam & vitæ integritatem Roma spectauit & admirata est. Siluæducensi primum, tum Antuerpiensi datus est Franciscus Sonnius virtute doctrinaque clarissimus. Brugensem Petrus Curtius rexit. Harlemiensi præpositus est Godefridus Mierlanus Dominicanæ familiæ per Belgicam prior prouincialis, & theologię doctor Louanij renuntiatus. Middelburgensis Nicolao a castro data est; ac denique Lewardiensis Cunerio Petri; qui sua sede pulsus, non modo Coloniæ frequentibus Christianæ caritatis officijs linguam ad populi concionem reliqua vita, sed posteritati calamum feliciter exercuit.

Hos viros insigni sane virtute litterisque præstantes postremum Louanij produxit ecclesia Leodiensis: a qua nimirum revulsa tum academia concessit in Mechliniensem diœcesim.

CAPVT V.

Ecclesiæ Leodiensi clara lux a religiosis ordinibus; ac in primis a Benedictino.

MAgnum sanctimoniæ lumen accepit a sanctissimo patriarcha Benedicto Leodiensis ecclesia. Quod suo ipsius judicio lector melius æstimabit, si mature, quæ dicta sunt a nobis, expenderit, quam disertissimi cujuscumque scriptoris facundia possit explicari. Non debeo tamen tacitus pręterire, quod alius fortasse nemo hactenus animaduerterit.

Annis ferme 400. episcopos dedit ecclesiæ Leod.

Ab anno Christianæ salutis sexcentesimo tricesimo septimo, quo Tungrensem cathedram Amandus inscendit, ad annum vsque millesimum vicesimum primum, quo vitam, simul & infulam Leodiensem posuit Wolbodo, hoc est annis ferme quadringentis vix alius, quam e S. Benedicti disciplina hanc ecclesiam administrauit. Per capita propono.

B. Amandus postquam primis annis plurium sanctorum ascetarum cœnobia lustrasset, annos denique denos quinos apud Bituriges posuit in disciplina S. præsulis Austregisili. Atque ita monasticis efformatus institutis, cum apostolicum animo concepisset ardorem, miraque per Franciam, sed maxime per Belgium suæ religionis edidisset argumenta, ecclesiæ Tungrensis admotus est gubernaculo, illamque rexit annos tredecim.

Remaclum eius successorem ad omnem dignitatem cum laude sustinendam instituit in suo Solemniacensi monasterio B. Eligius Nouiomensis episcopus.

Substitutus est Remaclo Theodardus, eius Stabuleti discipulus. Successit Lambertus: quem etsi monasticen professum esse non existimem, monasticæ tamen suam debet institutionem, quandoquidem eos in consectanda virtute duces habuerit Remaclum & Theodardum, quos e monasterijs prodijsse diximus. At episcopatu per summam iniquitatem pulsus, gratius aliud quam Stabuleti non reperit asylum. Qui Lambertum secutus est Hubertus, post prima vitæ sanctioris elementa a Lamberto accepta, secessit & ipse Stabuletum; & eam ibi consecutus est sanctitatem, qua suum subinde episcopatum exornauit.

Tertius ab illo fuit Agilfridus. De quo tametsi pauca habeamus, & hunc tamen religionis alumnum fateamur necesse est, cum a Stephano pontifice Romano S. Bauonis abbatem creatum esse prodiderit antiquitas.

Walcandum fuisse monachum non inuenio, sed monachorum tanti virtutem æstimasse, vt Lætias S. martyris Lamberti sacras reliquias miserit: Andainum vero non modo integrum S. Huberti corpus, sed Benedictinas præterea leges inuexerit, totumque cœnobium a fundamentis instauratum, opulentis insuper prædijs instruxerit.

Franco quamquam gente principali oriundus, Lobij tamen monasticen amplexus est; & postquam multos annos scholis pręfuisset, ad episcopatum euectus est.

Stephanus ex abbate S. Michaëlis Virduni, creatus est Leodij episcopus.

Vt Stephano successor daretur magna fuit contentio, alijs flagitantibus Hilduinum Lobij monachum, præferentibus alijs abbatem Stabulensem Richarium. Euicit hic.

Qui

Digitized by Google

Qui moriens successorem habuit Treuiris accersitum Hugonem S. Maximini abbatem.

Ei decedenti vt substitueretur, euocatus est Prumia Farabertus ejusdem cœnobij antistes.

Secutus est Ratherius Veronæ quidem episcopus, sed monachus ante Lobiensis.

Magnus ille Notgerus, & vrbis Leodiensis alter parens, ex abbate Sangallensi factus est episcopus:

Wolbodo denique e monacho Stabulensi.

Hos Leodio dedit episcopos Benedictina familia, insigni procul dubio sanctitatis argumento.

CAPVT VI.

Ab ordine Cisterciensi magna sanctimoniæ laus.

NOn tam multiplices honores, sed virtutem non multo inferiorem huic diœcesi peperit ordo Cisterciensis; quam breui tempore plurimis compleuit monasterijs, quasi fecundis egregiæ sanctimoniæ seminarijs.

De sacris virginibus audi Vitriacum. *Vt de alijs* (inquit) *hujus ordinis monasterijs & congregationibus sanctimonialium, quæ in locis alijs passim ædificabantur, taceamus; in vna diœcesis Leodiensis regione septem hujus ordinis & professionis abbatias monialium in tempore modico fundari & construi vidimus; & sanctis monialibus tamquam lilijs & violis exornari. Adeo autem sanctis & deuotis virginibus abundat prædicta Deo amabilis prouincia, tamquam hortus liliorum, & paradisus deliciarum, quod pro certo credimus, & in veritate comperimus; si triplo plures essent in partibus illis, hujusmodi non deessent lilia: sed prōpto animo & ardenti desiderio in holocaustum pinguedinis & odorem suauitatis sese offerrent piæ & deuotæ virgines Domino, regnum mundi, & omnem ornatum eius contemnentes propter amorem Domini nostri IESV CHRISTI, vt tranquilla deuotione Domino seruientes, sæculi pereuntis euadentes incendia, ad tabernaculum fœderis confugerent; vt esset eis secundum Isaiæ verbum, in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem a turbine & a pluuia.* Hæc vir ille religiosissimus de breui temporis spatio. *Hist. Occid. c. 15.* Virginum sancta fecunditas.

At vero certum est, atque ita Chrysostomus Henriquesius affirmat, exstructa fuisse in vna hac diœcesi vtriusque sexus ordinis Cisterciensis cœnobia triginta duo. Et ne solo numero gloriari videamur: Villarij tanta fuit sanctitudo (ita vaticinatus fuerat S. Bernardus) quantam toto illo ordine alias religiosissimo non inuenies, si vnam Claramvallem exceperis. Cum enim idem Henriquesius sanctorum sui ordinis censu facto, in Clara quidem valle capita numeret centum & sex, at Hemmenrodæ in Germania triginta nouem, & triginta octo Cistercio, ceterisque deinde pauciores sanctos attribuat, Villario certe sexaginta septem nominatim producit. Longe plurimos ex amœnissimo illo paludillo decerptos a me flores & suo loco redditos lector habes. Nolo tamen, nec possum sine nota tacitus alios præterire, vel quos certo ordine collocare nequij, vel quorum nuda ferme nomina cum lectoris tædio recensenda non putaui. Hic malui subijcere. Virorum innumera sanctitudo.

Primus esto Fastradus abbas III. Is S. Bernardi discipulus in Clara-valle, cum salutaribus tanti magistri legibus admodum profecisset, huc missus est ad prima cœnobij fundamenta cum abbate I. Laurentio: a quo ipse tertius monasterium rexit anno vno, mensibusque aliquot. Incertum, dignitatemne sponte abdicarit, an simul cum vita posuerit. At vero hoc certius: insigni sanctimonia nouum hoc asceterium sustinuisse. Fastradus.

Alter est Guilielmus abbas VII. qui Heisterbaci in Germania cum priorem ageret, ea singularis virtutis edidit specimina, vt ad sanctam hanc familiam administrandam fuerit euocatus. Magna claruit in egenos pietate: & *sanctissime traditum sibi gregem rexit:* ait Chrysostomus Henriquesius. Guilielmus.

Albertus quamquam aduena minime his abjungendus est. S. Marię de Oliua in Prussia fuit abbas: & cum suis præesset magna laude, multaque accepisset de illorum sanctitate, qui Villarium incolebant, sæpe desiderauit, quando illic viuere non daretur, saltem vt sepeliri obtineret. Annuit Deus. Ad generalem ordinis conuentum proficiscebatur, Villario forte iter habuit; ibique morbo correptus, diem obijt: & pro voto in sancta illa domo sepultus est. Albertus.

Et

Digitized by Google

Cæsarius, Et Cęsario hic locus debetur, etsi præter nomen & dignitatem prioris, egregiam morum innocentiam nobis antiquitas reliquerit, nullo eius præclaro facinore diserte explicato. Fuisse hunc existimarunt plerique Heisterbacensem illum ingenij & religionis suæ monumentis celebrem. Aliter sentit Henriquesius: in cujus sententiam non illubenter concedo.

B. Bonifacius, Aliquanto plus de B. Bonifacio veteres prodidere. In Clara-valle sub S. Bernardi disciplina, jejunijs precationibusque strenue vacans, insignem sanctitatis famam consecutus est. Villarium ad ponenda prima monastices fundamenta missus, Vlrico abbate quinto prioris munus obijt, egregijs virtutibus, atque adeo miraculis conspicuus. Mortuus inter sanctorum corpora multitudinis venerationi propositus est.

B. Henricus, Eosdem beatorum honores adeptus est Henricus Gestius; nec supra meritum: ambigere nefas existimo. Vix tamen de illo quidpiam proditum. Relicto clero monachum induit non magis habitu, quam præclara religiosæ vitę nota. Admirandę virtutis pietatisque ac ardentissimę caritatis fuisse fertur. Plura nouit, qui sine pręmio nihil relinquit Deus.

Nicolaus, Nicolai item Gemblacensis præstantem virtutem paucis sed grauibus encomijs celebrant Villarienses. Eius scilicet comparandæ cupidus Gemblaco huc venerat, religiosiorem vitam vt institueret.

Godefridus, Ioannes, Gerardus, Nicolaus, Instituerunt insigni mentis ardore plerique alij monachi; e quibus potissimum eminuerunt Godefridus, qui sanctimonialibus in Camera fuit a confessionibus, Ioannes, Gerardus, & Nicolaus, qui discipulos tam sancta schola haudquaquam indignos se prębuerunt, & in posteros præstantioris virtutis famam consecuti sunt.

Oliuerius, Henricus, Theobaldus, Oliuerium a Sombressa, Henricum Wesium Bernij toparcham, & Theobaldum Cortraci castellanum par desiderium accendit, vt contempta generis claritudine, militari gloria, ceterisque mundi illecebris, hic se Christi pauperibus adjungerent, & expeditiores ad cælestia ferrentur.

Iacobus, Rembertus, Non inferiorem majorum nobilitatem fortassis etiam generosius conculcarunt Iacobus Glimius, & Rembertus Reueus, quando ad humiliorem se conuersorum ordinem demiserunt. Eximia certe morum innocentia commendantur.

In eodem religiosæ humilitatis gradu germanam magnitudinem, quę scilicet est a virtute, plerique consectati feruntur. Arnoldus quidam functione molitor, vaticinijs, prodigijs, sed potissimum vitę præclara integritate conspicuus fuit. Iacobo magna virtute prædito frequentes pręditiones Prophetæ nomen dederunt. Henrici magna fuit animi demissio, & in xenodochio pietas aduersus miseros mortales. Euerardum, Ægidium, Iacobum, Ottonem, Nicolaum, Henricum, Franconem Lakenium, Ioannem Salincum, Ioannem Rostium, conuersos omnes, egregios monasticæ disciplinæ sectatores depręcicant. His tertium adde Ioannem; qui tiro religiosæ vitæ rudimenta tantummodo discebat, quando metam attigit, & gloriosum in cælo brauium adeptus est.

Arnoldus, Iacobus, Henricus, Euerardus, Ægidius, Iacobus, Otto, Nicolaus, Henricus, Franco, Ioannes,

De quibus omnibus quamquam ad posteros tam pauca deuenerint, præclaram tamen eorum fuisse virtutem necesse est, quando in religiosissimo illo omnis sanctimoniæ domicilio tantam sui apud omnes suscitarint opinionem, vt in illis monasterij commentarijs prædicari meriti sint, qui *De viris illustribus*, aut *De claris Villarij luminaribus* ab antiquo conscripti seruantur.

Nec illi videntur in silentio relinquendi, quorum etsi nomina mortalium cognitionem fugerint, at certe non egregia virtus e cęlo probata vel prodigijs, vel superorum alloquijs, vel alijs denique rebus mirandis.

Anonymi. Narrat ejusdem monasterij historia, monachum illic vixisse anno post millesimum & ducentesimum quadragesimo, qui dum sacrum faceret, sacris vestibus miro candore fulgentibus, incredibili luce solitus est coruscare : & S. Simeonis adinstar vlnis aliquando puerulum IESVM excepit. Alium deinde juniorem monachum commemorat, in cujus os e sacrificantis manu sacrosancta hostia diuinitus delata fuerit. Plures denique alios meminit, qui extremo spiritu affirmarunt adesse cælites, a quibus ad immortalis vitæ præmia deducerentur.

Magnum magni ducis testimonium, Singula capita quis percenseat? Illustre habemus testimonium magni principis Henrici II. Brabantiæ ducis: qui vt magnus erat Villariensis virtutis admirator (eius mentionem fecimus secundo Martij in Arnulfo Villarij abbate XIII.) cum aliquando venisset ad hoc monasterium, & in templum inuitaretur ad visendas sanctorum reliquias, respon-

respondit: Mihi quidem plus ſatis eſt videre ac venerari cineres & oſſa monachorum in monte ſepultorum: eas quippe reliquias exiſtimo omni cultu majores. Intra monaſterij ſepta mons ille eſt ad dextrum templi latus Septemtrionem inter & Orientem, monachorum ſepulcris olim attributus, & ſanctus ob primorum temporum ſanctitatem appellatus: quod nomen etiam Clemens VIII. pontifex maximus in quodam diplomate confirmauit. Hoc addo de eodem Henrico duce. Villarij religionem tanti fecit, vt ſolitus ſit in annos ſingulos e monachorum panno ſagum accipere, quo tectus in prælijs nulla formidabat pericula: eorum precibus ad Deum fuſis ſe muniri obnixe flagitaret: ac denique ibidem ſepeliri voluerit.

Claudemus hoc caput alio teſtimonio non paulo grauiori. Aſſerunt pæne vniuerſi Villarienſes commentarij, cum aliquando monachi centum, trecentique alij ex ordine conuerſorum Diuinas laudes in templo concinerent, auditam hanc e cælo fuiſſe vocem: QVOTQVOT HIC SVNT, MEI SVNT. Non immerito ſcilicet dixerimus: *Vere Dominus eſt in loco iſto.* Et *Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.*

Sed majus Dei.

Gen. 28.16. & 17.

CAPVT VII.

Ab Auguſtinianis lumen illuſtre.

MVlti magna varietate ſacri ordines magni illius & ſapientiſſimi patriarchæ S. Auguſtini leges ſecuti, eccleſiam longo multorum ſæculorum ordine exornarant. Autor eſt Iacobus Vitriacus, non diu ante ſuam ætatem fuiſſe, qui viros vnaque virgines eodem cœnobio, diuerſa tamen habitatione receptos, ſanctis inſtitutis duceret ad magnam virtutem, animaretque ſingulos pro ſuo ſexu ad exhibenda infirmis Chriſtianę caritatis officia. Eam diſciplinam Leodij ſectata eſt Corneliana inferior domus, Bellumque fagetum cum Veteri vineto, & cœnobium S. Matthęi ad catenam. Sed queritur idem ſcriptor breui paſſim defluxiſſe illius diſciplinæ integritatem: quam tamen Leodij, paucisque alijs locis ita perſeueraſſe in primæuo nitore aſſerit, vt eſſent *hoſpitalia pietatis, & domus honeſtatis, officinæ ſanctitatis, conuentus decoris & religionis, refugium pauperum, aſylum miſerorum, conſolationes lugentium, refectio eſurientium, & ſuauitas ac mitigatio infirmorum.* Præclarum hoc grauiſſimi ſcriptoris encomium auget numerus & varietas aſceteriorum: quæ canonicis regularibus, monachiſque, ac eremitis ejuſdem inſtituti conſtrui non potuiſſe, nemo non intelligit, ſine præſtantiſſima religioſæ virtutis commendatione.

CAPVT VIII.

Mendicantium ordinum ſtrenua cum inſigni laude opera.

STrenuam in excolenda hac diœceſi poſuerunt operam; ſed poſterorum non ſatis ſtudioſi, ſua præclare facta minime litteris conſignarunt. Profero tamen pauca, quæ colligere licuit.

Mortua eſt anno poſt milleſimum & ducenteſimum decimo tertio S. Maria Oegniacenſis femina omni virtute celebratiſſima. Hæc pro ſuo Diuini honoris incenſo ſtudio deplorare ſolita eſt inquinatiſſimas illa tempeſtate Chriſtiani orbis corruptelas, Deique pietatem rogare, tantis vt malis aliquando modum poneret. Exaudita eſt. Diuinitus enim accepit, orituros non multis poſt annis catholicæ fidei pugiles ſtrenuos, viros puritatis amatores, inſignes pietate, doctrina eximios, prædicandique euangelij munere incomparabiles; quorum opera Deus toto orbe deprauata corrigeret.

Vitriac. in eius vita.

Illuſtre vaticinium.

Sua fuit oraculo veritas. Surrexere mox Mendicantium ordines, qui per omnium humanarum rerum contemptum ad cæleſtia contendere non contenti, inſigni ſua ſapientia pulcherrimiſque religioſæ vitę exemplis nouam rerum faciem inuehere viſi ſunt.

Quod editum fuerat in hac diœceſi vaticinium, in ea pariter fidem inuenit. Nam ſparſa per orbem præclariſſimorum conatuum glorioſa fama, omnes ferme populi generoſos illos Diuini verbi præcones ad ſe pia æmulatione inuitabant. Vitriaci commendatione inuitati Leodium Dominicani ſub annum illius ſęculi triceſimum, ſedes ibi fixerunt; mox item Louanij ac Siluæducis. Aliquot ante annis Leodium ac Trudonopolim venerant

Dominicani & Franciſcani diœceſim Leod. breui compleuerunt.

venerant Minores; & paulo post Aquasgrani, Trajectum, Castra (locus est Trajecto vicinus) Huum, Namurcum, Dionantum, Niuellas aduocati, vno eodemque anno (fuit is tricesimus quartus) totidem veluti firmissima præsidia euertendæ vitiorum tyrannidi collocarunt.

Ita fructum in hac ecclesia producere cœperunt vberrimum sanctissimi illi ordines, *censu & rebus pauperes,* (vt loquitur Ægidius) *sed virtutibus & sensu locupletes; qui cælesti pabulo redundantes, patriam reficiunt abundanter, tamquam paradisi promptuaria, verbum Dei delectabiliter eructantia ex hoc in illud.*

CAPVT IX.

Societatis JESV in hac diœcesi exordia.

QVid Leodij totaque diœcesi primitus Societas IESV præclare gesserit, vltimo loco dicam, quod vltima post sacros illos ordines nata sit. De qua dum plura commemoro, quam de plerisque alijs, non ideo facio, quod illis præferendam existimem, aut plus illis publicę vtilitati laborasse velim. Quæ pauca namque de plurimis eorum præclaris facinoribus supersunt, satis euincunt, fortissime in hac arena ab illis esse desudatum. Sed in antiquitate latent, pari posteritatis dolore ac detrimento. Cauit magna diligentia Societas, ne primi illi nostrorum patrum sudores gloriosis laboribus expressi, posteris ignoti arescerent. Collectæ sunt insigni studio res ab illis gestæ, & publico editæ. Ex his delibare consilium est, quæ ad hujus ecclesiæ gloriam spectant.

Hist. Societ. l. 3. & 4. Imago 1. sec. l. 5. c. 1. Petrus Faber.

Cum anno superioris sæculi quadragesimo edita Romæ fuisset Societas IESV, quarto post anno fructuum eius primitias Leodium percepit, quando Petrus Faber vnus e primis decem socijs, vir sapientia, virtute, atque in primis Diuini honoris studio tota pæne Europa celebratus, orthodoxis æque carus, ac hæreticis formidabilis, hanc in vrbem primum venit. Cum duobus socijs Æmiliano Loiola S. Ignatij nepote, & Lamberto Castrio Leodiensi theologiæ baccalaureo, ac nuper in philosophico stadio prima palma donato, Coloniam petebat. Totam vrbem suis concionibus vsque adeo incitauit, vt ad eum plurimi Coloniam se venturos vel exercitiorum S. Ignatij, vel disciplinę causa reciperent. Atque id quidem tum Leodij; neque inferiora eodem itinere Trajecti vel Aquisgrani perpetrauit.

Sed ante duos annos ipsam diœcesim ingressa Societas, eam feliciter excolere cœperat, miro Diuinæ prouidentiæ consilio. Cum enim S. Ignatius juuenes aliquos sua familia receptos Lutetiam misisset disciplinis imbuendos; anno quadragesimo secundo Franciscus Galliæ rex publice seuereque indixit, vt qui de Caroli imperatoris ditione erant (illi scilicet bellum denuntiarat) omnes ad vnum intra diem octauum regno facesserent. Ergo de Ignatij socijs octo quippe Hispani, Hieronymus Domeneccus, Andreas Ouiedus, Ioannes Aragonius, Franciscus Strada, Æmilianus Loiola, & Petrus Ribadeneira cum duobus alijs exire coguntur: Deo vtique illam e Gallia ejectionem in hujus diœcesis commoda disponente. Nam Domeneccus, qui Parisiensi domui præfuerat, nouæ ductor coloniæ cum septem socijs, haud dubio Numinis instinctu Louanium venit Idibus Augusti, non toto a confirmata Societate biennio: ibique sua singuli studia persecuti sunt.

Ouiedus porro is est, qui postea Æthiopiæ patriarcha incenso Diuini nominis amore, integerrima vitæ innocentia, & animi magnitudine admirabili, inter infidos barbaros tantum munus impleuit. Ribadeneiram vero scripta celeberrimum fecerunt. At Franciscus Strada, qui natus annos viginti quatuor in Falconensi gymnasio Metaphysicis operam dabat, egregia supra ætatem & gradum edidit facinora. Nam quod a litteris dabatur otij, id non suis relaxandis animis, sed alienis subleuandis cum omnes tribuerent; vnus ille calebat præ ceteris non tam ætatis æstu, quam pietatis ardore; vt quod nuper in Italia fecerat, aliquam pariter e sacra Diuini verbi semente in diœcesi Leodiensi messem Deo colligeret. Res erat dubiæ sortis vtram in partem ab ejusmodi homine acciperetur: tamen aleam jecit, & cecidit opinione felicius. Visum est adspirare Numen.

Franciscus Strada

Ante omnes Ruardum Tapperum academiæ cancellarium, primæ autoritatis virum, velut caput arcemque aggressus, eo juuenis suo sermone adduxit, vt ternas ille quotidie horas e summis ereptas occupationibus in exercendo spiritu, rebusque Diuinis more Societatis commentandis collocare cœperit.

Tapperum expugnat,

Ex-

Digitized by Google

Expugnato Tappero, quasi jam cursu ad omnem victoriam prono, Cornelium Vishauæum probata vitę sanctimonia & eruditione sacerdotem, excolendisque ad omnem honesti rationem hominum animis jam dudum nobilem, ad ineundam Societatem propensum, vt cito manus daret, impulit; suisque adjunctum castris, eodem spiritualium armorum genere tam feliciter pugnare docuit, vt Belgarum deinde multi ab ipso victi, ad Societatis signa, Deo in salutem hominum militaturi conuolarint. tum Vishauæum;

Non multo post adfuit Colonia Petrus Faber, Ignatij imperio socios omnes in Lusitaniam abducturus. Perculsus tam inopinata jussione Vishauæus: Illum, inquit, qui cum ex vsu est, obedientibus frenum injcit, Christum inuoco, ne te hinc auolare permittat; sed quanto tempore necessarius es, remoretur. Obtinuit. Sub ipsum discessum tertiana febris Fabrum inuadit, sternitque, ac tamdiu tenet, vt jam medici morbo artem superante, de vita conclamatum pronuntiarent. In hoc tandem discrimine cum Fabro venisset in mentem Cornelij pro sua Louanij commoratione nuper Christum obtestantis, eum ad se accersitum rogat, jam retractet preces; & quibus votis tam diuturnam febrim aduocarit, ijsdem aliquando depellat. Fecit imperata simplici candidoque pectore Cornelius: atque exinde melius factum est laboranti: vt jam nemo dubitaret, morbum illum non humana causa, sed Diuino nutu aduenisse: & palam medici fatebantur, nequaquam videri a natura tantam illius mali fuisse pertinaciam.

Sane Faber, quo tempore Louanij per inualetudinem hæsit, incredibile quanta fecerit animorum lucra, quantum Leodiensi diœcesi decus, quantum famę ac nominis pepererit Societati. Quotidie viri magni vrbis atque academiæ principes, grauissimis de rebus decumbentem illum quasi quoddam oraculum consulebant. Permulti sepositis domesticis curis, illi se dabant pijs commentationibus excolendos. Quo in numero Theodoricus Hesius Leodiensis prodecanus, & Hadriano pontifici maximo quondam ab arcanis & sacris confessionibus (de quo suo loco dicimus) post illas mentis exercitationes, totum se Fabro tradidit, si sua voluntate res ageretur, Societatem cum eo initurus. Non censuit Faber, ętatis personæque habita ratione, hoc illi permittendum. Suasit vero vt & optimæ vitæ exemplo, & qua valebat autoritate, vniuerso Leodiensi clero ad dignos illo statu mores, virtutemque populo spectabilem, pergeret prælucere. quibus adjungitur Hesius.

Nec interea suis deerat, qui tantopere proderat alienis. Omitto jam, quæ suo tempore narramus; quibus rudimentis Vishauæum exercuerit, & per admirabilem demissionem, illum partem in omnem versans erexerit ad arduam virtutem. Publica magis quęro. Franciscum Stradam excitauit tironem vetus magister ad Latinas conciones. Quas ille juuenis magnanimus primum in Falconensi gymnasio ad discipulos, quorum ipse erat vnus, cum bona magistrorum gratia habuit, tum in Porcensi quoque, ac demum in pontificio theologorum collegio peramplo, concurrentibus tanta copia ad eum audiendum academicis, vt doctorum primi, quo latius pateret vtilitas, Fabro autores fierent transferendæ concionis ex istis collegiorum angustijs in D. Michaëlis sacram ædem de præcipuis vnam. Mira concionum frequentia,

Quorum postulatis haud grauate Faber annuit: vtque animos in re ardua juueni adderet, neve noui laboris cura vel philosophicis officeret studijs, vel vires ad magna crescentes præmature obrueret; concionum argumenta dictabat æger ipse de lectulo, ac diuidebat in partes, variumque addebat ornatum. Id quod Faber extemporaneo sermone haud difficulter poterat, depromens opes e thesauro cultissimi pectoris, tamquam e quodam sapientiæ sacrario; nihil vt Stradæ propemodum, pręter actionem vsumque memoriæ, qua valebat plurimum, relinqueretur.

Hac igitur tanta ope validus jam orator, Fabri dimicabat armis, ardorem addebat de suo; tamque auide audiebatur, vt præcipui theologiæ doctores, & quotquot Louanij residebant ordines religiosi, ex vnius adolescentis ore penderent. Tantosque excitabat animorum motus, vt nemo non copiosis manaret lacrymis: atque ipsæ feminæ fama concionantis excitę, quamvis Latini sermonis imperitæ, tota ex vrbe concurrerent ad spectandum os agentis, & quos spirabat ignes, si intellectu non possent, visu saltem ipso colligendos.

Hac Stradæ eloquentia, sed maxime Fabri sapientissimis consilijs feruere visa sunt omnia. Ex academicis lectissimi juuenes nouemdecim, Belgæ omnes a Fabro vitæ societatem petierunt. Ille tanto numero prudenter vsus, selegit nouem. Feminarum pręterea cœnobijs, quæ & ipsæ nouæ Societatis operam sitiebant, certa quædam viuendi norma, & par fructus.

ma,

ma, ad quam religiosæ vitæ cursum dirigerent, data est: repressa morum licentia, vetus reddita disciplina. Virgines complures integerrimis nuptijs cum Diuina majestate conjunctæ, sacris se addixere cœnobijs. Tanta, denique morum in omni hominum genere facta conuersio, vt jam tum de ordiendo Louanij collegio viri graues apud Cęsarem Carolum putarent agendum.

Quibus ex rebus Deo duce bene ac fideliter gestis conijci haud ægre potest, quanto Leodiensis diœcesis commodo gloriaque, sociorum in Lusitaniam nauigatio dilata; quanta cum prouidentia Diuini Numinis, ingruente morbo relictus ibi sit Faber. Quidquid enim deinceps tota hac diœcesi, omnibusque adeo Belgicæ prouincijs ad Dei gloriam, publicumque ecclesię bonum a Societate gestum est, id omne, si verum quęrimus, his debetur initijs.

Prius vero quam Societati locum daret ipsum Leodium, vidit & amare cœpit præcipuos aliquot patres. Paucis enim post annis Petrus Canisius præclaris facinoribus pro sustinenda religione catholica perpetratis, Germaniæ apostoli cognomentum sine inuidia consecutus, hanc in vrbem venit anno quadragesimo sexto. Hæc occasio fuit. Hermannus Vueda Coloniensis archiepiscopus Buceri, Melanchthonis, & aliorum veteratorum fraude constrictus, sanctam illam ecclesiam in eamdem impietatem deuoluere cogitabat. Insidias mature senserunt clerus & academia; communique consilio Canisium ad antistitem clerumque Leodiensem aduersus nascentem hæreseos pestem auxilium petitum legauerunt. In qua functione cum Leodij cogeretur diutius propter rei grauitatem hærere, ne bonas horas otio transmitteret, more Societatis interim cathedras procurauit; & festis diebus omnibus historiam euangelicam frequentissima concione explicauit; sæpeque eodem die in episcopio binas conciones habuit. Alias etiam ecclesiasticos a decano citatos ad officij munus exequendum hortatus est, eo successu, vt Guilielmus a Pictauia summus prępositus, cum illum ad mensam inuitasset, palam in celeberrimo consessu non dubitarit affirmare, non abs re Canisium appellari; illi quippe linguam esse curandis animæ morbis medicam & salutarem. Natali vero Christi episcopus (erat is Georgius Austriacus) coëgit illum ex tempore de rebus Diuinis apud ipsum & frequentem nobilitatem, quę in palatio aderat, verba facere; & ad mensam adhibitum singulari amoris significatione tractauit. Alfonsus Salmeron vnus e primis nouem S. Ignatij socijs, vir suorum scriptorum gloria orbi notissimus, in hanc vrbem venit anno quinquagesimo sexto, quando pontifice jubente cardinalem de Motula in Belgiū comitatus est; vel certe sequenti anno (non enim liquet) cum nouo pontificis imperio Belgium repetijt cum Carolo Carrafa cardinale, qui ad Philippum regem Hispaniarum de pace inter ipsum, & Henricum Francorum regem concilianda legabatur. Additus ei comes a vicario generali (Ignatius quippe mortuus erat) Petrus Ribadeneira, vir item scriptis clarus, qui apud Philippum regem anno superiore procurarat, vt in Belgium Societas reciperetur. Et hic Leodium cum venisset, semel iterumque Latine dixit in S. Lamberti tam secunda omnium admurmuratione, vt Robertus Berganus, qui regendam hanc ecclesiam nuper susceperat, de constituendo ea in vrbe Societati collegio cogitare cœperit. Necdum enim memoria Canisius exciderat; & quid pro orthodoxa religione tuenda gessisset Coloniæ, totoque imperio gerere perseueraret, gloriosa fama vulgatum erat. Eæ vero temporum erant calamitates, quæ strenuos euangelicæ doctrinæ præcones flagitare viderentur. Iacobum igitur Lainium, postquam is vniuersæ societati præpositus fuit, datis ad illum sæpius litteris, rogauit socios mitteret, qui Leodij sedem statuerent. Sed vel obstante horum penuria, vel illos auocantibus alio grauioribus negotijs, parum promouit. Anno autem sexagesimo secundo, cum in Franciam ad Poisiacum conuentum pontificis missu Lainius iuisset; eodemque imperante Tridentum ad concilium proficisceretur anno sequenti, per Belgicam iter ingressus est, in quo minus esse periculi credidit; atque adeo Leodium diuertit. At quemadmodum quosdam inhumanitas interdum hospitum, ita inter causas maturandi discessus Lainio nimis effusa hospitum benignitas fuit. Quod cum officijs erga eum permulti inuitando, domum vocando, aliterque certarent, mosque geri omnibus nequaquam posset; ne quis quem pręlatum sibi doleret, ab omnibus se properato abitu liberabat. Hac tamen occasione lætus, de collegio, vt sæpius ante per litteras, coram multa egit Robertus episcopus. Et fortassis obtinuisset, si non eius consilia mors intercidisset. Sed neque desiderium, neque spem deseruit successor Gerardus Groesbeckanus: primisque principatus auspicijs effecit

Hist. Soc. l. 5. Rader. in Canis. l. 1. c. 4.

Manuscr. Coll. Leod.

Hist. Soc. l. 16. & part. 2. l. 1. Manuscr. Coll. Leod.

Hist. Soc. p. 2. l. 6.

vt

Digitized by Google

vt sociorum seni mitterentur; quibus, quoad vixit, e suo liberaliter annonam præberi voluit. Et cum egregiam prȩsertim illorum operam Trajecti Hasseletique sensisset (ad hæresim vrbes illȩ propendebant) agitata pridem de condendo collegio consilia promouit, conquisiuitque necessaria victui subsidia. Ac tandem serenissimo principe Ernesto Bauaro episcopatum ineunte apertæ sunt scholæ. Illa fuerunt Leodiensis collegij exordia.

De alijs etsi nihil attingere placet, non possum tamen non commemorare Anglorum eadem in vrbe collegium, in quo non aliter ac in fecundo catholicȩ doctrinȩ seminario religiosæ plantæ educantur, quȩ deinde patriam sancto semine compleant, atque etiam quando opus est, profuso Christi causa sanguine irrigent. Nuperrime profecto Londini anno quadragesimo secundo Thomas Hollandus, quadragesimo quarto Rodulfus Corbȩus, & quadragesimo quinto Henricus Morsæus, omnes religiosi hujus plantarij insignes stirpes, prȩclaro Christianæ fortitudinis exemplo illustrem lauream reportarunt. Ita Deus in hac diœcesi Societatem nouis in dies beneficijs cumulare pergit.

FLORVM

Digitized by Google

FLORVM
ECCLESIÆ LEODIENSIS
PARALIPOMENON
SECVNDA PARS

COmplectitur hæc altera pars homines sanctitate, vel certe insigniori virtute claros, qui hanc aliquando diœcesim illustrarunt: quos cum ex die mortis certo, nulli loco potuerimus affigere, alphabeti sequemur ordinem.

BB. ADALARDVS ET GRIMARA
parentes SS. virginum Harlindis & Relindis. *Vita filiarum.*

PAR hoc conjugum nobilitate opibusque clarum, potiorem a virtute gloriam consecutum est. Cum duas filias luci dedissent Harlindem & Relindem, vtramque a prima ætate virtutibus imbuendam magna diligentia procurarunt: meliorem scilicet suæ genti claritudinem a sancta liberorum institutione rati, quam a vanis mundi ludibrijs: quę sane quemcumque præferunt splendorem, cum a cæco hominum judicio totum habent. Acutius ergo viderunt sancti hi parentes, & sincerius suis filiabus bonum optarunt. Vtramque Valentianas ad Scaldim miserunt, vbi insigne religiosarum virginum asceterium ea tempestate florebat. Reduces inde post aliquot annos, & pręcipua morum honestate conspicuas, vt ad monasticen acceperunt propendere, parthenonem Eicæ in suo prædio illis construxerunt; in quo vitam egerunt præclara sanctitudine spectatam. De filiabus ante narratum sexta Februarij & duodecima Octobris: de parentibus nihil amplius habemus. Magnum illud est, tales genuisse liberos: majus hoc, & vera gloria dignum, opportuna tantæ sanctitati præsidia subministrasse.

ADALBERO
e monacho Hubertensi abbas S. Vincentij Laudun.
Quæ ex Cantatorio sui monasterij misit ad me R. D. Romualdus Hancart monachus Hubert.

GEnte Suevus, domo nobilis, ingenio & doctrina clarus, in Constantiensem clerum cooptatus fuit. Godefrido Gibboso Lotharingiæ duci ex Italia reuertenti eam tractandarum rerum peritiam probauit, vt illi percarus euaserit; neque licuerit deinceps ab eo recedere. In Lotharingia igitur agere cœpit: & cum Gibboso successisset e sorore nepos Godefridus Bullionius, eamdem illi, quam avunculo, sapientibus consilijs nauauit operam. Quare orta Godefridum inter & Albertum Namurci comitem controuersia de Bullionia dynastia, & dicto ad illam componendam Andaini colloquio, adfuit Adal-

Digitized by Google

Adalbero cum Godefrido, sua sapientia vsuque rerum eius partes propugnaturus. Sed meliorem causam sanctiore mente hic aggressus est. Nam vt sua indole propendebat ad honesti amorem, & animo sagax erat, Andainensis disciplinæ splendorem non videre non potuit. Erat is sane præclarus, lucidissimam exemplorum & præceptionum facem accendente S. Theodorico abbate: de quo dicimus suo loco. Amauit mox, quam admirabatur, Adalbero virtutem, amatamque persequi vehementer optauit. Quod suæ mentis consilium vbi abbati enũtiasset, obtinuissetque in eius disciplinam recipi; compositis suæ familię rationibus, dicto die rediit: insignique animi magnitudine humana omnia conculcans; monasticæ humilitati se subiecit. In hac Christianę sapientię schola insigni diligentia se novus discipulus exercuit, atque in ea breui clarior euasit, quam antea fuerat tractandis humanis rebus. Anno millesimo septuagesimo septimo adfuit ab Elinando Lauduni episcopo, qui Theodoricum abbatem omnemque cœtum Andainensem rogaret, mitteretur aliquis e toto numero Laudunum, qui S. Vincentii abbas crearetur. Sed ea vigebat ad S. Huberti disciplinæ integritas, & dignitatum neglectus, vt secundo, tertiove neminem mitti placuerit. Vrgente nihilominus vehementius Elinando, missus est ex omnium sententia Adalbero tirocinium vixdum egressus; ceteris nimirum euangelicę humilitatis desiderio illam a se dignitatẽ amolientibus in eum, quem alias tanto munere non imparem intelligebant. Atque is prouinciam ingressus, talem se reuera probauit. Nam cum magna industria inuexit disciplinæ nitorem, qui palam omnibus esset argumento, qua schola sapiens ille magister prodiisset. Rem pręterea familiarem strenue curatam, ornatumque nouis ædificiis ab illo monasterium referunt. Plura commemorare non possum: neque proditum habeo quamdiu rexerit, aut quando vita decesserit. 24. Aug.

ADELMANNVS
e scholastico Leod. Brixiensis episcopus. *Trithemius in viris illustribus, Baronius anno* 1004. *&* 1055.

LEodiensis ecclesiæ scholasticus fuit, idemque clarissimus Diuinarum humanarumque rerum cognitione; quam orbi nonnullis scriptis testatus est; sed alio nullo laudabilius, quam illo, quod ad Berengarium dedit, vbi pertinacem eius ab ecclesia percepit defectionem. Auditores vna fuerant celeberrimi illius sanctitate doctrinaque Fulberti postea Carnotensis episcopi. Et quia suauissima solet esse recordatio consuetudinis ab adolescentia contractę, eo magis sperauit se posse quidpiam ad reducendum in viam erronem. Disertissimam ad eum scripsit epistolam, quæ ad eximiæ sapientię commendationem Bibliothecę patrum inserta est.

Eloquentia porro Christiana confutat errorem, inquit Baronius, arguit temeritatem, damnat audaciam, retundit procaciam, hortaturque ad resipiscentiam: immortali dignus ipse gloria, pro opera religiose sapienterque ad ecclesiam tuendam nauata; quamquam impietatem suam dissimulauerit aliquamdiu Berengarius. In hoc enim bellandi genere, veritatem confutato mendacio ostendisse, quantumvis pertinaciter in cœno volutetur hæreticus, vincere est, ac triumphare. Confutat Berengarium.

Docti illius stili sensit aciem post tot sæcula Caluinus; nec retundere vel potuit vel ausus est aliter, quam familiari hæresiarchis omnibus maledicentia, ignavum, barbarum, ac sophistam appellans. Sed gloriosa laus est, quod impio prodit ore vituperium.

Ad Brixiensem episcopatum postea sapientia virtusque Adelmannum prouexerunt. Illum qua laude gesserit, ne Brixia quidem datis ad me litteris accipere potui. Vita decessit anno post millesimum quinquagesimo septimo. Sepultum ibidem est corpus in basilica SS. Faustini & Iouitę.

ÆGI-

Digitized by Google

ÆGIDIVS CLAROMONTANVS comes & conditor Vallis S. Lamberti. *Ex ijs, quæ mihi de archijs illius sui monasterij protulit adm. R. D. abbas Michaël Taxillis.*

ALio nullo melius quam virtute, gloria nominisque in posteros celebritas comparatur. Longa serie Claromontani principes cum suam dynastiam tenuerint, silentio pæne vniuersi velut obscura nocte pressi iacent. Illos ferme solos posteritas celebrat, qui virtutem sectati, aliquod suæ religionis monumentum reliquerunt.

Sub annum a Virginis partu millesimum centesimum octogesimum viuebat comes Ægidius, qui vt in sacra omnia singulari studio ferebatur, Cisterciensem ordinem mirabili tunc sanctitatis opinione longe celeberrimum in primis amabat. Huic cum monasterium ædificare constituisset, scripsit ad abbatem Signiacensem, vt ipse abbasque Boni fontis destinatam cœnobio aream & agros inspicerent, quos alendis monachis addicere volebat: ac deinde referrent generali conuentui, qui non multo post Cistercij habendus erat. Dedit eodem & ipse litteras, quibus diserte testabatur, quanti faceret sacrum illum ordinem, ac veneraretur; optaretque vt Signiaco colonia deduceretur in Planam vallem. Locus est in medijs ferme Condrosis ad Vrtam amnem amœnus, fertilis, & quem monachorum habitationi percommodum Ægidius judicabat.

Obtinuit igitur quod in votis habebat. Missi Signiaco monachi locum incolere cœperunt, appellatusque est B. Marię de roserijs. Ex quo in hunc diem monasterij sigillum D. Virginem refert e roseto existentem. Verum post aliquod tempus causati habitationis incommoda monachi, Signiacum redierunt.

Affecit hic recessus non leuiter Claromontium, at ardorem non extinxit. Quo facilius votorum summam attingeret, Henrico Limburgi duci illa omnia tradidit, quæ Cisterciensibus ascetis animo ipse destinauerat, eius postulationi ponderis & autoritatis plus fore ratus. Quid deinde molitus sit, aut etiam quando mortuus sit Ægidius, proditum non inuenio. Effecta sunt nihilominus, quæ animo religiose conceperat.

Eam enim prouinciam lubens subijt Limburgius pro suo in eumdem ordinem animo: & additis e suo latifundijs, Cisterciensem abbatem ceterosque collegas denuo Cistercij congregatos obnixe rogauit, religiosum illum cœtum Signiaco remitteret condendo monasterio. Dum locus quæritur tota Limburgij ditione, studijs adeo sanctis suum deesse symbolum noluit episcopus Hugo Petrapontius. Exstruendo cœnobio Campum Maurorum obtulit loco ad Mosam peramœno; agrosque prętere addixit alendis cœnobitis. Pium præsulis sui propositum probauit, suumque calculum addidit S. Lamberti collegium.

ANN. 1196. (margin)

ANN. 1202. (margin)

Felicibus igitur auspicijs ædificatum est nobile monasterium, & posito Campi Maurorum nomine, Vallis S. Lamberti deinceps appellatum, stat in hunc diem magna religionis gloria; strenue sustinentibus, ac sua vigilantia promouentibus abbatibus, qui sequuntur.

ABBATES VALLIS S. LAMBERTI.

1. MIssus cum aliquot sodalibus Signiaco GERLARDVS rexit primus annis quatuor & mortuus est anno 1206.

2. WALTERVS VLTRECHT obijt 1209. Non desunt, qui hunc eumdem esse putent cum abbate X. Villariensi; quod idem vtrique nomen sit, eadem patria, locus idem mortis & sepulcri. Sed tempore discrepant, cum hic obierit 1209. Villariensis autem factus sit abbas anno 1214.

WERICVS monachus Signiacensis ob. 1231. cum anno superiore dignitatem abdicasset: ideoque abbatum numero adscriptus non est; quemadmodum & aliquot sequentes, qui similiter ante mortem abbates esse desierunt.

WALTERVS PARVVS e monacho Valcellensi cessit anno 1235. obijt 1236.

3. OLI-

3. OLIVERIVS DE HOZEMONT cellarius Alnensis: aiunt alij fuisse monachum S. Iacobi Leod. ob. 1244.
HENRICVS THENENSIS cessit 1248. & paulo post obijt.
EVERARDVS prior Igniacensis cessit & ob. 1250.
4. ARNVLFVS Leodiensis ob. 1270.
ROBERTVS cessit 1274.
HENO Leod. cessit 1288. ob. 1290.
5. ANTONIVS DE TERMOIGNE pro libertate ecclesię vitam posuit 1293.
6. GVALTERVS A POVSEVR ob. 1295.
IOANNES PAIGNON cessit 1296. ob. 1300.
IOANNES DE FONTANIS cessit 1302. ob. 1312.
WALTERVS DE FIEZE cessit 1303. ob. 1313.
NICOLAVS SENGNON monachus Signiac. cessit 1312.
ÆGIDIVS MOSSON cessit 1312. ob. 1315.
7. LAMBERTVS AB ODEVR ob. 1316.
N. FAVIAV Hoiensis cessit & ob. 1321.
IOANNES LE MAVVAIS Hoiensis cessit 1329. ob. 1345.
8. IOANNES PICHAIS monachus Signiac. profectus ad capitulum generale ob. 1331.
IACOBVS GRATVS Hoiensis cessit 1356. ob. 1357.
9. IOANNES AB HACCVRIA ob. 1387.
10. ARNOLDVS DE COLONIA ob. 1376.
11. IOANNES LE GENEAL Leod. ob. 1399.
12. FRANCISCVS DE CHASTALLE ob. 1402.
13. IACOBVS AB HARZEE obijt 1411.
14. TILMANNVS DE MELLIN ob. 1445.
15. ÆGIDIVS DE TERMOIGNE ob. 1461.
16. RAINALDVS A MOMALIA: eius tempore Godefridus ab Aremberg abbas Aureæ-vallis accepit Vallem S. Lamberti in commendam: cui tamen superstes Rainaldus ob. 1486.
17. GODEFRIDVS AB AREMBERG obijt vno anno ante præcessorem suum.
18. IOANNES AB HARZEE obijt 1496.
19. IOANNES PRESSEVX obijt 1513.
20. IOANNES DE FLAMINIA Leod. ob. 1546.
21. EVSTACHIVS LONCINVS a Flemalia ob. 1547.
22. IOANNES AB IVODIO ob. 1559.
23. RENERVS RAHIER ob. 1577.
24. GVILIELMVS PANTIER DE FRAIPONT ob. 1589.
25. ÆGIDIVS A PASSV Leod. ob. 1609.
26. PAVLVS FISEN Leod. S. Theol. licentiatus, mitram autoritate apostolica primus obtinuit. Obijt 1624.
27. IOANNES DEBORRE Leod. obijt 1633.
28. IOANNES GILON DE BLAVIER a Flemalia obijt 1635.
29. Hodie magna prudentia religioneque regit adm. R. D. MICHAEL TAXILLIS Leod. Diuturnam felicitatem bonus Deus indulgeat.

BB. AGILVLFVS ET ADELTRVDIS parentes S. Bauonis. *Theodoricus abbas in S. Bauone.*

PRimis Austrasiæ principibus editos, nihil in posteritatem celebriores reddidit, quam pręstantissima filij Bauonis sanctitudo. Sed externa est ea gloria; nec tanti facienda, si morum desit integritas. Hanc verbulo dumtaxat indicatam ad nos majores Theodorici abbatis calamo transmisere. *Religionis* (inquit ille scriptor) *tam casti amatores, ita continenter limen ecclesiæ calcantes, vt exemplum vetus de Abraham & Sara putares.* Sed apud Deum omni virtuti etiam a mortalibus ignoratę laus est, eritque æternum gloria meridie illustrior.

B. AGNES
abbatissa III. Niuellensis, neptis S. Gertrudis. *Hucbaldus in S. Gertrude, Surius in vita S. Beggæ.*

Circiter annum 677.

SAnctissimæ illius virginis Gertrudis, quę Niuellani parthenonis autor & parens est, neptis fuit B. Agnes, eamdemque habuit spiritualis vitæ magistram. Tantos vero sub illius disciplina produxit virtutum fructus, vt vndecimo ab eius morte anno sacrum illud gynæceum jussa sit regere. Rexit autem magno publicæ rei bono, Diuinique nominis gloria.

S. Gertrudi templum ponit.

In S. Gertrudis memoriam templum Deo construxit, & lectulum in illud intulit, in quo vltimum agonem sanctissima virgo decertarat. Eo concurrere cœpit populi multitudo magna religione: & dum solemni Christianis more, sacras illas reliquias veneratur, ingentia prodigijs editis a Deo retulit beneficia.

coloniam mittit Andanam.

Sororem Beggam excitabant ij Gertrudis honores ad sectanda vestigia: contemptisque mundi illecebris, vt Deo se consecraret, Andanę ad Mosam cœnobium jam posuerat. Eo Niuellis sacram coloniam deduci postulauit. Annuit Agnes, missis aliquot e suo cœtu virginibus: atque vt magno tenebatur desiderio propagandi gloriam B. Gertrudis, eius lectuli partem illis dedit secum deferendam, optato euentu. Nam sacrum quidem illud donum accepit B. Begga, qua decebat religione, & ad aram S. virginis Genouefæ deposuit, vbi plurimis prodigijs celebratum est; at ipsa gynęceo cum virginibus clausa, illustrem multa sanctitudine vitam instituit.

Quid subinde Agnes egerit, quamdiuve sodalibus præfuerit, proditum non habemus. Hoc tantum: vt vixerat, religiosissime mortua est.

AGNES
virgo soror S. Iulianæ. *Vita S. Julianæ.*

PRecationum filia non immerito dici potest. Cum enim pluribus annis in conjugio sine vlla prole vixissent parentes, post multas preces, & religiosam bonorum operum exercitationem, ceu pretiosum aliquod Diuinæ pietatis pignus nata est sub annum a Christo nato millesimum centesimum nonagesimum primum. Secuta est ferme biennio post Iuliana illa virgo sanctissima, cujus suo loco meminimus.

Septennis erat Agnes, quando parentibus orbata, de tutorum arbitratu Cornelianis virginibus cum sorore tradita est, Christianis moribus imbuenda. Magistram nacta est insigni morum integritate spectabilem nomine Sapientiam; religiosaque eius institutione sic profecit, vt cælestium desiderio terrena omnia despiciens, ibidem adulta se Deo consecrarit, vitamque egerit eximia morum innocentia & sanctitate. Pauca hæc de illa ad vsque senectutem reliquit, qui Iulianæ vitam edidit scriptor anonymus.

Cum sorore Dei causa exulat.

Vltimos Agnetis annos exercuit Deus grauium ærumnarum tolerantia. Sororem quippe Iulianam improborum hominum factione cœnobio pulsam anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, deserere noluit, cum annum jam ageret sexagesimum secundum. In Roberti montem ergo primum abijt cum illa, tum recepit se in Vallem benedictam, & deinde in Vallem nostrę Dominæ: ac denique cum nusquam tutis esse liceret, Namurcum secesserunt. Vbi extorres ignotęque virgines ea rerum necessariarum egestate laborarunt, vt etiam mendicato viuere debuerint. At sustinendis tot calamitatibus vires, imo delicias e cælo Deus largitus est.

Satis sit illa hic perstrinxisse, quæ multis in sanctæ Iulianæ vita narrauimus. Denique tot ærumnis virtutis causa toleratis, atque adeo fortissime superatis, anno sequenti mortua est Agnes ad S. Symphoriani in suburbano trans Mosam, sepultaque Salsinię in parthenone Cisterciensi.

Digitized by Google

ALBERTVS MOHANVS
comes & conditor Vallis nostræ Dominæ. *Archia monasterij, Ægidius, autor triumphi Steppeani, VVassseburgius, &c.*

VT illustri majorum serie, sic magnis opibus floruit Albertus, Mohanus simul & Metensis comes: nam quod & Daborchius dicatur, eumdem cum Mohano arbitror. Beatum alias principem funestauit casus longe tristissimus: adeo nihil in humanis ab infelicitate tutum: nisi felicitas rectius censenda sit, quę ad Numinis gloriam Diuino consilio destinatur. Liberis orbatus

Gloriosam illam suam expeditionem in Orientem anno Christi millesimo ducentesimo adornabat Balduinus is, qui Flandriæ & Hannonię comes ad Orientis imperium armorum fortitudine se prouexit. Prius quam proficisceretur, Andanæ celeberrimam instituit equestrem decursionem sub Idus Maias. Aderant Philippus Balduini frater comes Namurcensis, Henricus Louaniensis, Albertus Mohanus, Ludouicus Lossensis, Hugo Florinensis, alij.

Tres dies tenuerat spectaculum: redijt ad se Mohanus cum Guilielmo, & Henrico filijs. Qui vt pueri erant, paucis post diebus spectati certaminis gloria, & patris adhortatione animati, nemine familiarium aduertente, ad similes decursiones exercitatione se comparaturi, in equos ascendunt, arripiunt hastam, equos in se incitant, atque vt erant inermes, mutuis se confodiunt vulneribus. tristi casu

Miserabilis ille casus incidit Alberto spem vniuersam posteritatis, nisi meliorem genuisse dixerim. Fortunas suas cum in posteros transmittere non posset, Deo visum est reddere. Asceterium aliquod exstruendum meditari cœpit: cujus hæc se dedit occasio. meliorem posteritatem quærit,

Ædificatum fuerat ante annos quadragenos eoque amplius Hochtense S. Agathæ cœnobium, attributumque monachis Cisterciensibus. Qui postquam pauperem illic aliquamdiu vitam egissent, nuper Alberto Cuickio præsule Leodiensi transierant in agrum Transmosanum ad Vallem Dei cum abbate suo Guidone. Abeuntibus monachis, Hochtum aduocauit episcopus sacras Deo virgines ex Aquensi S. Saluatoris parthenone. Verum & hæ in magna vixerunt omnium rerum inopia.

Id vbi ex abbate Guidone didicit Mohanus, facta ab episcopo potestate, (fuit hic Hugo Petrapontius) cœnobium illis exstruxit in agro suo, vbi xenodochium fuerat olim ab eius majoribus instructum, & opimis ditatum vectigalibus. Exstructum dicauit episcopus in honorem Dei parentis; & quæ Vallis Rodmni dicebatur, Vallem nostræ Dominę indigitauit. Huc ergo migrauere Hochtenses: & perseuerat in hunc diem religiosus ille sacrarum virginum cœtus, magno Cisterciensis ordinis splendore. & obtinet condito monasterio.

Religiosam Alberti mentem recreauit inclyta illa sanctitudinis posteritas. Quod reliquum erat fortunarum, ipsumque adeo comitatum, quando nullam speraret prolem, adhortante Petrapontio præsule, donare constituit S. martyri Lamberto. Donauitque Leodium aliquando veniens, hoc ritu, qui tum solemnis erat. In S. Lamberti basilica ad principem aram progressus, viridem ramum in ea, cespitemque deposuit. Sed illas voluit esse leges, vt suo ipse frueretur comitatu, quoad viueret: cum decederet vita, in S. Lamberti jus ille transiret. Si tamen prolem relinqueret, ea successoresque omnes comitatum tenerent, hoc pacto, vt se S. Lamberti clientes conceptis rite verbis profiterentur. At in ecclesiæ potestatem tum denique veniret, quando nulli superessent liberi. Eximia fuit illa Mohani religio, magnusque humanarum rerum contemptus. Illius a Deo præmium accepit anno supra ducentesimum decimo, quo mortuus est. Ann. 1204. Comitatum dat S. Lamberto.

Gloriosam eius memoriam propagat sancta tot jam sęculis religiosarum virginum posteritas; quas quę hactenus rexerunt, deduxeruntque ad fecunda cælestium amœnitatum pascua, hic lectori dare visum est.

ABBATISSÆ VALLIS NOSTRÆ DOMINÆ.

1. AILIDIS DE WARFVSEE filia Antonij de Warfusee militis prima abbatissa pie vixit & obijt 1248.
2. BASILIA DE DVNOIS filia comitis de Dunois, vitæ priuatæ studio dignitatem abdicauit 1256.
3. AILIDIS DE BEAVSART filia domicelli Eustachij de Beausart obijt 1270.
4. BASILIA DE DVNOIS secundo abbatissa obijt 1280.
5. BEATRIX DE MONTMART obijt 1295.
6. MARGARETA DE WARFVSEE filia Ottonis de Warfusee militis obijt 1309.
7. HELVIDIS DE BEAVFORT filia Godefridi de Beaufort militis obijt 1312.
8. BEATRIX DE FERME filia Roberti de Ferme militis obijt 1314.
9. IOANNA PERSANS filia Eustachij Persans militis obijt 1316.
10. HELVIDIS DE MIREWART filia Christophori de Mirewart militis obijt 1319.
11. HELVIDIS DE CORSWAREM filia Arnoldi de Corswarem militis obijt 1328.
12. CATHARINA DE FONTAINE obijt 1349.
13. ISABELLA DE HALLEBEK obijt 1356.
14. MARIA DE WARNANT filia Milij de Warnant militis obijt 1362.
15. MARIA DE CANTEMIERLE obijt 1379.
16. MARIA DE VINAMONT filia domicelli Gerardi de Vinamont obijt 1414.
17. HELVIDIS DE FORVIE filia Arnoldi de Foruie scutiferi 1430.
18. AILIDIS DE SERAING filia Ludouici de Donglebier scutiferi, domini de Seraing obijt 1453.
19. MARIA DE LOVEGNIES obijt 1457.
20. IVETTA DE HOLLEGNOVLE filia Eustachij de Hollegnoule militis obijt 1495.
21. MARGARETA DE SERRON.
22. IVETTA DE HOLLEGNOVLE obijt 1500.
23. IDA DE LONCIN: qua regente primo nitori restituta est monastica disciplina: mortuaque est Ida anno 1522.
24. HELENA DE CASTAIGNE obijt 1551.
25. AILIDIS DE HOVTHEM ob. 1577.
26. CATHARINA D'HENRI ob. 1614.
27. ANNA [illegible]YMAERT alias DE VAVX obijt 1624.
28. Regit hodie magna Cisterciensis disciplinę gloria nobilis ac R. D. NICOLAA DE WAHA annum jam agens circiter septuagesimum quintum. Religiosis eius conatibus Diuina pietas aspiret.

S. ALBINA

virgo & martyr, S. BENIGNVS episc. & mart. S. SEVERVS presbyter, THEODORVS leuita, S. TIMIAMA virgo & mart. Leodij in S. Laurentio.

QVo vixerit tempore S. virgo Albina, qua dimicauerit arena, quo armorum genere, aduersus quem tyrannum, ignoramus. Imo quando, aut vnde aduectum fuerit Leodium ad S. Laurentij sacrum eius corpus, non inuenio. Hoc habemus: fortiter dimicauit; partaque duplici laurea, æternum in cælo gloriose triumphat: cujus sacrę exuuiæ in S. Laurentij cœnobio seruantur & venerationi sunt.

Idem, nec amplius quidquam de S. Timiama licet asserere.

Ignotus æque est S. Benignus episcopus, & Theodorus leuita, martyres.

S. Seuerus presbyter nihilo notior est. Olim Messię in Hasbania fuit sacrum eius cor-

Digitized by Google

corpus: sed ex quo Laurentianis anno post millesimum, & centesimum quadragesimo septimo attributum fuit hoc cœnobiolum, Leodium aduectum est, & ad S. Laurentij collocatum.

Tanto thesauro gloriatur nobile illud monasterium, sed ita perturbato ac confuso, vt suum cuique restitui nequeat. Factum id aiunt, cum magna præcipitatione, nullaque adscripta distinctionis nota in tutum sacræ omnes reliquiæ reciperentur, quando anno superioris sæculi duodeseptuagesimo Geusij ducente Arausio principe ad vsque portas Leodienses infestis signis prouolarunt.

ALPAIS HVGARDIENSIS
Archia S. Pauli.

HVgardiæ comitem aiunt fuisse. Hoc constat: matrona fuit genere, opibus, sed potissimum vitæ integritate illustris; & (quod virtuti cognatum est) bonos in oculis tulit. Exsurgebat Leodij sub annum nongentesimum octogesimum S. Pauli collegium. Eius alumni curionum functiones per agros suscepisse primitus videntur, fructu certe vberrimo. Rudes enim ac pęne siluescentes, vt fere fit, colonorum animos excolebant insigni caritate: decimarum vero, aliorumque vectigalium reliquum, quod tenui victui supererat, ad collegium in vrbem remittebant sodalibus suis alendis, qui Doctoris gentium auspicijs dies ac noctes pręcipua quadam religione totos se dabant concinendis Dei laudibus.

Amauit eius virtutem Alpais; atque vt ad meliora stimularet, pro suo in Diuina studio, S. Pauli collegio magnas opes attribuit.

ARNOLDVS CORSWAREMIVS
Pacis Dei conditor & minorita. *Archia monasterij exhibita a R. D. abbatissa Ioanna Marotte.*

NObili & antiqua Corswaremiorum gente prognatus, familiæ suæ splendorem auxit insigni virtute. Hanc Deus excitauit casu pęne tragico. Inter Arnoldum eiusque fratrem germanum atrocia exarserant odia, quę non nisi fraterno sanguine restinguenda viderentur. Deprehensus ille aliquando in siluis ab altero, inermis ab armato, cum sibi pereundum esse crederet, per Deum pacem petijt, & præter spem exorauit.

Adeo præsenti defunctus periculo, quam nouo munere debebat, Deo vitam consecrauit in ordine Minorum. Cui prius quam aggregaretur, hereditatis suæ potiorem partem matri donauit ea pactione, vt Cisterciensi familiæ cœnobium exstrueret. Fecit mater anno post millesimum & ducentesimum vndetricesimo: voluntque delectum fuisse locum illum non procul Hoio, vbi pacem a fratre obtinuerat Arnoldus: eaque de causa Pacis Dei nomen inditum. Floret in hunc diem inclytum egregia religione cœnobium sacrarum virginum.

Arnoldus auitæ nobilitatis contempto splendore, Christianam humilitatem sub B. Francisci disciplina complexus, vitam egit tanto patre non indignam.

ABBATISSÆ PACIS DEI.

SVnt qui ex antiquioribus monumentis eruere se contendunt, fuisse aliqua parthenonis illius exordia ante hunc Arnoldum, & aliquot sacras Deo virgines in eo vixisse sub abbatissis. Verum quando nullum profertur illarum nomen; mihi prima sit

1. ALIDIS, quę anno 1242 vixisse reperitur: nullum autem initium vel finem certum illi constituere possum.
2. ERMENTRVDIS item viuebat anno 1250.
3. SYBILLA vero anno 1264. ignoto æque vtriusque principio & fine.
4. MARGARETA nihil certius habet. Viuebat anno 1292. sed tum priuata, quæ prius abbatissæ munus gesserat.

5. Re-

5. Regebat eodem anno 1292. ALIDIS DE WARFVSEE: quando cœperit non proditur: decessit autem 1301.
6. EVPHEMIA viuebat 1318.
7. CATHARINA viuebat 1324.
8. BERTHA successit: de qua nihil habetur, nisi quod octaua rexerit.
9. MARIA viuebat 1342. & 1346.
10. MARIA DE IEHAING obijt 1356.
11. MARIA DE WARNANT obijt 1398.
12. IVETTA aliter ignota.
13. MARIA DE WARNANT II. priori cognata obijt 1453.
14. Anonyma successit, quam aliqui MAGINAM fuisse dictam opinantur.
15. ISABELLA DE WALEVE item ignoratur, nisi quod sequentem proxime præcessisse habeatur.
16. MARIA SALMON restituendæ in integrum disciplinæ sedulo religioseque studuit: eoque nomine prima reformationis abbatissa dicta est. Obijt 1528.
17. MARGARETA D'EVE obijt 1544.
18. MARIA DE HEMRICOVRT obijt 1552.
19. FRANCISCA DE DAVE ob. 1577.
20. HELENA DE MAILEN obijt 1587.
21. AGNES DE CORBION obijt 1631.
22. Hodie regit nobilis ac R. D. IOANNA MAROTTE, nouisque ædificijs, simul & disciplinæ nitore monasterium magnifice instaurat. Religiosis conatibus Deus adspiret.

ARNVLFVS FLORINENSIS
conditor canonicorum Florinensium. *Archia Florinensia, Baldricus, Transmosanus, &c.*

FLorinarum toparcha fuit: aiuntque Godefridi Hannoniæ comitis ex Alpaide filium fuisse: sed illustrior erat a propria virtute nobilitas. Sacra omnia insigni religione venerabatur pius princeps. Delatas ad se B. martyris Gengulfi reliquias cum in suam arcem recepisset, & in ædicula S. Matthæo sacra collocasset, sancti sui martyris amplificare gloriam Deo visum est. Plurimi per omnem viciniam ægroti, moniti Florinas venire, suisque votis deprecatorem adhibere S. Gengulfum, recuperata valetudine læti domos redierunt. Concurrente in dies majore multitudine, cum proximus adesset dies S. martyri sacer, extra arcem erigendum publico loco tentorium curauit, vt ad propositas in eo reliquias liberius concurreret frequens populus. Factum est: & multitudinis religionem innumeris prope miraculis Deus compensauit.

Singulare Diuinæ pietatis in se benificium Arnulfus agnouit. Quo ne se præberet indignum; atque adeo vt S. martyris gloriam propagaret, illi templum construxit, adjecto canonicorum collegio, Leodiensique subjectum ecclesiæ a Notgero episcopo dicandum curauit.

Recreatus eo Diuini cultus incremento Gerardus Arnulfi filius, cum Rhemis, vbi tum canonicus erat, (Cameraci postea fuit episcopus) inter plures alias Sanctorum reliquias articulum pollicis S. Ioannis Baptistæ, patri gratum facturus attulisset, perpetratumque pariter in illius honorem miraculum crederetur, templum etiam Sancto Christi præcursori condere statuit Arnulfus. Id serio cogitantem, imo jam (vt nonnullis placet) construentem mors abripuit ad sancti propositi mercedem. Cœpta persecuti sunt filij; illudque S. Ioannis monasterium feliciter absoluerunt, quod hodie magna Diuini nominis gloria perseuerat: vt alias narramus.

Post annum 1000.

S. BENEDICTA
virgo S. Ansfredi filia. *Vita S. Ansfredi & S. Hilsuindis.*

SAnctorum parentum sancta fuit filia. Pater fuit S. Ansfredus Hoiensis primum comes, tum episcopus Vltrajectensis, mater S. Hilsuindis, vt viro par genere, sic etiam sanctitate prior: ita suo loco meminimus. Felici talium parentum disciplina adoleuit sancta

Digitized by Google

cta virgo Benedicta, miramque consecuta est morum sanctitudinem. Et cum parentes seorsim singuli religiosiorem aggrederentur viuendi normam, matri adhæsit. Quę cum Thoræ non procul Eica sacrum gynæceum autore Notgero episcopo construxisset, virginibusque compleuisset, quæ ad illam purioris vitę desiderio conuenerant, toti cœtui filiam præfecit. Demandato muneri ceruices generose subjecit Benedicta: magnaque vigilantia & caritate cum sodales ad virtutis ardua deducere diu connixa esset, post strenue traductam ex virtute vitam, religiose mortua est post annum millesimum decimum. Post annum 1010.

BENEDICTVS

abbas primus Florinensis. *Quæ R. D. Gulielmus de la Hamaide religiosus Florin. e sui monasterij veteribus monumentis collegit, & ad me misit.*

HVnc monasterio S. Ioannis Baptistę, quod condebat, præfecit Gerardus Florinensis, postea Cameracensis episcopus. Eum vnde accersierit, non est proditum. Sed egregia virtute illum claruisse, hoc argumento est, quod a tanto viro delectus fuerit ad jacienda religiosæ disciplinæ prima fundamenta. Secunda optimi magistri fama inuitati multi, cum illi se traderent imbuendos, in vnum omnes cœtum ipse collegit; propositisque S. Benedicti legibus ad excelsum virtutis apicem educere instituit. Atque vt eximia pollebat ipse morum integritate, sapientiaque, ac tractandorum animorum peritia, sed incenso in primis ardebat diuini honoris desiderio, omnem adhibuit operam, diligentiam, industriam, vt tirones primis rudimentis imbueret, nouellaque sancti illius seminarij germina consilijs, imperijs, factis, ad perfectam sanctimoniæ maturitatem adduceret. Hoc illi studium fuit, hic propositus finis. In quo postquam indefesso labore multos annos desudasset, religiose tandem mortuus est, relicto illustri suæ virtutis testimonio, sancta posteritate.

ABBATES FLORINENSES

1\. BENEDICTVS regere cœpit sub annum 1011. nec quando desierit, proditur.

2\. 3. WERICVS Benedicti successor, sed an proximus, ignoratur; quem tamē ante quartum fuisse, certum est: vnius enim nomen, & ordo excidit. Sunt qui RICHARDVM constituunt omnium primum: atque ita Benedictus secundo loco constituendus esset, & tertio Wericus sine vlla intermissione. Quod si ita fuerit, omissum ea de causa Richardum opinor, quod illum existimauerint aliqui Florinensibus abbatibus non esse annumerandum, vel quod abbas reuera non fuerit, sed prior tantum, (quod etiam alibi constat vsurpatum fuisse) aut monasticæ vitæ magister a Gerardo fundatore ad novum cœtum instruendum vocatus: aut certe quod alterius alicujus monasterij (cujus, non liquet) abbas ante jam esset, & manserit ad mortem vsque. Ita in his antiquitatis tenebris conijcere liceat: suum cuique certius judicium esto.

4\. GONTHO vel GONZO religione doctrinaque adeo claruit, vt summus pontifex Leo IX. de eo sic scribere non dubitauerit: *In quo quia suum pleniter honorem monastica obtinet religio, mihi complacui.* In æde S. Gengulfi septem sacerdotia, siue canonicatus instituit. Ejusdem sancti miracula, monasterijque originem scriptis ad posteritatem reliquit; ac tandem magna gestę dignitatis laude insignis mortuus est. Certum est illum vixisse anno 1029. videturque etiam vixisse anno 1049.

Magnus est post Gonzonem hiatus ad annum vsque 1107. Octoni tamen nominantur abbates incerti ævi, quos hic subijciō. Erit forsan aliquando, qui suo ordini & loco singulos reddat.

GOSELINVS.

PETRVS.

ODO.

AR-

ARNVLFVS.
TIETMARVS monachus S. Iacobi Leodij.
WALTERVS.
GERARDVS.
GVIDO.

13. GVARINVS viuebat anno 1107.
14. HERZELO monachus S. Iacobi Leodij obijt 1126.
15. GERARDVS viuebat 1134. summæ humilitatis & paupertatis amantissimus. Desertis Florinis Syniaci factus est monachus cum duodecim e suis monachis: ibique sancte mortuus miraculis claruit.
16. DROGO viuebat 1139.
17. GVASSELINVS sub annū 1149. Villarium sui monasterij allodium in Brabantia Cisterciensibus concessit.
18. FVLBERTVS viuebat 1180.
19. HERMANNVS viuebat 1188.
20. GVIBERTVS MARTINI. De quo vide abbates Gemblacenses.
21. ROBERTVS obijt 1198.
22. DEAMICVS obijt eodem anno.
23. IOANNES anno 1203.
24. EVERARDVS 1240.
25. GERARDVS II. 1248.
26. MILES 1269. ob. 1294.
27. GVILIELMVS sub episc. Leod. Hugone.
28. ARNOLDVS 1317.
29. IOANNES DE FAGNOVLLE 1347.
30. NICOLAVS 1366.
31. WALTERVS DE CHENEE 1390.
32. NICOLAVS THIEBA 1403. & 1415.
33. IOANNES HOTTON 1421. supprior S. Iacobi Leod. post sesquiannum pedum posuit 1423.
34. CAROLVS DE CRAHEN ex eodem monasterio vocatus, magna laude præfuit 1439. & 1449.
35. THOMAS DE LIMBOVRG sub annum 1483. disciplina monasterium sic illustrauit, vt Henricus de Berghe episcopus Cameracensis ex eo quęsierit, qui in suæ diœcesis cœnobijs monasticen restituerent: obijt abbas 1486.
36. FRANCISCVS DE TRESOGNE Dionantensis 1507. cessit.
37. IOANNES DE GIVETO valde laudabiliter munere functus obijt 1536.
38. IOANNES D'ERMETHON antecessore nequaquam inferior obijt 1563.
39. PETRVS WESPIN Dionantensis obijt 1574.
40. MARTINVS REMOCAMPIVS virtute non minor quam litteris, inter aduersa multa, sapienter & religiose pręfuit, & mortuus est 1601.
41. IACOBVS VIRODIVS religiose functus officio, obijt 1620.
42. GVILIELMVS FLAVIONIVS obijt 1626.
43. Successit admodum R. D. NICOLAVS DEL TOMBOR. Cui his temporum iniquitatibus felicitatem precamur.

CARTVSIANVS LEODIENSIS.

Chronicon Cartusiense Dorlandi.

VIuebat Leodij sub annum Christianę salutis millesimum quadringentesimum quinquagesimum adolescens quidam vitæ morumque innocentia supra ętatem venerabilis. Qui aliquando inter Diuinarum rerum commentationes, animo supra se rapto in cælestia, viros candida tectos veste sibi visus est in Cornelij monte videre, seque adeo illis immisceri. Omnes porro sacram ædem structo agmine ingressi, suo quisque ordine campanum æs attracto fune, qui e medio laqueari dependebat, cum agitassent, in chorum se inferebant. *Diuinitus edocetur*

Creditum est hoc viso Deum significare, cordi sibi esse Cartusiensibus monachis locum illum addici; quibus pręter vestis candorem, solemnis esset ille ad sacra conueniendi ritus. Probauit Enguelbertus Marcanus eo tempore Leodiensis episcopus, ad quem arx illa spectabat, ex quo Pręmonstratenses ea deserta migrarant in vrbem. Quam vbi religiosæ familiæ jussisset aptari; datis suo collegijque sui nomine litteris ad generalem conuentum ordinis Cartusiani, obtinuit vt collegæ aliquot anno tertio & quinquagesimo mitterentur. *Cornelij montem Cartusiensibus addicēdum:*

Quod, vt prænouerat, vbi vidit effectum adolescens, alterum vt adimpleret, suarum esse

Digitized by Google

esse partium sibi persuasit. Eam ergo vitam e legibus suis cum sic instituerent religiosi illi ascetæ, vt illecti sanctis eorum exemplis plerique, ad idem viuendi genus adspirarent, omnium ipse primus eidem se tradidit disciplinę: & in ea post multos annos vitam clausit egregia virtute spectabilem. Nomē illius, quemadmodum & plurium aliorum ad posteros non miserunt optimi illi patres, humilem sui demissionem arbitrati Deo cariorem, quam nominis apud mortales quamcumque celebritatem. *quibus ipse adjungitur.*

CATHARINA LEXHIA

Abbatissa III. Roberti montis & I. Vallis Benedictæ.

Archia monasterij Robertim.

CLara Lexhiorum stirpe Leodij nata est: sed clariorem illustri virtute vitam instituit in Roberti monte; vbi ad Cisterciensem amussim non ita pridem vitam ducere cœperant sacratæ Deo virgines, eæque fere magna generis nobilitate conspicuæ. Quibus vt majorum splendore nihil concedebat Catharina, ita nec virtutum studio. Inter illas profecto sic eminuit, vt anno millesimo ducentesimo vigesimo Beatrici Pratanæ morienti (quæ monasterio præfecta fuerat) ipsa succedere coacta sit: eam enim dignitatem supra meritum, ac vires esse contendebat. Obtemperare tamen necesse habuit. Nam præter eximiam ingenij, memoriæque felicitatem, indolem nacta erat velut effictam ad omnem religiosæ vitæ rationem indefesso studio persequendam; atque in eo veluti ducem omnibus se præclara optimorum exemplorum luce præbebat.

Non diu his artibus susceptum munus executa fuerat, quando sęuissima coorta tempestas, si eius mentem Deo nixam concutere nequijt, totum profecto monasterium perdidit. In vrbem sæuiente bello sodales omnes mature receperat abbatissa; non ita multo post irrumpens hostis vniuersum cœnobium flammis absumsit. Res tanta calamitate collapsas erexit Deus, in quo vno spem omnem Catharina collocauerat. Illi Vallem benedictam templo, necessarijsque ædificijs instructam obtulit inhabitandam. Admisit Catharina, abbate Cisterciensi, totiusque ordinis concilio potestatem faciente: illucque (quod feliciter verteret) suas sodales immisit: vbi in hoc vsque tempus magna gloria sub legibus Cisterciensibus sacrę virgines perseuerant. *Migrat in Vallem benedictam.*

Hujus tamen Monasterij antistitis non adscribitur Catharina; fortasse quod Robertimontanis justius accensenda videretur. At quæ in ipsa Valle benedicta rexerunt, hoc sibi successerunt ordine.

ABBATISSÆ VALLIS BENEDICTÆ.

1. ODA.
2. SYBILLA.
3. IACOBA.
4. ERMINGARDIS DE NASSAV.
5. MARIA DE PVRI.
6. BEATRIX DE SAME.
7. MATHILDIS DE FIES.
8. ELISABETHA SVRLET.
9. AILIDIS DE LONCHIN.
10. IOANNA DELLE ROSE.
11. CATHARINA DE LIBERMEY.
12. CATHARINA DE MVCHEHAYE.
13. MELIA DE LIBERMEY.
14. CLEMENTIA DE BOMBAIS anno 1403.
15. SOPHIA DE LIBERMEY anno 1417.
16. SOPHIA DE FLERON anno 1432.
17. ELISABETHA CHOCQVIER 1451.
18. AGNES DELLE ROCHE 1454.
19. BERTHELINA DELLE FALISE sinceram monasticæ disciplinæ correctionem religiose promouit anno 1473.
20. ELISABETHA DE LIRA 1484.
21. AGNES DE POVSSEVR 1516.
22. CATHARINA DE PIRS 1536.
23. IOANNA DE BERLO 1566.
24. MARGARETA DE HORION 1594.
25. MARGARETA DE NOVILLE 1631.
26. Hodie regit nobilis ac Reuerenda D. MARGARETA DE S. FONTAINE, monasteriumque tum ædificijs instaurat, tum monastices integritate exornat.

Bbbb CHRI-

CHRISTIANVS

abbas S. Trudonis. *Quæ mihi e commentarijs sui monasterij admodum R. D. Hubertus Suetendael ibidem abbas.*

DEsignatus est S. Trudonis abbas Christianus anno millesimo centesimo nonagesimo tertio; rexitque magna morum innocentia. Diuinarum meditationum in primis studiosus fuit, monasticæque disciplinæ cultor eximius. Lutgardem sanctissimam illam virginem in S. Catharinę ad muros Trudonenses, vbi tum Milenianæ virgines degebant, vota nuncupantem excepit. Ab Innocentio III. vocatus ad Lateranense concilium, Romam contendit, præclaro insignis eruditionis ac virtutis testimonio. Post administratum triginta annis magna integritate monasterium, religiose vita functus est.

Pauca hæc ad posteros de illo peruenerunt. Locum tamen hic illi tribuendum esse censui, quod eius sanctitatem quamquam hominibus ignotam illustri argumento prodere voluisse anno sesquimillesimo quinquagesimo septimo Deus videatur. Apertο quippe sepulcro corpus illius, quod annis plus trecentis exanime jacuerat, repertum est ab omni putredinis vitio intaminatum.

Corpus incorruptum.

CONRARDVS LOVANIENSIS

Dominicanus. *Cantiprat. l. 2. Apum c. 1. §. 12.*

VIxit Louanij sub S. Dominici disciplina Conrardus, insigni vitæ innocentia clarus. Sed inter præcipua animi ornamenta mirus emicabat ardor, quo rapi videbatur ad hominum salutem omnibus viribus procurandam. Plurimis annis hac in arena desudauit, vberrimo sanctæ Dei ecclesiæ bono. Senio denique, laboribus sancte toleratis, ad extremum & morbo fractus, cum morte jam imminente, sui minime compos, & velut elinguis jaceret; paucis ante mortem horis (suis ita se oculis vsurpasse narrat Cantipratanus, tum, vt quidem reor, quando Louanij priorem agebat) apertis ecce oculis, pręter omnium exspectationem, & suauiter in cælum intentis, sublatisque manibus, ac sereno vultu ad imaginem Christi Domini pendentis e cruce conuersus: *Educ*, inquit, *de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo* Domine. Quam vocem cum magna mentis tranquillitate tertium ingeminasset, demissis blande oculis animam exhalauit.

Ps. 141. 8. Circiter annum 1260.

DIONANTENSIS CIVIS

Cantipratanus l. 2. Apum c. 25.

DIonanto ciuem quemdam in Palæstinam religio abduxerat sub annum millesimum ducentesimum decimum sextum. Vbi summo studio singula loca, quę vestigijs, dum inter mortales ageret, impressis sacrauerat Christus, obiuit. Nazarethi exorsus, Dei filium nostra se mortalitate contegentem, in Bethleemitico stabulo nascentem, ac alijs subinde locis alia in hominum gratiam operantem, pro mysterij dignitate veneratus; ad Caluariam vbi denique deuenit, vehementissimo percitus dolore: Deus meus, inquit, egone videam æquo animo locum hunc, in quo mei causa inter cruciatus tam atroces vitam posuisti? In hæc & similia exclamans, disruptis subito cordis vitalibus venis, animam exhalauit, felicem procul dubio, & Christi gloriæ participem; vt hoc apostoli in ipsum quadraret *Si compatimur, vt & conglorificemur.*

In Caluaria moritur.

Rom. 8. 17.

S. EBRE-

S. EBREGISVS
episcopus XXIV. *Anselmus, Ægidius, &c.*

SAncto Perpetuo Tungrorum episcopo vigesimo tertio substitutus est anno sexcentesimo decimo septimo S. Ebregisus: quem cum Euergislo Agrippinensium episcopo confuderunt nonnulli, vel propter nominis affinitatem, vel quod vtriusque corpus a S. Brunone Coloniam credatur auectum, atque in eodem positum S. Cęcilię monasterio. Ipseque adeo Ægidius, quidquid de Euergislo litteris proditum inuenerat, Ebregiso non dubitauit adscribere.

Alij nullum Tungris Ebregisum nomine fuisse episcopum autumarunt: sed Euergislum origine Tungrensem, dignitate Coloniensem episcopum, Tungris martyrio coronatum, translatumque a Brunone Coloniam, ab imperitis, Tungrorum episcoporum catalogo insertum fuisse.

Sed eumdem ego catalogum malim ab ejuscemodi errore vindicare, cum antiquitatis reuerentia, tum integra primorum scriptorum fide. Nec vllum justæ dubitationi locum relinquit Anselmus. *Beati*, inquit, *Ebregisi cineres in Trumonia nostri episcopij villa consepultos, a Brunone archiepiscopo, eodemque vt aiunt duce, in monasterium S. Cæciliæ, omnes ejusdem Trumoniæ indigenæ perhibent esse translatos: vbi hodieque vacuum eius in maximo honore habetur sepulcrum.* Alius est ergo Euergislus Tungris sepultus, alius Trumoniæ Ebregisus. Quare mihi certum sit, Ebregisum in episcoporum nostrorum tabulis esse retinendum.

Verum quod ipsi cum plerisque alijs commune est, gestas ab illo res tenebris inuoluit antiquitas: sanctitatis tamen adscripsit nomen: quod vno verbo egregia multa complectitur. Denique postquam annos quatuordecim episcopatum administrasset, sancte vitam clausit, anno tricesimo primo, Trumonięque sepultus est: & post annos ferme trecentos coloniam auectus.

ERLVINVS
abbas I. Gemblaci. *Sigebertus.*

EXimię virtutis ac sapientiæ præclarum hoc de illo testimonium habemus. S. Guibertus condito Gemblaci monasterio cum quæreret, qui nascentem eam familiam ANNO 922. primis monasticę disciplinæ elementis institueret, hunc omnibus antepostuit. Perfunctus est illo munere Erluinus egregia integritate ac industria. Quare cum labefactatam ANNO 956. Lobij religionem cuperet restitutam Raginerius Lotharingiæ dux, eas Erluino partes mandauit. Ingratissimum hoc Lobiensibus accidit, non eo tantum quod omnem manum etiam medicam refugiant vulnera; sed maxime quod sacra profanus, isque non optimus attingeret Raginerius. Illo igitur ob scelera in exilium pulso, quę eius autoritate fulciri visa fuerat Erluini virtus, diram sustinuit tempestatem. Fuerunt enim, qui illum adeo male multare ausi fuerint, vt exanimem reliquisse se crediderint. Conualuit tamen. Verum non ita multo post alij tres illum rursus aggressi, cœnobij septis abrepto oculos eruerunt, & linguæ partem resciderunt. Vix vlla scilicet sine cruce virtus est, sed neque sine luce & præmio. Gemblacum ille se retulit, vbi vitam egit deinceps ærumnis grauem, sed admirandam sanctitate clausit anno octogesimo septimo.

B. E V A
virgo Leodij ad S. Martini clausa. *Vita S. Julianæ.*

CAPVT I.

Casa ad S. Martini se claudit, hortante S. Juliana, & miris modis eam juuante.

VIuebat Leodij virgo quędam Eua nomine sub annum Christi millesimum ducentesimum & vicesimum; eaque florebat ætate, cujus illecebris allecta, voluptariam, suauemque vitam sibi polliceri poterat. Sed fortiori æternæ pietatis impulsione, de vita sanctius instituenda cogitare cœpit. Placebat ab hominum strepitu & concursatione semotam vitam Deo in clausa cella dicare. Religiosum hoc illis temporibus frequentabatur viuendi genus. Sed vel arduum vitę institutum, vel solita inuidia dæmon deterrere cœperant, quas abijceret voluptates, quamve amplecteretur vitæ seueritatem, ostentando.

Vacillantem in sancto proposito

Audijt Iuliana, quæ tum eximia clarebat sanctitudine: & ne illi deesset, quacum religiosam contraxerat necessitudinem, ad eam adijt, sanctumque illius propositum tam fortiter obfirmauit, & validis sepiuit munimentis, vt omni jam misso timore, totaque in vno Deo spe collocata, nihil arduum in eius causa censeret: ac statim sacræ casæ ad S. Martini in Publico monte sponte se includeret, vni Deo vitam actura. Iulianæ tamen adeo potentem orationem, miramque persuadendi vim experta, hanc interuenire legem amicam voluit, qua singulis saltem annis Iuliana clausam sodalem inuiseret, novum, vbi opus esset, subsidium additura. Magna fide, & vtriusque bono deinde factitatum est.

confirmat Iuliana

Ex ea conuentione, aut fortassis inuitante amica sollicitudine ad Euam illa venerat, quando inter sermones de rebus Diuinis, eam perhumane rogat, animum pandere ne dubitaret, at sancta libertate expromeret, quidquid illo tegeretur. Tali perculsam interrogatione, & quid responderet hæsitantem, rursum occupat: Quid agis, soror mea? quid hęres? Mentem tuam mihi clausam putas? Animi tui sensa non obscurius mihi proposita scias, quam si volæ manus inscripta perlegerem. Et sub hæc digitum per manum ducebat, non secus atque si aliquos pingeret characteres. Et ne vana hæc viderentur, eruere cœpit abdita, & aperte explicare, quæ præter se vni Deo Eua crediderat esse nota, *qui corda & renes scrutatur.* Alias cum multis morbis, acutissima potissimum febri audiret illam confici, eoque deductam esse, vt eius valetudinis recuperandæ plerique spem abijcerent, amicæ noluit deesse. Cumque ad illam venisset, sacrarium mox ingressa, Deo supplicauit primum, tum ad Euam reuersa, omnibus corporis afflictationibus mox expediendam, primęque restituendam sanitati nuntiauit. Sed de statu & valetudine mentis, quæ tum erat, quamque videbat deinceps futuram, tam diserte, clarisque verbis disseruit, vt tota hęreret Eua, obstupesceretque: sed tum maxime, cum labentibus deinde temporibus, singularum rerum euentus oraculo fidem adstrueret.

& miris modis solatur.

Rursum in magnas animi angustias conjecta, cum multa pateretur, calamitatis enarratione, vel onus vt fere fit positura, vel certe leuamen exspectans, sua omnia Iulianę aperit. Illa quę satis sciret affuturum mox a Deo malis finem, spem suam hortata est in Deo reponeret, qui solus malis omnibus posset leuare, essetque leuaturus. Promisso stetit fides. Victus Iulianæ precibus diu post Deus, omnem ab illis malis indulsit Euę immunitatem. Ita solita est Eua profiteri: fidumque in amica virgine ad omnem sanctimoniam præsidium semper inuenit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Magno afficitur desiderio festi Corporis Christi.

CIrciter annum illius sæculi tricesimum, venientem aliquando Iulianam cum e nubila fronte, dejectisque oculis aduertisset molestis fatigari cogitationibus, eam pro mutua necessitudine (vt parentem venerabatur & amabat) rogare instituit, ne dissimularet: sibi certum esse extraordinaria quadam anxietate animum pulsari. Fide sodali libere aperiret: se paratam asseuerat, totam in se recipere ægritudinem, si modo fas sit, quo illa expediatur.

Edocta Dei decretum de festo Corporis Christi

Ad quæ Iuliana: Diu est, Eua mea, ex quo grauie mihi onus imponi sentio: annisque jam plurimis excutere molita, nihil profeci. Mortalium neminem hujus adhuc conscium feci. Sed quandoquidem prodire debeat in publicum, tu prima rem totam accipe. Annos abhinc jam totos viginti miranda quędam lunaris globi multa luce conspicui species oranti mihi sæpenumero oblata est, & magnam in me sui admirationem excitauit. Nam vt si fracta fuisset, quasi tenebrosa quæ iam per totam diametrum linea porrigebatur. Exhorrui primum ceu tartarei serpentis versutias, & totum animum auertere contendi. Verum cum id non procederet, venit in mentem quærere, num quid e cælo fortassis hoc viso significaretur. Post Numen multis precibus propitiatum, accepi tandem a Deo splendidum illum lunę globum, ipsam esse sponsam Christi militantem ecclesiam, magno quidem illam splendorę, sed non ex omni parte rutilantem: quippe cui ad vltimum nitorem, deesset nobilissimum festum, quo primam sacrosanctæ EVCHARISTIÆ originem recoleret Christiana respubl. Porro ante rerum omnium exordium, in arcano augustissimi sui senatus penatrali statuisse sanctissimam TRINITATEM illud mysterium sub hæc tempora proponere mortalibus; atque ad id me vilissimum mancipium delegare. Hocce munus mea conditione omnino celsius, omnibus viribus enixa sum adhuc amoliri: sed tandem imperium Deus addidit. Et vero parere animus est, etsi grauissimæ objiciant se difficultates, quas tamen alacriter sustinebit, imo discutiet ardens ille in sanctissimum hoc SACRAMENTVM amor, quem mihi indidit idem Deus.

in id valde fertur.

Obstupuit Eua narratione tam noua & admirabili: vtque rem totam penitius intelligeret, obnixe Iulianam rogauit, vt sibi a Deo eumdem animi sensum in VEN. EVCHARISTIAM, quem experiretur ipsa, impetraret. Abnuit illa, quod ipsi propter valetudinis infirmitatem conducere non existimaret; assereretque fractas omnino sibi vires, dum vehementiore mysterij hujus admirandi contemplatione, Diuina pateretur. Macte nihilominus animo, Eua mea; tibi alijsque amicis suis æterna bonitas vberem pro singulorum captu, celestis dulcedinis mensuram largietur.

Ita factum. Tantum enim sinceræ sibi religionis affectum, ardensque noui festi desiderium injici sensit, vt omnis eius dilatio molestiam incredibilem crearet. Atque adeo verebatur, ne longiore mora tota res in fumum abiret. Qua de re suum apud Iulianam aliquando timorem reticere non potuit. Sed vanum, inquit ipsa, timorem pone: per homines sancta sui demissione pręditos res omnis magno bonorum omnium emolumēto felicem exitum consequetur. Neque verere turbulentas inferorum tempestates, quæ sane orientur ingentes: stabit a Superis victoria. Incaluit his, non secus ac subjectis facibus Eua; & contra aduersa, quæ frequenter deinceps incurrerunt, mentem obfirmauit.

CAPVT III.

S. Iulianam domo pulsam ad se recipit: obtinetque vt festum Corporis Christi a S. Martini canonicis celebretur.

Pulsam domo Iulianam

NOn procul aberant, quas Iuliana præcinebat, procellæ: sæuissimæ mox in eius caput detonuerunt, vt primum noui festi mentio illata est. Plurimis & atrocibus petita injurijs, domo denique compulsa est cedere: venitque ad Euam extorris. Excepit illa

PARS 2. illa hospitaliter; quod olim prolixe promiserat. Et quamquam carissimę sodalis calamitatem grauiter ferret, datam sibi gaudebat occasionem, qua suum in illam amorem testaretur, cui vt dulcissimę parenti religiosiorem se vitam debere fatebatur. Itaque quibus potuit officijs, studijs, comitate, profugam cum sodalibus recreare statuit.

ad se recipit.

Cum tamen cellę angustijs non commode tanta turba caperetur; adfuit qui in laxiores suas ædes inuitaret & abduceret Ioannes Lausanensis S. Martini canonicus, Iulianæ amicissimus. Totos tres menses apud illum manserunt, donec tandem aduersarijs judicis sententia damnatis, restituta est in integrum Iuliana. Ea fuit Euæ exultatio, vt cum euersum ab improbis Iulianę sacrarium, suo ære restituendum sibi sumsisset ipse Robertus episcopus; id amicitiæ officium sibi illa præripi non sustinuerit; sed vna cum Ioanne Lausanensi priuato sumtu restaurauerit.

Iulianæ virtuti, simul & nouo festo clariorem lucem accenderat hæc tempestas: tandemque impulsus occulta vi Diuina episcopus, tota diœcesi festum celebrari imperauit. Sed imperij tota vis illo moriente mox corruit. Eua pro autoritate, quam apud Martinianos canonicos jam diu virtus illi conciliarat, cum ardentissimo festi illius flagraret desiderio; qua consilio, qua precibus vrsit, vt episcopi sui non reijcerent imperium alias sanctissimum. Nullam obedientibus inuri posse notam, quantumvis ceteri reclamarent. Æterni Numinis gloriam, salutem hominum agi compertum esse. Gloriosum etiam ipsis futurum, si in celebrando tam illustri festo, toti ecclesiæ exemplum, quod a nemine hausissent ipsi, reliquisse olim dicerentur.

ANN. 1246. Canonicis Martinianis autor est festi celebrandi.

Impulit profecto vniuersos in suam sententiam. Annoque proximo (fuit is post millesimum ac ducentesimum quadragesimus septimus) die Iouis post Dominicam Trinitatis, in sua basilica Martiniani canonici augustissimum sacrosanctæ EVCHARISTIÆ festum prius quam vsquam gentium, religiosissime celebrarunt, exultante incredibili gaudio Eua, impensissimeque Numini gratias agente.

CAPVT IV.

Idem festum ab Vrbano IV. sanciendum procurat. Moritur.

MAnsit diu collegio S. Martini singulare hoc decus. Quamquam enim anno sequenti Hugo pontificis legatus idem festum in S. Martini celebrasset, totaque diœcesi sanxisset obseruandum, suaque item pontificij legati autoritate confirmasset anno quinquagesimo quarto, Petrus Capoccius; paruit quidem Leodiensis clerus; at illis legatione defungentibus, nullam decretis vim relinqui crediderunt. Adhortante nihilominus Eua, gloriosis cœptis constanter adhærere Martiniani, quamquam anno quinquagesimo octauo vitam in exilio clausisset Iuliana.

Ab Vrbano IV.

Sed tertio post anno noua certiorque spes Euæ animos erexit, quando Iacobus Pantaleon quondam archidiaconus Leodiensis, pontifex Romanus IV. Kalend. Septembres creatus est. Sancta quippe hæc virgo, quæ vnam sacrosancti hujus festi propagationem cordi habebat, ceu transmissam a Iuliana hereditatem, autor fuit familiarioribus sibi canonicis, & sancti eius propositi studiosioribus, vt persuasione Henricum Gueldrũ Leodiensem tum episcopum impellerent ad postulãdam a pontifice sanctissimi festi confirmationẽ. Existimabat enim non importune summo pontifici in memoriam reuocatum iri, quod ipse Leodij, magna animi propensione quondam approbasset: ipsumque in illius ecclesiæ gratiam, cujus pars olim fuisset, non grauate aliquid concessurum.

per Henricum episcopum

Non diu dubitauit princeps Henricus, siue jam pluribus in saniorem sententiam sensim abeuntibus, eorum gratię religionique aliquid putaret esse tribuendum: siue occupandum pontificis animum censuerit, quem in illam partem proprio animi sensu satis inclinare, sibi persuaderet. Scripsit igitur ad Vrbanum, & quod postulabat obtinuit. Atque ita demum Leodiensis ecclesia, post longas tergiuersationes, cum in sanctiora paulatim consilia descendisset, non parum excitata pulcherrimo Martiniani collegij exemplo, sacratissimum hoc festum volens lubensque amplexata est stato die insequentis anni: quod deinceps Leodij semper ac per totam diœcesim, magna omnium alacritate, religioneque celebratum est.

obtinet decerni festũ.

Sed angusti erant tam religioso instituto fines. Protulit Deus perpetrato Vulsinijs in Tuscia illustri miraculo: cujus mentionem facimus trigesimo Septembris. Illius enim admi-

Toto orbe imperatum esse

admirabilitate permotus pōtifex, dato rescripto sanxit, vt quod Leodij jam vsurpabatur, reliquo deinceps orbe Christiano sanctissimum festum coleretur. Et cum Iuliana jam ante aliquot annos defunct, Euam audisset superesse, quæ constanter ad S. Martini clausa tuguriolo, suæ sanctitatis, fama ciuitatem vniuersam impleret, ipse apostolico principatui nihil existimauit decessurum, si sanctæ illi virgini, quam pridem ipse suspexerat, nuntiaret, gratulareturque Dei numine tandem id effectum esse, quod ardentissimis illa tam diu votis expetijsset. Litterarum exemplum asseruatur studiose in S. Martini, in ipsius ciuitatis Leodiensis tabulario, locisque alijs pluribus. intelligit ex ipso Vrbano.

Quam gratus hic fuerit Euę nuntius, non facile quisquam explicabit. Suprema namque autoritate sancitum esse audiebat, quod auidissime plurimis annis desiderauerat, & in CHRISTI IESV sponsi sui amantissimi gloriam verteret non exiguam: cum in posterum non Leodiensis tantummodo, sed vniuersa ecclesia solennes ei honores nouo ritu deferret.

Felicissimo igitur hoc euentu in Domino triumphans; laudatissimæ vitæ reliquum egit: sed quando mortua sit, scriptum non reperio. Tumulum tamen a Martinianis canonicis ornatum pro virtutis merito fuisse habemus, cui e candido marmore ipsius Euæ simulacrum cum inscriptione additum erat. Sed absumtum flammis templum, quando postea restauratum fuit, quale hodie videmus, e tumuli marmoribus erecta est ara, quam VEN. SACRAMENTO dicari placuit. Ita nescio quo pacto ignotum ferme mansit, aut certe inhonorum eius sepulcrum. Donec nostri hujus sæculi anno vicesimo secundo, magna omnium exultatione & reuerentia e tenebris & obscuro sepulcro in lucem venerationemque extractum est sacrum sanctæ virginis corpus: e quo partem aliquam serenissima infanta Isabella Clara Eugenia Belgarum princeps magna animi demissione religioneque accepit.

FRANCO

e scholastico Leod. monachus S. Laurentij. *Trithemius scriptor: eccles. manuscr. S. Laurentij.*

FVit hic, Trithemij testimonio ita loquentis, *vir in diuinis scripturis magnifice doctus, & in secularium Litterarum disciplina eruditissimus, philosophus, astronomus, & cōputista insignis; &* (quod jure omniū maximi feceris) *non minus religione quam scientia venerabilis.* Cum enim in ecclesia Leodiensi, scholasticum ageret, cum honorem, ceterumque splendorem rerum humanarum generose proculcauit, vt Christianam humilitatem ad S. Laurentij monachus amplecteretur: vbi tum glorioso inter se vinculo junctæ monastica disciplina litteræque, magnam lucem quaquauersum spargebant. Scriptis virtutumque exemplo claruit Franco sub annum millesimum sexagesimum.

GENESIVS

Minor. *J. Stabulaus, manuscr. Societatis IESV Leodij.*

NAtione Italus fuit, ordine Minor, functione orator facundissimus, Leodium venit missu Nicolai pontificis Romani. Cum enim anno post millesimum & quadringentesimum quinquagesimo tertio Turcę Constantinopolim jam dudum inanem Romanæ majestatis vmbram in suam potestatem redegissent, pudendo Christiani nominis dedecore; omnem ille mouit lapidem, quo reges principesque ad sacrum bellum cohortaretur. Et cum in alias prouincias alios misisset; eius imperio venit Genesius in Germaniam inferiorem, atque adeo Leodium anno quinquagesimo quarto, quo populum Christianum proposita peccatorum condonatione ad gloriosam illam expeditionem excitaret.

Magno vbique suorum auditorum bono dixit religiosus hic orator. Sed Leodij tanta fuit eius facundiæ vis, vt illius persuasione consules vrbe pepulerint scorta, lenones, perjuros, feneratores. Ita si non Græcia Turcas, Leodio certe vitia pridem inolita feliciter & glo-

Digitized by Google

PARS 2. riose exterminauit: & per transitum præclara illa luce hanc vrbem illustrauit; nam illo diutius frui non est concessum: sed feliciter in longum tempus perseuerarunt sanctæ illius eloquentię effecta.

GERARDVS

Dominicanus. *Vita S. Julianæ, Trithemius, Bzouius.*

ANN. 1234. PRima Leodij Dominicanę familiæ cunabula virtute litterisque ornauit, theologicasque disciplinas magno auditorum emolumento tradidit. Fuit enim; vt Trithemius ait, *in Diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in sermonibus faciendis ad populum declamator egregius, ingenio promptus, sermone scholasticus. Scripsit inter cetera tractatum valde vtilem personis deuotis, quem prænotauit De doctrina cordis.* Sic ille.

Probat festum Corporis Christi. Inter grauissimos viros, quos sancta Iuliana consuluit de sanciendo Corporis Christi festo, rogatus sententiam Gerardus, re tota grauiter in omnem partem disputata, censuit, non modo nihil catholicæ doctrinæ aduersari; verum publicæ rei Christianæ videri conducere tum ad gratias, vt par est, Deo pro tanto munere habendas, tum ad excitandam subinde in hominum animis religionē alioqui senescentē, si in posterum propria quadam celebritate venerandum sacrosancti SACRAMENTI festum ecclesia proponeret.

Ceterum acta religiose vita, mortuus, vt Bzouio placet, *anno Christi millesimo ducentesimo vndequadragesimo, coronam laborum, quos in ordine Prædicatorum pro salute animarum, & fidei propagatione sustinuerat in Belgio, recepit.*

GERARDVS FLORINENSIS

episcopus Cameracensis. *Baldricus, Transmosanus, commentarij Florinenses.*

PAtrem habuisse fertur Arnulfum Florinarum toparcham, non genere quam virtute illustriorem; de quo nobis ante fuit sermo. Paternis vestigijs non procul aberrauit filius. Cum enim S. Gengulfo, miraculorum inuitatus multitudine, templum posuisset Arnulfus, patris religionem imitatus est Gerardus. Rhemis, vbi canonicus erat, nobiles plurium sanctorum reliquias ad parentem ei gratum facturus aduexit. Primas inter omnes obtinebat articulus pollicis S. Ioannis Baptistę: in cujus gratiam prodigium in via creditum est accidisse. Cum enim in quodam prato noctem acturus substitisset; sacrisque reliquijs lucernam mandasset prælucere; pręluxit profecto, quamquam pluuia densa vehemensque ventus totam noctem ingruisset.

Hoc miro templum S. Christi præcursori non minus quam B. Gengulfo deberi credidit Gerardus. Accedebat famam esse, monachum quemdam meditatione cælestium rerum abreptum, audisse quasdam S. Ioannis Baptistæ querelas, quod tota diœcesi Leodiensi nullum adhuc in eius memoriam staret templum. Id igitur aggressurus erat Arnulfus, nisi mors illum sustulisset: quamquam sint qui in prioris templi molimine prodiderint eum decessisse. Hoc certum est: Gerardum cum fratribus Godefrido & Arnulfo in paternam religionem non minus quam in hereditatem successisse, perfecisseque quod moliebatur parens, aut cogitauerat. Tantę porro fratrum religioni subsidium vna & ornatum pręclarissimum submisit Arnulfus Rhemorum archiepiscopus Gerardi rogatu sacrum B. martyris Mauri corpus, ejusque sodalis.

Gerardi auspicijs dum hæc maxime gererentur, eius virtutem in ecclesiæ speculam, quo pluribus prodesset, extollere Numini visum est. Erluino quippe Cameracensi episcopo vita functo, Gerardum (suo scilicet jam antea sacrario prę̄fectum) substituit Henricus imperator Kalendis Febr. anni post millesimum vndecimi. Qui in episcopatus possessionem immissus, Nouiomagum ad imperatorem redijt extremo jam anno, ibique sacerdos consecratus est. Tum Cæsaris imperio Leodium proximo paschate redire jussus, cum venisset, obtinuit vt in suam imperatoris fidem Florinense monasterium reciperet Henricus. Verum a Cęsare inuitatus ad Bambergensis templi dedicationem, cum respondisset ad Rhemensem metropolim pertinere Cameracensem episcopum, illicque consecrandum esse, persuasit.

Digitized by Google

Vt acri pollebat judicio, magnaque eruditione, ac disciplinę ecclesiasticę ardenti desiderio cum inuicta animi fortitudine & prudentia conjuncto, incredibilem ob res præclare domi forisque gestas suo nomini gloriam comparauit. Varijs per suam diœcesim locis labefactatam monasticen restaurauit. Nam Lobij Ingobrandum turpem sui monasterij labem cum abbatis dignitate spoliasset, substituit Richardum S. Vitoni abbatem, virum a virtute laudatissimum, vnaque insigni illi monasterio primęuam disciplinę dignitatem restituit. Nulla supererant in Alto-monte religiosę vitæ vestigia: locum incolebant quidam e clero; Benedictinas viuendi leges reduxit Gerardus, & ad primum nitorem reuocauit. In Cella S. Ghisleni rem familiarem simul & asceticam pessumdederat Simon abbas; cui morienti Werricum subrogauit Gerardus, hominem magna sanctitate conspicuum: & pristinus virtuti decor redditus est.

Extra suę diœceseos fines pulcherrimos suæ sapientiæ fructus produxit. Beroldi episcopi Suessionensis inaugurationi aderat: natas ibi simultates inter episcopos Azelinum Laudunensem, & Nouiomensem Harduinum sua prudentia composuit. Drogonem Balduinus Flandrię comes episcopatu Morinorum repulerat: injuriam ab ecclesia propulsandam ratus Gerardus, Fulconem episcopum Ambianensem monuit, vt eam caussam susciperet apud Franciæ regem tuendam. Adalberonem episcopum Laudunensem, cum turpibus artibus alterum in consortem episcopatus adsciscere cogitaret, non tantum datis ad ipsum litteris eum deterruit, sed super eodem argumento scripsit ad Ebulonem Rhemorum archipræsulem, & Beroleum Suessionensem episcopum. Majus etiam illud fuit, quando in prouincialium episcoporum consessu Rhemensis archiepiscopi creationē vitio factam intrepide ausus est improbare. Imo plurimorum episcoporum cœtus in rectam viam insigni sapientia reduxit aliquando, ne ciuilia prædia possiderent nullam regibus clientelam professi: alias ne grauioribus legibus creditos sibi greges obruerent. Lotharienfibus vero episcopis res nouas intempestiue molientibus autor fuit sapienti consilio, vt Conradum imperatorem in regnum recipere ne detrectarent. Clarum & hoc fuit quod in Aquensi synodo, cum disceptaretur spectaretne Porzetum ad Leodiensem diœcesim, an ad Coloniensium, tota res eius arbitratui relicta est: ipse Leodiensi addixit. Tanta nimirum de illius sapientia fuit omnium opinio. Imo Triburiensis vniuersa synodus ita de illo sensit, vt illius vnius judicio se tota submiserit.

Principibus etiam admirationi fuit & venerationi hominis virtus. Balduinus Flandrię comes, cum Cameraci munitiones exstruere cogitaret, tanti præsulis oratione passus est se sententia dimoueri, quod ecclesiæ libertati officere id videretur. Infensiorem illi Franciæ regem sua prudentia prouidus antistes ad ęquitatem reduxit. Apud ipsum Cæsarem virtute sapientiaque tantam collegit autoritatem, vt illius potissimum commendatione Lotharingiæ ducatum obtinuerit Godefridus, & orientes toto illo tempore grauiores motus tranquilla pace posuerint.

Quibus externis non ita distinebatur Gerardus, vt domestica negligeret. Principem Cameraci basilicam annis septem a fundamentis instaurauit, & anno Christi millesimo trigesimo III. Idus octobris dicauit; atque in Cameracesij castro S. Andreę monasterium condidit, & S. Benedicti legibus informauit. Precipua laus est Lietbertum ijs moribus instruxisse, vt per omnes illius ecclesiæ gradus ad episcopatum, atque adeo ad eximiam sanctitudinem emerserit: ita suo gregi etiam vita functus vtilem operam nauauit. Obijt autem anno Christi millesimo quadragesimo nono.

GERARDVS
Trajectensis e monacho Claræ-vallis abbas in Suecia.
D'Assignes.

TRajecti natus, fortasse tum ad institutum Cisterciense animum appulit, cum eam in vrbem e Germania venit S. Bernardus, pro tuenda Syria aduersus Christiani nominis hostes sacram militiam prædicaturus. Sancti certe abbatis cęlestem sapientiam, melleam dicendi facultatem, & monasticę vitæ castissimos mores sic admiratus est & adamauit, vt domum patris sui, & reliqua terrenorum omnium blandimenta obliuisci animum induxerit, quo tanti magistri sanctis institutionibus vitam in posterum ageret. In Claram ergo vallem cum abijsset; & aliquanto post tempore Reginę Suecię rogatu colo-

coloniam in eas regiones deducere S. Bernardus cogitaret, sodales designauit, qui vt ceteras orbis Christiani partes alij, sic ipsi Septemtrionem Cisterciensium legum sanctitate illustrarent. Plerosque omnes grauiter affecit illa missio, non eo dumtaxat nomine, quod in remotissimas terras,& barbaras pæne gentes proficiscerentur, sed etiam quod religioso peritissimi præceptoris ducatu, vel sancta Claræ-vallensis familiæ consuetudine destituendi essent. Quod vt animaduertit Bernardus: Ne dubitatio, inquit, fortasse cuipiam oriatur, hanc profectionem Diuino consilio nequaquam adornari, hanc certæ Dei voluntatis arrham accipite. Simulque e proficiscentium sarcinis ęream accipit peluim sacrificantium vsui destinatam, eique digitum haudquaquam difficilius quam molli cerę imprimit. Animos omnibus fecit hoc prodigium. Vnus Gerardus, qui & ipse profecturus erat, miro illo non mouebatur, neque solatij quidquam admittebat. Animi ergo ægritudinem S. patri aperit: cui ille: Cum ceteris proficiscere, fili mi, quo te Deus vocat, & strenue labora, certus non alibi te quam in Clara-valle moriturum. Omnem mœroris nebulam excussit juueni promissum. Qui vna cum sodalibus in Sueciam profectus, cellerarij primum ac prioris munus perdiligenter obijt, tum abbas etiam creatus, quamvis plurimum renitens, vt qui scilicet alijs subesse incundius simul & tutius esse sentiret. Dignitatem tamen tota mentis contentione sustinuit. Et quamquam in ea gente rari tam arduum vitæ genus susciperent, e Germania tamen & Anglia submisit cælestis patrisfamilias prouidentia præstantes eruditione prudentiaque viros, qui monasticen in ijs terris feliciter propagarunt, in quibus vix illius nomen eatenus auditum fuerat. Ipse autem abbas relicta cellerario totius rei familiaris tractatione, in spiritus administrationem omnes animi vires cōuertit, & accuratissimam omnibus sodalibus se prębuit virtutis normam. Sed ea potissimum animi æquitas mansuetudoque eluxit, vt imperata monacho cuidam ob delictū pæna cum colaphum recepisset, non modo de puniendo illo non cogitauerit, sed potius ipse veniam deprecatus, supplex eum rogarit, vt omnem iracundię æstum reprimeret. Egregius præterea sui contemptor fuit,& quidquid in se vel sodalium cœtu laude dignum animaduertebat, id non suæ industriæ sed Dei beneficētię totū,& S. Bernardi precibus adscribebat. His artibus insignem suæ virtutis opinionē toti genti concitauit:& rex ipse principesq; eius consilijs regi amabant: & potentissimus prouinciæ dynasta sanctitatem eius vsque eo suspiciebat, vt non aliter cum illo agere se profiteretur, quam cui mentis arcana omnia patere sibi persuaderet.

Totos quadraginta annos jam rexerat, quando decrepitum & varijs morbis pęne confectum rogarunt sodales, vt quem tam diu locum rexerat; sepulcri etiam honore dignaretur. At ille: Carissimi filij, inquit, ejuscemodi preces quæso missas facite; moriendum quippe mihi est in Clara-valle. Cum illi negarent fieri posse in tanta infirmitate corporis, & deuexa ætate: subjunxit nihil esse supra Dei potentiam, a quo certum duceret implendum esse S. Bernardi promissum. Auectus igitur e Suecia, & tanta terrarum spatia emensus, attigit tandem Claram-vallem, & aliquanto post tempore votorum summa placide potitus est.

GERARDVS TVDINIENSIS
monachus Alnensis. *Cæsarius l.4.c.54.*

Circiter annum 1200. PAtria Tudiniensis, genere nobilis, postquam aliquamdiu se militiæ dedisset, res denique humanas pertœsus, cęlestium desiderio monasticen Alnę complexus est. Inuidit cacodæmon, & adhuc in primis religiosæ vitæ rudimentis versantem exorsus impugnáre, nescio quod injecit in animum ecclesiastici cantus tædium, & tantam ab illo auersionem, vt eum nullo modo ferre posse videretur tum maxime, cum alleluia voce magis contenta caneretur. Ea de causa ad pręsidem suum adijt tiro, dixitque sibi certum esse posito ordinis habitu domum suam se referre. Hominis imbecillitatem melioribus consilijs erigere pręses aggressus, parum promouit.

His ergo cogitationibus ille quadam nocte grauiter pulsatus cum obdormisset, in somnis sibi visus est cingi armatorum cuneis, quibuscum capitales olim fuerant inimicitiæ: cumq; nullus esset effugio locus, certam cædē aut saltem vincula se manere credidit. Sed Diuinam inclamans opem,& circumspiciens, ecce conuolantes in auxilium videt instructissimas candidatorum militum copias; earumque ductorem audit valida vocis contentione

Digitized by Google

tione ceu militari clamore sæpius ingeminantem Alleluia: exterritosque mox aduersarios in trepidam fugam effusos.

Somnum excussit lætitia de vitato periculo. Et statim ad præsidem ille conuolans: Per me licet, inquit, tanta contentione, quantum est templum ipsum, posthac sanctum Alleluia concinite: nullus mihi dulcior esse poterit sonus: simulque somnium enuntiat. Et placida mentis in posterum tranquillitate, puram ex ascetica disciplina vitam egit.

G E R T R V D I S
virgo Robertimontana. *Archia Robertimontis.*

HÆc Robertimontem prius incoluit, quam illic Cisterciensibus legibus viueretur. Eo quippe jam inde ab anno supra millesimum decimo quinto secesserant nobiles aliquot virgines, e Pratanorum potissimum gente, vt eo propius in Diuina ferrentur animis, quo longius ab hominum consuetudine recessissent. Feliciterque adeo cesserat, vt anno ejusdem sæculi nonagesimo tertio ędiculam illis eodem loci constructam dicarit Obertus episcopus in honorem S. protomartyris Stephani. Non deerant quæ morientibus succederent, cum sanctimoniæ fama plures inuitarentur, quam exstructæ habitationis angustiæ caperent. Neque mora primus animorum tepescebat ardor: nouis in dies e cælo facibus accendebatur; imo & beneficijs. Vixit inter illas virgo hæc Gertrudis, pręstanti virtute spectabilis; eamque sanctitudinis opinionem consecuta est, vt cum aquæ penuria laboraretur, e terra fontem precibus elicuisse credita sit, qui & toti familię vsui esset, & febres pelleret. S. Gertudis fons in hunc diem appellatur. De ipsa nihil amplius veteres prodiderunt. Terra fontem educit.

G O S V I N V S
abbas S. Iacobi. *Monumenta S. Laurentij, & quæ e suo monasterio exhibuit R. D. Ægidius Gryte prior S. Jacobi.*

SÆculi vanitates abjecturus, in S. Laurentij Benedictinæ disciplinę se subjecit; eaque virium omnium contentione incubuit in excolendam mentem omnibus virtutibus, sed maxime sui demissione, vt vniuersorum in se animos conuerterit, censereturque ad curandam monasticen aptissimus. Moriente igitur abbate S. Iacobi anno millesimo centesimo duodenonagesimo, in Gosuinum sua suffragia contulit tota religiosorum illorum familia. Manifestum argumentum florentis in ea domo sinceræ virtutis: quæ profecto si abfuisset, domesticum quempiam externo quantumvis idoneo numquam postposuissent.

Nouem annos impositum munus laudabiliter gessit Gosuinus: at sui contemptus, ac euangelicæ humilitatis auidior, quam cujuscumque dignitatis, anno nonagesimo septimo, die S. Marco sacra monasticam præfecturam abdicauit spectante & probante Alberto Cuickio Leodiensi antistite: atque ad priorem quietem in S. Laurentio reuersus, vitæ reliquum (quod biennium fuisse existimo) egit magna morum innocentia, omniumque approbatione. Honorum fuga.

G V A L T E R V S
e canonico Leodiensi episcopus Dunelmensis. *Sigebertus, Guilielmus Malmesbur. Matthæus Paris, Simeon Dunelm.*

FLoruit in Anglia sub annum millesimum octogesimum secundum e Leodiensi collegio S. Lamberti Gualterus, sapientia virtutibusque spectabilis: & ad episcopatum

Digitized by Google

eo nomine prouectus, sensit mox, quod virtuti proprium est. Anglorum odia sustinuit innocens; ad ipsamque tandem aram, dum sacris operatur, ceu alter Stephanus papa, gladijs impiorum occubuit. Ita Sigebertus.

Paulo aliter & explicatius Angli scriptores. Vitæ integritate, vsuque rerum agendarum illam de se apud regem cōcitarat opinionem, vt sacra ęque ac profana omnia ipsi crederentur. Episcopus ergo Dunelmensis creatus, quo majore vi & autoritate ecclesiam suam regeret, imo & rem politicam sibi per Northumbriam a rege commissam administraret, eius prouinciæ comes designatus est. Aiunt alij principatum illum pretio comparasse. Verum vt liuoris afflatu altissima quæque feriuntur; nonnullorum inuidiam, maleuolentiamque declinare non potuit.

Et vero ansam aliquam præbuisse visus est. Quamquam enim vitam ageret innocentem, & Christianæ disciplinæ præceptionibus conformatam, molliorem tamen se suis exhibuit. Quos, cum æquo grauius & indigne plebem opprimerent, ejusmodi cœptis non satis absterruisse visus est. Exacerbatus populus arma corripuit, impetumque fecit in templum, vbi pro tribunali jus dicebat; vt tradunt Angli: non vero sacrum faciebat, vt placet Sigeberto.

Prodijt templo episcopus, dextra ramum præferens, vt tumultuantes reuocaret ad æquitatem. Sed mox crudeliter obtruncatus est. Eodem populi furore interierunt decanus Dunelmensis, & vir quidam nobilis, qui potissimum acerbitate sua populum irritarant.

GVILIELMVS ARDINGHENIVS
abbas Trudonensis. *Quæ ex monasterij illius monumentis mihi communicauit admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas.*

IN celeberrimo S. Trudonis asceterio ea cura successuque tam prospero virtutem coluit Guilielmus Ardinghenius, vt Zaccheo abbati quadragesimo sexto vita simul & dignitate decedenti, vno omnium desiderio sententiaque successerit anno post Virginis partum millesimo tercentesimo nonagesimo primo. Stimulos addidit adjunctus honor: & strenuam publicæ rei nauare cœpit operam, qui eatenus sibi vixerat, animoque virtutibus excolendo. Prima fuit illi cura monasticæ disciplinæ; nec antiquius illi quidquam fuit, quam creditum sibi gregem per saluberrima pascua deducere. Monasterij deinde decus remque familiarem non modo tueri, sed etiam amplificare omni studio conatus, Bonifacio IX. pontifice maximo obtinuit potestatem attondendi in clerum, & minoribus ordinibus initiandi non modo suos, sed alios quoscumque ejusdem instituti & diœcesis monachos: præterea calices ceteraque ad rem sacram attinentia consecrandi. At quo suę vrbis monasterijque dignitatem augeret, duodecim sacerdotia, quæ hactenus fuerant in æde Virginis matris, autore Ioanne Bauaro episcopo Leod. designato, in canonicorum collegium conuertit anno nonagesimo nono. Biennioque post cum prospero successu magnaque laude suam prouinciam decem annis administrasset, religiose vita defunctus est.

GVILIELMVS ATREBAS
archidiaconus Leod. *Transmosanus, Corn. Zanfliet, VVarnantius.*

ORdinis plebeij fuit, natus patre Atrebatensi ciue; sed insigni sapientia & virtute præditus: his præsidijs in ecclesiam Leodiensem aditum inuenit, & in ea archidiaconatum adeptus est, gessitque magna laude.

Cum anno millesimo trecentesimo tertio successor Leodij quęreretur Adolfo Waldegano Leodiensi episcopo vita functo, Guilielmum Iuliacensem ejusdem ecclesiæ archidiaconum sibi sanguine propinquum commendauit Ioannes Namurci comes. Nihil obtinuit: in alias partes cuncti jam abierant. Magnam partem Richardus Hornanus sibi deuinxerat: Arnoldum Blanckenhemium præpositum reliqui sequebantur.

Cum vero res traheretur in longam contentionem, nec alter cederet alteri, in Guiliel-

Digitized by Google

lielmum Atrebatem nihil tale cogitantem omnia suffragia conuenerunt. Pręclara debuit esse viri virtus, quæ tantum inter tot principes testimonium obtinuit. Integerrimam certe vitam ille duxerat ad prouectam ętatem: & qua petitione ambiebant episcopatum alij, eadem ipse refugiebat & auersabatur, priuatæ vitæ tranquillitatem honoribus omnibus anteponens. Spatium nihilominus deliberando se postulare denuntiauit, quo interim alio sua studia lectores verterent. Ac denique vbi sensit in Theobaldum Barrensis comitis fratrem omnium animos propendere, suo ipse juri renuntiauit, perraro his temporibus Christianæ modestiæ exemplo: quo sane tot principibus episcopatum magna contentione petentibus tanto se præbuit celsiorem, quanto præ illis abjectiorem fecerat fortuna.

HELINVS
præpositus Leodiensis. *Anselmus, Ægidius, Transmosanus.*

CLaruit in ecclesia Leodiensi sub annum a Virginis partu millesimum centesimum; quem S. Lamberti præpositum Transmosanus appellat; abbatem S. Mariæ faciunt alij: recte vtrique, quando post ea tempora in vnam coaluerunt in hunc diem ambæ dignitates. Gente nobilis ille fuit, sed religione, caritate Christiana, justitiaque clarior. Multis præclare factis nobilitatus est in posteritatem perennaturis.

Denos inferioris notæ canonicos, quibus a S. Materno nomen dedit, in principe basilica collocauit, quos cum alijs ejusdem conditionis, quos Paruę mensæ canonicos appellant, rem Diuinam procurare voluit.

Prochion seu pauperum hospitalem domum a Gualtero Gauechio antecessore suo (quem fuisse decanum alij malunt) inchoatam absoluit, instruxitque vectigalibus; quam Ad catenam indigitarunt.

Forte aliquando in publicum e domo sua per fenestras prospiciebat; sacerdotem quemdam tenuioris fortunæ vidit efferri nudum, & indoluit, parum sacerdotis dignitati, caritatique Christianæ consentaneum id ratus. Eorum ergo sodalitatem instituit, qui mortuis extremum officium curarent. Magnaque omnium commendatione perseuerauit pium hoc institutum.

Magna Leodij judiciorum erat corruptela, sacrisque canonibus vis sua vix stabat. Romam ipse contendit, rectiorem jurisdictioni formam impetraturus. In hoc præclaro molimine vitam posuit, ab eo mercedem accepturus, apud quem conatus & voluntas in laude & pręmio sunt; & quo judice voluisse, cum non possis, satis sit.

BB. HELWIGIS, MARIA DE GRAVIO, ET MARQVINA.
Commentarij Villarienses.

SVnt Villarij sacra corpora duodecim, quę vno conditorio clausa Villarienses ab antiquo cælitum honoribus coluerunt. Cœnobitarum pleraque sunt: externorum alia; quorũ ordine suo meminimus. Sepulcrum illic hi elegerunt vel religionis gratia ob loci sanctitatẽ; vel quod ex salutaribus monachorũ pręceptionibus cum vitam egissent, ibidem cum illis vltimam æterni judicis sententiam exspectare sanctius existimauerint.

In his fuerunt BB. Helwigis S. Syri, Maria de Grauio, & Marquina. Hæc Niuellensis, & genere clara fuisse fertur. Altum de reliquo silentium. Illustre nihilominus egregiæ sanctimoniæ testimonium a sacro illo sepulcro haberi, nullo modo ambigimus.

HERMANNVS
abbas Floreffiensis. *Bibliotheca Præmonstrat.*

GErmaniæ debet insignem hunc florem nostra diœcesis. Floreffię monasticen professus, & doctrina sanctitateque claruit, vt Gerlando abbati III. vita decedenti suf-

Digitized by Google

suffectus, anno millesimo centesimo septuagesimo quarto sacram illam familiam religiose sobolescentem regere jussus sit: incensum enim asceticæ disciplinæ desiderium præ se ferebat, & in eo omnes venerabantur. Sed ab alijs quam exigebat animi puritatem, eximio ipse studio consectabatur. Quam cum in illo suspiceret Henricus Namurci comes, eum a confessionibus sibi esse voluit: Deus vero ipse prodigio exornauit. Illius quippe precibus datum ferunt, vt non procul templi vestibulo nouæ dulcis aquę scaturigines eruperint; & vna multis salus. Nam qui ex eo fonte bibebant, sanitatem consequebantur. Verum Hermanni virtutem aduersis probare, Deo placitum fuit. Illam enim Lydius lapis nullus probat certius, nulla cos magis acuit, quam quæque durissima. Anno igitur supra millesimum & centesimum duodenonagesimo cum exarsisset bellum inter comites Hannonium & Namurcensem; vrbemque Namurcum cum arce Balduinus Hannonius expugnasset, eadem fortuna Floreffiam vastauit, ferroque ac flammis perdidit majorem cœnobij partem. Afflixit pro mali grauitate, nequaquam animum infregit ea clades Hermanno. Sodales tum quidem in varia dimisit: sed vbi post sesquiannum composita denique pax est inter comites, collecto magna cura sodalium conuentu, & monasticam disciplinam insigni sapientia restituit, & cœnobium instaurauit, purgatumque templum obtinuit vt solemni ritu expiaretur a B. Iffrido Raceburgensi episcopo: cui potestatem eam fecerat Leodiensis antistes Radulfus, qui paulo ante crucis militiam professus, in Palęstinam abierat. Quod reliquum vitæ fuit, egit Hermannus semper sibi similis, non prosperis dissipatus, non fractus aduersis, in vtraque fortuna numquam non victor. Vni quippe Deo adhęrebat, ad omne illius arbitrium & prouidentiam conformatus. Hac inclytus animi fortitudine cum annos ferme viginti suam Spartam exornasset, anno sæculi illius nonagesimo quarto laudabiliter vita defunctus est.

S. HILSVINDIS
vxor S. Ansfredi. *Ægidius a Leidis chron. l. 9. c. 2. Transmosanus, Molanus 3. Maij.*

Circiter annum 980. HIlsuindis vel Hirsuindis marchionis Francimontani filia, Ansfredo comiti Hoiensi nupta est, & ex eo genuit S. Benedictam primam Thoræ antistitam. Matrona fuit moribus spectatissima; quam non conjugij illecebrę, non generis opumque splendor abduxit a studiosissima recti prosecutione. Primæ omnium erant deliciæ Diuina contemplari, suauissimas cum Deo miscere sermocinationes. Silentio noctis a viri latere consurgens, ad ædem sacram se proripiebat: vbi ante fores clausas in terram corpus abjecta, mentem attollebat in Deum, quicum purissimis cæli frueretur delicijs.

Mira sua sanctitate

Tabescebat dæmon inuidia. Quo pium institutum obturbaret, virum per quemdam familiarem in zelotypiam pertrahere conatus est, quasi tenebrarum beneficio clam ad suas turpitudines tenderet. Non prius fidem habere voluit Ansfredus quam rem explorasset. Ergo proxima nocte subducentem se tacite Hilsuindem suspenso gradu subsequitur. Illa quo se longius ab omni arbitro credebat, hoc liberius ante templum sub sambuci tegmine in terram prouoluta, cælorum penetralibus inserebat, & cum immortali sponso deliciabatur. De quo vt Ansfredus ambigere non posset, ecce videt cælum discedere, & demissa clarissima luce Hilsuindem non modico temporis spatio perfundi.

virum ad imitationē pellicit.

Illum inexspectata voluptate demulsit hoc spectaculum, conjugisque admirationem exciuit, & teneriorem deinceps, vt par erat, amorem. Pœnas ab illo sycophanta repetiturus erat, nisi intercessisset Hilsuindis, & pro mansuetudine puris illis animabus familiari, impunitatem euicisset.

Magna omnino vis est honesti. In feminæ potestatem totus transijt Ansfredus. Eius exemplis ac ferme arbitrio in omnem sanctimoniam rapi cœpit incenso studio. Atque exosi ambo rerum humanarum inanitatem, mutua primum assensione perpetuæ continentiæ voto se illigarunt: tum quo citatiore mentis volatu eueherentur ad cælestia, deposita terrenarum opum sarcina, comitatum suum Hoiensem S. martyri Lamberto donarunt, anno Christi nongentesimo octogesimo quinto.

Ex eo in sanctitudinem tota Hilsuindis incubuit, collectisque virginibus purioris

vitæ

Digitized by Google

vitæ studiosis, Thorę cœnobium autore Notgero Leodiensi episcopo condidit. Et postquam anno nonagesimo quarto Vltrajectensem ecclesiam regere cœpisset Ansfredus, Benedictam filiam jam adultam suo parthenoni præfecit. Tandemque post sparsam apud omnes eximia morum integritate clarissimæ virtutis famam, feliciter obdormiuit in Domino. Perillustre jam superest nobilium canonicarum collegium.

ABBATISSÆ THORENSES.

1. COEnobio prima præesse jussa est a matre HILDEWARDIS.
2. Sorori suæ successit BENEDICTA: quamquam non desint, qui priorem hanc constituant, nulla Hildewardis facta mentione: quam contra nonnulli hac omissa solam nominant. Totam rem in obscuro reliquerunt majores. Successerunt
3. GODEILDIS,
4. ALEIDIS,
5. ELISABETHA: sed quo ordine, quando, & quamdiu vixerint, non inuenio. Nec aliæ proferuntur ad annum vsque 1217. quo denique vixisse habetur
6. IVTTA: sed quando dignitatem adierit, aut quando posuerit, ignoratur.
7. HILDEGVNDIS DE BORNE viuebat anno Christi 1235. & 1262.
8. GVIDA A RENNENBERG viuebat anno 1277. & 1304.
9. MARGARETA DE PETERSEM Guidæ neptis viuebat 1337.
10. MARGARETA DE HEINSBERG viuebat 1346. & 1378.
11. MARGARETA DE HORNE alias PERWEIS viuebat 1389.
12. MECTHILDIS DE HORNE successit circiter annum 1404. & viuebat anno 1446. quando senio grauis dignitatem videtur abdicasse.
13. IACOBA LOSSENSIS DE HEINBERG obijt 1454.
14. ELSA BVREN obijt 1473.
15. GERTRVDIS SOMBREFF ob. 1486.
16. EVA VAN ISEMBORCH obijt 1531.
17. MARGARETA VAN BREDERODE obijt 1577.
18. IOSINA VANDER MARCK obijt 1604.
19. ANNA VANDER MARCK Iosinæ soror obijt 1631.
20. ANNA ELEONORA DE STAVFFEN: obijt 1646.
21. In eius locum omnibus omnino suffragijs venit illustrissima D. CATHARINA DE SALME: cui virtutis non minus quam generis claritatem ad plurimos annos propagare dot Deus.

HVBERTVS LEONARDVS
Carmelita & episcopus Dariensis. *Trithemius scrip. eccl.*

MOnasticen professus est in ordine fratrum B. Marię de monte Carmelo. *Vir*, ait Trithemius, *in Diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularis litteraturæ non ignarus, ingenio præstans & clarus eloquio*. In schola Parisiensi doctor renuntiatus, magna laude theologicas disciplinas explicauit. Tum episcopus Dariensis consecratus est, quo Ioannis Hornani Leodiensis episcopi vices in pontificijs functionibus impleret; vt quidem opinor: certi nihil habeo.

Ceterum hęreticę prauitatis inquisitorem Leodij agebat sub annum millesimum quadringentesimum nonagesimum quartum, quando in hanc diœcesim clam irrepebant sathanę ministri, & incautis hæreseos virus Niuellis propinabant. Quæ illa fuerit insania, non aliter proditur. Sumsit arma Hubertus aduersus impium illud monstrum; doctissimumque edidit librum in viginti octo capita distinctum, quibus illorum hæreticorum totidem deliramenta confutauit.

Digitized by Google

IACOBVS SOMMALIVS
abbas Villar. *Chryſ. Henriqueſius.*

EVectus ad abbatis dignitatem anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, diſciplinę puritatem ſic excoluit, vt ab alijs nihil ſeuerius exegerit, quam ipſe ſit executus. Eadem cum omnibus ſodalibus refectione cibum ſumere, eodem dormitorio loco quieſcere, eadem hora deſerere ſtratū ad matutinas preces conſueuit. Præclare factis graue pondus addebat inſigni, qua præditus erat dicendi facultate. Et cum mirabili æſtuaret Diuini honoris deſiderio, libenter ſuo monaſterio prodibat in omnem late viciniam, vbi fecundam Diuini verbi ſementem iaceret, magno rei Chriſtianę emolumento: ſed Niuellas eo cupidius, quo meliorem ibi frugem enaſci videbat. Poſtquam annos ſeptem omnium approbatione perfunctus eſt ſuo munere, ſtudio purioris contemplationis, rerum adminiſtrationem poſuit, toto ſodalium cœtu nequicquam reclamante: atque ad vitam priuatam reuerſus, religioſiſſime diu poſt obijt.

IOANNES
abbas Lobienſis. *Chronicon Lob. Ægidij VVauldε.*

ALoyſij Atrebatenſis epiſcopi nepos, in Lobienſem abbatem electus eſt exeunte anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio. Inſigni cura ſacra omnia coluit, & quoad licuit nouis honoribus cumulauit. S. Reinildis virginis & martyris ſacrum corpus in nouum & cultius feretrum cum magna multitudinis religione efferret, obtinuit quamquam egre, & incolis multum initio reclamantibus, vna eius coſta monaſterium ſuum donari: quæ pretioſe ornata, religioſo populorum concurſu in hunc diem colitur, prodigijſque celebratur. Item S. Abelis, quem ſuo loco meminimus, corpus ſepulcro ad venerationem extulit, poteſtatem faciente Rhemorum archiepiſcopo.

Inter hęc ſtrenua Ioannis abbatis vigilantia, religioſæ diſciplinæ tantum ſplendoris acceſſit, vt finitimis omnibus venerationi Lobium eſſet. Et Balduinus Hannoniæ comes, qui multis moleſtijs Lobienſes aliquando fatigarat, veritus ne tantam modo virtutem Deus ſuſciperet vlciſcendam, & a ſe pænas exigeret, Lobium venit, & SS. Vrſmaro Erminoque loci pręſidibus ſupplex factus, præteritas noxas ſibi remitti poſtulauit, illata damna compenſauit; & audiente tota nobilitate, abbati omnibuſque cœnobitis appromiſit nullam ſe deinceps illaturum injuriam. Fidem certe liberauit; & tertio poſt anno (erat is milleſimus centeſimus ſeptuageſimus octavus) denuo Lobium redijt cum archiepiſcopo Rhemenſi Cameracenſique epiſcopo, tum vt ſanctos eoſdem venerarentur, tum vt religioſæ diſciplinæ jucundo ſpectaculo fruerentur. Ita nimirum oraculi Diuini veritas ijs ſemper conſtabit, qui primum omniūm quæſierint regnum eius, & juſtitiam eius.

Anno proximo abbatis dignitatem abdicauit Ioannes, vt poſito onere liberior ſe Diuinis permitteret: neque inuenio quamdiu ſuperuixerit.

B. IOANNES ABBATVLVS.
Ægidius, ſcriptor triumphi Steppeani, Tranſmoſanus.

FVit ſanctæ matris proles ſancta. De quo plura lectori dediſſem, ſi quęſitam magno ſtudio vitam B. Odiliæ eius matris videre licuiſſet. Colligam ergo, quæ de illo ſparſim ab alijs edita.

Vixit Leodij poſt annum milleſimum ducenteſimum, & in clero ſancti Lamberti magna ſanctitate claruit. E cęlo multa dediciſſe viſus eſt. Cum anno illius ſæculi duodecimo Leodijs bellum meditaretur Brabantiæ dux Henricus, futuram cladem præuidit Ioannes, oblatis diuinitus quibuſdam viſis. Neque tamen Leodij cogitatum eſt de placanda Numinis ira, graſſantibus vitijs merito impendente. Vrbem V. Nonas Maias improuiſus inuaſit hoſtis: & quamquam familiari victoribus petulantia fœde omnia,

Cladem Leod. prænoſcit

etiam

Digitized by Google

etiam sacra vastasset, vnicum pæne mansit intactum S. Ægidij oratorium illud, quod S. Lamberti basilicæ adhæret, qua ad episcopium itur. Adscriptum hoc Dei beneficio in gratiam Abbatuli, qui ibidem eo mane sacrum fecerat. Ea fuit de eius virtute opinio.

Meliorem noctis partem solebat insomnem ducere ad S. Lamberti conditorium: ibi pro sua publicaque salute ardenti pectore vota depromebat. Religione publica necessitas jam instigabat. Aliquando igitur inter orandum, animo ad Diuina rapto, visus est sibi templum S. Lamberti ingredi, videreque latomos ad parietes considere quamplurimos, & malleis tundere lapides, aptareque restaurando templo. Vt redijt ad se, hanc menti lucem a Deo infundi sensit: sanctorum hominum vtriusque sexus, qui in vrbe dioecesique viuebant plurimi, lacrymis precibusque ad Deum fusis, quasi lapides aptari, ecclesiæ in pristinum statum ac splendorem reducendæ. Virtute nimirum supplicibusque votis stat potissimum respubl. floretque. & victoriam.

Hoc ipsum alias e cælo rursum accepit Ioannes, dum pro patria preces ad Deum funderet, deprecatoremque inuitaret B. martyrem Lambertum. Ad cælestia quippe supra se raptus, viros quinque vidit habitu monastico venerabiles, ad S. Martyris mausolæum ascendere, & decantatis S. Crucis laudibus pro republ. Deum deprecari. Quo suauissimo concentu animum sensit mirabili perfundi voluptate, quasi certo omine victoriæ, quę jure posset adscribi virtuti & precibus Theodori Cellensis, qui cum socijs Hoij, & sacri ordinis Cruciferorum fundamenta jaciebat, & illo temporis articulo preces fundabit pro exercitu Leodiensi, quo in campis Steppeanis concurrebatur, & nobilissima de Brabantis referebatur victoria.

Diuinitus alia plura didicit, quæ omitto vel breuitatis gratia, vel quod obscurius ea scriptores expresserint. Magis e re lectoris fuerit, Ioannis audire virtutem & imitari. Hanc porro clarissimis argumentis sibi probatam venerabatur in primis episcopus Hugo Petrapontius: solebatque, quoties ageret Leodij, post nocturnas preces in templo decantatas, fere cum Ioanne reliquum noctis peragere, eumque disserentem audire de Diuinis rebus, de officio vigilantiaque pastoris. Episcopum enim ille intrepide & libertate vere Christiana coarguebat, si quando sentiret aberrantem: audiebaturque magna modestia & veneratione. Virtutis gratia episcopo carus est,

Cum autem anno vicesimo sexto inuitatus ad Rhemensem archiepiscopatum Petrapontius, diu hæsisset dubius quid ageret, venit ad Ioannem, rogauitque suam hanc deliberationem superis commendaret. Annuit ille: eaque fuit vis orationis, vt quamquam propenderet in Rhemensem ecclesiam Hugo, quoties tamen animo recurreret memoria S. martyris Lamberti, vel ecclesiæ Leodiensis, ita se teneri sentiret, vt a neutro diuelli vllo modo posse videretur: & denique Leodij manere constituit.

Cujus consilia suspexerat, quoad vixit; expetijt mortuus suffragia: questusque grauiter a ceteris omnibus in acerbissima necessitate se deseri; eius saltem quam maxime suppliciter opem implorauit. Promisit ille liberaliter: hec segnius impendit. Factumque est, vt post breue tempus (annus vertebatur tricesimus quartus) Hugonem videret cælos intrantem, deducente clarissimo frequentium episcoporum agmine. eumq; mortuum juuat.

Nihil pręterea de Abbatulo scriptum inueni.

IOANNES BRAMMART

Carmelita, prior prouinc. inferioris Germaniæ.

Trith. illustr. vir.

IN ordine B. Marię de monte Carmelo monasticen Aquis professus est, & coluit magna sedulitate. Lutetiam profectus litteris operam dedit, & sacræ Theologiæ doctor renuntiatus est. Erat enim, Trithemio teste, *in scripturis sanctis studiosus & eruditus, atque in seculari philosophia egregie doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio; vita & conuersatione deuotus.* Quibus ornamentis prædictus cum in patriam redijsset, & eximiæ suæ eruditionis monumenta posteris reliquit, & egregiam sodalibus suis operam nauauit, regere jussus prouinciam inferioris Germaniæ. De qua optime meritus, Colonię diem obijt anno millesimo quadringentesimo septimo. Sepultus est media cella siue choro sui conuentus.

Digitized by Google

IOANNES
prior Cornelianus. *Vita S. Iulianæ.*

AGebat sub annum millesimum ducentesimum tricesimum in cœnobio inferiore Cornelij montis, & S. Augustini regulam profitebatur, eodem tempore, quo sacras Deo virgines ibidem regebat S. Iuliana, cujus sæpe jam meminimus. Hęc autem Dei imperio festum Corporis Christi propagare jam aggressa, nuper obtinuerat, vt grauium virorum sententijs probaretur. Feliciter cœpta vt vigeret, e re futurum credidit officium futuro festo proprium conscribi. Virum præclara sapientia pollentem diu quæsiuit, cui id negotij commendaret. Cumque hujusmodi nullus occurreret, quo libere ad arbitrium suum vteretur; rata Diuinę majestati placere humiles ad maxima quæque conficienda, ad hunc Ioannem se conuertit.

Iulianæ hortatu

Iuuenis erat humana doctrina mediocriter instructus, sed insigni morum integritate; quem jam olim diuinitus acceperat Iuliana magno sibi in calamitatibus solatio futurum. Animum ergo huic aperit illa, simulque rogat, id laboris in se reciperet. Ille primum velut horrere, & imperitiæ causa longe a se reijcere. Sed virgo vt si hominis mentem in manu haberet, qua exhortando, qua pusillum animum castigando, qua Dei opem serio pollicendo, tandem impulit vt annueret; lege tamen hac posita, vt cum suam ingenij doctrinæque tenuitatem, hujus mysterij majestate non dubitaret obruendam, dum ipse pro suo captu operam conferret, precum suarum Iuliana symbolum impenderet.

scribit officium Corporis Christi

Igitur ex pacto ad preces ibi Iuliana, ad libros hic Ioannes abit. Quidquid vbique ad Augustissimi SACRAMENTI dignitatem & religionem inter homines augendam faceret, colligit studiose, & in antiphonas, capitula, responsoria, hymnos, versiculos, lectiones, orationes describit; sed ea facilitate, elegantia, rerum verborumque grauitate & ordine, vt, quemadmodum fateri solitus est ipse, jure quam optimo Iulianæ precibus adscribi deberent, quandoquidem ejuscemodi nihil de se polliceri, vel sperare potuisset.

eadem adjuuante.

Laboris aliquam partem vbi confecisset, ad Iulianam referebat vt arbitram. Viro autem pudori non erat se virginis judicio sistere, quam mirabili Diuinorum cognitione ab ipso sapientiæ fonte Deo decoratam affirmabat. Quare quod semel probasset ipsa, relinquebat intactum: immutabat lubentissime, quidquid illa censuisset. Tantus illi fuit sui contemptus, tanta sanctæ virginis veneratio.

Totum feliciter confectum, illustrium theologorum judicio subjecit Iuliana. Nihil non probare potuerunt: nonnulli etiam operis grauitatem, puramque religionem admirati, autorem requirebant. At qui nouerant juuenem, tantum opus, quod nullius etiam Zoili censuram timeret, illi non existimabant adscribendum. Dei nimirum opus fuit, compensantis singularem illam hominis demissionem.

ANN. 1241. Fit prior Cornelianus,

Post aliquot annos cum episcopi sententia munus Corneliani prioris abdicare jussus esset vir quidam improbus, substitutus est omnium suffragijs successor Ioannes. Lubens intercessisset Iuliana, quæ diuinitus præsenserat orituras tempestates, quas ille in eo munere sustinere cogeretur. Verum tamen cum neque ignoraret, quantum industria sua, virtuteque splendorem asceticæ disciplinæ, quantos editurus esset rei domesticæ fructus, in eam & ipsa cum alijs sententiam venit.

& officio vi pellitur.

Suscepit ille prouinciam, gessitque annis plus duodecim, bono eorum maximo, quibus animæ salus, Deique gloria cordi esset. Donec anno quinquagesimo quinto turbata Leodij ciuilibus dissidijs republica, rejectus est a suo munere, nulla alia de causa, nisi quam improborum hominum libido scelerataque libertas prætenderet.

Exacta Leodio eadem tempestate Iuliana, Namurcum, atque Salsiniam inde se recepit. Huc venientem ad se Ioannem excepit humanissime, tum ob eximiam virtutem sibi probe notam, tum quod legitimum animæ suæ pastorem, quamquam ab impia factione pulsum, agnosceret. Sic Ermentrudem sodalem suam diserte commonuit.

Mortuus

Leodium non diu redierat Ioannes, cum in morbum incidit, quem mors consecuta est. Eodem illo temporis momento, quo sancta illa anima corporis ergastulum relinquebat, femina quædam clausa, vitę innocentia venerabilis, non paruo dissita interuallo, forte in rerum Diuinarum meditationem incumbebat, quando magnę alicujus multitudinis

Digitized by Google

titudinis supra se tendentis in cęlos suauissimum audijt concentum in hæc verba: *Christum regem regum adoremus Dominum*. Atque inter ceteros visa est dignoscere ipsius Ioannis vocem, de cujus morte nihil dum potuerat audire. Animum vero dulcedine tanta demulceri sensit, vt sui velut impos, ceteris concinere cœperit illud idem: *Christum regem regum adoremus Dominum*.

auditur inter choros beatorum.

Hujus rei veritatem confirmauit, quod oblatum est alteri cuipiam morum innocentia spectabili visum in ipso templo, in cujus medio corpus demortui quiescebat, priusquam terrę mandaretur. Dum in preces incumberet, templi tectum derepente vidit discedere, atque de cælo delabi cum sanctissima Matre sua Christum Dominum: qui cum beatam Ioannis animam excepissent, in æternam beatitatem secum deduxerunt.

Illa fuerunt Diuinę pietatis de famuli sui sanctitate testimonia. Inter mortales, ipso funeris die quidam integerrimæ vitę sacerdos, cum pro ipso fecisset, quærerentque ex eo Cornelianæ virgines, quid eo factum censeret; magna libertate respondit: Deum [illegible] videt & æternum illo fruitur. Creditum est scilicet constitutum a Deo pręmium [illegible]ius studio propagandi honores VEN. EVCHARISTIÆ decernendos.

IOANNES DISTEMIVS
Minore Sambiensis episcopus, tum Lubecensis. *Krantzij Metropolis, VVaddingus.*

Istemij natus, judicio, prudentia, theologicisque disciplinis clarus, Guilielmo Hollando Romanorum imperatori designato a sacris simul & consilijs fuit. Sed e S. cisci legibus euangelicam paupertatem omni humanarum rerum splendori prætulit: nec tamen in tenebris delitescere lux tanta potuit. Nam cum eximia dicendi facultate polleret, sacraque eloquentia plurimum in mortalium animos valeret, aduersus Fredericum eximperatorem ad arma Christianum populum per Germaniam concitare jussus a summo pontifice; ea laude munus impleuit, vt ad Sambiensem cathedram in Prussia, quam ducalem appellant, emerserit. Quo in fastigio suum dicendi munus minime deseruit. Ejusdem enim Innocentij IV. imperio, Guilielmi Hollandi partes contra Conradum Frederici jam mortui filium strenue suis concionibus firmare contendit. Quare Hollando in paucis carus, ad Lubecensem ecclesiam euectus est; quo anno, non comperi: hoc certum, quod non antè annum millesimum ducentesimum quinquasimum quartum, quo Sambiensis adhuc episcopus sacrum idem bellum denuo suadere jussus est.

Guilielmi ergo Romanorum regis rogatu Lubecam translatus, quid egerit, e Krantzio accipe: *Hic reperit redditus mensæ episcopalis valde dissipatos & diminutos per comites Holsatiæ Ioannem & Gerardum: & propter penuriam, cum non haberet vnde se sustineret, cum familia cessit ad integrum annum. Et reuersus, consecrauit ecclesias in diœcesi & extra, vt illis velut quotidianis procurationibus sustentaretur. Tandem considerans gentem grauem & asperam, redemit vexationes bonorum ecclesiæ octingentis marcis a comitibus & ministerialibus, vt pacem inueniret. Relaxauitque comitibus ducentas marcas, & villam Flemingdorpe resignauit, & villam Lamkem commutauit, vt liberaret colonos ecclesiæ vniuersos a præstatione collectæ, quæ dicitur Greuenstbat. Et aduocatiam in Vthin emit a Wolrado de Lapide, & mansionem principalem aduocati sexcentis marcis. Instaurauit quoque in ecclesia Lubecensi nouam dignitatem Cantoriam; statuens vt certis festiuitatibus cum argenteo baculo cum socio similiter gerente baculum ejusdem formæ incedat, assignando ei certos redditus. Oppidum quoque mansionis suæ Vthin juri subdidit Lubecensi, quæ magna censetur liberatio, vt causas appellationum deuoluant ad judicium, quod habent velut imperiale in vrbem Lubecensem. Fecit etiam plures milites & militares suæ diœcesis pro suis excessibus nudatos in processione reconciliari. Multa vtilia priuilegia pro ecclesia impetrauit. Tandem rediens ad Romanorum regem, obijt circa partes Rheni in Essendia, & sepultus est in Nussia. Præfuit autem suæ Lubecensi ecclesiæ per annos solos sex.* In hunc modum Krantzius. Mortuus est insignis præsul post annum illius sæculi sexagesimum, quandoquidem anno quinquagesimo quarto in Sambiensi cathedra sederet, Lubecensem autem sex annis tenuerit. Rex igitur Romanorum, ad quem redibat, non erat Guilielmus, qui diem obijt anno quinquagesimo quinto.

Metrop. l. 8. c. 17.

Digitized by Google

IOANNES GAVORIVS
conditor xenodochij S. Abrahami. *Transmosanus.*

Ante annum 1202. Italia pulsus

Natus plebeio patre, sutor ipse, vitam egit virtute non ignobilem. Sub annum a Christo nato millesimum ducentesimum septimum, in itinere Compostellano, quod religionis gratia susceperat, spoliatus a latronibus cum magnam rerum necessariarum sustinuisset inopiam, vbi domum redijt, malorum non ignarus peregrinos omnes, quoad vixit, caritate vere Christiana solitus est excipere. Vtque illis etiam a morte bene faceret, vltima sua voluntate mandauit ædes suas non nisi recipiendis peregrinis vsui esse; omnes autem fortunas necessarijs sumtibus impendi. His ita religiose constitutis mortuus est anno decimo quarto. Sanctam illius hospitalitatem probarunt plerique, opibusque adeo paulatim auxerunt, vt accreuerit insigne illud, quod hodie Leodij visitur ad ædem S. Ioannis Baptistæ, xenodochium S. Abrahami.

magna virtute floret.

IOANNES ITALVS
episcopus. *Anselmus, Ægidius.*

Qvem in Italia gesserit episcopatum, qua de causa fuerit eo depulsus, non inuenio. Pulsum sane in familiam suam recepit Otto tertius imperator, & virtutis admiratione coluit, plurimumque tribuit eius consilijs. Sed Leodium aliquando dimisit, fortasse moriens, aut tendens in Italiam, Notgero episcopo commendatum: non Baldrico, vt quidem Ægidio placet, quandoquidem Baldricum Otto numquam viderit episcopum.

Autor est exstruendi cœnobij S. Iacobi.

Ceterum fuit Ioannes egregiæ virtutis. Primum illius erat studium indefessa vigilantia mentis tueri puritatem, asperos corpori labores indicere, ad honesti prosecutionem acrius semetipsum in dies excitare. Amor Diuinæ seruitutis, quo feruebat plurimum, omnem excludebat animo rerum terrenarum amorem: nihilque jucundius ducebat, quam frequenter diuina meditari, frequenter psallere, pati inediam, amplecti vigilias, vsuque bene viuendi, e sanctorum patrum bene factis, quasi selectissimis floribus suaue mel colligere. Præter reliquam interioris hominis compositionem, Dominicæ crucis parma pectus armatus, pudicitiæ candorem spontanea corporis castigatione intaminatum seruare contendebat.

Post annum 1014.

Hac animi cultura Baldricum Notgeri successorem in amicitiam pellexit, quotidiana consuetudine. Consilio juuabat persæpe, quando aliquis eius in arduis negotijs erat vsus. Cum otium publicę res subinde patiebantur, ad virtutem ambo sese mutua sermocinatione cohortabantur.

Sed consilio Baldricum numquam magis opportuno salutarique juvit Ioannes, quam ab Hugardiana clade, quando autor fuit condendi monasterij, in quo venturis omnibus ætatibus, incumberent monachi in leuandas supplicijs eorum animas, qui illo prælio ceciderant. Exstruxit eo consilio Baldricus celeberrimum S. Iacobi monasterium, quod eximio Benedictinæ disciplinæ ornamento in hanc ætatem floret.

Quid historia dignum præterea Ioannes egerit: quamdiu superfuerit, non inuenio. Magna virtutis laude mortuus, in S. Iacobi sepultus est.

IOANNES LAVSANENSIS
canonicus S. Martini. *Vita S. Julianæ.*

Lausana illi patria fuit ad lacum Lemanum: sed Leodij canonicum egit ad S. Martini. Singularis in eo morum enituit innocentia cum eruditione conjuncta. Ad eum viri multi doctrina religioneque spectabiles ventitabant, suis rebus precum eius præsidium rogaturi. Religiosam cum S. Iuliana virtutis gratia contraxit necessitudinem: mutuisque exemplis & cohortationibus ad honesti prosecutionem ambo se excitabant: sincerissima scilicet illa est amicitia.

S. Iulianæ amicus

Com-

Compulsa Dei imperio sancta virgo publico proponere festum Corporis Christi in ecclesia sanciendum, de Ioannis consilio rem aggrediendam existimauit. Consulendos censuit ille super tanto negotio viros sapientes sibi familiares, Iacobum Pantaleonem (creatus postea pontifex, Vrbanus IV. appellatus est) Hugonem de S. Caro in sacra B. Dominici familia priorem prouincialem, deinde cardinalem, Guidonem episcopum Cameracensem, aliosque litteris ac virtute venerabiles: quibuscum vt arcta intercesserat necessitudo, exquirendam in se recepit eorum sententiam, tacito virginis nomine. ANN. 1230. consulit viros graues de festo Corporis Christi.

Quod vt ab omnibus magna consensione probari comperit, suo deinceps consilio, auctoritate, fusisque ad Deum precibus promouere numquam destitit, quamquam subinde plurimos intelligeret grauiter aduersari. Et cum de certa Dei voluntate minime dubitaret, inter atroces, quę sæpe sæuierunt, procellas, ad Christianam fortitudinem solitus est Iulianam excitare, & si necessitas posceret, iuuare.

Quare cum illam sua domo pulsam impudenti quorumdam ganeonum audacia, ad Euam Martinianam audisset se recepisse, mox adfuit; ac enixe postulare cœpit, ad se cum sodalibus ab Eua migraret; cujus angusta cella non nisi graui incommodo se tenere posset: ædes sibi laxiores esse; in quibus opportunius pro instituto suo, quantum necesse esset temporis, exigeret: fructuum suorum, quos ab ecclesia perciperet, partem additurum, vt ijs vitam tolerarent: se suis interea ædibus cedere. Admirata hominis pietatem, bonique Dei prouidentiam Iuliana, tempestivum illius obsequium admisit. ANN. 1241. Iulianam domo pulsam recipit

Post tres menses, discussa causa cum innocentem Iulianam pronuntiasset episcopus, suamque domum postliminio redire iussisset, virginis etiam oratorium, quod homines impij diruerant, suo ipse ære restitui voluit. Verum Ioannes, Euaque hoc amicitiæ officium sibi non sustinuerunt pręripi : priuatoque sumtu construxerunt. ejusque oratorium restituit.

Amicę virgini numquam deinde illum defuisse satis constat; etsi vix aliquid litteris proditum sit. Partam tamen Martiniano collegio gloriam celebrati primum omnium festi Corporis Christi, illi magna parte deberi arbitror, tum quod beatę virgines Iuliana Euaque non facile quidquam nisi de Ioannis consilio aggrederetur; tum quod incensam illius festi desiderio mentem semper prętulerit. ANN. 1247.

Pulsa denuo Iuliana cum Namurcum, & inde Fossas abijsset: hicque ærumnis confecta, proxime mortem exspectaret extorris & inter ignotos; adesse sibi Ioannem admodum desiderauit, a quo extrema solatia perciperet. Non tamen adfuit ille; vel quod eadem, quę sæpe alias, corporis infirmitas crederetur, vel etiam itinerum pericula e bello Namurcensi deterrerent. ANN. 1258.

Quamdiu S. virgini superfuerit Ioannes, non habemus. Illustrem egit senectutem in earum virtutum exercitatione, quas in illa explorarat studiosissime, potissimumque fuerat imitatus. Nam profecto qui Iulianæ vitam primus scripsit, eam prius edere non est ausus, quam Ioannis censurę subjecisset. Magna igitur apud omnes virtutis opinione mortuus, in S. Martini sepultus fuit.

IOANNES LEONIVS

c Societate IESV. *Oliuerius Manaræus, Franciscus Costerus, Historia Soc. tom. 2. Imago primi sæculi, Alegambe.*

LEodij natus, Romæ Societatem IESV ingressus, terra cæloque celebre nomen sibi fecit insigni studio propagandi cultus Virginis matris. Anno Christi sesquimillesimo sexagesimo tertio prima Grammaticæ rudimenta Romæ docebat, quando collegit e sua primum schola, tum ex omnibus inferioribus eos, qui pręcipuo studio sociare cum litteris virtutem vellent. Illos diebus singulis post missos ceteros in vnam e scholis cogebat, in qua erat arula ad pietatem decenter instructa. Hic aliquamdiu orabant vniuersi: excipiebat precationem audientibus ceteris sacra lectio. Dominicis vero ac festis diebus vespertinas preces non sine cantu sed modico peragebant. Industrię laborisque sui, quantum sperare fructus numquam potuisset, in ipso satu Leonius animaduertit. Vidit siquidem pietatis in Deiparam, aliarumque virtutum tenella quidem illa, sed sincera prouenire germina; mox & surculos grandiusculos succrescere, arbusculam denique fieri Sodalitatū B. Virginis exordia.

Digitized by Google

fieri omnino pulchram, visendamque incremento eximio, & crebris quasi baccis primitiarum virtutum. Ex his quippe rudibus initijs emanarunt sodalitates, quæ dein B. Virgini egregio studio dedicatæ, tam insigni cum juuentutis, tum aliorum bono, certis formatę institutis, late per omnes terrarum oras fusæ sunt. Anno proxime sequenti confirmata solidataque sunt ea pietatis studia, & in eam speciem formata, quam hodie seruant.

Annis pluribus in vrbe peractis Lutetiam Parisiorum missus Ioannes, eodem ardore sed & successu, Virginis cultum propagauit, dato pariter a teneriore ætate principio. Animos sumsit a consilij felicitate; fructuque nequaquam impari eadem plerisque alijs collegijs sparsit semina. Quo factum, vt assurgente prouincijs omnibus religione, Gregorius XIII. pontifex maximus, vbi sodalitatum earum institutum cognouit, leges inspexit, atque ex fructu, quem ferebant, æstimauit, robur illis firmitatemque apostolicæ comprobatione adjecerit, amplissimisque ornauerit priuilegijs. Verum id postea.

Pręclarum interim Christianæ pietatis specimen anno illius sæculi sexagesimo nono Leonius edidit. Ardente in Gallia crudeli bello catholicos inter & hæreticos, subsidia regi miserat summus pontifex Pius V. duobusque celeberrimis pręlijs catholici victores de aduersarijs triumpharant. Sed proxima hieme grauiter Italum militem inopia hibernique cæli inclementia afflixit. Et cum ab hæreticis in auijs locis deprehensi interficerentur alij, alij suis omnibus spoliarentur; hi frigoris acerbitatem non sustinentes, plerique constrictis gelu pedibus in stabulis & rusticanorum hominum tuguriolis inter Aruernorum & Delphinatus montes hærere ac latitare coacti, grauissimis ærumnis conflictabantur. Quo comperto, jussus est Ioannes a suis moderatoribus opem ijs ferre, qui fortiter dimicantes, optime de catholica religione meriti fuerant. Emendicatis ergo Lugduni magna diligentia pecunijs, plurimam vestem coëmit, qua algentium membra recrearet; conductisque mulis, ac curribus, ingentem multitudinem in vrbem conuexit, ac distribuit non tantum in nosocomia, sed etiam in ædes plurimorum ciuium, quos excitauerat bonus pater ad id officij miseris præstandum. Insignem hominis pietatem sensit miles magno suo solatio; collaudauit & admirata est ciuitas vniuersa. De illo plura non habeo; nisi quod Taurini vita defunctus sit: nec ambigo Dei matrem, cujus cultum tanta gloria amplificauerat; ejusque filium, qui factum id sibi profitetur, quod vni e minimis fit, clienti suo pręmium rependisse.

In miseros milites

magna pietas.

IOANNES LIRANVS.

Vitriacus hist. Occid. c. 21. Cantipratanus in S. Lutgarde.

CLaruit sub annum millesimum ducentesimum in diœcesi Leodiensi magnum eius lumen: quem an Ogniaco debeamus, non liquet. Ioannis Niuellensis ibidem monachi e decano Leodiensi socium fuisse dumtaxat, affirmat Vitriacus; quos vita, virtus, eadem studia, imo Deus arctissime conjunxit. Nam propria mentis integritate non contenti, indefessis laboribus ambo proximi salutem susceperunt curandam.

Quo in munere cum multos annos insigni operæ pretio posuisset Liranus, Romam petijt anno decimo sexto, quarumdam virginum Deo sacrarum suscepta causa, quibus in Brabantia negotium facessebant ęmuli. Vita functus est, cum Alpes attigisset.

Igitur ex pacto, quod inierat cum S. Lutgarde, vt qui altero prior abiret vita, se sisteret alteri, ad illam venit. Ipsa viuere illum rata, manu innuit vt ad locum se reciperet, quo e monasterij legibus colloqui liceret. Ille se humanis excessisse respondit. In terram prouoluta, fixisque in eum studiosius oculis, triplicis vestis mirata varietatem, quęsijt quid ille vellet ornatus. Candida vestis, inquit hic, pudicitiam notat, quam a teneris vnguiculis seruaui illibatam. At labores, quos virtutis Deique causa diu sustinui, & qui ad extremum vitam rapuerunt, rosea compensantur. Cærulea denique & extima merces est vitæ ad disciplinæ Christianæ amussim exactæ. Quibus dictis e conspectu abijt.

Lutgardi beatus apparet.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNES DE MANNAVILLA
magister generalis ordinis S. Crucis. *Henr. Russelius.*

RElıgiosi hominis doctrinam cum eximia morum integritate conjunctam admirata est Lutetia: & cum inaudisset rex ipse Ioannes, illum in regiam vocatum sibi a sacris confessionibus adesse voluit. Nec in tanta regis gratia sui oblitus est Mannavillanus; cum ab illo nihil non sperare posset, in sancta euangelicæ paupertatis simplicitate sese continuit: neque quidquam eximium sibi præ ceteris indulgeri passus est. Atque adeo cubiculum, quo rex non raro ventitabat, munditia potius excultum esse voluit, quam ijs rebus, quæ monasticam humilitatem minus decerent. Id ipsum hominis virtutem regi magis testatam ac cariorem reddebat, eumque inducebat vt sæpius ad illum rediret, consuleret studiosius, auidius ab ore dicentis penderet, increpantem etiam benignius audiret. Neque hoc tantummodo priuatim; sed & publice suum regis ecclesiasten ordinarium esse voluit: eius enim insignem alias eloquentiam admirabilis quædam vitæ austeritas,& reliquarum virtutum ornatus magis commendabat. Sed nihil in eo majore gloria dignum, quam gloriæ honorumque contemptus. Oblatum a rege Meldensem episcopatum constantissime recusauit. Cum triennio prioris munus Parisijs sustinuisset, nullis sodalium precibus induci potuit, vt prorogatam dignitatem retineret. Eodemque tempore Laudunensem episcopatum cum denuo rex offerret, eadem constantia suum illud humilitatis studium retinuit. Sed denique cum Anglico bello rex occupatus pecunias ab ecclesia Gallicana cõtra fas extorqueret, nec vllis Mannavillani monitis, aut summi pontificis Innocentij litteris ab eo reuocari posset; ipse quidẽ magna pugna victus in hostium potestatem venit, & in Angliam delatus pænas dedisse videri potest: at Mannavillanus aulicis turbis ereptus, sibi suisque viuere totus cœpit. Quare cum anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto diem obijsset ordinis magister generalis, ipse substitutus est. Familiari sibi animi magnitudine sacrum illum magistratum gerere aggressus, perruptis omnibus difficultatibus, disciplinæ splendorem auxit non tantum dicendi facultate, consiliorumque sapientia, sed maxime optimis religiosæ vitæ exemplis. Atque ita triennium postquam magna laude expleuisset, dignitatem abdicauit; & quam semper in delicijs reposuerat, ad priuatam vitam redijt in Valle S. Matthiæ, aut (vt alijs placet) in domicilio Cadomensi, quod ipse nuper construendum curarat. Ibi placide quod fuit vitæ reliquum, egit.

S. IOANNES TREVIR
discipulus S. Materni. *Magnum chronicon Belgicum.*

TReuiris natus patre senatorij ordinis, adolescens spes omnes in rebus humanis sitas, parentesque ipsos reliquit, vt ad vitæ sanctioris institutum expeditus contenderet.. Venit ad Maternum, cum ille Hoij sub annum a Christo centesimum Christianam legem prædicaret. Venientem excepit apostolica caritate, præceptionibusque adeo salutaribus illum ad omnem sanctitudinem instituit, vt integerrimam duxerit vitam proxime sacram ædem, quæ jam tum ea in vrbe ad pedem præaltæ rupis Virgini-matri constructa erat.

ISABELLA HOIENSIS
virgo Corneliana. *Vita S. Iulianæ.*

AGebat Hoij sub annum millesimum ducentesimum tricesimum vitæ innocentia celebris virgo, Isabella nomine; quæ ad sublimem virtutis gradum euecta fuerat, regia sanctæ crucis insistens via. Multos enim perpessa generoso animo labores, miserias, ærumnas, acerrimasque & sponte susceptas corporis castigationes, germanam se Christi Domini sequacem probauerat. Infracta in primis ad patiendum fortitudine, sui demissione altissima, ardentique caritate prædita erat.

Eodem

Digitized by Google

PARS 2. Eodem tempore Leodij jubebatur a Deo S. Iuliana festo Corporis Christi initium dare: atque in alium quempiam facti decus, aut saltem curarum partem qua ratione deriuaret, circumspiciebat: Isabellam aptissime proposito suo seruire posse judicauit. Atque vt curas, desideria, sanctosque ardores illi posset aperire, ac tuto credere, desiderabat id vnicum, vt habitatione jungerentur. Obtinuit ergo vt in Cornelianam familiam reciperetur.

Corneliana domo recepta

Nec exspectatione falsa est. Longo familiarique sermone deprehendit in illa præclaram rerum Diuinarum cognitionem, sensumque admirabilem. Sed de eo, quod in votis præcipue habebat, nihildum potuerat accipere. Quare exploratura num inter ea quę diuinitus acceperat, nihil de noui festi sanctione percepisset; de VEN. SACRAMENTI majestate sermonem aliquando intulit, & post multa vltro citroque sancte agitata: Cum tantum, subjicit, in augustissimo hoc Mysterio miserationis in nos Diuinę pignus habeamus, quid si, mea Isabella, tantum hoc beneficium proprio quodam cultu, sacroque veneraretur orbis Christianus? At illa: Quotidiana est Diuini hujus muneris apud Christianos memoria: quotidianæ sunt in sanctissimo Missæ sacrificio gratiæ. Quid vltra poscis? Si pares referri gratias exspectas, numquam id profecto dabit mortalium egestas.

Festum Corporis Christi non prius probat

Perculsa est grauiter inopinato hoc responso Iuliana, veluti ferro transverberata. Acri commotam dolore sensit Isabella; & clarius illustratam eius mentem, aliquid supra humanum, de mysterij hujus dignitate percipere, quod ipsa needum attigisset. Quapropter quæ sanctarum mentium laudabilis est æmulatio, vt quidquid virtutis in alijs animaduerterint, in se pia contentione nitantur exprimere: Dei sollicitare pietatem cupidissime cœpit, vt quem venerationis in sacrosanctam EVCHARISTIAM affectum immisisset in Iulianam, aliquo saltem ipsa in se modo persentisceret. Et quo magis in suam sententiam Deum pertraheret, plurium aliorum preces suis adjunxit.

Annum jam totum in religiosa hac perstiterat ambitione, cum aliquando Euam ad S. Martini clausam visura, S. Martini templum patere vidit. Breui precatione Deum salutatura ingreditur. Sed ecce dum affixum Cruci Christum veneratur e genibus, vidit patente cælo beatarum mentium cœtum in suos ordines descriptum, vnaque omnium sententia flagitantem, vt mundo jam labante ad interitum, ecclesiæ militanti suppetias ferat ęterna bonitas. Vnum esse, validissimumque ad confirmandas hominum vires alioqui plurimum inclinatas subsidium, quod ante res omnes conditas, in arcano sapientiæ suæ penetrali sanctissima TRINITAS hactenus destinauerit. Promeretur tandem velut ex instructissimo infiniti amoris armamentario firmissimum Christianæ fidei munimentum. Similia orantes superos videre sibi videbatur & audire: oraculumque ex adyto Diuino annuere, affirmareque futurum, vt breui augustum sacrosancti hujus Mysterij festum orbi Christiano propositum merito honore coleretur.

quam insigni viso Dei voluntatem agnosceret.

Reddita sibi post hæc Isabella, visa est ex illo flagranti cælitum desiderio flammam aliquam concepisse. Nam adeo se immutatam sensit, vt nihil æque desideraret: affirmaretque identidem, etiamsi vniuersus orbis contra niteretur, se vnam totis viribus certaturam, quandoquidem eam esse Numinis voluntatem intelligeret, vt solenne festum indiceret ecclesia.

Mirum quanto exultarit gaudio Iuliana, hanc nacta decreti Diuini testem, secretorumque suorum participem. Hinc in commune liberius conferre cœperunt, quæ ad rem promouendam facerent; atque inuicem aperire, quid e cęlo mentibus infundi sentirent. Iulianæ posthac adhęsit constantissime Isabella, nec vllis potuit aduersis ab illa diuelli. Atque adeo cum domo, vrbe, imo patria videret pelli, comes ipsa cum alijs duabus adjungi voluit: inuictaque fortitudine calamitates sustinuit, quas ab exulibus virginibus in externa gente tolerari necesse fuit.

Iulianam exulantem comitata

Duabus sodalibus breui post vita functis, Salsiniam cum Iuliana secessit. Vbi & ipsa ærumnis fracta paulo post mortua est anno quinquagesimo quinto. Carissimæ & in omnibus calamitatibus fidissimæ sodalis mortem admodum ęgre tulit sancta virgo Iuliana: quam, dum ad exequias de more funus apparatur, seponendam curauit antistita Salsiniensis, ne extrema illa officia dolorem irritaret. Quibus rite factis, cum ad eam venisset, totaque videret in lacrymas solutam, familiariter & serena voce: Egregium vero, inquit, o Iuliana, religiosæ fortitudinis exemplum nobis relinquis, quę sodalis tuę mortē tam ęgre feras? Non eius, respondet ipsa, ego sortem lugeo, sed meam, quæ fida in tot aduersis, sanctaque comite destituor.

Salsiniæ moritur.

Et

Et vero de eius æterna salute adeo secura visa est, vt quæ familiaribus suis hac vita functis egregia pietate subueniebat, & quibus poterat eos commendabat studiosissime, pro Isabella tamen nullius omnino expetierit subsidium. Quod cum data opera totos dies quindenos sedulo notasset Himana antistita, mirari se plurimum dixit, quid causæ demum esset, quod tanto spatio, neque a se, neque a quocumque alio pro fidissima sodale sua, opem aliquam petijsset; sereno hilarique vultu respondit ipsa: E sanctis aliquem memini dicere, injurium esse sancto, qui Deo pro sancto supplicaret. Ea fuit de Isabellæ sanctitate Iulianæ sententia.

Cælo receptam asserit Iuliana.

IVLIANVS DE CÆSARINIS cardinalis & archidiaconus Leod. *Æneas Siluius, Paulus Iouius, Ioannes Stabulaus, Bzouius.*

GEnte Romanus, litteras admodum amauit; quibus indefesso labore strenuam dedit operam. Cum quidam insultaret aliquando: Quid inter mortuos latitas? Cur non potius ad nos exis, qui suauiter & sine labore viuimus? sapienter ille reposuit: Imo hi, inter quos ago, (libros intelligebat) fama vivunt, & laudati volitant per ora virorum; tu vero tuique similes neque nomine, neque re viuitis. Insignem certe diligentia comparauit eruditionem, & hac sui nominis celebritatem eo clariorem, quo cum majori virtute conjuncta fuit.

His animi ornamentis preditum in cardinalium collegium cooptauit Martinus V. pontifex titulo S. Angeli IX. Kalend. Iulij anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, cum auditor cameræ fuisset. Fuit item in ecclesia Leodiensi Hasbaniæ archidiaconus. Quem cum magnis rebus gerendis idoneum pontifex cōperisset, in Germaniam misit confirmandæ rei catholicæ, quæ turpi Christiani nominis pudore non leuiter concutiebatur insurgentibus, & magna virium incrementa sumentibus in Bohemia Hussitis. Anno trigesimo primo Norimbergæ de retundenda illorum impietate inibat rationes cum Sigismundo Cęsare, quando Martini V. imperium accepit, quo jubebatur proposita peccatorum condonatione sacrum bellum in Hussitas Christiano populo denuntiare, & Basileam œcumenicam synodum conuocare, quemadmodum Constantiensi concilio decretum fuerat. Vita mox decedenti Martino cum successisset Eugenius, vtramque antecessoris jussionem ratam habuit.

Paruit Iulianus, & ad sacram militiam catholicos hortaturus, dum præcipuas imperij prouincias peragrat, Leodium venit prid. Id. Iunij vniuerso clero insigni pompa ad vrbis portam cum crucibus collegæ suo occurrente. Florentissimas e tota Germania copias collegit. Equitum quinquaginta millia censa sunt: peditum minor fuit numerus. Neque tamen tantæ copię in interiora regni ausæ sunt penetrare. Sed in finibus dum populando hærent, panicus subito terror omnem exercitum adeo inuasit, vt nec viso quidem hoste in turpissimam se dederit fugam, nec vllis ducum, atque in primis Iuliani adhortationibus retineri aut reuocari potuerit.

Hinc Basileam se recepit legatus, vt Eugenij IV. auspicijs concilio præsideret. Sed vbi conuenisse paucos animaduertit, & infensiores ecclesiastico ordini deprehendit esse ciues, Eugenio significauit parum tutos illic patres futuros videri: atque adeo concilij sedem alio transferendam. Annuit pontifex, Bononiamque designauit. Sed cum plures Basileam quotidie confluerent, & in his nonnulli cardinales, qui in Eugenium iniquiores, illic consistendum esse contendebant; substitit & ipse Iulianus, quamquam antea suum legationis munus abdicasset, & deinceps præsidere non dubitauit. Temerarium procul dubio facinus; sed quod excuset (ait Paulus Iouius) notum & ardens disciplinę, pacisque ecclesiasticæ studium. Ab hoc errore se denique reuocauit, vbi comperit in aliquod velut schisma totum illum cœtum turpiter abire.

In gratiam igitur a pontifice receptus, ejusdem missu Constantinopolim abijt; suaque prudentia ac dicendi facultate imperatori patriarchęque persuasit, Ferrariam ad concilium vt venirent pro sancienda Occidentem inter & Orientem concordia. Conuentum est Ferrariam primum, tum Florentiam ibique Iuliano inter alios disputante, & causam Romanam fortiter sustentante, cum Latinis tandem Græci consenserunt.

Sed cum Hungariæ postea magnis viribus imminerent Turcę, eoque grauius malum time-

timeretur, quo magis inter se Hungari dissiderent, missus etiam eo Cæsarinus, in illam quidem gentem concordiam reduxit; sed factam cum Turca pacem cum infidam esse probasset, nec vllam esse posse crederet, regem ad arma concitauit. Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto cruenta pugna certatum est: vincentibusque barbaris ipse Iulianus cum Vladislao Poloniæ ac Hungariæ rege fortissime dimicante occubuit.

S. IVSTINA

virgo. *Petrus a Beeck in Aquisgrano c. 11.*

HAnc regis Hungarorum filiam facit Petrus Beeckanus; aitque sacrum eius corpus Aquis seruari in parthenone S. Mariæ Magdalenæ: nec addit plura. Nec ego vsquam amplius aliquid colligere potui.

LAMBERTVS PÆNITENS

monachus Hubertensis. *Cantatorium, & catalogus abbatum S. Huberti.*

MOnachi vestem magis, quam animum Andaini Lambertus induerat circiter annum millesimum quinquagesimum: falsaque prauæ libertatis illectus dulcedine, vitam sęculo magis, quam monasterio consentaneam ducebat. Sed anno quinquagesimo nono creatus abbas Theodoricus I. cum exterminatis asceticæ corruptelis, primæuo nitori cœnobium restituere studeret, acriter ille contra colluctatus est, animos peruerse faciente generis nobilitate, quæ ad honestum stimulus esse debebat. Quo ad saniora illum consilia reduceret, nihil non mouit Theodoricus: & præter crebras adhortationes, ardentibus votis a Deo subsidium efflagitauit: obtinuitque tandem.

Disciplinę osor

Ad III. Kalendas Quintiles, quo SS. Petri & Pauli triumphos veneramur, in nocturnis precibus ante abbatem medio sodalium conuentu forte Lamberto transeundum fuit, vt sacram lectionem consueto loco pronuntiaret. Verum vt auerso ab abbate animo erat, nullo venerationis signo, quæ monachis stata solennisque est, prætergredi constituit. Fregit Deus animum rebellem. Transibat Lambertus; & malignos in abbatem dum conijcit oculos, inter eius vlnas puerum videt specie venustissima, & aliquid supra humanum spirantem, arridentem quidem abbati suauissime, in se vero minas irato oculo, manuque intendentem.

horrendo viso immutatur.

Totus seuero illo spectaculo cohorruit: & cum cœptam persequi lectionem non valeret, ad abbatem tum denique rediens, mirantibus omnibus, illum consueto ritu veneratus est. Lacrymis nihilominus & suspirijs nullus fuit modus, donec soluto denique conuentu, abbatis pedibus aduolutus, suam illam contumaciam, ac ceteras noxas postquam accusasset, perpetuo exilio & mendicatione damnari postulauit.

Amplexus hominem Theodoricus, & blande consolatus, a proposito dehortari cœpit; promisitque si domi consisteret, pœnarum partem sponte & libenter in se recepturum. Sententia dimoueri nequijt Lambertus. Indignum esse contendebat in illo deinceps agere se cœtu, in quo viuere doluerat; aut sanctis illis regi legibus, quas habuerat contemptui, & ridiculo.

Post seueram pœnitentiam

Abbate igitur, postquam aliquamdiu repugnasset, potestatem faciente, Lambertus exulatum abiturus, triplici catena corpus constrinxit, vna pectus, brachia alia, tibias tertia. Abeuntem multis lacrymis prosecuti sunt, & propitium Numen precati abbas, sodalesque omnes.

Profectus ipse, vbi Mosonium peruenisset, excepit insigni humanitate Rodulfus abbas, nec longius abire passus est. Non ægre Lambertus acquieuit, quod eximia integritate coli isthic monasticen videret. Cœptaque seueritate cum prioris vitæ noxas ferme biennio fortiter expiasset, sancte mortuus est.

religiose moritur.

Digitized by Google

LANTZO

Wintershouij toparcha. *Notgerus episc. in S. Landoaldo.*

VIuebat sub annum humanæ salutis nongentesimum sexagesimum sextum, Wintershouiumque, illud inclytum antiqua sanctitate prædium tenebat beneficio comitis Flandriæ, qui abbatiam S. Bauonis ea tempestate occupauerat. Olim quippe S. Bauonis fuisse, diximus alias: eoque se receperat Adeltrudis eius filia, ex quo humanis rebus nuntium pater remiserat, sanctioribus studijs totum se daturus; & Gandensi patris sui cœnobio moriens ipsa donauerat. At quoad vixit, illam habuit integerrimę suę vitę scholam, præceptore primum S. Amando, quamdiu quidem hic suam Tungrensi diœcesi nauauit operam. Eius vices jussus implere S. Landoaldus, frequentissimus Wintershouij esse solitus est ad institutionem S. Adeltrudis, quam a patre Bauone sibi commendatam, illi commiserat Amandus. Religiosæ igitur quieti relictus postea Landoaldus, perpetuam hic sedem fixit cum sanctis comitibus Vinciana sorore, Amantio, Adriano, Iuliano; & sub eius disciplina adoleuit S. Lambertus Tungrensis postea episcopus, fortissimusque Christi martyr. Hoc loco (vnum deme Lambertum) vitam sancte concluserunt omnes, & sepulti sunt. Quibus addita est S. Landrada Belisiæ mortua, & huc angelicis manibus deportata.

Ornatum pretioso hoc thesauro Wintershouium multis a Deo prodigijs & accolarum concursu celebrari cœpit: donec ingruentibus Normannorum incursionibus abditæ sunt in terram sacrę tot sanctorum reliquię, ne barbarorum libidini relinquerentur: & simul excessit omnis illorum memoria, populorumque religio. Neque vero posita jam sęua illa tempestate cedere potuit ea obliuio neglectusve, cum Wintershouij dynastia potiretur Tietboldus, aut deinde filius eius Aldegandus. Nepoti nimirum Lantzoni seruabatur ea gloria; cujus insignem virtutem hoc honore Diuina pietas dignata est. Cum enim circiter annum nongentesimum sexagesimum sextum populationis cujusdam metu multam supellectilem, quasi loci religione defendendam in templum deportassent Lantzonis clientes, eam super sanctorum sepulcra deposuerunt nulla reuerentia. Non tulit indignitatem Sarabertus quidem presbyter, & in terram sarcinas dejecit. Excanduere coloni; deterritoque clamoribus & minis sacerdote, priori loco restituerunt impedimenta illa. His nox superuenit, & irrogatam sacris reliquijs injuriam castigauit. Nam luce proxima agricolę illi, intactis sacris corporibus, redactam in cineres & fauillam viderunt omnem suam supellectilem. Spretæ religionis pœnam agnouerunt vniuersi. Alia insuper ejusdem argumenta Deus edidit non pauca: quæ pari admiratione digna, prætereo tamen, ne longior fiam; nec ad meum institutum faciunt.

Perstrictus prodigiorum splendore Lantzo, credidit Dei voluntatem esse, vt pristinus sanctis honor redderetur: rogauitque episcopum (erat is Eraclius) per ipsum liceret sacra lipsana priori loco restituere, vnde Normannorum metu sublata fuerant. Impetrauit. Et Bono archidiaconus cum archipresbyteris duobus, alijsque pluribus Trudone, Tungris, Belisia accitis aduenit. Effossa terra plura repererunt conditoria. Vno Landoaldus & Amantius claudebantur. Indices erant lapides bini capitibus suppositi, inscriptique nominibus singulorum. Alterum capulum implebat virginis corpus: Vincianam appellabat argentea crux pectori imposita, proximamque testabatur esse Adeltrudem. Quæ in populi conspectum educta, & multis a Deo miraculis illustrata, magnam omnibus, sed in primis Lantzoni voluptatem simul & venerationem pepererunt. Pari successu, approbationeque Numinis, eruta sunt anno sequenti corpora SS. Landradæ, Adriani, & Iuliani.

Prodigiorum frequentia creuit Lantzonis in sanctos religio: quorum sacra pignora veritus ne a Bauonianis alio auferrentur; incessit eum cupido decerpendę portionis alicujus e sacro illo thesauro. Decerpsit quod libitum est, facta ab episcopo potestate. Et forte paschatis festo jubebat in prædium aliud suum efferri: ecce bajuli, veluti radicibus in terram alte defixis subito hæserunt immobiles, statim atque ad templi fores deuenerunt. Improbantis id esse Numinis asserebant omnes: a proposito tamen Lantzonem non dimouit. Pijs in egenos largitionibus, ardentibusque votis reliquo die totaque nocte Deum flectere contendit. Cumque id mane frustra fuisset, tenuit nihilominus in proposito con-

constantiam;& totos octo dies, cum Deus semper repugnare videretur, precibus contra semper & eleemosynis pugnauit. Octauoque tandem die ceu alter Iacob patriarcha luctantem secum debellauit pio hoc stratagemate. Agros suos, cum ante decimas deberent alteri cuidam templo, constituit nona fructuum parte huic sanctorum ædi obnoxios esse: illi vero in quam sacra lipsana parabat inferre, præter opulenta quædam munera, insignem paternæ hereditatis portionem largitus est. Hic denique manus dare visus est Deus, sancta illa victus munificentia. Sacras reliquias victor Lantzo, quo voluit, asportauit. Has S. Landradæ fuisse creditum est, quæ in hunc diem Belisię coluntur. Cum enim sacra omnia corpora Gandauum postea fuerint auecta; nemo prodidit, quomodo aliter suas reliquias obtinuerint Belisienses. Et fortassis ea de causa Deus non nisi religiosa illa Lantzonis liberalitate delinitus, illas inde tolli passus est, quo tum illustri prodigio ab angelis deferri quondam voluerat.

Plura de Lantzone veteres non reliquerunt. Post actam Christiane vitam illum ex hujus mortalitatis caligine ad æternam lucem euexerunt sancti, quos ex inhonori sepulcri tenebris in auras ipse ad cultum eduxerat.

L E O
episcopus Calaber. *Renerus.*

ILlustrissima inter Græcos gente ortus, in Calabria fuit episcopus. Verum Ottoni II. imperatori bellum aduersus Græcos mouenti Calabriam prodidisse cum incusaretur, episcopatu suo pulsus est. Leodium venit ad Eraclium episcopum anno nongentesimo septuagesimo. A quo humanissime habitus, in S. Laurentij monasterio tum veluti nascente habitationem & annonam accepit. Vitam hic egisse fertur omni virtute spectatam. Qua tandem feliciter functus, ibidem sepultus est ex aduerso arę S. Gereonis.

MARLANIVS ADOLESCENS
Cæsarius l. 2. c. 12.

CIrciter annum a Christo nato millesimum ducentesimum decimum quintum non procul Floreffia nobilis quidam adolescens, leuitate juuenili redactus ad incitas, nefaria famuli sui oratione eo impulsus est, vt spe recuperandæ sortis pristinę, ejurata Numini fide, in dæmonis clientelam se transcriberet. Negauit dæmon satis id esse, nisi spes suas omnes a Dei matre auocaret. Cohorruit ad hanc legem adolescens; & perditissimo famulo frustra instigante ne quod minus erat, refugeret, postquam non adeo grauate majus fuerat ausus: constanter affirmauit, gratius futurum vitam in summa rerum omnium inopia trahere, quam abijcere tam impie parentem optimam. Siluaque pedem effert primo jam diluculo: in siluam enim intempesta nocte fuerat abductus; quia scilicet vix vlla nemorum, montium, noctisque abdita sufficiunt impietati.

Dei Matrem ejurare detractans

Abibat mœstus; videt ędiculam, ingreditur, & ecce in ara conspicit imaginem eius, cui tam constanter adhæserat, bonæ matris: & quasi conspecta Cynosura, in viam se reducere desiderat. In terram supplex se abijcit; & qui in Dei conspectum se dare non audebat, eius parentem sensit longe pijssimam. Suis enim oculis videt, auditque auribus illam in altari imaginem pro se supplicantem: sed puerum IESVM, qui matris brachio gestabatur, ne responso quidem primum dignantem, sed auertentem oculos. Cumque pergeret mater, auersum toto corpore filium audit dicentem: Perfide me deseruit: qua dignus est gratia? Tum mater Filium in ara collocat, & illius aduoluta pedibus: Fili, inquit, hoc mihi da, vt peccatum illi dimittatur. Tum demum erexit matrem, & illi annuit, cui nihil negare posse fassus est.

eius precibus

obtinet peccatorum veniam

Ad eamdem forte deuenerat ædiculam vir nobilis, cui sua omnia vendiderat adolescens: auditoque eius ejulatu, ratus Missæ peragi sacrificium, intrauit. Verum vt adolescentem agnouit vberrimis lacrymis preces fundentem, ex abdito placuit euentum rei clam explorare. His ergo quę diximus, obstupefactus prodigijs, abeuntem adolescentem secutus, cum factum hic dissimulare vellet: Nullis, inquit ille, ambagibus opus est: rem

Digitized by Google

rem teneo. Vnica mihi est filia heres ex asse: hanc, si placet, conjugem accipe: te mihi generum cupio. Assensus est adolescens: viuebatque cum conjuge futurus heres soceri, quando posteris historiam hanc scribebat Cæsarius. & pristinam fortunam.

MARTINVS

capucinus laicus. *Zachar. Bouerius Annal. sui ordinis anno 1550.*

BElgam fuisse hunc ait Bouerius: ego nostratibus alio nomine non possum accensere, quam quod Francisci Titelmanni socius fuerit, imo discipulus. Itaque cum de alio non constet, *accessorium* (vt aiunt) *suo principali* jure non disiungam.

Profectus e Belgio Romam cum Titelmanno Martinus, & Capucinis adscriptus, eximia claruit virtute. Enituit Romę potissimum illius caritas in ijs curandis, qui in incurabilium nosocomio decumbebant: quibus tanto ardore omne pietatis officium impendebat, vt sui non satis memor, etiam supra vires auderet. ANN. 1535.

Monasticæ disciplinę studiosissimus fuit. Obedientiam in primis, paupertatem, sui contemptum, mansuetudinem, animi moderationem insigni studio coluit. Silentium & ab humanarum turbarum strepitu secessum amauit, quo liberiore mente cum Deo suo sermocinaretur.

Postquam annos quindecim admirabili sanctitudine in eo valetudinario se exercuisset; atque (vt fama fuit) plurima supra naturę leges edidisset prodigia; diuturna grauique corporis infirmitate virtutem illius probauit Deus. Quam postquam Christiana fortitudine inuictaque patientia Martinus superasset, religiose mortuus est: partamque illis virtutibus cælestem palmam ostenderunt miracula in illius morte perpetrata: quæ cum a nemine describerentur, sola fama ad posteros perlata sunt. ANN. 1550.

MATRONA LEODIENSIS ANONYMA.

Ægidius Aureæ vallis.

VIuebat anno millesimo centesimo quadragesimo secundo præclara morum puritate celebris; at multo celebrior facta mirabili Diuinæ pietatis præsidio. Horrendo sub id tempus incendio ciuitatis Leodiensis optima pars conflagrauit. Isque supra naturæ vim flammarum ardor fuit (Dei quippe manum hominum peccata castigantem agnouerunt vniuersi) vt etiam templa turresque ac mœnia ruerent in cineres, ignemque conciperent non proxima quæque, verum etiam remotiora, solo leuioris alicujus scintillæ appulsu. Frustra erat omnis contra nitentium conatus. Mirabilis incendij

Mira S. Bartholomæi virtus emicuit in tanta illa calamitate. Ad eius collegij tabernas horrendæ alicujus tempestatis instar deuenerat incendium: repente substitit non secus ac rapidus torrens præcelsi montis objectu. Attollebantur interdum globi flammarum, quasi si teneri indignarentur; & ędificium inuadere certabant: relabebantur in semet, ac in fumos abibant. vim sistit S. Bartholomæus

Ita sua texit B. apostolus; imo & suos. Matronę illius (de qua jam agimus) ædes quamquam ligneę manserunt ab hoc incendio prorsus illęsæ. Ardebant in proximo omnia, nec ignem ferebant lapideæ domus, ipsumque S. Georgij contiguum templum: male materiatam & cariosam domum vnicam innocui adlambebant ignes, quorum ardore saxa quoque dissoluerentur. Nota erat feminæ probitas. Neque dubitatum est, in virtutis præmium renouata fuisse primorum sęculorum prodigia; quibus Chaldæa fornax adstantes improbos absumsit, immissos non attigit tres insontes viros. & ligneas ædes seruat.

Religiosæ huic matronæ S. Bartholomęum præsidio fuisse creditum est, quem propria quadam religione colebat ipsa: eique nuper præclarum aliquem basilicæ ornatum consecrarat.

BB. MO-

Digitized by Google

BB. MONACHI S. PETRI LEODII martyres. *Ægidius Aureæ vallis.*

IN extremo Publici montis jugo monasterium posuit S. Hubertus cum Leodium conderet; atque in eo monachos collocauit, S. Benedicti legibus victuros. Ij vero perseuerarunt ad annum vsque octingentesimum octogesimum primum. Quo Normanni, barbara hominum colluvies, in Mosam nauibus inuecti, mira crudelitate magnam Lotharingiæ partem depopulantes, Leodium deuenerunt, & ferro flammaque vastarunt vrbem, nulla sacrorum reuerentia: adhuc enim impijs gentium erroribus tenebantur. Irrumpentes igitur in S. Petri monasterium, omnes inhumane trucidarunt monachos; qui seu loci religione, seu armis ciuium tutos se crediderant; siue barbarorum celeritate deprehensi, eorum furori nequaquam se subduxerant. Martyrum honores apud antiquitatem adepti sunt, vt quibus Christianorum sacrorum odio mortem intulissent barbari.

Corpora humo educta, & propter altaria in crypta S. Petri pro dignitate recondita ab illius ecclesię decano suis diebus, testatur Ægidius. Et patrum nostrorum memoria cum exorcismis quidam energumenus expiaretur, fassi sunt dęmones se sua statione pelli viribus S. Huberti, (qui primum scilicet ibi sepultus fuit) & eorum quorum ibi reliquiæ seruantur. Hi porro vltimi fuere monachi. Nam ab illa clade restaurato templo, successerunt in hunc diem canonici.

MONACHVS S. LAVRENTII e decano S. Bartholomæi. *Gesta abbatum S. Laurentij.*

STabat ad S. Laurentij sub annum a Christo nato millesimum centesimum quadragesimum, magnaque gloria florebat asceticæ disciplinæ dignitas: & e clero non paucos allexit, vt contemptis mundi illecebris, religiosiorem ibi vitam instituerent.

Eminuit e ceteris quidam S. Bartholomæi decanus mira vitæ seueritate sanctimoniaque spectabilis. Duro solo, substrata dumtaxat vili quadam culcitra, quietis aliquantulum capiebat, subjecto in puluilli vicem lapide. Cilicina veste perpetuo carnem affligebat: tertium in hebdomadas omnes sibi jejunium indicebat. Carnibus numquam, etiam cum infirmior valetudo, vescebatur. Omni abstinebat potu per omnes quadragenarij jejunij dies, at vino tota vita. Quem sibi subtrahebat victum, abbate potestatem faciente, erogabat in egenos. Qua vitę austeritate cum multos annos egisset, magna omnibus relicta suæ virtutis admiratione, sancte mortuus est.

MONACHVS S. TRVDONIS.

Quæ ex illius monasterij commentarijs mihi dedit admodum R. D. Hubertus Suetendael abbas.

VIrum genere clarum infelix casus meliore beauit felicitate. Cum enim ex alto cadens crura perfregisset, rectius stare mens illi cœpit. Agnita rerum humanarum inanitate ad cęlestium pretium & dignitatem aspirauit. In asceterium S. Trudonis se abdidit anno millesimo quinquagesimo, facultatibus omnibus vna Diuino nomini consecratis. Hic eo studiosius in rectam omnis virtutis orbitam se reduxit, quo longius recesserat in sæculi auia. Communi omnibus precationum penso minime contentus, solemne habuit media nocte ceteros anteuertere, templumque ingressus longiores preces fundere.

Forte aliquādo procubuerat ante S. Trudonis aram; suaui correptus sopore videre visus est puerulos per altaris crepidinē multa discursione, fletuque velut admodum sollicitos. E quibus cum ipse quæsijsset mœroris aut sollicitudinis causam: Ecce, inquiunt, S. Stephani

phani sanguis jamjam effundetur. Expergefactus ipse priorem mox adit, aperitque visum. Asseruabatur in ara illa S. protomartyris sanguis, ab Adelardo abbate Metis allatus; vt suo tempore narrauimus. Eum inspici placuit. Aduocatur vniuersus monachorum cœtus, precationes fiunt, corporum supplicijs conciliatur Deus, ac denique ad sacrarum reliquiarum conditorium itur. Hic vasculum illud, quo sacrum depositum tenebatur, ita repererunt inclinatum, vt extremum marginem sanctus humor pertingeret. Post dictas Deo gratias, ita futuro prouisum est, vt addito ad oram circulo omnis deinceps effusio impediretur.

Sancta morum innocentia vitę reliquum egit monachus, donec ad partum virtute prǫmium euocaretur.

MONACHVS PORZETENSIS.

Cæsarius l. 6. c. 9.

VIxit Porzeti circiter annum Christi millesimum ducentesimum monachus quidam magnæ in pauperes pietatis, eximijque candoris. Diebus pæne singulis aderat pauperibus, ad aquas calidas, quę ante monasterij fores scaturiunt, valetudinis ergo ventitantibus. Inter hos mirabili comitate considebat, ijs dorsum fricabat, abluebat capita, vestes mundabat. A quibus caritatis officijs cum illum plerique non raro absterrere conarentur, numquam sibi passus est persuaderi: nec alia se ratione solitus est tueri, quam illa: Si ego me his abstinuero, egenis illis hominibus quis porro subueniet?

Illa animi demissione, candoreque magnam ipsum esse consecutum virtutem, prodigio Deus ostendit. Coloniam enim aliquando ille profectus, ad amicum diuerterat; nocte audijt ęre campano signum dari nocturnis precibus in S. Petri concinendis. Strato se corripiens, patentem forte cubiculi sui fenestram conspicatus, ædium portam esse credidit; & per illam egressus, ad D. Petri se contulit. Post preces cum domum rediret, miratus hospes vnde veniret, & qua exisset; ex eius responsione collegit per fenestram e loco sublimiore diuinitus in subjectam plateam fuisse demissum: ipsius sanctimoniam secum veneratus, facti miraculum illi non aperuit.

NICOLAVS FAL

e Societate IESV. *Oliu. Manaræus.*

TRajecti natus est Nicolaus Fal patre Paulo viro consulari, & orthodoxæ religionis peramante. Fuit hic a teneris annis supra modum ætatis sacrorum omnium studiosus, & pius admodum in egenos. Cum legibus operam nauasset, jamque licentiam vt adipisceretur, parentes exspectarent, eoque fine sumtus necessarios submisissent, humanis omnibus rebus nuntium remittere constituit. Obstitere parentes, & splendidas cum honesta virgine nuptias proposuere. Obtinuit ipse inuicta constantia, suis vt consilijs annuerent illi, & bene precarentur. *Sæculo generose renuntiat.*

In Societatem receptus, postquam theologicis disciplinis Moguntiæ studuisset, Helingenstadium & Erfordiam missus, vtrique illi populo Lutheranis erroribus impedito auxiliari magno animi ardore tentauit. Neque colonos censuit esse deserendos. Per graues ærumnas, periculaque, & altas sæpe niues quęsiuit perditam ouem, vt ad ouile Christi reduceret. *Hæresim impugnat in Germania,*

Post exantlatos in Saxonibus multos labores, vtroque parente vita defuncto, Trajectum redire compulsus est; sed numquam propositi sui oblitus. Arenam non deseruit, sed mutauit cum ampliore. Aquisgranum, Ruremundam, Sittardiam, Masecam, Stokhemium, Trudonopolim incredibili Diuini honoris desiderio, indefesso labore, parique fructu lustrare cœpit. Eo se majori contentione vertit, vbi grauius malum grassabatur. Oppressis catholicis Aquisgrani hæresis exultabat, & veluti firma quædam munimenta quaternas ea in vrbe sathanæ synagogas erexerat, præter innumeras propemodũ scholas, in quibus a primis annis venenum juuentus hauriret. In vrbe adeo corrupta sub hæretico magistratu ausus est Nicolaus velut in aliquod sodalitium Virginis Matris viros octoginta cogere; qui vt ante Baal genu flectere noluerant, ita postquam solemni formula catho- *sed fortius in Belgio:*

Digitized by Google

catholicam fidem professi erant, omnibus mensibus aduersus ecclesiæ hostes Eucharistico Gedeonis gladio armabantur.

& prudenter,

Ea vero prudentia in medio nationis prauæ se Nicolaus habebat, vt neque senatus ipse quamquam hereticus inueniret in eius factis dictisve, quod politiæ aduersari objicerent; & a parentibus pueri peterent sibi potestatem fieri Nicolaum audiendi. Quibus auditis Iuliaci dux, cujus fidei credita erat a Cæsare vrbs illa, non omnem dumtaxat annonam Nicolao perliberaliter præbuit, sed etiam præcipuum aliquod curiale templum ei dicenti patere voluit, qui hactenus in angustiore ædicula verba habuerat.

magno bono.

In alia vrbe (quam reticeo, quod hodie religionis laude floreat) tantum inualuerat hæreseos lues, vt pueros quadraginta duos deprehenderit, quibus Christiani baptismatis sanctitatem occulta parentum perfidia inuiderat. Omnes sacris initiandos curauit. Quadraginta familiæ impijs erroribus peruicaciter adhęrentes, vertere solum compulsę sunt: totidem meliora iniere consilia.

Nullos refugiebat labores, vbi spes erat alicujus frugis in Dominica horrea referendæ. Infractam eius tolerantiam cum aliquando quispiam miraretur, respondit: Cęlum meum est, terram non quæro. Post annum denique sesquimillesimum nonagesimum (certius nihil comperi) ad promeritum præmium Deus euocauit.

NIVELLENSIS MERCATOR ANONYMVS.

Cantipratanus in vita S. Mariæ Oegniacensis.

SAnctæ Mariæ Oegniacensi debet hic plusquam ciuicam: illius quippe auxilio secundum vnum Deum & multa euasit pericula, & æternam consecutus est salutem.

Ad eam adierat aliquando, cum adhuc Willembrocum ad portas Niuellenses ipsa incoleret; primoque illius conspectu, tanta luce mentem suam illico perfundi sensit, vt & claram sui cognitionem sine vllo nebulæ alicujus objectu perciperet, & Deum in se mirabiliter operantem sentiret: ipsa vero vas electionis illum ad insignem innocentiam a Deo destinatum diuinitus accepit. Animum igitur ille expiauit facta sacerdoti noxarum confessione; solitusque est deinde frequenter ad Mariam redire non majore sua voluptate, quam emolumento.

Constantia.

Non diu post suscepta cruce, sacri belli aduersus Albigenses hæreticos tessera, profectus est cum ciuibus non paucis. Quos impudicis fabulis delectari solitos cum acriter increparet, irritati illi hunc occidere constituerunt, nisi importunis se monitionibus abstineret.

De quo ille monitus ab amico, respondit intrepide: Ego vero eius metu minime absterrebor: atque vtinam fiat, vt pro gloria Domini mei IESV CHRISTI ab eius inimicis occidar. Aliter euenit: illo constanter dehortante, omnes ab impia consuetudine recesserunt: hominemque Deus seruauit, quem vaticinata erat Maria rediturum incolumem.

In patriam reuersus, cum aliquando cum illa ageret de supplicijs, quibus ad cælestem gloriam mortui expiantur, totus cohorruit ad eorum tormentorum atrocitatem. Sed in proximum templum ab illa missus, cum magno mentis ardore in preces incumberet, abreptus est in ecstasim. Qui deinde sibi redditus, cum ad eam redijsset, narrauit Maria, quęcumque in ecstasi ille diuinitus acceperat, addiditque: Ecce Christus Dominus candidam crucem manu pręferens pollicetur, te martyrij honore cumulandum in præmium inuictę tuæ voluntatis, qua pro tuendo illius honore mortem ipsam contempsisti; rectaque transibis in cęlum sine vlla, vel certe perbreui peccatorum expiatione.

Prodigio curatur a B. Maria Oegniac.

Alias negotiationis gratia peregre profectus, cum aliqua corporis infirmitate in vitæ periculum deuenisset, in patriam tamen redire constituit minimis itineribus, & languidum corpus innixus baculo trahens: & reuera redijt, quamquam ægerrime. Tum ad illam veniens, instigante Deo, capillos ab illa postulauit. Dedit illa; statimque ab eo recessit. Hic affectæ corporis parti capillos admouit, & integrę valetudini mox restitutus est: stupefactusque subita sanitate, procubuit in genua. Cumque experiretur facilem membrorum flexionem, quando jam solus erat, venit in mentem persoluere statum angelica-

gelicarum salutationum pensum, adjunctis certo numero genuflexionibus, quę ab octo diebus prętermiserat, morbi importunitate impeditus. Finem vix imposuerat, redit Maria, & de curatione gratulata, subintulit: Abieram vt curareris, & obires, quas infirmitatis causa dimiseras, religionis exercitationes.

Ille domum regressus, filiolum inuenit grauiter in capite sauciatum, cumque vulnus abluere mater cœpisset, absistere coacta est ipsius vulneris horrore. Quos pater sibi salutares senserat B. Marię capillos, applicat filio. Mirum dictu: derepente clausum est omnino vulnus. Oblongam & pertenuem cicatricem diu postea se vidisse Cantipratanus affirmat, cum jam vir esset, qui vulnus puer acceperat. Neque plura de patre refert. In eius morte fidem Mariæ vaticinio stetisse non ambigo. *item eius filius.*

B. ODILIA

mater B. Ioannis Abbatuli. *Ægidius, scriptor triumphi Steppeani, Transmosanus.*

EXimia sanctitudine B. Odilia Leodij floruit anno post virginis partum millesimo ducentesimo. Editam tribus libris illius vitam habuit Chapeauillus: mihi nusquam videre licuit. Quæ pauca ex alijs colligere potui, lector habe.

Eius parua laus non est, filium genuisse Ioannem Abbatulum, qui tantam vitę sanctimoniam attigit. Eum fuisse ipsius curæ sollicitudinisque fructum, ego quidem arbitror. Aliud proprię virtutis argumentum nobis est a suauissima cum Deo familiaritate, in quam se miranda sacrarum meditationum puritate penetrarat, & ad mortales ex ea sępe arcana referebat.

Eo die, quo Leodium inuadebat Brabantiæ dux anno illius sæculi duodecimo, cum trepidam omnium videret consternationem, primo mane ad S. Lamberti adijt, rempublicam Deo commendatura. Sed quæ alias, quoties templum illud ingrederetur, solita erat circa corpus B. martyris viso aliquo recreari, cælestique luce perfundi, illo die nihil plus vidit, animoque sensit, quam si martyris sacro corpore locus fuisset destitutus. Moxque intellexit Deo mentem illustrante, ciuitatem Leodiensem patroni sui tutela præsidioque nudatam, hostium arbitrio permitti. Eam paucis post horis occupauit Brabantus. *Multa diuinitus edocetur.*

Anno proximo vlturus injurias episcopus Hugo Petrapontius mouebat in hostem, & III. Idus Octobris in campis Steppeanis sub auroram instruebat aciem; Leodij procubuerat in preces Odilia pro suorum incolumitate; ecce medio aëre videt inuictum martyrem Lambertum, a capite in pedes armis fulgentem aureis, auream dextera hastam quatientem, scutum aureum sinistra, candidoque inuectum equo, contendentem ad exercitum: pręcedebat sanctissima Virgo Mater in venerando habitu. Et ne ludibrium oculorum putes: eadem hora fuit in ipsa acie ciuis, vir probatæ fidei, qui inclytum martyrem eadem specie in hostes ducentem se vidisse affirmauit. Et vero dignam tali duce victoriam fuso hoste Leodienses adepti sunt.

Sed in aliud mox discrimen reciderunt. Sequenti anno cum magnis copijs descendit in Germaniam inferiorem Otto imperator, quem Romani pontificis imperio Christianorum cœtu rejectum pronuntiauerat, & auersabatur ecclesia Leodiensis. Quamobrem armati & jam proximi Cæsaris ira metuebatur. Dum omni consilio publicæ saluti prospicit episcopus, sub idem tempus Odilia supplex Deum rogabat, vt a patria vicinum malum auerteret; rursumque sublimem in aëre vidit S. Lambertum splendidissimis armis ornatum, qui scuto in Ottonianos objecto ciuitatem ipsam protegeret. Et sane contra nihil Otto tentauit; imo promisit vniuersam ditionem toto biennio ab omni injuria seruaturum illæsam. Sed eius dictis parum fidei dabatur, cum satis constaret cum pluribus alijs principibus illum aduersus ecclesiam Leodiensem conjurasse.

Incumbebat igitur in preces Odilia pro publicę rei incolumitate; adfuit Lambertus: cumque sub eius oculos purpuratam quamdam ecclesiæ suæ speciem cælesti aliqua luce perfusam posuisset: Hæc est, inquit, ecclesia, quam sanguine meo Deus consecrauit: eique de aduersarijs quam mei gratia victoriã inchoauit, perficiet; & pulso Ottone Fredericum eius æmulum cis Rhenum adducet. Ita factum: & securitati reddita est resp.

Hæc fere de rebus a B. Odilia gestis mihi comperta sunt. Post exercitam egregijs virtu-

Digitized by Google

virtutibus senectutem, religiosam vitam cum felici morte commutasse fertur: quo tempore, non constat. Hoc certum; non ante annum vndetricesimum: quo scilicet mortuus Hugo Petrapontius, illi significauit expiantibus se flammis detineri, & ab eius precibus opem flagitauit.

OSILIA
Leodij cla usaad S. Seuerini. *Cæsarius l. 11. c. 29.*

LEodiensis quędam virgo Osilia nomine sub annum millesimum ducentesimum cui Metensi nupserat. Eo mortuo, formam qua pollebat in paucis, impuri cujusdam hominis libidini prostituit. Quo pariter viuis erepto, tantum animo suę impudicitię horrorem concepit, vt promeritis supplicijs illam expiatura, tuguriolo ad S. Seuerini templum se incluserit, membra constrinxerit ferreis catenis, suam turpitudinem tanta mentis amaritudine defleuerit, vt pro lacrymis purus sanguis ex oculis promanare cœperit. Ea seueritate cum aliquamdiu se castigasset, forte preces ad Deum fundebat, quando diffractas catenas ad pedes defluere mirata est. Cohorruit illa miraculo, quasi omnia pænitentis studia Deus auersaretur. Nouis tamen vinculis stringendam se curauit, sua constantia Dei clementiam prouocatura. De eo cum deinde consuluisset abbatem S. Marię, (fuit ea quondam dignitas in collegio S. Lamberti: hodie præposito addita est) suum metum, atque ex eo mœrorem ei aperuit. Verum benignius ille factum hoc interpretatus, eam bene sperare jussit, affirmauitque certum placati Numinis hoc indicium fuisse. Recreata hoc responso Osilia, majori mentis alacritate virtutem colere perseuerauit: ac denique feliciter obijsse fertur. Sunt qui existiment hujus Osilię secessum fuisse, non Leodij ad S. Seuerini, sed in Condrosis apud cœnobiolum seu prioratum S. Seuerini; ibique eam rexisse abbatem Vallis S. Lamberti, quæ nimirum B. Mariæ de Roserijs appelletur. Quibus ego quidem non habeo, quod certo opponam: penes lectorem arbitrium esto.

PETRVS
e decano S. Petri prior S. Ægidij. *Ægidius.*

AD S. Petri canonicus Leodij fuit, ac subinde propter virtutis opinionem decanus. Cum vero S. Ægidij templum in Publico monte instaurasset episcopus Albero anno Christi millesimo centesimo vicesimo quarto, canonicorum regularium cœnobium adjunxit, præfecitque Petrum; quem egregia laude decani dignitatem sustinere audiebat. Qui postquam nascentem illam familiam monasticis institutis laudabiliter multos annos informasset, *in humilitate cordis, & paupertate maxima, vir discretus & religiosus*, ait Ægidius, pie mortuus est relicta pietatis suę posteritate.

PHILIPPVS
ex archidiacono Leodiensi prior Alnensis. *Cæsarius l. 1. c. 6. manuscr. Alnens.*

MIssus ab Eugenio papa S. Bernardus vt Christianum populum ad sacram militiam concitaret, Leodium venit anno millesimo centesimo quadragesimo septimo. Forte aliquando in S. Lamberti e loco superiore verba faciebat, quando ibidem ante quandam aram procubuerat in preces Philippus archidiaconus: ad quem cælo vox hæc delapsa est: Exi, audi: euangelium reuixit. Exijt mox, audiuitque Bernardum mira suauitate, simul & ardore dicentem. Perorationem consecuta est mirabilis animorum commotio. Compluribus alijs sanctam Crucis tesseram ad bellum suscipientibus, in Cisterciensem disciplinam admitti petijt archidiaconus, & obtinuit. Abjectis igitur omnium humanarum rerum illecebris, sanctum abbatem secutus est. Felicia cœpta dæmon inuidit; illumque grauiter in itinere oppugnatum, ad mundi quisquilias reuocare conatus est. Ad Bernardum ille confugit, eique hostis fraudes aperuit. Qui ad ipsum: Macte animo,

Digitized by Google

animo, Philippe; hodie aduersarij importunitate liberaberis. Euenit, vt dictum erat.

Claram-vallem vt attigit Philippus, monastices rudimenta feliciter perdidicit. Cumque anno sequente jam affecto sacram coloniam sanctus abbas Alnam deduci mandaret, ceteris ille cupiebat adjungi, nec audebat petere. Precibus ergo cum se dedisset, delapsa hac a Deo voce confirmari se sensit: *Pete quod vis, & fiet tibi.* Adijt ergo ad S. patrem, petijt, audijtque: *Vade in nomine Domini.* Profectus Alnam, eo se religiosæ disciplinæ studio probauit, vt prioris munus suscipere jussus sit. Executus est insigni vigilantia. ANN. 1148.

Rogatus a juuene monacho, vt noxas suas confitenti aures daret: innuit ille, exspectaret tantisper, dum quas cœperat preces absolueret. Interim datur signum horis publice concinendis. Conferenti eodem se priori occurrit juuenis illius specie angelus, & ad eius pedes cecidit; & dum de more erigeretur, e conspectu abijt. Officij se commoneri Philippus intellexit: statimque juuenem adijt, & ad faciendam confessionem inuitauit. Cumque is tergiuersaretur, & in crastinum differret; negauit vero ipse prius se quidquam gustaturum, quam eius confessionem audisset. Cessit priori juuenis.

Magna fuit Philippus in fundendis precibus assiduitate. Vniuersum Dauidis psalterium in dies singulos euoluere solitus est. Denique post nauatam publico vtiliter operam, prioris munus abdicauit, & concitata suę virtutis magna opinione mortuus est.

RAPHAËL
Dominicanus. *Joannes Stabulaus.*

Generalem conuentum Coloniæ habuerat ordo Prædicatorum mense Maio anni post millesimum & quadringentesimum vndetricesimi. Quo soluto rediturus ad sua, Leodium venit celeberrimus inter illos orator Raphaël. Ex Hispania oriundus fuit, & in theologicis disciplinis renuntiatus magister. Aliquoties Leodij verba habuit, tam frequenti omnis ordinis concursu, vt dicere cogeretur in area ante S. Pauli, vel S. Ioannis Euangelistę. Ad clerum vero sępius orationem habuit in majore *capitulo* S. Lamberti, in triclinijs S. Laurentij, & S. Iacobi.

Qua omnium audientia adductus in spem fore, vt vberem messem colligeret e felicissima semente in agrum non malum conjecta, Leodij suam sedem fixit. Et cum integerrimæ vitæ exemplo non minus, quam arte dicendi valeret, multisque supra naturæ vires prodigijs dicta confirmare crederetur, longe plurimos ab impudicitia, injusto quæstu, odijs, dejerandi consuetudine, alijsque criminibus ad saniora reuocauit. Ideo quidam chronica notatione non infeliciter cecinit illud psalmistę: eCCe dabIt VoCI sVę VoCeM VIrtVtIs. Sed quando diem obierit ipse, proditum non est. Vtilis orator.

RATHERIVS
e monacho Lobiensi episcopus XLIII. *Manuscr. Panuinij, Rotgerus in S. Brunone, Fulcuinus, Trithemius Script. eccl.*

Vir fuit litterarum cognitione celebratissimus. Socios habuit in artibus excolendis Squamium & Theoduinum, viros illis temporibus eximia sapientia illustres. Auditorem eius fuisse S. Brunonem Ottonis I. imperatoris fratrem, sunt qui prodiderint. Lobij monasticen professus, moderatorem habuit Hilduinum, hominem litteris genereque clarissimum. Qui cum impijs artibus in Leodiense episcopium anno nongentesimo vicesimo irrepsisset, turpiter cedere compulsus est. Infamis repulsę pudore Lobium deseruit; & adscito in viæ comitem Ratherio, ad Hugonem Italiæ regem affinem suum contendit. E monacho Lobiensi

Ac primum a rege magna humanitate susceptus est, & Veronensis post Notkerum creatus episcopus anno duodetricesimo. Sed paulo post cum vita simul & archiepiscopatu defunctus esset Mediolani Lambertus, in eius locum subrogatus est; sibique Veronæ substituit, & consecrauit Ratherium. fit episcopus Veronensis.

Verum Hugoni regi suam fidem parum hic probauit. Creditus est cum Milone Veronensium comite aduersus eum in arma concitasse, atque anno tricesimo secundo aduocasse in Italiam, imo in vrbem Veronam recepisse Arnoldum Bajoariæ ducem. Quod cum

Pulsus — cum infeliciter cessisset: & hostem Hugo victor ejecisset Italia, Veronamque ad officium compulisset; Ratherium nulla forma canonici judicij seruata, vrbe exactum, episcopatu spoliauit. Ex leui quadam suspicione, pro more gentis illius, factum hoc fuisse, vult Rotgerus.

hæreticos impugnat. — Ticinum relegatus operam ecclesiæ non inutilem nauauit, ingenij sui monumentis posteritati relictis. At præcipuam gloriam promeritus est, confutatis anthropomorphitarum erroribus, qui Deum corporea mole formaque circumscribentes, insania sua Galliam Cisalpinam inficiebant. Quos ipse feliciter vna cum alijs eius prouinciæ episcopis extinxit.

Aliquanto post tempore, seu regis indignatio paulatim lentesceret, seu pulsis inuidiæ tenebris eluceret innocentia, maxime post sententiam concilij Remensis, cui præfuerat Gerbertus; seu nouis quotidie meritis sibi Ratherius rempublicam obstringeret: contra manifestius in dies pateret & Manassis improbitas, qui Veronensem cathedram sacrilege vendiderat; & eius qui emerat, ignauia sacrorumque neglectus; restituit pristinæ dignitati Ratherium Hugo rex. — Sedi suę restitutus,

Quo in munere vitam sancte ac laudabiliter egit, multaque gessit pro Diuini nominis propagatione, & salute commissi gregis vsque ad tempora Berengarij II. sęuissimi in Italia tyranni, qui Lothario Hugonis filio successerat in regnum. Hic Ratherium, quod inconcussa & episcopo digna dicendi libertate, detestabiles eius mores, vitamque publice exagitauerat, rursum episcopatu multatum exilio damnauit. — iterum pulsus

Inhonoram diu virtutem non tulit Bruno Coloniensis archiepiscopus & regni Lothariensis præfectus. Statim episcopatu Leodiensi, qui anno quinquagesimo tertio pastorem amiserat Farabertum, donauit Ratherium, vel acceptæ ab illo institutionis memoria animique grati significatione, vel priorum injuriarum solatio, vel Ottonianarum partium in Lotharingia subsidio, vbi nouas res mouebat Conradus dux aduersus imperatorem. — creatur episcopus Leodiens.

Leodiensem igitur cathedram conscendit novus præsul, sed inauspicato. In mores enim hominum tam calamo quam lingua mordaciter nimis inuehebatur, vt Anselmo placet, nullo conditionis hominum discrimine. Quamobrem cum forte Lobij diem Seruatoris natalem ageret, (ita narrat Rotgerus) conspiratio grauissima facta est: quæ nisi & hic amoueretur, & in locum sufficeretur Baldricus, qui finitimos principes attingebat cognatione, sedari non posse visa est. Ratherium igitur amouit Bruno anno quinquagesimo sexto, indulta illi ex episcopij vectigalibus modica pensione, vt prodidit Anselmus. — sed & hinc rejectus

Lobij ferme biennium egerat, quando redijt in Italiam. Vbi Otto Augustus, postquam Beregarium debellasset, ecclesiæ Veronensi Ratherium reddidit. En igitur tertium Veronensem insidet cathedram, at necdum extra teli jactum constitutus. Nam siue intrepidam coarguendi vitia libertatem non magis Veronenses ferre potuerint, quam Leodienses, ab homine præsertim bis terve episcopatu pulso: seu grauis esset ciuibus ille, quem armorum terrore Otto Augustus reduxisset: diutius non mansit in episcopatu, quam Otto in vita. Hoc quippe mortuo, illum tertio Veronenses exulatum pepulerunt. — sedi Veronensi redditur: ANN. 973 denuo pulsus

Ita narrat Panuinius: cui libentius assentior, quam Baronio; qui anno quinquagesimo quarto scribit ab Hugone in Italia regnante rursum exulare jussum. Ex cujus tamen sententia Hugo rex anno quadragesimo quinto nihil sibi tutum in Italia videns, tandem in Prouinciam, vnde venerat Arelatensis comes, reuersus est: neque diuturniorem postea vitam traxit: aut certe, vt scribit ex Leone Ostiensi, in Burgundia monasticen professus est. Quomodo igitur post tot annos regnare Hugonem? quomodo Ratherio Veronensem episcopatum abrogare scribit, quem illo ipso tempore Leodij sedisse certū est?

Ceterum Veronensis ecclesiæ deflet infelicitatem, cui frui non licuerit episcopo, magni hoc tempore nominis viro. Virtutem vero illius, sicut ex vngue leonem, collegit ex insigni modestia demissioneque animi, quam ex scriptis ait emicare, quando Numinis prouidentiæ, justoque illius judicio, & peccatis suis adscribere palam ipse non dubitat tristem illam sui status inconstantiam.

Moriente igitur Ottone I. postremum exactus episcopatu, *Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul*, (quemadmodum de se ludere solitus est) jam annis, tædioque rerum humanarum fractus, ad amicam monasticę vitæ in suo Lobio quietem redijt. Sed anno — Lobij moritur.

proximo

Digitized by Google

proximo, qui fuit septuagesimus quartus, octogenario major excessit e vita, simulque humanorum omnium vicissitudine: cujus illustre tota vita præbuerat experimentum. Lobij sepultus est, insculpta tumulo hac epigraphe: *Conculcate pedes hominum sal infatuatum.* Ita de se vt sentirent posteri desiderauit vir sapiens, raro insignis modestiæ exemplo.

REGINA
conditrix Aqualiensis. *Archia coll. Soc. JESV Lux.*

PAtrem habuit Cononem comitem, qui frater fuit *Conradi viri clarissimi in itinere Ierosolymitano defuncti, generi nimirum comitis Pictauiensis.* Ita loquitur ipsa in donationis suæ tabulis. Viro mortuo (quis fuerit proditum non est) omnem illam suę gentis claritudinem, ceterasque humanarum rerum illecebras generose contempsit, vt euangelicam humilitatem Marcigniaci in Cluniacensis instituti gynæceo complecteretur anno supra millesimum octogesimo octauo. Secum vna quas Aqualiæ & in Rapto campo fortunas habebat, Deo consecrauit, exstruxit templum cum cœnobiolo seu prioratu, æternam in cęlesti beatitudine mansionem centuplici fenore receptura. Adscriptus fuit nostra ætate hic prioratus collegio Societatis IESV Luxemburgi, pontifice sanciente, volente Hispaniarum rege.

RICHARDIS
e comite Gueldriæ monialis Cisterciensis. *Miræus Notit. ecclesiarum Belg. c. 199.*

GErardi Gueldriæ comitis mater fuit: quę viro moriente, conjugij nexu soluta, mundi simul vinculis expediri voluit. Humanarum igitur omnium rerum pessumdato splendore, monasticam paupertatem amplecti, Cisterciensibusque viuere legibus constituit. Quare cum eo consilio abituriret domo, omnique procul cognatione; id vero filium male habuit, seu repugnaret amor in parentem, seu dignitati suæ crederet aduersari. Ne igitur foris quæreret mater, quod domi habere poterat, Ruremundę parthenonem condidit. Vbi virginibus Cisterciensem disciplinam profitentibus præposita Richardis, eximia religione vitam egit, secuturæque sanctitati beatam jecit sementem. ANN. 1224.

B. RICHARDVS
abbas I. Floreffiensis. *Bibliotheca Præmonstratensis.*

PAuca de tanto viro prodidit antiquitas. Magnum tamen est sapientissimi magistri S. Norberti discipulum fuisse: illustre virtutis eximiæ argumentum est, præceptorem aliorum ab illo fuisse designatum, quando primus ardor nascentis familiæ sanctos illos tirones accendebat: ingens est decus, Floreffiæ (quæ tertia totius ordinis domus fuit) præpositum fuisse. Quæ profecto, etsi cetera silerentur, insignem non possunt Richardo non parere gloriam. Eius tamen elogium accipe ipsis Præmonstratensis bibliothecæ verbis, ne quid e meo vel addidisse videri possim, vel detraxisse. *Frat Richardus multa animi mansuetudine, integra corporis pudicitia & castitate; cum columbina simplicitate serpentis obtinens prudentiam. In laudibus Dei admodum feruens & deuotus, consilio prouidus, in ferendis judicijs justus, S. Spiritu plenus, a dextris & a sinistris virtutum omnium armis præclare munitus, commisso sibi gregi optime viuendi seipsum formam exhibens: quod sermone docebat, vita & opere exercebat. Corpus suum assiduis vigilijs, perpetuisque jejunijs in sicco & arido pane macerans, opibus misericordiæ valde intentus; adeo largus & benignus in pauperes & inopes, vt propter ipsos seipsum & suos ad inopiam ferme redigeret: atque hoc solum Floreffiensi cœnobio esse putaret, quod in pauperes & egenos contulisset. Eius sanctitatis odore delectatus S. Norbertus, quamquam esset tum Magdeburgensis archiepiscopus, ordinauit anno Domini millesimo ducentesimo vndetrigesimo*

Digitized by Google

trigesimo, vt ille in abbatem Floreffiensis ecclesiæ benediceretur. Consecrato igitur B. Richardo, fama virtutum eius magis ac magis longe lateque evulgari cœpit; ita vt permulti illustres, docti & vulgares viri ad eum confluerent; vt eius sanctissima doctrina, ac regulari disciplina imbuerentur. Hæc autor ille: qui postquam Lucam Cornelij montis Leodij abbatem & Godefridum Namurci comitem in exemplum produxit, ita pergit. *Multis igitur odore virtutum suarum suauissimo ad suaue Christi jugum amplexandum illectis; multisque doctrina & monitis ex antiqui hostis & faucibus & laqueis ereptis, & ad viam salutis æternæ adductis, pro mercede æterna meruit beatitudine coronari.* In hunc modum ille paucis multa complexus est. Obijt porro religiosus abbas post gubernatam annis vndecim Floreffiam circiter annum millesimum centesimum trigesimum secundum.

ABBATES FLOREFFIENSES.

1. INsignia RICHARDI cœpta constanter in hunc diem prosecuti sunt, & ad magnam totius ordinis, atque adeo diœcesis hujus gloriam perduxerunt, quos subijcio abbates.
2. ALMARICVS Richardi primus successor, & monasticæ rei propagator strenuus obijt 1150.
3. GERLANDVS rem familiarem & asceticam diligenter curauit. Cœptũ sub illo templum ædificari. Leffiensem ecclesiam Floreffię conjunxit ac subjecit. Mortuus est anno 1174.
4. HERMANNVS Alemannus (vti & præcedens) obijt 1194. A nobis suo loco celebratur.
5. IOANNES DAVELOIS item a nobis alio loco laudatur.
6. WERICVS sub annum 1200. factus abbas, Leffiam (quam hactenus priores rexerant) deinceps ab abbatibus regi voluit; quorum ipse primus fuit. Pars salutiferæ crucis per Henricum comitem huc delata, Werico abbate sanguinem stillauit. Qui denique defensa fortiter monasterij libertate mortuus est 1209.
7. HELINVS alias a nobis celebratur. Ob. sub annum 1216.
8. NICOLAVS Wanziensium virginum prępositus. Ob. 1220.
9. IOANNES DE HOIOVL S. Iuettam sepeliuit, ejusque vitam curauit scribendam. Dignitatem abdicauit 1239. Magnæ fuit in aduersis prudentiæ.
10. IOANNES DE CAPELLA ex abbate Septem fontium creatus Floreffiensis, scriptis claruit.
11. DOMITIANVS Hoiensis sanctæ crucis cultor insignis, ejusque aræ fundator, viuebat anno 1242. & 1245.
12. PETRVS DE CAPELLA anno 1254. mortuus est.
13. THEODORICVS vir egregij candoris ac pietatis, cessit 1268.
14. WALTERVS DOBAIS obijt 1280.
15. WALTERVS DE LEEZ indigna passus pro libertate ecclesię, & a præfecto Bullionensi vinculis ereptus, posita dignitate ob. 1303.
16. IOANNES DE LOVANIO doctrina, magnanimitate, alijsque virtutibus clarus, & varijs muneribus perfunctus in monasterij Floreff. Zenensi, Steinvordiensi, Romptorp, Winagiensi, factus abbas Floreffiensis, mortuus est 1292.
17. ÆGIDIVS DE NIEL Septem fontium abbas, in itinere ad limina apostolorum mortuus est 1294.
18. HVGO DE REFAYS ob. 1306.
19. NICOLAVS GESTAVL valde doctus, sed regendo monasterio minus idoneus dignitatem posuit, & pastor in Aublain ob. 1309.
20. PETRVS DE SOBRA ob. 1314.
21. ÆGIDIVS DE SPIRA doctrina celebris ob. 1315.
22. ROBERTVS DE TOVRNOVT relicto post biennium munere, Postulam concedens hospitalitatis theatrum, seruitio peregrinorum se mancipauit.
23. WERICVS dignitate abijt 1321.
24. GODEFRIDVS DE REVEZ nobilitate nescias, an gratia principum, eloquentiave præstantior, post administratam sapienter & fortiter prouinciam ob. 1333.
25. HVGO DE HOSSIER relicto magno sui desiderio mortuus est 1336.
26. GILLENVS GVALTERVS DE NAMVRCO regularis disciplinæ tenax ob. 1341.

27. THEO-

Digitized by Google

27. THEODORVS DE WARNANS monasticæ studiosus ob. 1360.
28. IOANNES DE PERWEZ decretorum doctor ob. 1379.
29. PETRVS DE BLEHEN obijt 1390.
30. ALARDVS DE OBASIO obijt 1396.
31. ÆGIDIVS HERENTALIVS ob. 1399.
32. IOANNES DE HARCHEES obijt 1414.
33. NICOLAVS DE BLEHEN ob. 1431.
34. BALDVINVS DE FOVRNY ob. 1449.
35. LVCAS AB EYCK via Spiritus S. creatus, mitram primus gessit, & ob. 1465.
36. GERARDVS AB EYCK obijt 1492.
37. ÆGIDIVS HENNIN DE SORLE posito magistratu anno 1516 ob. 1523.
38. GODEFRIDVS MARTINI multis restauratis sapienter rexit & ob. 1548.
39. IOANNES DECANVS laudabiliter rexit & mortuus est 1552.
40. GVILIELMVS DOVPAIX varia eruditione excellens, cum ob bella Leodium confugisset, ibidem mortuus est 1576.
41. ÆGIDIVS D'ASCHELET laudabiliter præfuit & mortuus est 1592.
42. HENRICVS EERSELIVS Leodij consecratus, & suo munere laudabiliter perfunctus, ob. Floreffiæ 1607.
43. IOANNES ROBERTI magna humanitate, prudentia, & religiosę perfectionis desiderio vixit ac mortuus est 1639.
44. Iisdem vestigijs feliciter insistit nobilis & adm. R. D. CAROLVS DE SEVERY, & insigni conatu ad propagandā Dei gloriam, reique monasticę integritatem contendit. Pijs illius studijs adspiret Deus.

ABBATES LEFFIENSES.

HOs Floreffiensibus subjungo, quod Floreffiæ veluti colonia sit Leffia, & diu ab illius abbatibus fuerit gubernata. Cum enim ad S. Maternum nostræ gentis apostolum suam originem referat, illam incoluere postea consecratæ Numini virgines: quibus successere canonici. Donec Gerlandus Floreffię III. abbas sodales suos Præmonstratenses induxit, vitam acturos eius & successorum abbatum arbitrio ad annum vsque circiter
1. 1200. quando WERICVS abbas VI. Leffienses a suis abbatibus regi voluit, quorum ipse primus fuit, & mortuus est anno 1109.
2. HELINVS obijt anno 1212.
3. IVLIANVS viuebat anno 1234.
4. BALDVINVS I. viuebat 1242.
5. WERICVS DE WAHA obijt 1272.
6. PONCHARDVS DE BELLORAMO pedum posuit anno 1278. & mortuus est 1280.
7. WALERAMVS rem familiarem diligenter curauit, & pius in pauperes & afflictos obijt 1308.
8. BALDVINVS II. canonicus Floreff.
9. IOANNES EVERHAILLE prudentia, facundia, & animi magnitudine insignis obijt 1320.
10. IOANNES BACHELET ob. 1345.
11. WALTERVS DE BELLO-MONTE viuebat anno 1351.
12. BALDVINVS DAYS viuebat 1367. ob. anno 1376.
13. NICOLAVS MORIA ob. 1395.
14. ALBERICVS DE PECHEROVX ob. 1400.
15. IACOBVS BAIAR viuebat 1413. & 1424.
16. NICOLAVS DAMANON viuebat 1429.
17. IOANNES DE GORIN obijt 1460.
18. WALTERVS DE WESPIN viuebat 1466.
19. IOANNES DE VALLE viuebat 1471. ob. 1481.
20. NICOLAVS DE MIERDO ob. 1483.
21. IOANNES DE FALAY obijt eodem anno.
22. ARNOLDVS MAILLET obijt 1504.
23. ÆGIDIVS D'AWAIGNE viuebat 1505. & 1506.
24. HVBERTVS BELIVRE viuebat 1530. & 1531. Pręfuit annis nouem.

25. LV-

Digitized by Google

25. Ludovicus Giget alias a Marchia præfuit annis 7. ob. 1545.
26. Gerardus Titheux alias Monhiermet ob. 1557.
27. Petrus a S. Huberto alias Massinet ob. 1561.
28. Gerardus Marlaigne valde laudabiliter rexit & ob. 1578.
29. Ioannes a S. Huberto alias Massinet dignitatem senex abdicauit anno 1582.
30. Georgius du Terne insigni prudentia vigilantiaque rexit, ac monasterium prope a fundamentis instaurauit. Ob. 1610.
31. Ioannes Noize magna cum laude rexit & ob. 1636.
32. Regit hodie magna prudentia, disciplinæque cura adm. R. D. Desiderius Gouverneur: qui hunc catalogum magna diligentia concinnatum ad me misit, repudiato illo, qui domi pictus est, & valde temere collectus. In quo tamẽ octo alij reperiuntur, hic omissi, quod certo loco non potuerint constitui. Hic autem illos habe, ne forte quis desit, & vt suo ordini fortasse reddi possint.

15. Godefridus Renart.
16. Balduinus de Poilvache.
18. Nicolaus de Fonte.
21. Ioannes postea abbas Floreff.
22. Ioannes de Fluh.
24. Frisinolchus Marlet prior Floreffiæ.
25. Ioannes de Floreffia.
30. Ioannes Burdinne.

ROBERTVS

comes Hasbaniæ. *Scriptor vitæ S. Eucherij, archiv. Trudon: mihi exhibita ab admodum R. D. abbate Huberto Suetendael.*

Circiter annum 738.

DVcem hunc alij faciunt, alij comitem Hasbaniæ. Lambertum patrem habuit. Vir fuit sacrorum & virtutis amans. S. Eucherium Aurelianensi sua ecclesia abstractum, & in Hasbaniam a Carolo Martello relegatum, vt illius innocentiam atque adeo sanctitudinem deprehendit, ita mox amplexus est, vt suam omnem familiam illi committeret, ac plurimum integerrimis eius exemplis ad consummatam virtutem prouocaretur. Atque indulsit deinde vt Sarchinium ad S. Trudonis secedens, monasticam quietem, e qua præter animi sententiam fuerat ad episcopatum eductus, repeteret, & Diuinis in sancto silentio frueretur delicijs.

Sarchinium & ipse Robertus in primis amabat. In S. Trudonem pluribus quotidie miraculis clarescentem præcipua religione ferebatur, ejusque venerabatur discipulos sanctissimi sui magistri vestigia consectantes. In quorum subsidium quas habebat in agro Hasbaniensi ingentes facultates, Numini anno quadragesimo quinto consecrauit.

Ac denique sepeliri cum conjuge desiderauit in ipso sanctuario non longe a S. Trudonis sepulcro ad læuam; & obtinuit. Quo anno sit mortuus, non liquet. Werico abbate, cum instaurando S. Trudonis sacrario fundamenta anno post millesimum & centesimum vndeseptuagesimo effoderentur, inuentum aiunt in marmoreo capulo incorruptum corpus.

ROBERTVS

præpositus Leodiensis. *Quæ ex archijs S. Crucis mihi exhibuit admodum R. D. Leonardus Lintermans illius ecclesiæ decanus, & I. V. doctor.*

PAuca nobis veteres de eius virtute reliquerunt. Quas tamen gessit dignitates, clare testantur virum fuisse eximium. Cum enim alias numquam Diuinarum rerum cognitione studioque illustrior fuerit ecclesia Leodiensis, pręstantem illum fuisse ego quidem arbitror, qui summus in illa prępositus fuit, atque adeo chorepiscopus. Hoc porro nomen rarum in ea ecclesia & propemodum inauditum, sic accipio, vt episcopi loco (hoc enim Græca voce significari aliquando ostendi) diœcesim administrarit, cum ille grauioribus imperij negotijs distineretur. Notgerum autem episcopum illum (si quis

quis alius fuit) ſapientiſſimum quis credat illi ſuas vices demandaſſe in regendo tanto epiſcopatu, quem ceteris eminere non crederet. Eumdem præterea familiæ ſuæ præfecit, quam inſignem omnis eruditionis ac virtutis academiam fuiſſe diximus decimo Aprilis. Quibus relinqui cenſeo egregium profecto virum fuiſſe Robertum, quamquam aliud de ipſo nequeamus affirmare. Vnum tamen a veteribus habemus, minime prætereundum.

Ciuitati Leodienſi metuebat Notgerus ab arce, quam in Publico monte mediam fuiſſe aiunt inter collegia SS. Petri & Martini; alij malunt non exſtructam fuiſſe, ſed exſtruendam a viro quodam potente, ex qua vrbis ceruicibus graue jugum timendum videretur. Clam ergo negotium Roberto dedit Notgerus, vt ſe, dynaſtaque illo abſente, templum eo loco ponere maturaret. Paruit ille, pioque aſtu locum Deo vindicauit; quem poſtea profanum fieri non ſatis eſſet Chriſtianum. S. Cruci templum dicauit Notgerus; & alendis quindecim canonicis addixit vectigalia. Templum S. Crucis exſtruit.

Robertum vlterius provuexit pietas & religio. Poſt opus vniuerſum inſigni diligentia, celeritate, prudentiaque perfectum, opulenta de re ſua attribuit prædia. Fidem facit ſepulcro inſculpta templo medio epigraphe.

ROBERTVS
conditor Belli fageti. *Quæ ex Archijs monaſterij mihi dedit R. D. prior Toſſanus Gomzee.*

REuiuiſcere viſa eſt aſceſis Auguſtiniana ſub annum a Chriſto milleſimum centeſimum, & nouis familijs pullulare; quas viri feminæque ſejunctis (vt ſuo loco meminimus) habitationibus complebant.

Hujus inſtituti ſectator Robertus quidam, cum inſigni morum integritate celebraretur, multoſque adeo in vitæ ſocietatem adduxiſſet, novum in hac diœceſi cœnobium moliri cœpit. Secunda virtutis inductus fama Henricus Virdunenſis epiſcopus, in agro ſuo Iupilienſi (in Leodienſis eccleſiæ jus deinde hic tranſijt) loco, qui Bellus fons dicebatur, aream addixit exſtruendo monaſterio. Addita non diu poſt ſilua, quæ Bellum fagetum dicebatur, ab ea cœnobio nomen inditum. Illuſtre hoc ſui monumentum reliquit Roberti virtus, poſteritati pluribus non cognita.

SALOMON
canonicus S. Lamberti. *Anſelmus.*

VIxit in S. Lamberti canonicus Salomon morum innocentia probatus: cui vitam clauſit mors infuſta; ſi quidem hominum terrena ſapientium ſententiam penſemus. Verum certiore Dei judicio, virtuti *omnia cooperantur in bonum.*

Concitata Leodij anno milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio horrenda tempeſtas ſic intonuit; vt extremi exitij ſpeciem omnibus referret: Salomoni certe interitum attulit. Nonnihil viſa interquieſcere, denuo rurſum inhorruit. Tertium denique ſub noctem horribilius repetita, tantum vniuerſis horrorem incuſſit, vt qui ad aram B. Virginis opem imploraturi confugerant, terrore velut a ſe alienati & mentis impotes, ipſi altari dentes ſic impreſſerint, vt veſtigia deinceps vſque ad templi conflagrationem manſerint.

Proxima nocte Salomon amico ſuo ſuperſtiti ſe videndum ſtitit; & cum ſibi bene eſſe affirmaſſet, eum ita locutum facit. Ægidius, Attentus audi, & cape aduentus mei cauſam: & tecum diſpice, quid debeant Leodienſes Dei Matri pro ſingulari eius præſidio. Heri procella ſemel, iterumque in vrbis interitum ſæuiente, pro illius ſalute Filium Dei ſuppliciter deprecata eſt pia mater. Sed offenſus peccatorum atrocitate Deus, cum flecti nollet, tertio tempeſtas inualuit, vrbem in vltimum exitium procul dubio tractura, niſi ſe ad filij pedes abjeciſſet parens optima, dixiſſetque: Fili, per arcanum illud myſteriū, quo hominem in vtero meo Deus induiſti, rogo & obteſtor: populo meo Leodienſi veniam hanc condona. Suauiſſimæ parenti negare non potuit pijſſimus filius; ſecurim ſuſtulit jam poſitam ad radicem: non tamen penitus ignouit; ſed diſtulit pœnam

Digitized by Google

PARS 2. nam nisi sanioribus expietur consilijs. Sic ille Salomon; & sublimis abijt. Qui vero audierat, minime silentio tegendum ratus; vbi alijs enuntiauit, novum vt par erat, in Diuam virginem studium inflammauit: decretumque fecit Leodiensis ecclesia, hodieque obseruat gratitudinis ergo, (quod ea tempestate needum erat ab vniuersa ecclesia vsurpatum) vt in singulas hebdomadas semel in eius honorem res Diuina perageretur.

SAPIENTIA
magistra S. Iulianę. *Vita S. Julianæ.*

IN inferiore montis Cornelij cœnobio vixit insignis virgo Sapientia, nomine suo non indigna, vt quæ res Diuinas, asceticamque in primis sui instituti disciplinam calleret. Cujus cum egregium specimen suis præsidibus edidisset, tirones jussa est monasticis rudimentis exercere. Magnæ hoc illi felicitati fuit, quod sanctam virginem Iulianam ei contigerit primis Christianæ vitæ elementis instituere.

Quinquennem illam accepit anno supra millesimum centesimum nonagesimo octauo atque adeo feliciter sanctioribus artibus instruxit, vt illa adulta rejectis omnibus, quas sperare poterat, sęculi delicijs, se suaque omnia in eodem cœnobio Numini consecrarit, eamque attigerit vitę sanctitudinem, quæ (vt suo tempore meminimus) non Leodiensi dumtaxat ecclesiæ, verum vniuerso orbi Christiano magnum attulit ornamentum.

Totius deinde familiæ suscepit administrationem Sapientia, sustinuitque magno cœnobiticę rei incremento gloriaque: donec circiter annum sequentis sæculi vicesimum quintum, ad supernam religiosorum laborum mercedem euocata, magnum inter sodales sui desiderium reliquit.

SERVATIVS
Dominicanus. *Cantipratanus l. 2. Apum c. 1. §. 13.*

ANN. 1240. ANnis triginta quinque Louanij vixit e S. Dominici legibus: sed ea morum innocentia & integritate, vt qui toto illo tempore cum illo vixerunt, sanctè affirmarint neminem omnino mortalium aliqua eius culpa fuisse violatum. Arctam cum illo necessitudinem contraxit Cantipratanus; & cum illi perfamiliaris esset, tanta humanitate modestiaque præditum illum ait fuisse, quâta neminem alium nouerit. Mirabili fuit in proximû pietatis teneritudine. Prostratis vltimo morbo corporis viribus, manibus oculisque in altum erectis mentem testabatur cælestium desiderio æstuantem. Quærenti alicui quam animo pacem extrema vita sentiret: Secura, inquit, firmaque pax mihi est cum nostræ salutis autore: neque diu beata illius contemplatione priuabor.

SIGEBVRGIS
domina Wintershouij. *Notgerus in S. Landoaldo.*

MAtrona fuit multa virtute conspicua, Lantzonis vxor. Qui Wintershouij dominus, cum S. Landoaldi sociorumque sacra corpora, quamquam in terram inhonore abdita jam inde a Normannicis populationibus, multis a Deo videret exornari miraculis, sub annum nongentesimum sexagesimum sextum in lucem educi mandauit. Inuentus est Landoaldus cum Amantio socio, sorore Vinciana, & Adeltrude Bauonis filia. Latuere nihilo minus aliorum sanctorum occulta corpora: nec erat, qui de illis cogitaret. Ipsi sui memoriam suscitarunt.

Graui morbo. Sigeburgis aqua intercute sic laborare cœpit, & toto corpore intumescere, vt ad templum sella gestatoria deferenda esset: esculenti genus omne, atque adeo poculenti, excepta sola aqua, prorsus auersaretur. In hisce morbi incommodis annum solidum a superiore translatione traxerat; quando nocte per quietem jussit S. Landrada vt se cum SS. Adriano martyre & Iuliano in tenebris delitescere diutius ne pateretur.

S. Landradæ ope. Conjugi visum Sigeburgis aperuit. At cum ille tergiuersaretur, territus difficultatibus, quæ se pijs conatibus objecerant anno superiore: redijt Landrada, rursumque Sigeburgem

Digitized by Google

geburgem in somnis monuit, dictis obtemperaret; nec multum angeretur, si spes non esset adducendum eo episcopum, aliosque ecclesiæ prælides: satis esse Sarabertum presbyterum, aliosque e vicino sacerdotes. Sigeburgi hæc secum mane reputanti, adest ecce vna e gynæceo puella, quę idem per quietem objectum sibi visum affirmaret. Diutius ergo non dubitauit. Sacerdotes imperat accersi.

Delata interim ad templum ipsa (somnis enim moræ impatiens, propositum vrgere statuit) loco diuinitus designato terram effodi mandat. Semipedem vix effoderant, quando sepulcra apparere cœperunt, singulorum inscripta nominibus. Dum cetera peraguntur, vrgetque maturari Sigeburgis; desubito puris & saniei vim ingentem e pedibus in terram sibi defluxisse sensit. Ea sextarij mensuram impleri potuisse, Notgerus autor est. liberatur.

Reddito igitur sanctis debito cultu, receptaque corporis incolumitate, vix sui compos prę gaudio religiosa matrona, suis ipsa pedibus domum repetijt. Quod parauerat hospitibus æque ac familiaribus, epulum prębuit; accubuitque inter alios, nullo jam cibi potusve fastidio.

Illa scripsisse se Notgerus affirmat, cum integris adhuc viribus esset Sigeburgis, & ita se rem habuisse jurata asseueraret.

SS. SIGOLINVS, GODVINVS, ANGLINVS, ALBRICVS, ET ODILO,

abbates Stabulenses. *Quæ ex veteribus monumentis Stabul. collegit adm. R. D. Franciscus Laurentij prior Malmundar.*

DE Sigolino nihil prodidere majores præter sanctitatis nomen & dignitatis. Hanc inijt post S. Babolenum Stabuleti abbatem secundum, qui secundo post S. Remacli mortem anno, hoc est a Virginis partu sexcentesimo septuagesimo septimo Stabuletum reliquit, vt se Fossatum reciperet. Magnum hoc in Sigolino eximię virtutis argumentum est, quod religiosa illa domus tum maxime illustri sanctimonia celebraretur. Mortuus est anno octogesimo septimo. S. Sigolinus.

Post eum Stabulensem ecclesiam rexit S. Goduinus: qui cum eo tempore multis clareret miraculis S. Remacli corpus, id auro gemmisque studiose ornandum curauit; & elatum S. Martini templo, quod curiale est, & extra monasterij septa, in ipsum monasterium inuexit ad basilicam S. Petro consecratam, vbi perseuerat in hunc diem magna populi religione frequentatum. Ceterum vt insigni morum sanctimonia ipse floruit, ita primævum disciplinæ splendorem assidua vigilantia seruauit. Illam ab hominibus laudem secum in cælum intulit sub annum sexcentesimum nonagesimum sextum. S. Goduinus.

Decimus abbas fuit S. Anglinus: cui Childericus rex anno septingentesimo quadragesimo secundo varias prerogatiuas concessit; at Carolomannus anno quadragesimo sexto villas sedecim donauit. Bina hæc diplomata quando vixerit Anglinus ostendunt: at quando factus abbas, nemo prodidit. Huic Carolomanni principis munificentiæ non diu superfuit, quandoquidem anno quadragesimo septimo dicatur creatus Coloniensis episcopus S. Agilolfus, jam ante Stabulensis abbas. Quamquam vero Anglini præclara facinora obliuione interierint, eius tamen egregium celebratur monumentum Agilolfus, quem religiosis monasticæ vitæ institutionibus imbuit. S. Anglinus.

De S. Albrico etiam pauciora habentur. Duodecimus abbas fuit, rexitque annis nouem Pipino rege, qui regnum occupauit anno quinquagesimo secundo, obijt autem sexagesimo octauo. Præcipuum illud merito habetur, quod sanctitatis nomen antiquitas dederit. S. Albricus.

Trigesimus primus abbas fuit S. Odilo anno, vt opinor, nongentesimo quadragesimo quinto. Laudem tulit restitutę Stabulensibus libertatis; quam pro libidine sua quadraginta septem annis oppresserant, & se dixerant abbates, potentissimi principes: vt alias meminimus. Hoc ab Ottone I. rege obtinuit. Statimque reducta meliore disciplina, quæ tam diuturna tempestate non leuiter labefactata fuerat, quo litteris etiam pristinum splendorem accerseret, e S. Galli monasterio Notgerum aduocauit juuenem magna jam tum eruditione celeberrimum, vt diuinas litteras explicaret; qui Leodiensem ecclesiam S. Odilo.

clesiam insigni deinde gloria rexit. Cum annis nouem sapienter Odilo præfuisset, relicta insigni suæ sanctitatis opinione desiderioque, vita decessit anno nongentesimo quinquagesimo quarto.

STEPHANVS canonicus S. Martini & MARIA eius soror. *Vita S. Iulianæ.*

In patriam abituriens

VIxerat Leodij sub annum millesimum ducentesimum quadragesimum in collegio S. Martini canonicus Stephanus: qui patriæ amore sollicitatus, Leodium deserere statuit: & onera curionis, affecta quamquam ætate, preferre vitę, quam pro conditione ducebat in S. Martini honestissimam, & ab omni sollicitudine curaque liberam.

Dolebat id Mariæ sorori non mediocriter, quæ vt sacrorum omnium in paucis erat studiosa, quas Leodij religiosas necessitudines contraxerat, non æquo animo abrumpebat. Cumque fratrem ab hac sententia deducere frustra diu tentasset; ad S. Iulianam sibi persamiliarem iuit, remque totam aperuit. At illa: Bono, inquit, animo simus, fusisque ad Deum precibus, spes nostras omnes in eo collocemus; & fratrem, vt ego quidem spero, tibi restituet. Euenit, vt dictum erat.

Abierat ille in patriam vices permutaturus cum curione: atque vt admitteretur ad id officij, probandum se sistit. Probatur, sed perfunctorie; vt qui eruditionis opinione magnus haberetur. Liber exhibetur, ex quo legeret. Accipit in manus, aperit: sed ecce, qui iure consultus erat, hæret; nec magis apicem vllum, quam imperitus quispiam rusticus agnoscit. Dei vim palam mox profitetur; & re infecta Leodium reuertit ad sororem: diuque mens & valetudo manserunt imminuta.

insigni prodigio Leodij retinetur.

Hoc prodigio præter mentem Leodij detentus est, vt manifestiore Numinis prouidentia cultum augustissimi EVCHARISTIÆ SACRAMENTI promoueret. Nam cum anno quadragesimo octauo eius festum in S. Martini celebraret Hugo Cardinalis & pontificis legatus, & sub ipsa mysteria suggestum conscendens, ad multitudinem, quæ frequentissima conuenerat, verba faceret, nouique illius festi dignitatem multis grauiter deprædicaret; eius orationem Stephanus in animum adeo demisit, vt Diuinam sacri hujus mysterij sanctitatem alta quapiam veneratione admiratus, domum cum deinde redijsset: Certe, inquit ad sororem, fidem mihi fecit insigni illa sua facundia legatus: vt animum facile inducam credere, festum hoc ad amplissimum Dei honorem decerni. Et vero, si tu quidem probaueris, annuum vectigal assignabo, quo solemni ritu nostra in ęde festum id in posterum peragatur.

Festo Corporis Christi celebrãdo

perpetuum vectigal attribuit.

Ad hæc soror nihil fortassis in sancto hoc ardore fratri cessura, quamvis illius heres ex asse dicta esset; terrenas nihilominus opes optime collocandas rata, si in Diuinam majestatem, vnde omnia sunt, refunderentur, non modo non intercessit, verũ nouos fratri stimulos etiam admouit. Igitur ex vtriusque sententia conscriptis tabulis, ædi Martinianæ illa bona addixerunt, quorum fructus accendendis pro dignitate luminibus, parique cum maximis festis cultui & celebritati sufficerent. Ita Deus per ignotas mortalibus vias ad eum, quem sibi ipse præfixit, finem humana deducit.

Graui morbo soror eius

Pro sua hac religione æternæ mercedis arrhas quasdam ambo perceperunt. Maria quidem grauibus tentari morbis mox cœpit: seu Deus ita constitueret, quo purgarentur labes quotidianę, quas humana secum fert imbecillitas; siue materiam subministraret virtuti æternum coronandę, seu denique suam gloriam ac potestatem in illa manifestare decreuisset. Tanta erat ex morbo corporis infirmitas, vt se loco vix mouere; tantus omnium membrorum tumor, vt corpus inflectere nullo modo valeret.

diuinitus liberatur.

Illuxerat forte dies celebrando huic Diuino mysterio constitutus, quem sane singulari honore ipsa coleret, si valetudo pateretur. Et vero afflictas corporis vires excitauit ardor animi. Surgit in pedes; gradum qua potest promouet, & tota neruorum omnium contentione ad ædem curiæ suæ corpus infirmum trahit. Vbi sanctissimo Missæ sacrificio cum interfuisset, & pro sua in illud festum veneratione, Diuino se pabulo refecisset, domum vt venerat, redit. Fatigata membra collocat in lecto; suauique somno mox occupatur. Breuis ille fuit. Sed ecce dum euigilat, membra molliter flectit sine difficultate, aut doloris sensu: apertis oculis videt omnem recessisse corporis tumorem: denique dolorum omnium ac inualetudinis reliquum nihil sentit. Tam integra, subita, inexspectata-

Digitized by Google

ſpectataque curatio ſoli Diuinæ bonitati poterat adſcribi. Illi vni gratias habet quam poteſt maximas: atque ad probandam mortalibus hujus feſti dignitatem, illam in ſe optimi Dei gratiam Martinianis canonicis, & alijs pleriſque aperit.

Non minorem in ſe Dei benignitatem expertus eſt Stephanus. Clariſſimum menti lumen infundi ſenſit, quo penitiſſimas inſpiceret animi latebras, inſolentique ſui cognitione polleret: volūtatem vero ſingulari quodam amore ſuccēdi erga ſanctiſſimum hoc Diuinumque SACRAMENTVM, quod præcipua quadam religione, octauo quoque die perciperet: rarum illa tempeſtate religionis ſtudium. Tandemque in extrema ſenectute, recte factorum conſcientia ſecurus, mortalem hanc vitam feliciter & Chriſtiane clauſit. *Ipſum Deus magno beneficio beat.*

THEODORICVS RVPEFORTIVS toparcha VValcuriæ, & conditor Hortuli B. Virginis.

Manuſcr. VValcuriæ & Grammaie in Namurco.

INſigni religione floruit poſt annum a Chriſto nato milleſimum trecenteſimum. Cui exercendæ geminam occaſionem Deus exhibuit. Arſit forte fortuna quarto anno hujus ſæculi templum Walcurianum. Quo incendio rem admirandam in ſuæ parentis honorē Deus perpetrauit. Seruabatur in eo tēplo ab olim antiquitate venerabilis ſtatua Virginis Matris, quam a S. Materno effictam ferunt: (templum enim eodem loci primitus ab illo poſitum meminimus) quę poſt multas ętates cum miraculorum gloria longe lateque celebraretur, factum eſt vt flammis omnia vaſtantibus, periculo eriperetur angelicis procul dubio manibus; quando præeunte ſola niuei coloris colūba illam per aëra efferri vidit, quę aderat multitudo, in ſubjectam vallem. Vnde poſtea in vrbem nullis ante referri viribus potuit, quam Virgini voueret ædem cum monaſterio Theodoricus Rupefortius oppidi toparcha. *B. Virginis imagine flammis diuinitus erepta*

Fidem exſoluit anno decimo ſeptimo, parthenonemque attribuit Ciſtercienſibus virginibus: quibus poſtea viri ſucceſſerunt ejuſdem inſtituti. Non hic ſe tenuit Rupefortij munificentia. Canonicorum prętérea collegium pro dignitate vectigalibus inſtruxit. *cœnobium conditur.*

Celeberrima porro fuit illa ætate Virginis ſtatua hoc miraculo, alijſque pluribus. Quorum aliqua, quod necdum publico data ſciam, lubet attexere; vt ſua mirabilitate optimæ matris honorem etiam ętate noſtra, & in poſteritatem propagent.

Proxime in agri Leodienſis pago Iua ruſticanus vir in alta ſcrobe dum opus facit, ſcrobis os terra dehiſcens ſic obſtruxit, vt de miſeri hominis vita deſperatum eſſe crediderint vniuerſi. Itaque mortuum luxit vxor annum ſolidum, & quothebdomadis panem vnum in curiali ſuo templo conſtanter obtulit in defuncti ſolatium, ſi quibus fortaſſe noxis expiandus eſſet. Sed quo minus propoſitum teneret, ſemel impedierunt aquæ pluuiales late per vallem ſtagnantes, qua mulieri ad templum erat via. Annus pæne fluxerat, quando foſſoribus quibuſdam placuit ibi puteum nouum aperire, vbi vir ille clauſus tenebatur. Proxime illum fodiendo jam deſcenderant; ecce vocem audiunt monentis, caute pergerent in opere, ne ſibi quid mali crearent. Cumque illum accepiſſent viuere, quem mortuis omnes accenſebant, obſtupuerunt ſcilicet, & quaſi rediuiuum incredibili miraculo luci reddiderunt. Walcurienſi Diuę ſuam ille vitam ſancte & conſtanter adſcripſit, cujus opem imploraſſet in periculo. Interrogatus quo cibo tam diu vitam toleraſſet, affirmauit poſt certum temporis ſpatium deferri ſolitum ad ſe panem: ſemel tamen cum delatus non fuiſſet, inediæ impatientia ſuum digitum ſe voraſſe. Hoc ipſo nimirum clare probabatur viro profuiſſe conjugis pietatem. Superfuit tanto prodigio plures annos, certiſſimum ipſe monumentum Diuinæ beneficentię non in illos dūtaxat qui in auxilium Dei matrem inuocant: verum in illos etiam, qui precibus pijſque operibus cupiunt mortuis ſubuenire. Aliud accipe. *Alta obrutus terra poſt annum viuus educitur præſidio B. Virginis.*

Hoienſis quidam molitor nulla habita diei feſti ratione molam ſuam malleo tundere aggreſſus, vlciſcentis Dei manum mox ſenſit. Excuſſus in oculum eſt a mola calculus, exiguus ille omnino, ſed qui affluente e cerebro humore & concreſcente, paulatim ſic auctus eſt, vt geminos viri pugnos æquaret. Agglutinabatur oculo malum, nulla medicorum *Horrendo oculi malo*

PARS 2. eiusdem ope liberatur alius.

dicorum arte superabile, qui curationem frustra tentarant. Opem e cęlo miser sperare cœpit, vnde sentiebat flagrum. Diuos omnes populorum concursionibus notiores adjerat, semper inauditus; quod ex eo decus Walcuriæ matri suæ Deus destinaret. Walcuriam vt venit, & ante sacram iconem supplex factus est, decidit ab oculo persanato lapis; & ibi in hunc diem perpetuæ memoriæ seruatur. Vtramque historiam coloribus effictam refert tabula ab antiquo aræ imposita. Plures alias breuitatis causa prætereo, quę incolis ac innumeræ multitudini eo concurrenti religionem non leuiter accenderunt.

VVALCANDVS
episcopus XXXV. *Anselmus, Ægidius, Joannes Roberti in vita S. Huberti.*

PAtrem habuit Adebredum, Arduennæ comitem (vt quibusdam placere video) qui cum Carolo magno profectus in Italiam aduersus Longobardorum regem Desiderium, ad vrbem Ticinum interijt. In cædis ergo paternæ solatium donatus episcopio videtur Walcandus exeunte anno Christi octingentesimo nono, cum alias tanto munere non impar haberetur. Virtutis commendatione percarus fuit magno illi imperatori, ejusque testamento subscribere jussus est.

Cui morienti cum successisset in imperium Ludouicus Pius anno decimo quarto, animumque adijceret ad loca sacra vel exstruenda, vel jam exstructa nouis operibus aut muneribus exornanda, procerum multos incessit cupido sequendi imperatoris, in primis Walcandum; cui pulcherrima hæc se dedit occasio, Emarcuerat sub hęc tempori cleri Andainensis in Arduenna religio, omnisque honor pietatis. En rerum humanarum inconstantiam. Vix alterum sęculum ingrediebatur domus illa sanctis Dei auspicijs condita, tristem nunc ruinam minabatur: & quæ in horrida illa solitudine floruerat opibus, virtute stante; eadem nunc fœde pulsa (vt fere fit) & cœnobij opes diffluere, & tecta labefieri, & abhorrere cœperunt ab ea viuendi forma mortales; vt extinctis omnibus in turpem parietinarum aceruum cuncta breui collapsura timerentur. Paucis, qui supererant, meliores erant animi: verum surgere sine adminiculo non poterant.

Spem dedit in proximo Walcandus, tum forte sancto suo ardori materiam circumspiciens. Oblatam occasionem arripuit cupientissime: statimque magnis sumtibus omnem ruinosam ac male materiatam domum restituit pristino nitori. At potiorem restaurandæ disciplinæ habendam esse rationem ratus, quo illustrior deinceps quam antea non ædificiorum dumtaxat magnificentia, sed & religionis emineret dignitas, e Leonis papæ Ludouicique Augusti consilio & autoritate Idibus Augusti clericorum institutum commutauit in monasticum; virumque multa virtute spectabilem & regendorum animorum peritum nomine Alueum pręfecit. Vnde aduocarit, proditum non inuenio. Pijs cœptis Diuina bonitas fauit. Tanto cultioris disciplinæ studio & ardore domum illam compleuit, viciniam vt omnem rectorum exemplorum facibus accenderet. Plerique relicto S. Lamberti collegio cum nonnullis alijs, quo ad altiorem virtutis apicem eniterentur, monasticum illud viuendi genus amplexati sunt. Recreatus secundo euentu Walcandus, hoc majore studio renascenti cœnobio prospicere cœpit. Alendis ascetis, ne qua procurandi victus cura distraherentur, opulenta prędia ipse, fraterque Erohengoldus de paterna hereditate largiti sunt. Leo pontifex, Ludouicus Augustus, & Hildebodus archiepiscopus Coloniensis datis diplomatibus rata habuerunt; quæ suo tempore Andaini seruata fuisse testatur Ægidius.

Restituta erat religio: sed quo perennaret, certius aliquod præsidium quęri placuit. Andainenses ascetas incessit desiderium sacri alicujus corporis, vt in eius sancti fidem & tutelam se locumque traderent: cujus patrocinio futurum sperabant, vt & disciplinæ decor certius constaret, & populus religionis gratia locum frequentaret. Toti operi quod susceperat Walcandus, non ab alio sacram coronidem imponendam censuerunt. Hoc enim facto nihil amplius ad perpetuandam cœnobij dignitatem ab hominum industria consilioque desiderari posse judicabant. Episcopum ergo supplices rogarunt, vt quando Leodium sacris pluribus sanctorum exuvijs potiretur, veluti tot inuictissimis propugnatoribus, sed in primis Lamberto martyre, qui miris quotidie mirandis vrbem se re-

se recepisse in fidem testaretur, Hubertum suis Andainensibus indulgeret. Ita futurum, vt nullo (cujus quidem haberi rationem par esset) Leodiensium detrimento, præsidem haberent ac patronum Arduennates, & sanctissimus ille præsul meritos facilius honores consequeretur in illa Arduennæ siluæ vastitate, raritateque sacrorum ejusmodi pignorum; quam in illa vrbe, quam sibi consecratam nouis in dies miraculis Lambertus in se raperet. Maxime vero Hubertum in Arduenna colendum videri, quod vnus potissimum ex omnibus strenuam nauasset operam, in regionis illius incolis ad Christum adducendis: eaque de causa apostolus Arduennę haberetur. Potuit & alia ratio non parum vrgere, si (vt nonnullis placet) verum est Hubertum olim, cum recens ad sectanda meliora traductus esset, in Arduennæ saltus Andaino proximos secessisse, vocantem Christum vt purius sequeretur. Non abnuit pro sua in Andainensem familiam beneuolentia Walcandus. Sed quod grauioris momenti negotium censeret, ideoque maturo consilio expendendum, tres annos ferme solidos distulit: vrbem Leodium sui conditoris tam nobili pignore non esse spoliandam, aliqui fortasse contendebant.

Anno denique supra octingentesimum decimo septimo synodus Aquis habita est VI. Idus Iulij procurante Ludouico Augusto. Interfuit Walcandus Andainensium nequaquam immemor, cum Aluei abbatis precibus subinde suscitaretur. Hildeboldum suum metropolitam priuatim consulit: simulque ad imperatorem Ludouicum adeunt. Verum hic totius concilij suffragijs censuit rem esse decernendam. Retulit ad synodum Walcandus. Vna omnium sententia probauere sancti patres sacrosanctas B. præsulis exuvias Andainum Leodio transferri. Recreauit, impulitque episcopum illa suffragiorum conspiratio, vt quamprimum id effectum daret, animorumque ardore vteretur.

Dimisso sacro illo conuentu, Leodium cum Augusto venit, qui vt vere pius erat, nullam de cælitibus bene merendi dimittebat occasionem. XI. Kal. Octobris structis ordinibus processum est ad S. Petri. Magna erat hominum multitudo, quos tantæ rei celebritas exciuerat, cum Cæsar adesset, & fortasse bona pars synodi Aquensis. Præmissis supplicationibus sanctum antistitem venerati, conditorium aperiunt: & ecce Deum in sanctis suis mirabilem! Post annos nonaginta sanctum corpus, inquit Ægidius, a pontifice & sacerdotibus educitur ita incorruptum, quasi eo die sepultum fuisset. Omnibus Diuinam pietatem prædicantibus, ad S. Lamberti basilicam effertur. Triduum hic multitudinis religioni datum est. Tum in Arduennam auehi placuit. Andainum denique prid. Kal. Oct. illatum, multis muneribus cumulauit Ludouicus imperator. Sed pluribus majoribusque jam inde ab ipsa translatione per tot ætates in hunc diem cumulare Deus non destitit. Pręcipua illius beneficia sunt pro depellendis dæmonibus, furore, rabieque, etiam brutarum animantium. Quibus omnibus tanta jam est monasterij nobilitas, vt oblitterato ferme Andaini nomine, passim S. Hubertum appellemus.

Ijs honoribus S. Huberto delatis, ad S. Lambertum se Walcandus conuertit; cujus gloriæ propagandę desiderio. Lætiensibus ascetis (quorum conditorem Wibertum comitem cognatione attingebat) sacras eius reliquias impertijt, quem pręsidem suum & tutelarem illi a primo cœnobij exordio venerantur. Post administratam feliciter suam ecclesiam, obijt Walcandus anno octingentesimo trigesimo secundo, & sepultus est non procul Andaino in villa, quæ Serenus campus dicitur.

WERICVS

conditor Bernardi faniensis. *Quæ mihi è monasterij commentarijs exhibuit R. D. Ioannes a Malleo prouincialis.*

CVm presbyter esset, & sanctioris vitæ desiderio solitudinem, omnemque ab humanarum rerum strepitu secessum amaret, virum nactus est opibus potentem Adelardum Rœneum; qui Bernardifanijs in agro suo anachoreticum tuguriolum, quam B. Virginis cellam nuncupauit, exstruxit, inhabitandumque dedit Werico, & illis, quos ipse ejusdem secum instituti cupidos collegisset, vt ibi Benedictinis legibus monasticen amplecterentur. Probauit Erleboldus abbas Stabulensis, ecclesiæque suæ beneficium, seu clientelare prædium id esse voluit. Suscepit cœnobium, admisitque legem Wericus, & postquam rem asceticam optimis institutionibus sapienter stabilijsset,

rexit

Digitized by Google

rexissetque multis annis, magno etiam omnis secuturæ posteritatis emolumento, insigni religiosæ prudentiæ virtutisque opinione mortuus est.

SS. VVICBOLDVS ET ADELA parentes S. Trudonis. *Ex ijs quæ de sui monasterij commentarijs mihi dedit adm. R. D. Hubertus Suetendael abbas S. Trudonis.*

ILlustri Pipinorum gente procreati, magnam tam beati conjugij fœdere felicitatem consecuti sunt. Egregium quippe fuit mundo edidisse, ac præsertim recte instituisse primis Christianæ vitæ elementis magnum illum Trudonem, qui tantam omnis sanctitatis perfectionem adeptus, & apostoli Hasbaniæ nomen sibi comparauit, & religiosissimi illius juxta & nobilissimi monasterij primus autor ac parens fuit. Propria vero virtute claruisse, hoc demum est multo gloriosius. Ijs tamen, quę in S. Trudonis vita scripsimus vigesimo tertio Nouembris, veteres nihil addiderunt præter Sancti appellationem. Diem obijt Wicboldus anno post Virginis partum sexcentesimo quadragesimo quinto; sacrumque illius corpus Webbeci prope Distemium terræ primum fuit conditum, ac postea sepulcro eductum ad populi venerationem.

Adelam autem sub annum quadragesimum quartum vita defunctam esse prodiderunt. Zeelemi non procul Distemio sepulta, plurimis miraculis honores cælitum adepta est: sacrumque illius corpus venerationi multitudinis in auras elatum.

VV I N A N D V S.
Cæsarius l. 10. c. 2.

RES miranda huic contigit, quæ fidem vix inueniat, nisi adjuncta singula veluti digito commonstrare videretur Cęsarius. *In diœcesi Leodiensi*, inquit, *villa quæ Elselo dicitur, laicus quidam habitabat religiosus nomine Winandus, matris monachi nostri Winandi auunculus.* Vides hęc fingi non potuisse de homine non ignoto. Hic ante annum millesimum ducentesimum (vt quidem opinor) iverat cum popularibus aliquot Ierosolymam; lustratisque religiose sacris locis, cum ipso Paschatis die ad reditum se accingerent socij, frustraque dehortatus esset ob diei reuerentiam, solidum diem Ierosolymis decenti veneratione peregit. Postero die socios consecuturus non multum itineris confecerat, quando venientem ad se vidit in equo hominem specie venerabilem: a quo interrogatus, quo solus tenderet; vbi quod erat respondisset: Hoc, inquit ille, mecum equo vehere, breuique tuos socios assequemur. Paruit Winandus: & post paucas horas eodem die in patria se constitutum vidit. Miranti subjungit eques ille: A Deo pietatem tuam remunerante jussus sum in patria te sistere. Domum tuam abi, Numinisque beneficium testare. Verum ciuibus vana & somnia loqui visus est Winandus: & cum veluti delirantem riderent, quo suorum subsannationes declinaret, Compostellam abijt, & reliquum ex itinere Ierosolymitano viaticum in alteram peregrinationem insumsit: redijtque ante domum Compostella, quam e Syria socij. Qui tandem reuersi affirmarunt se hominem Ierosolymis die Paschatis reliquisse, quem postridie in patria fuisse ciues testabantur.

E Syria

vnico die

in Belgicam refertur.

CON-

CONCLVSIO.

HI *flores apparuerunt in terra nostra*: hos fecundo sinu beatus ille Leodiensis ecclesiæ hortus produxit. Quos in vnum ego tibi, lector, collegi: non vt auarus horti cultor, qui familiares ad suorum florum pulchritudinem oculis quidem vsurpandam admittit, sed omnino vult intactos, sibique seruatos. Hos tu non tantum inspice, non tantum me autore admirare colorum suauitatem, fragrantiamque odoris; sed quod mihi maxime propositum fuit, quodque obnixius obtestor, ceu apis studiosa, virtutis mel suauissimum exsuge: fertile excerpe semen, quod menti inseras: atque adeo si sapis, incenso imitationis studio totos flores in animum transplanta. Sapientissimum sequor Christianę amœnitatis magistrum Augustinum ita dicentem. *Quid prodest lectione continua tempus occupare, sanctorum gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea masticando & ruminando succum bibamus, & transglutiendo vsque ad cordis intima transmittamus, vt de ijs diligenter consideremus statum nostrum; & studeamus eorum opera agere, quorum facta & verba cœpimus lectitare?*

Cant. 2. 12.

De scala paradisi c. 10.

At tu in primis, quemcumque Deus eidem inseuit horto, vide quo beatis illis floribus ortu propior es, etiam vita similior euadas. Falleris, si quam tibi gloriam sumis ab illorum amœnitate, nisi hanc tibi propriam imitatione feceris. Ingratius strident anser inter olores: & tuam turpitudinem magis ostendet illorum pulchritudo. Atque adeo, vt inter dumos vepresque lappa relinquitur, quæ reuellitur e medijs floribus, amœnoque horto, & procul abijcitur; caue ne te morum prauitas integerrimorum illorum hominum cœtu reddat indignum. Meliora de te velim ominari; voueoque. Quare hos flores ita sedulus inspice, vt quemadmodum vua *liuorem conspecta ducit ab vua*: & tu frequenti egregiarum virtutum meditatione paulatim ijsdem imbuaris.

Hæc postremo lector accipe.

QVOD initio profitebar, prius denuo quam calamum ponam, contestatus denuntio, me dum hos virtutis FLORES collegi, ita sinceritati studuisse, vt religiose sanctorum aut beatorum nominibus abstinuerim, quoties vel certum ecclesiæ decretum, vel aliquot sæculorum receptam consuetudinem, vel probatorum scriptorum autoritatem deesse credidi. Probatorum, inquam, scriptorum; qui nimirum non temere, sed maturo judicio, & ecclesiæ præceptis consentanee scripsisse censentur. Scio quippe S. R & vniuersalis inquisitionis decretum a S. D. N. Vrbano VIII. propositum: a quo nec latum vnguem recedere certum mihi est ac fixum. Itaque quibuscumque sanctitatis aut beatitatis characterem, reuelationes, illustrationes, beneficia etiam eorum precibus in miseros mortales diuinitus collata, vel martyrium videor adscribere; si quid est, quod S. R. Ecclesiæ judicio probatum non fuerit, numquam equidem mihi mens fuit aliter, quam historici solent, fidem facere; vel aliquam vlli beatitudinis, aut martyrij famam adstruere, vel ad illiusmodi honores viam sternere. Sed eo loco singula haberi cupio, quem nulla meæ scriptionis habita ratione, promerentur. Quod tam sancte profiteor, quam obedientissimus S. sedis apostolicæ filius viuere cupio, & mori.

PRÆSVLES
quorum propositi fuerunt catalogi.

EPISCOPI fol. 6.

VIRI.

S. ÆGIDII fol. 186.
ALNENSES 512.
BELLI REDITVS 461.
BONEFFIENSES 424.
CRVCIFERORVM MAGISTRI GENERALES 375.
FLONENSES 319.
FLOREFFIENSES 600.
FLORINENSES 561.
GEMBLACENSES 255.
S. GERARDI SIVE BRONIENSES 446.
S. GERTRVDIS LOVANII 319.
GRANDIS PRATI 265.
HORTVLI B. MARIÆ SIVE IARDINETI 423.
S. HVBERTI 438.
S. IACOBI 328.
S. LAVRENTII 55.
LEFFIENSES 601.
LOBIENSES 221.
MALONIENSES 481.
MOLINIENSES 423.
NOVOMONASTERIENSES 318.
OEGNIACENSES 40.
S. REMIGII 514.
STABVLENSES 400.
S. TRVDONIS 497.
VALLIS DEI 425.
VALLIS S. LAMBERTI 554.
VILLARIENSES 252.
WALCIODORENSES 231.

VIRGINES.

AQVIRIENSES 277.
ARGENTONENSES 65.
FELICIS PRATI 418.
HERCKENRODANÆ 486.
MILENIENSES 277.
NIVELLENSES 174.
PACIS DEI 559.
RAMEIANÆ 368.
ROBERTIMONTANÆ 153.
SALSINIENSES 96.
SOLERIANÆ 132.
SOLISMONTANÆ 132.
THORENSES 577.
VALLIS BENEDICTÆ 563.
VALLIS NOSTRÆ DOMINÆ 558.

NO-

Digitized by Google

NOMENCLATOR

populorum, regionum, vrbium, monasteriorum, pagorum, fluviorum, &c. quæ lectorem detinere possent.

SANCTI ÆGIDII monasterium abbatia est canonicorum regularium S. Augustini juxta Leodium in summo vertice Publici montis.

AFFLIGEMIVM S. Benedicti monasterium in finibus Brabantiæ & Flandriæ vno circiter milliari Alosto.

S. AGATHÆ monasterium siue HOCHTENSE non procul Trajecto, primum a Cistercienſibus monachis inhabitatum, post a virginibus ejusdem ordinis.

S. AGATHÆ monasterium Crucigerorum prope Cuickium ad Mosam in finibus Brabantiæ jam diœcesis Ruremundensis.

AGRIPPINA vrbs ad Rhenum COLONIA hodie sępius dicta.

AIICVRIA Gallicę Brabantiæ pagus non procul Geldonia, vbi quondam canonicorum collegium, hodie Louanium ad S. Iacobi translatum.

ALEMVM pagus Moselandię non procul castello S. Andreę ad confluentes Rhenum & Mosam sito.

ALNA abbatia monachorum Cisterciensium ad Sabim prope Tudinium.

ALTVS MONS abbatia Benedictinorum ad Sabim supra Malbodium in Hannonia primo ab vrbe milliari.

AMANIVM pagus cum insigni collegio canonicorum infra Hoium non procul læua Mosæ ripa.

AMBLAVA fl. per Arduennam & Condrosos Leodium in Mosam descendit.

ANDAINVM Arduennę vicus monasterio S. Huberti nobilis, a quo hodie sæpius in vulgus nomen habet.

ANDANA vicus cum collegio nobilium canonicarum medio ferme itinere Namurcum inter & Hoium proxime dextram Mosæ ripam.

AQVÆ vulgo AQVISGRANVM Germaniæ regia quondam a Carolo Magno constituta, Leodiensis Diœcesis.

AQVIRIA Cisterciensium virginum abbatia secundo milliari ab vrbe Niuellensi, hodie Namurcensis diœcesis; condita primum ferme medio itinere Leodium inter & Hoiū in pago Aquiria dicto, a quo nomen retinet.

ARCEIA dynastia in finibus Franciæ ad Mosam supra Maserias; in qua nostra ętate Carolus Gonzaga dux Mantuanus & Niuernensis vrbem condidit, & Carolopolim appellauit.

ARDVENNA silua teste Cæsare olim totius Galliæ maxima a Neruijs ad Treuiros pertingebat, hodie trans Mosam tantum nomen retinet.

ARGENTONVM cœnobium Cisterciensium virginum proxime Gemblacum, jam Namurcensis diœcesis.

ASPRIMONS comitatus in Lotharingia Mosellana.

AVREA-VALLIS cœnobium primo Benedictinorum, tum canonicorum regularium, denique Cisterciensium in ditione Luxemburgensi, diœcesi Treuirensi.

AVSTRASIA ea Belgij pars, quæ est inter Rhenum & Mosam, aut aliquando Scaldim, & quæ etiam trans Rhenum a Francis tenebantur. Suum enim imperium Franci bifariam diuidebant, vt quæ pars a Mosa & postea Scaldi protendebatur in Germaniā, Austria siue Austrasia diceretur; Neustria vero quidquid reliquum in Gallijs obtinebant.

S. BARTHOLOMÆI collegium canonicorum Leodij olim extra vrbis pomerium, sed jam pridem muris inclusum.

BELISIA vulgo *Munster Bilsen* quo distinguatur a vicino oppido *Bilsen* dicto, collegium est nobilium canonicarum a sinistris viæ qua Tungris Trajectum itur.

BELLVM FAGETVM monasterium canonicorum regularium duabus Leodio leucis in Transmosanis, vbi ferme primariam Eburonum fuisse sedem opinio est.

BELLVM PRATVM cœnobium Cisterciensis ordinis in Lotharingia quarto a Nanceio lapide prope Lunæ villam.

BELLVS REDITVS abbatia Pręmonstratensium Leodij ad Mosam infra monasterium S. Iacobi.

BELOACVS siue BELLVS LOCVS olim *Wasloy* dictus, monasterium est Benedictinorum quinque milliaribus Virduno distans, Gallice *Beau lieu*.

BENTLAGENSE monasterium Crucigerorum diœcesis Monasteriensis in Westfalia.

BERNARDI FANIÆ monasterium est Guilielmitarum in medijs ferme Condrosis.

BINCHIVM vrbs est Hannoniæ duabus Lobio leucis.

BONA VALLIS abbatia Cisterciensis ordinis in Delphinatu diœcesi Viennensi.

BONEFFIA siue VINEA NOSTRÆ DOMINÆ olim virginum nunc virorum cœnobium ordinis Cisterciensis in comitatu Namurcensi, & etiam hodie diœcesi.

BOVINIVM oppidum Dionanto proximum, Namurcensis comitatus & hodie etiam diœcesis.

BRACHBANTVM vetus nomen, non tantum Brabantiæ partem, sed etiam Hannoniæ & Cameracesium complectebatur.

BRONIVM abbatia Benedictinorum in prouincia Interamnensi a S. Gerardo condita, a quo sæpius etiam nomen habet.

BVLLIONVM arx est cum oppido & perampla regione in Galliæ finibus, ducatus titulo insignis.

CAMERA abbatia Cisterciensium virginum non procul Bruxellis diœcesis Cameracensis.

CAPRIMONS locus est præaltus & vndique ferme præruptus in regione Transmosana Leodio vix sesquimilliari dissitus ad meridiem: in eo quondam arx munitissima, quam frustra obsederunt Carolus Simplex Francorum rex, Otto I. imperator, S. Bruno regni Lothariensis archidux; tandem euertit anno 972 Norgerus Leod. episcopus.

CARBONARIA dicta est ante mille annos & aliquot post sæculis Hannonia.

CASTRA mons supra & proxime Trajectum, Mosæ imminens.

CASTRILOCVS olim dicebatur, qui hodie Montes Hannonię: statiua Romanorum illic fuisse feruntur, & sunt qui castra Ciceronis ibidem a Cæsare collocata credant.

S. CATHARINÆ monasterium virginum Benedictinarũ ad portas Trudonenses: his Milenium translatis, solum hodie templum superest.

CELLÆ pagus sesquimilliari dissitus Dionanto, sic dictus ob exstructas ibi a S. Hadelino monachorum cellas; qui postea in canonicos mutati, Visetum migrarunt. In agro Cellensi nostra ętate miraculis celebratur B. Virgo Foyensis.

CENNACVM oppidum in Condrosis, Dionanto tribus leucis, sesqui milliari Cellis distat.

CISTERCIVM caput ordinis, in ducatu Burgundiæ, diœcesi Cabilonensi quinque circiter leucis ab vrbe Diuione.

CLARA-VALLIS tertia Cistercij filia in comitatu Campaniæ, diœcesi Lingonensi, ad fluuium Album.

CLARVS LOCVS ad portas Hoienses, vbi hodie primaria domus totius ordinis cruciferorum.

CLARVS MARESCVS abbatia Cisterciensis ordinis in Artesia non procul Audomaropoli in medijs paludibus, quę nomen illi dederunt.

CLARVS MONS arx fuit in Condrosis ad Mosam medio itinere Leodium inter & Hoium, cum titulo comitatus: hodie diruta est.

CLVNIACVM S. Benedicti cœnobium in Burgundia diœcesi Matisconensi.

CONDROSI populus Transmosanus Leodium inter & Dionantum, eodem nomine jam inde a I. Cęsare celebrati.

CORBEIA monasterium est Benedictinorum in Gallia ad Somonam fl. haud procul Ambiano. Vnde deducta colonia in Saxoniam ad Visurgim fl. CORBEIA etiam dicitur, sed SAXONICA, vt distinguatur ab altera, quę CORBEIA GALLICA nuncupatur.

CORNELII MONS ad portam Leodiensis vrbis Transmosanam: in cujus vertice monasterium Præmonstratensium olim fuit, hodie Cartusianorum est, Præmonstratensibus in vrbem ad Bellum reditum translatis. In ejusdem montis pede templum est cum nosocomio: vbi vixit olim S. Iuliana.

S. CRVCIS collegium canonicorum Leodij

Digitized by Google

Leodij in Publico monte constructum, ne fortassis eodem loci arx poneretur, quæ libertati vrbis officeret.

DILIA fl. e Villario per Waueram & ciuitatem Louaniensem profluit in Demeram fl. ac deinde in Netham fl.

S. DIONYSII collegium canonicorum Leodij.

DONVM STEPHANI pagus in prouincia Interamnensi non procul Tudinio.

EBVRA primaria sedes veterum Eburonum fuisse creditur, in monte ex aduerso Caprimontis despicit in subjectis vallibus fluuios Vrtam, Vezam, Amblauam confluentes, & Leodium in Mosam descendentes.

EFFLIA regio Transmosana Stabuletum inter & Rhenum.

EICA hodie dicta vulgo Maseca vrbs ad Mosam inter Trajectum & Ruremundam.

ELEGIA peruetus est vicus in Elli fluminis ripa in Alsatia, Romana antiquitate & religione Christiana visendus.

ELNO oppidum tribus milliaribus dissitum Valentianis, quatuor Tornaco, ornatum celeberrimo monasterio S. Amandi, a quo etiam hodie nomen habet.

ELSELO pagus non procul Trajecto.

FALCOMONTIVM arx trans Mosam cum veteri dynastia jam pridem ducatui Limburgensi annexa.

FELIX PRATVM monasterium virginum Cisterciensium trans Mosam prope Giuetum, in pago Frumelenio.

FLINÆ monasterium virginum Cisterciensium Honor B. Virginis appellatum, Duaco dissitum sesquimilliari.

FLONA abbatia canonicorum regularium sesquimilliari infra Hoium ad læuam Mosæ.

FLOREFFIA primitus arx ad dextram Sabis ripam in edito colle, post abbatia Præmonstratensis.

FLORIDA VALLIS parthenon Cisterciensis secundo lapide a Louanio Wauriam versus, hodie Mechliniensis diœcesis.

FLORINÆ oppidum Interamnensis prouinciæ, antiqua dynastia celebre

FOSSÆ in eadem prouincia oppidum.

FRANCIMONTIVM arx in Transmosanis & caput marchionatus.

FVRA pagus Brabantiæ.

GEMBLACVM monasterium Benedictinorum & oppidum Brabantiæ Gallicanæ.

GEMMETICVM monasterium in agro & diœcesi Rotomagensi.

S. GERARDI monasterium. Vide Bronium.

GERMIENSIS pagus sic olim dicta Brabantiæ pars, in qua Gemblacum.

GERPINIA pagus in medijs Interamnensibus non procul Bronio.

GORZIA monasterium Benedictinorum in Lotharingia Mosellana, jam pridem dirutum.

GRANDE PRATVM abbatia Cisterciensis in Transmosana regione comitatus Namurcensis, hodie ejusdem diœcesis.

HAMVM putant quidam esse Flandriæ pagum non procul Teneramũda: malunt alij esse in Brabantia primo a Viluordia milliari. Est & oppidum ejusdem nominis in finibus Galliæ: sunt & pagi in Condrosis.

HASBANIA ampla fertilisque regio ab vrbe Leodio siue Mosa ad vsque Brabantiam aut Louanium, insignis olim comitatus titulo.

HASTERIA antiquissimum cœnobium ad Mosam supra Dionantum, a clero primitus habitatum, post a virginibus; ac denique illis Metas migrantibus, a Benedictinis monachis; & tum Walciodoro conjunctum, ab eodem abbate cum illo regitur.

HEISTERBACVM siue VALLIS S. PETRI cœnobium ordinis Cisterciensis in ducatu Montensi, diœcesi Coloniensi.

HEMMENRODIVM siue CLAVSTRVM abbatia Cisterciensis ordinis, in diœcesi & ditione Treuirensi.

HERCKENRODA abbatia virginum Cisterciensium in comitatu Lossensi primo milliari ab Hasseleto.

HERISTALLVM vicus ad Mosæ latus sinistrum via Trajectensi, vno milliari infra Leodium, principum, regum, imperatorum secessu celebratus.

HOCHTVM gynæceum Cisterciense Vide S. Agathæ cœnobium.

HOIOLVS fl. e Condrosis ortus, per vrbem Hoiensem (cui nomen dedisse creditur) in Mosam influit.

HORTVLVS siue IARDINETVM B. Virginis cœnobium Cisterciense, Walcuriæ proximum in regione Interamnensi, a virginibus primum, post a monachis inhabitatum.

S. HV-

Digitized by Google

S. HVBERTI monasterium. Vide Andainum.

HVGARDIA celebris vicus in Brabantiæ finibus non procul Thenis.

IGNIACVM abbatia Cisterciensis ordinis in Campania Gallica, diœcesi Rem. *en Tardenois*.

S. IACOBI abbatia Benedictinorum Leodij in capite insulæ.

IARDINETVM. Vide Hortulus.

INTERAMNIS prouincia supra Namurcum inter Mosam & Sabim.

S. IOANNIS BAPTISTÆ abbatia Benedictinorum dicta vulgo Florinensis, quia est ad portas Florinenses.

IVPILIA vicus in dextra mosa ripa, ex aduerso Heristalli, primo ab vrbe Leodio lapide, habitatus a principibus, regibus, imperatoribus, & Caroli Magni natalis.

KERCHVM locus Thenis vicinus, vbi inchoatus est parthenon Cisterciensis, ac deinde translatus Rameiam non procul Geldonia.

LADERNACVM pagus est ditionis Stabulensis via Leodiensi vulgo *Lerneux*.

LÆTIA abbatia Benedictina in finibus Hannoniæ Franciam versus, diœcesis Cameracensis.

LANDA vetus oppidum Brabantiæ ad fines Leodienses.

LATINIACVM S. Fursei monasterium & oppidum in Francia ad Matronam fl. in diœcesi Parisiensi, vulgo *Lagni*.

LAVBACVM, LAVBIVM, LAVBIÆ, vel (vt sæpius) LOBIVM abbatia Benedictina prope fines Hannoniæ ad sinistram Sabis ripam apud Tudinium.

S. LAVRENTII abbatia Benedictina ad muros Leodienses in Publico monte.

LEFFIA cœnobium olim sacrarum virginum, deinde clericorum, post Præmonstratensium proxime Dionantum infra vrbem non procul Mosa.

LEGIA fluvius Flandriæ vulgo Lisa. Est & rivulus Leodiensem vrbem mediam præterfluens, vrbi nomen dedisse fertur.

S. LEONARDI monasterium infra Leodium ad Mosam via Trajectensi, dictum olim S. Leonardi porticus, quando spectabat ad abbatem S. Iacobi: est jam canonicorum regularium.

LERNA pagus est non procul Tudinio.

LOBIVM Vide Laubacum.

LOCVS S. BERNARDI abbatia Cisterciẽsis ad Scaldim supra Antuerpiam.

LOMACENSIS aut LOMENSIS PAGVS siue comitatus fuit olim totus ille tractus, qui est inter Mosam & Sabim.

LOTHARINGIA siue Lothariense regnum aut Lothariensis ducatus, non illa tantum fuit olim, quæ hodie sic appellatur, sed omnis præterea ille terrarum tractus, qui est inter Rhenum & Scaldim.

LOTHARINGIA Mosellana dicebatur, quam hodie Lotharingiam simpliciter appellamus ducatus nomine insignem.

MAGDERA vrbs in pago Scarponensi, qui hodie est ager Metensis.

MALBODIVM oppidum Hannoniæ ad Sabim nobilium canonicarum collegio celebre, vulgo *Maulbeuge*.

MALMVNDARIVM in Transmosanis abbatia Benedictina eodẽ regitur abbate, quo vicinum Stabuletum, vulgo *Malmedie* Coloniensis diœcesis.

MALONIA abbatia canonicorum regularium ad Sabim vno milliari supra Namurcum.

MARKETTA pagus Flandriæ proxime Insulas insignis monasterio virginum Cisterciensium, quod Reclinatorium B. Virginis dicitur.

MARLANIA silua in prouincia Interamnensi ab ipso castro Namurcensi ad aliquot leucas protenditur.

MARTIA DOMINARVM gynæceum Cisterciense propter sinistram Mosæ ripam sesquimilliari infra Namurcum.

MARTIANÆ abbatia Benedictina ad Scarpum fl. in Flandria sesquimilliari Duaco.

S. MARTINI collegium canonicorum in Publico monte Leodij.

S. MATTHIÆ monasteriũ Cruciferorum puto id esse quod hodie Nigræ paludis dicitur in ducatu Iuliacensi diœcesis Coloniensis: conditum enim fuit a Warnero de Meroda, quod in somnis tertio didicisset a S. Matthia, Dei voluntatem esse, vt in silua Suvartzemburgensi Cruciferis cœnobium construeret.

S. MAXIMINI abbatia Benedictina prope Treuiros.

MEDIOMATRICES dicebantur olim, qui hodie Metenses.

MEFFIA prioratus S. Seueri in Hasbania Namurcum inter & Hanutum a clericis ad cœnobium S. Laurentij

tij

tij Leodium translatus.

MENAPII antiquitus dicti, qui Flandriæ partem magis Septemtrionalem incoluerunt: diœcesis Tornacensis erant.

MERSENA hodie dicitur, quæ olim Marsna vel Marsana, in Transmosanis: fuitque quondam regium palatium.

MILENIVM. Vide S. Catharinæ cœnobium.

MOHA arx munita quondam fuit ad fines Brabantiæ, milliari Hoio dissita, caput comitatus Mohani; hodie diruta est.

MOLHANIVM pagus Interamnensis non procul Mosa quinque milliaribus supra Dionantum. In eo collegium canonicorum.

MOLINIVM Cisterciensium virginum olim abbatia, hodie monachorum in regione Interamnensi non procul Mosæ ripa, milliari infra Dionantum, comitatus & diœcesis Namurcensis, Allodium B. Virginis dicta.

MONASTERIVM AD SABIM collegium nobilium canonicarum milliaribus duobus supra Namurcum, vulgo *Monstier sur Sambre*.

MONS ACVTVS arx olim in Transmosanis non procul Marchia in Famenna, caput comitatus ejusdem nominis.

MONS DVODECIM APOSTOLORVM dictus vulgo Cornelij mons *Cornillon* juxta Leodium, quod ibi templum sit in honorem duodecim apostolorum: ideoque Præmonstratenses, qui sedē ibi primum posuerunt, cum deinde Leodium ad Bellū reditum migrarunt, sigillum retinuerunt duodecim apostolis insignitum.

MONS S. SALVATORIS cœnobium virginum Cisterciensium prope Aquas, quę deinde Porzetum migrarunt.

MONS SANCTVS monasterium Benedictinum apud Amersfordiam in diœcesi Vltrajectensi. Alius item MONS SANCTVS in ipso cœnobio Villariensi sic dictus ob plurimos monachos sanctitate insignes olim ibidem sepultos.

MORINI partem Flandriæ coluerunt magis Australem, viciniorremque Artesiæ, olimque diœcesis Teruanensis.

MORSELLA pagus est ad ipsos Brabantiæ & ditionis Alostanę fines.

MOSELANDIA regio ad vtramque Mosæ ripam supra confluentes Rhenum & Mosam.

NASSONIA pagus Arduennæ non procul monasterio S. Huberti, insignis collegio canonicorum.

NAZARETHVM cœnobium Cisterciensium virginum ad muros Liranos in Brabantia, diœcesis Antuerpiensis.

NEMETES olim, qui hodie Spirenses appellantur.

NERVII Tornacenses & omnes Hannonij.

NOBILIACVM Benedictinum S. Vedasti monasterium Atrebati.

NOVOMONASTERIVM canonicorum regularium infra Hoium ad ipsas pęne portas in dextra Mosæ ripa: vulgo *Neu moustier*.

OEGNIACVM cœnobium canonicorū regularium ad Sabim quarto ferme milliario supra Namurcū, vulgo *Oegnies*.

ONHANIVM in Interamnensibus vno milliari dissitum Dionanto.

ORPIVM pagus Brabantię Gallicanę.

ORATORIVM B. VIRGINIS. Vide Soleriæ.

PARCVM abbatia Præmonstratensis proxime Louanium.

PARCVM DOMINARVM cœnobium Cisterciensium virginum primo a Louanio lapide, hodie Mechliniensis diœcesis.

S. PAVLI collegium canonicorum Leodij.

PAX DEI abbatia virginum Cisterciensium sesquimilliari Hoio distans Hasbaniam versus.

S. PETRI collegium canonicorum Leodij.

PLANA VALLIS pagus in medijs Condrosis.

PORZETVM cœnobium olim virorum, hodie virginum Cisterciensium proxime Aquas; Leodiensis diœcesis.

PRVMIA abbatia Benedictinorum versus Mosellam diœcesis Treuirensis.

PVBLICVS MONS in ipsa vrbe Leodiensi assurgit ab episcopi palatio, & per longum jugum excrescit extra ciuitatem vsque ad summum cacumen, in quo cœnobium S. Ægidij.

RAMEIA gynæceum Cisterciense secundo ferme lapide a Geldonia, hodie Namurcensis diœcesis.

RECLINATORIVM B. VIRGINIS. Vide Marketta.

S. REMIGII abbatia Cisterciensis in Arduenna prope Rupefortum, Succursus B. Mariæ dicta.

RIVONIA pagus cum insigni castro hodie diruto versus Bullionum.

ROBER-

ROBERTI MONS Leodio proximus in quo silua, & in hac parthenon Cistercienſis.

RODA cœnobium canonicorum regularium in agro Limburgenſi ad oppidum Ducisrodam Gallice *Rolduc*.

RVTHÆ pagus primo lapide ab vrbe Tungrenſi ad Occidentem.

SALSINIA parthenon Cistercienſis ad Sabim proxime Namurcum, Vallis D. Virginis & S. Georgij nuncupatus.

SARCHINIVM hodie Trudonopolis dicitur a S. Trudone monaſterij conditore.

SARTVM olim dicebatur, quæ hodie Vallis benedicta prope Leodium.

SELESTADIVM vrbs Germaniæ ad Ellum fl. qui Argentorati in Rhenum influit.

SEPTEM FONTIVM olim LOCVS SANCTVS abbatia Cistercienſis ordinis in Borbonio, diœceſi Æduenſi.

SIGNIACVM Campaniæ Gallicę cœnobium ordinis Cisterc. de linea Clarę-vallis, in diœceſi Rem.

SOLEMNIACVM monaſterium a S. Eligio conditum in diœceſi Lemouicęſi.

SOLERIÆ ſiue ORATORIVM B. VIRGINIS IN SOLERIIS cœnobium olim Auguſtinianarum, nunc Cistercienſium virginum in diœceſi & comitatu Namurcenſi inter Condroſos ferme ſeſquimilliari Hoio.

SOLIS MONS vernacule *Soliamont* monaſterium Cistercienſium virginum non procul Fleruco, diœceſis hodie Namurcenſis.

STABVLETVM abbatia Benedictina in Transmoſanis diœceſis Leodienſis.

STEENWICVM oppidum Transiſalaniæ.

SVSTERENVM in Transmoſanis oppidum ex aduerſo Maſecæ, vbi olim monaſterium.

TAXANDRIA quondam, hodie Campinia dicitur.

TECTA vicus primarius marchionatus Francimontani in Transmoſanis.

TEORASCIA Galliæ regio Hannonię adjacens.

S.THEODORICI monaſterium Benedictinorum Rhemis.

TIHONIVM pagus Hoio proximus ad Orientem non procul Moſa vulgo *Tihange*.

TORA collegium nobilium canonicarum non procul Moſa infra Maſecam.

TRES FONTES monaſterium Cistercienſe in ducatu Barrenſi diœceſi Catalaunenſi.

TVITIVM vicus Transrhenanus ex aduerſo Coloniæ in quo Benedictinorum monaſterium S. Heriberti.

VALCELLÆ abbatia Cistercienſis ad Scaldim in agro Cameracenſi prope Creuecurium.

VALLIS BENEDICTA abbatia Cistercienſium virginum ad Moſam ſupra Leodium.

VALLIS DEI abbatia Cistercienſis in agro Limburgenſi, ſecunda ferme leuca Trajecto.

VALLIS DVCIS gynæceum Cistercienſe ſecundo milliari a Louanio hodie Mechlinienſis diœceſis.

VALLIS S. LAMBERTI abbatia Cistercienſis ſeſquimilliario ſupra Leodium ad Moſam olim Campus Maurorum dicta.

VALLIS N. DOMINÆ parthenon Cistercienſis prope Hoium olim Vallis Rodumi appellatus.

VALLIS ROSARVM parthenon Cistercienſis apud Mechlinam ad Netham fl. olim Diœceſis Cameracenſis jam Mechlinienſis.

VALLIS VIRGINVM gynæceum Cistercienſe apud Lintras vno milliari a Thenis, hodie Mechlinienſis diœceſis.

VANGIONES olim, qui hodie Wormacienſes dicuntur in Germania ad Rhenum.

VBII quondam ex vlteriore ripa Rheni ad citeriorem a I.Cęſare tranſlati, hodie Colonienſes appellantur.

VETVS VINETVM gynæceum Cistercienſe ſeſquimilliari infra Leodium non procul Moſa via Trajectenſi.

VILLARIVM abbatia Cistercienſis in Gallobrabantia tribus ferme leucis a Niuellis.

S.VITONI monaſterium Benedictinum Virduni, vulgo *de S. Venne*.

VRTA fl. ortus in Arduenna Condroſos præterfluit & Leodij in Moſam influit.

WALCIODORVM abbatia Benedictina ad Moſam vno milliari ſupra Dionantum.

WALCVRIA oppidum in Interamnēſibus Namurcenſis comitatus & diœceſis ſexto ferme milliari a Namurco.

WILLEMBROCVM noſocomium ad portas Niuellenſes.

WINTERSHOVIVM pagus comitatus Loſſenſis a dextris viæ qua Tungris Haſſeletum itur.

ZEELEMVM in monte S. Ioannis Baptiſtæ prope Diſtemium.

INDEX

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

INDEX
HORVM FLORVM
eo quo describuntur ordine.

SAnctus Maternus totius gentis apostolus. folio. 1.
S. Lambertus totius gentis patronus. fol. 9.
S. Hubertus primus episcopus Leodiensis. fol. 23.

IANVARIVS.

1 ALbero episcopus LVII. fol. 31.
Vlricus abbas Villariensis. fol. 32.
4 S. Faraildis virgo. fol. 33.
5 S. Gerlacus. fol. 33.
Ægidius Walcurianus prior Oegniacensis. fol. 39.
Henricus Samerius e Societate IESV. fol. 41.
6 Stephanus abbas S. Iacobi. fol. 43.
7 Ven. Ludouicus Blosius abbas Lætiensis. fol. 43.
8 S. Gudula virgo. fol. 48.
9 Franco episc. XXXVIII. fol. 50.
10 Gregorius P. X. fol. 52.
12 Stephanus abb. S. Laurentij. fol. 54.
13 B. Ivetta Hoiensis clausa. fol. 57.
Seuoldus abb. S. Huberti. fol. 63.
14 Theodardus conuersus Villarij. f. 64.
Tietfridus abb. Trudon. fol. 64.
Sanctimonialis Argenton. fol. 64.
15 S. Maurus Eremita. fol. 66.
16 Fulcardus abb. Lobiensis. fol. 67.
18 Petrus conuersus Villarij. fol. 67.
Euerardus Taciturnus conuersus Villarij. fol. 68.
23 Durandus episc. IL. fol. 69.
24 Thomas Gonierus e Societate IESV. fol. 72.
25 S. Poppo abb. Stabulensis. fol. 76.
Ioannes Iardinius conu. Villar. f. 86.
27 Leonius abb. Lobiensis. fol. 86.
28 S. Carolus Magnus imperator. f. 87.
S. Speus episcopus ignotæ diœceseos. fol. 94.
29 Carolus abb. Villar. fol. 94.
Himana abbatissa Salsiniç, tum Flinarum. fol. 95.

FEBRVARIVS.

1 SAnctus Sigebertus rex Austrasiæ. fol. 97.
Winandus Dominicanus fol. 98.
3 S. Hadelinus conditor Cellensis. f. 99.
Erluinus episcopus Cameracensis. f. 100.
4 S. Wlgisus episcopus & abb. Lobiensis. fol. 100.
5 Ioannes Maillartus ex abbate S. Laurentij monachus in Valle S. Lamberti. fol. 101.
item Wazelinus ex abbate S. Iacobi. fol. 101.
Franciscus Montmorencius e decano Leod. religiosus Societatis IESV. fol. 101.
6 S. Amandus episc. XXVI. & conditor Elnonensis. fol. 105.
Omnes SS. episcopi Trajecti. fol. 108.
S. Relindis virgo. fol. 109.
7 S. Amoluinus episc. & abb. Lob. f. 109.
Rainerus conu. Villar. ejusque filij Godefridus, Thomas, & Rainerus, ibidem monachi. fol. 109.
8 S. Mengoldus comes Hoiensis & martyr. fol. 110.
10 B. Hugo Fossensis S. Norberti successor. fol. 110.
B. Guilielmus Dongelbertus monachus Villar. fol. 112.
Godefridus Cortebekius mon. Villar. fol. 113.
12 Iacobus Gruitrodanus & alij priores Cartusiæ Leod. fol. 113.
13 Tancrardus abb. S. Huberti & Prum. fol. 114.
16 Erardus Marcanus episcop. LXXXIV. cardinalis & legatus a latere. f. 114.
20 S. Eucherius episc. Aurelianensis. f. 119.
21 S. Pipinus Landanus major domus Austrasiæ. fol. 121.
24 B. Simon conu. Alnensis. fol. 123.
26 Guilielmus Richelius abb. S. Trudonis. fol. 127.
27 S. Macuardus abb. S. Huberti & Prum. fol. 128.

MARTIVS.

1 Sanctus Egilo abb. S. Huberti & Prum. fol. 129.
Reinerus abb. S. Trudonis. fol. 129.
Gualterus abb. Villar. fol. 130.
3 Arnulfus abb. XIII. Villar. fol. 133.
Arnulfus abb. XIX. Villar. fol. 134.
4 Ven. Rupertus abb. Tuitiensis. fol. 135.
6 S. Godegrandus episc. Metensis. f. 145.
S. Kadroë abb. Walciodorensis. f. 145.
Stephanus Strechœus suffraganeus Leod. fol. 146.
7 Rodulfus abb. S. Trudonis. fol. 151.
8 Henricus de Marilis prior Villar. f. 152.
10 S. Ansbaldus abb. S. Huberti & Prum. fol. 152.
11 Ermedis Pratana abbatissa Roberti-montis. fol. 153.
12 Ven. Dionysius Richelius Cartus. f. 154.
Gregorius prior Villar. fol. 165.
Cornelius a Lapide e Societ. Iesv. f. 166
16 Ioannes Niuellensis e decano Leod. monachus Oegniac. fol. 168.
S. Heribertus Eremita. fol. 169.
Gumarus monachus Villar. fol. 169.
17 S. Gertrudis I. abbatissa Niuellensis. fol. 170.
Grimelota virgo. fol. 174.
Diedela virgo. fol. 175.
19 S. Landoaldus archipresbyter cum socijs SS. Amantio diacono, Adriano martyre, Iuliano, & Adeltrude virgine. fol. 175.
B. Abundus monachus Villar. f. 176.
Hugo de S. Caro e Dominicano cardinalis. fol. 179.
21 Henricus e priore Villar. abbas Loci S. Bernardi. fol. 180.
Adamus Sasboldus fol. 181.
22 Genta abbatissa Floridæ vallis fol. 181.
25 Sanctimonialis anonyma conuersa Argentoni. fol. 182.
28 B. Eilbertus conditor Walciodorensis. fol. 182.
29 Stephanus ex archidiacono Leod. Papa X. fol. 183.
Goderanus conditor S. Ægidij. f. 185.
30 Henricus Sommalius e Societate Iesv. fol. 186.

APRILIS.

5 Sancta Iuliana autor festi V. Sacramenti. fol. 187.
7 Hermannus conu. Villar. fol. 203.
8 Arnoldus de Solbreck abbas Iardineti & Gemblac. fol. 204.
10 Notgerus episc. XLVI. fol. 204.
12 Hugo Petrapontius episc. LXV. f. 210.
13 Ven. Ida Louaniensis e Valle rosarum fol. 215.
14 Antonius Gauderius e Societate Iesv fol. 218.
17 Radbodo Præmonstratensis. fol. 220.
18 S. Vrsmarus episc. & abb. Lob. f. 220.
Guilielmus Iulemontius abb. S. Iacobi. fol. 223.
21 B. Wolbodo episc. XLVIII. fol. 224.
25 S. Florebertus episc. XXXI. fol. 227.
S. Erminus episc. & abb. Lob. f. 227.
26 Leuinus Torrentius ex archidiacono Leod. episcopus Antuerp. fol. 228.
27 Guilielmus Grimberganus e decano Leodiens. episc. Antuerp. tum archiepisc. Camerac. fol. 229.
Petrus Steuartus vicarius Leod. f. 229.
30 S. Forannanus episc. & abbas Walciodor. fol. 230.
S. Macalanus abbas Walciodor. f. 232.
Iacobus Vitriacus e monacho Oegniacensi episcopus & cardinalis f. 232.

MAIVS.

1 Sanctus Euermarus & socij martyres. fol. 236.
S. Vltanus I. abbas Fossensis fol. 236.
2 Ioannes Apianus episc. LXVI. f. 237.
3 S. Ansfridus e comite Hoiensi episcopus Vltrajectensis. fol. 238.
5 Catharina e Iudæa sanctimonialis. fol. 239.
7 S. Domitianus episc. XX. fol. 240.
8 B. Iduberga mater S. Gertrudis. f. 241.
10 Theodoricus Hesius prodecanus Leod. fol. 241.
13 S. Seruatius episc. X. fol. 242.
S. Rolendis Virgo. fol. 247.
15 Thomas Cantipratanus e Dominicano suffraganeus Camerac. fol. 248.
17 Laurentius abb. Villar. fol. 251.
19 Stephanus episc. XXXIX. fol. 251.
22 Hilsuindis abbatissa Porzet. fol. 253.
23 S. Guibertus conditor Gēblac. f. 253.
25 S. Adilia soror S. Bauonis. fol. 256.
26 S. Symmetrius presbyter & martyr. fol. 256.
27 S. Fredericus episc. LVI. & martyr. fol. 257.
28 Ioannes Valenrodanus episc. LXXXII. fol. 259.
29 Nicolaus abb. Villar. fol. 260.
31 Iulianus Minor Leodij. fol. 261.

IVNIVS.

6 SAnctus Norbertus conditor Præmonstratensis. fol. 262.
Heribrandus abb. S. Laurentij. f. 263.
7 S. Valentinus episc. IX. & martyr. fol. 264.
S. Candidus episcopus ignotæ diœceseos. fol. 264.
9 Ioannes abbas Grandis prati. fol. 265.
12 S. Odulfus canonicus Vltraject. f. 266.
14 B. Richardus abb. S. Vitoni. fol. 267.
15 S. Landelinus conditor Lobij & Alnę. fol. 267.
16 S. Lutgardis virgo Aquiriana. f. 268.
20 S. Maximinus VIII. episc. fol. 278.
21 S. Martinus episc. VII. fol. 278.
23 S. Walherus parochus & martyr. fol. 279.
S. Hidulfus dux. fol. 279.
Ioannes Dionātius monachus Oegniac. fol. 280.
S. Maria Oegniac. fol. 280.
Theoduinus episc. LIII. fol. 295.
25 S. Theodulfus episc. & abb. Lob. fol. 297.
S. Oduinus presbyter & martyr. fol. 297.
Lambertus Begus conditor Beguinarum. fol. 298.
26 S. Babolenus abb. Stabul. fol. 300.
30 S. Adilia virgo Orpiensis. fol. 301.
B. Arnulfus Cornibutius conu. Villar. fol. 301.
Arnoldus monachus Villar. fol. 303.
Arnoldus conu. Villar. fol. 304.

IVLIVS.

8 SAncta Landrada conditrix Belisię. fol. 305.
Wazo episc. LII. fol. 307.
Ven. Petrus Eremita autor sacri belli. fol. 314.
9 S. Agilolfus abb. Stabulensis & martyr. fol. 320.
10 S. Amelberga virgo. fol. 321.
S. Amalberga vidua. fol. 322.
Maria van Lille virgo. fol. 322.
12 Bartholomæus prior Cartusiæ Ruremund. fol. 323.
13 Henricus Harpius Minor. fol. 323.
Hēricus Dionysius e Societ. Iesv. f. 324.
14 S. Libertus martyr. fol. 325.
S. Henricus imperator. fol. 326.
S. Ragenufla virgo. fol. 327.
Olbertus abb. S. Iacobi. fol. 327.
16 S. Monulfus episc. XXI. fol. 330.
S. Gondulfus episc. XXII. fol. 331.
17 S. Fredegandus. fol. 332.
Ioannes Beetzius Carmelita. fol. 332.
Bertha Marbesia abbatissa Markettæ. fol. 332.
18 S. Odilia virgo & maryr cum sociabus SS. Ida & Imma. fol. 333.
Godefridus Bullionius rex Ierosolymorum. fol. 334.
Otto decanus S. Pauli & abbas S. Laurentij. fol. 336.
19 Wiboldus abb. Stabul. fol. 337.
21 S. Vastradis Sustereni. fol. 340.
23 Richarius episc. XL. fol. 340.
24 S. Christina Admirabilis. fol. 341.
25 S. Ioannes Agnus episc. XXV. fol. 349.
B. Ioannes Sorethus generalis Carmelitarum. fol. 350.
29 Baldricus II. episc. XLVII. fol. 351.
Bartholomæus conditor Floridæ vallis, Vallis virginum, & Nazarethi. fol. 353.
B. Beatrix prior Nazarethana. f. 353.

AVGVSTVS.

1 EVerardus Mercurianus prępositus generalis Societatis Iesv. fol. 358.
5 S. Abel archiepisc. Rhem. & abb. Lob. fol. 363.
11 Nicolaus Cusanus ex archidiacono Leod. cardinalis. fol. 364.
12 B. Ida Niuellensis Rameiæ. fol. 365.
13 S. Zuentiboldus rex Lotharingię. f. 369.
17 Carolomannus e principe Austrasiæ monachus. fol. 370.
SS. Benedicta, Cæcilia, & Relindis virgines. fol. 372.
18 Ven. Theodorus Cellensis autor vel instaurator Cruciferorum. fol. 373.
20 S. Bernardus Clarevallensis. fol. 377.
B. Gobertus monachus Villar. fol. 379.
Franco mon. Villar. fol. 381.
Duo alij Bernardi. fol. 382.
21 Helinus abbas Floreff. fol. 382.
22 S. Maurus presbyter & martyr. fol. 383.
24 S. Theodoricus abb. S. Huberti. f. 383.
S. Sandradus abb. Gladbac. fol. 386.
25 S. Gregorius episc. Vltraject. fol. 387.
Cornelius Vishauæus e Societate Iesv. fol. 387.
26 Nicolaus Voerdanus cæcus. fol. 392.
Ioānes Horrion e Societ. Iesv. f. 392.
27 S. Elmerus episc. ignotæ diœceseos. fol. 393.

28 Ioannes Præcursor mon. Villar. f. 393.
Ioannes Miles conu. Villar. fol. 393.
Sebastianus Wericus. fol. 394.

SEPTEMBER.

2 VEn. Margaretula. fol. 395.
3 S. Remaclus episcop. XXVII. fol. 396.
4 S. Marcellus episc. III. fol. 404.
6 Lambertus abb. Lob. fol. 404.
Antonius Termonius abbas Vallis S. Lamberti. fol. 404.
Oda clausa. ibidem.
Ida vidua. ibidem.
7 S. Madelberta abbatissa Malbod. f. 405.
9 Adamus Zirixęanus Minor. fol. 405.
10 S. Theodardus episc. XXXVIII. & martyr. fol. 406.
11 S. Vinciana virgo. fol. 407.
12 Franciscus Titelmannus Minor Capucinus. fol. 407.
Guido pastor Beguinarum Niuellens. fol. 413.
14 S. MATERNVS. fol. 413.
Hadrianus papa VI. fol. 413.
16 Fulcuinus abb. Lobiensis. fol. 416.
17 S. LAMBERTVS cum SS. Petro & Andoleto. fol. 417.
Alpais pænitens. fol. 417.
Anna Biena sanctimonialis in Felici prato. fol. 418.
19 Albertus conditor Rodensis. fol. 419.
Ioannes Eustachius abb. Iardineti. fol. 421.
22 SS. Exuperius Candidus, & Victor martyres Thebœi. fol. 425.
Giraldus abb. Villar. fol. 426.
24 Adelardus I. abb. S. Trudonis. fol. 426.
30 S. Leopardus martyr. fol. 427.
Vrbanus IV. ex archidiacono Leod. papa. fol. 427.
Cõradus ex abbate Villar. cardin. f. 430.
Guilielmus abb. Villar. fol. 432.

OCTOBER.

1 SAnctus Bauo. fol. 434.
Vlricus mon. Villariensis. fol. 436.
2 S. Beregisus abb. I. Andaini. fol. 437.
B. Godefridus æditus Villarij. f. 439.
Godefridus Pachomius mon. Villar. fol. 441.
3 S. Gerardus conditor & abb. Broniensis. fol. 442.
4 Hermannus de Lobio e monacho S. Iacobi suffraganeus Leod. fol. 447.
8 S. Metropolus episc. IV. fol. 447.
S. Amor. fol. 448.
B. Sybilla de Gagis sanctimonialis. fol. 448.
9 Elisabetha Wansia Aquiriæ. Ibidem.
Iolenda pænitens. fol. 449.
10 SS. Craton Vitalis & alij martyres & socij S. Gereonis. fol. 450.
S. Nuncius. fol. 450.
S. Serenus episc. ignotę diœceseos. fol. 450.
S. Remiscendis virgo. fol. 451.
12 S. Harlindis abbatissa Fikensis. f. 451.
S. Polychronia virgo & martyr. f. 451.
15 Philippus comes Namurc. fol. 452.
16 Robertus episc. LXVIII. fol. 452.
17 S. Florentius episc. VI. fol. 454.
18 S. Monon martyr. fol. 454.
Henricus Calstrius Dominicanus. folio 455.
21 Henricus conu. Villar. fol. 457.
22 S. Vlbertus martyr. fol. 457.
23 S. Oda vidua conditrix Amaniensis. fol. 458.
B. Pompeius presbyter. fol. 459.
24 S. Euergislus episc. Colon. & martyr. fol. 459.
Lucas abbas I. Cornelij montis. f. 461.
26 Leonardus Kesselius. fol. 462.
27 Eraclius episc. XLV. fol. 465.
28 Ecbertus conu. Villar. fol. 469.
29 S. Ermelindis virgo. fol. 469.
Franco abb. Lob. fol. 471.
30 Renerus mon. Villar. fol. 471.
31 S. Foillanus episc. & socij martyres fol. 472.
Harigerus abb. Lob. fol. 473.

NOVEMBER.

2 HEnricus I. ep[illegible]. LIV. fol. 474.
Georgius Colibrandus e Societate IESV. fol. 476.
3 S. HVBERTVS. fol. 478.
S. Odrada virgo. fol. 478.
4 S. Perpetuus episc. XXIII. fol. 478.
S. Gregorius conditor & abb. Porzet. fol. 479.
11 S. Bertuinus episc. & conditor Maloniæ. fol. 480.
14 S. Albricus episc. Vltraject. fol. 481.
16 Alueus abb. Andaini. fol. 482.
Berengerus abb. S. Laurentij. fol. 483.
Beatrix Pratana abbatissa Roberti-montis. fol. 485.
19 Elisabetha Spalbecana virgo. fol. 485.
Elisabetha de Grauio virgo. fol. 486.

Digitized by Google

21 S. Amalberga abbatissa Sustereni, fol. 487.
23 S. Trudo conditor monasterij Sarchinij. fol. 487.
S. Wilfetrudis abbatissa Niuell. f. 499.
24 S. Albertus Louaniensis episc. LXIII. & martyr. fol. 499.
Nicolaus mon. Villar. fol. 505.
27 S. Oda virgo. fol. 506.

DECEMBER.

2 IOannes Dauelois abbas Floreff. fol. 507.
3 S. Eloquius presbyter. fol. 507.
5 Reginardus episc. L. fol. 508.
Wericus prior Alnensis. fol. 511.
Walterus prior Aln. fol. 513.
7 Nicolaus conu. Villar. fol. 513.
8 Arnoldus de noua domo abbas S. Remigij. fol. 514.
11 B. Ida Leuiensis. fol. 515.
Wiricus abb. S. Trudonis. fol. 517.
Theodoricus Monasteriensis Minor. fol. 517.
13 Adolfus Waldeganus episc. LXXIII. fol. 519.
14 Iudila vidua. fol. 520.
16 Euerardus ab Orsoy generalis Crucigerorum. fol. 521.
17 S. Begga vidua conditrix Andanæ. fol. 522.
21 S. Seuerinus episc. V. fol. 523.
24 Anastasia sanctimonialis Rameię. f. 523.
26 Daniel Cellerarius Villarij. fol. 523.
28 Gerardus Groesbeckanus episcopus LXXXVIII. & cardinalis. fol. 524.
Godescalcus Morialmæus præpositus Leod. conditor sancti Bartholomęi. fol. 534.

PARALIPOMENON

PARS PRIMA.

Capvt I. QVam a suis episcopis gloriam ecclesia Leodiensis acceperit. fol. 536
Cap. II. Leodiensem ecclesiā qua gloria S. Lamberti collegium ornauerit. fol. 537
Cap. III. Ab vniuersa diœcesi partum ecclesię decus. fol. 540
Cap. IV. Magnum etiam ab academia Louaniensi ornamentū f. 543
Cap. V. Clara lux a religiosis ordinibus, ac in primis a Benedictino. fol. 544
Cap. VI. Ab ordine Cisterciensi magna sanctimoniæ laus. fol. 545
Cap. VII. Illustre lumen addiderunt Augustiniani. fol. 547
Cap. VIII. Mendicantium ordinum strenua cum insigni laude opera. fol. 547
Cap. IX. Societatis Iesv in hac diœcesi exordia. fol. 548

PARS SECVNDA.

BB. Adalardus & Grimara parentes SS. Harlindis & Relindis. fol. 552
Adalbero abbas sancti Vincentij Lauduni. folio 552
Adelmannus episcopus Brixiensis f. 553
Ægidius comes Claromontius conditor Vallis sancti Lamberti. fol. 554
BB. Agilolfus & Adeltrudis parentes sancti Bauonis. folio 555
B. Agnes abbatissa Niuell. fol. 556
Agnes soror sanctæ Iulianæ f. 556
Albertus comes Mohanus conditor Vallis nostrę Dominæ. folio 557
SS. Albina & Timiama virgines, Benignus episcopus martyres, & Seuerus presbyter, Theodorus leuit. fol. 558
Alpais comes. folio 559
Arnoldus Corswaremius Minor. fol. 559
Arnulfus toparcha Florinensis conditor sancti Gengulfi Florinis. folio 560
S. Benedicta filia sancti Ansfredi, abbatissa prima Torensis. folio 560
Benedictus abbas Florinensis. fol. 561
Cartusianus Leod. anonymus fol. 562
Catharina Lexhia abbatissa Vallis Benedictæ. folio 563
Christianus abb. sancti Trudonis. fol. 564
Conradus Louaniensis Dominicanus. f. 564
Dionantensis ciuis anonymus. fol. 564
S. Ebregisus episcopus XXIV. fol. 565
Erluinus abb. Gemblac. folio 565
B. Eua sancti Martini clausa. folio 566
Franco e scholastico Leod. monachus sancti Laurentij. folio 569
Genesius Minor. folio 569

Gerar-

Digitized by Google

Gerardus Dominicanus. folio 570.
Gerardus Florinensis episcop. Camerac folio 570
Gerardus Trajectēsis abbas in Suecia. f. 571
Gerardus Tudiniensis monachus Aln. f. 572
Gertrudis virgo Robertimontana. f. 573
Gosuinus abbas sancti Iacobi. folio 573
Gualterus episcopus Dunelmensis. f. 573
Guilielmus Ardinghenius abbas sancti Trudonis. folio 574
Guilielmus Atrebas canonicus Leod. f. 574
Helinus prępositus Leod. folio 575
BB. Helwigis sancti Syri, Maria de Grauio, & Marquina. folio 575
Hermannus abbas Floreff. folio 575
S. Hilsuindis vxor sancti Ansfredi f. 576
Hubertus Leonardus e Carmelita episcopus Dariensis. folio 577
Iacobus Sommalius abbas Villar. folio 578
Ioannes abbas Lobiensis. folio 578
Ioannes Abbatulus. folio 578
Ioannes Brammart Carmelita. folio 579
Ioannes prior Cornelianus. folio 580
Ioannes Distemiensis e Minore archiepisc. Bremensis. folio 581
Ioannes Gauorius primus autor xenodochij sancti Abrahami. folio 582
Ioannes Italus episc. folio 582
Ioannes Lausanensis canonicus sancti Martini. folio 582
Ioannes Leonius e Societate IESV. f. 583
Ioannes Liranus presbyter. folio 584
Ioannes de Mannavilla generalis Crucigerorum. folio 585
Ioannes Treuir. folio 585
Isabella Hoiensis sodalis S. Iulianę. f. 585
Iulianus de Cæsarinis ex archidiacono Leod. cardinalis. folio 587
S. Iustina virgo. folio 588
Lambertus pænitens. folio 588
Lantzo toparcha Wintershouij. folio 589
Leo episcopus Calaber. folio 590
Marlanius adolescens anonymus. folio 590
Martinus laicus Minor Capucinus. f. 591
Matrona Leodiensis f. 591
SS. monachi S. Petri f. 592
Monachus S. Laurentij anonymi. f. 592
Monachus S. Trudonis f. 592
Monachus Porzetensis f. 593
Nicolaus Fal. e Societate IESV. f. 593
Niuellensis mercator anonymus. f. 594
B. Odilia mater B. Ioannis Abbatuli. f. 595
Osilia clausa Leodij. folio 596
Petrus e decano sancti Petri prior sancti Ægidij. folio 596
Philippus ex archidiacono Leod. prior Aln. folio 596
Raphaël Dominicanus. folio 597
Ratherius e monacho Lob. episc. XLIII. folio 597.
Regina conditrix Aqualiensis. folio 599
Richardis e comite Geldriæ sanctimonialis Ruremundæ. folio 599
B. Richardus abbas Floreff. folio 599
Robertus comes Hasbaniæ. folio 602
Robertus præpositus Leod. folio 602
Robertus Belli fageti. folio 603
Salomon canonicus Leodiensis. folio 603
Sapientia magistra sanctæ Iulianę. f. 604
Seruatius Dominicanus. folio 604
Sigeburgis domina Wintershouij. f. 604
SS. Sigolinus, Goduinus, Anglinus, Albricus, & Odilo, abbates Stabulenses. f. 605
Stephanus canonicus sancti Martini & Maria eius soror. folio 606
Theodorus dynasta Rupefortius. f. 607
Walcandus episcopus XXX. folio 608
Wericus conditor Bernardifaniarum. folio 609
SS. Wicboldus & Adela parentes sancti Trudonis. folio 610
Winandus. folio 610

INDEX

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS.

Sanctus Abel 5 Augusti.
B. Abundus 19 Martij.
B. Adalardus Paralipom. parte 2.
Adalbero ibidem.
Adamus Sasboldus 21 Martij.
Adamus Zirixæanus 9 Septemb.
B. Adela Paral. parte 2 in Wicboldo.
Adelardus 24 Septemb.
Adelboldus Paralip. parte 1. c. 2.
Adelmannus Paral. parte 2.
B. Adeltrudis mater S. Bauonis Paral. parte 2 in Agilolfo.
B. Adeltrudis filia S. Bauonis 19 Mart.
S. Adilia Orpiensis 30 Iunij.
S. Adilia soror sancti Bauonis 35 Maij.
Adolfus Waldeganus 13 Decemb.
S. Adrianus 19 Mart.
Adrianus Cartus. 12 Feb. in Gruitrudano.
Ægidius Claromontius Paral. parte 2.
Ægidius conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Ægidius Walcurius 5 Ian.
S. Agilolfus abbas Stab. 9 Iul.
B. Agilolfus pater S. Bauonis Par. parte 2.
B. Agnes abbatissa Paral. parte 2.
Agnes soror sanctæ Iulianæ ibidem.
S. Agricolaus 6 Febr.
Albero 1 Ianuar.
S. Albertus Louaniensis 24 Nou.
Albertus Mohanus Paral. parte 2.
Albertus Rodensis 19 Septemb.
Albertus abbas Paral. parte 1. c. 6.
S. Albina Paral. parte 2.
S. Albricus 14 Nouemb.
S. Albricus abbas Par. parte 2 in S. Sigolino.
Algerus Paral. parte 1. c. 2.
Alpais comes Paral. p. 2.
Alpais pænitens 17 Septemb.
Alueus 16 Nouemb.
S. Amalberga virgo 10 Iulij.
S. Amalberga vidua 10 Iulij.
S. Amandus 6 Febr.
S. Amantius 19 Mart.
S. Amalberga abbat. 21 Nouemb.
S. Amoluinus 7 Febr.
S. Amor 8 Octob.
Anastasia 24 Decemb.
S. Anastasius Paral. parte 1. c. 1.
S. Andoletus 17 Septemb.
S. Andreas Paral. parte 1. c. 1.
Andreas episc. Vltraject. ibidem c. 2.
S. Anglinus Par. parte 2 in Sigolino.
Anna Biena 17 Sepemb.
S. Ansbaldus 10 Martij.
S. Ansfridus 3 Maij.
Antonius Termonius 6 Septemb.
Arnoldus conuersus 30 Iunij.
Arnoldus conuersus Par. parte 1. c. 6.
Arnoldus monachus 30 Iunij.
Arnoldus Corswaremius Paral. parte 2.
Arnoldus de Noua domo 8 Decemb.
Arnoldus de Solbrec 8 April.
Arnulfus abbas Villar. XIII 2 Martij.
Arnulfus abbas Villar. XIX 2 Martij.
B. Arnulfus Cornibutius 30 Iunij.
Arnulfus Florinensis Paral. parte 2.
S. Auctor Paral. parte 1. c. 1.
S. Auspicius ibidem.
S. Babolenus 26 Iunij.
Baldricus 29 Iulij.
Bartholomęus Cartusianus 12 Iulij.
Bartholomęus Thenensis 29 Iulij.
S. Bassianus Paral. parte 1. c. 1.
S. Bauo 1 Octob.
B. Beatrix Nazarethana 29 Iulij
Beatrix Robertimontana 16 Nouemb.
S. Begga 17 Decemb.
S. Benedicta Susteren 17 Aug.
S. Benedicta Torensis Par. parte 2.
Benedictus ibidem.
S. Benignus Paralipom. parte 2 in sancta Albina.
S. Beregisus 2 Octob.
Berengerus 16 Nouemb.
S. Bernardus 20 August.
Bernardus Salsinię & alius Villar. 20 Aug.
Berta Marbesia 17 Iul.
S. Bertuinus 11 Nouemb.
B. Bonifacius Paral. parte 1. c. 6.
Cæcilia 17 Augusti.
Cæsarius Paral. parte 1. c. 6.
S. Candidus 7 Iunij.
Carolomannus 17 Aug.
Carolus abbas 29 Ianuarij.
S. Carolus Magnus 28 Ianuarij.
Cartusianus anonymus Par. parte 2.
Catharina Lexhia ibidem.
Catharina Iudęa 5 Maij.

S. Cel-

S. Celsus Paral. parte 1. c. 1.
Christianus Mirabilis Paral. parte 2.
S. Christina 24 Iulij.
S. Clemens Paral. parte 1. c. 1.
Conradus cardinalis 30 Septemb.
Conradus Dominicanus Par. parte 2.
Cornelius a Lapide 12 Martij.
Cornelius Iansenius Paral. parte 1. c. 4.
Cornelius Vishaueus 25 Augußt.
S. Craton 10 Octob.
Cunerius Petri Paral. parte 1. c. 4
Daniel 26 Decemb.
S. Designatus 6 Febr.
Diedela 17 Mart.
Dionantensis ciuis Paral. parte 2.
V. Dionysius Cartus. 12 Mart.
S. Domitianus 7 Martij.
Durandus 23 Ianuar.
S. Ebregisus Paral. parte 2.
Ebertus 28 Oct.
S. Egilo 1 Mart.
B. Eilbertus 28 Mart.
Elisabetha de Grauio 19 Nouemb.
Elisabetha Spalbecana 19 Nouemb.
Elisabetha Wansia 9 octob.
S. Elmerus episc. 27 Aug.
S. Eloquius 3 Decemb.
Eraclius 27 Octob.
Erardus Marcanus 16 Febr.
Erluinus episc. 3. Febr.
Erluinus abbas Paral. parte 2.
Ermedis 11 Mart.
S. Ermelindis 29 Octob.
S. Erminus 25 Apr.
B. Eua Paral. parte 2.
S. Eucharius 6 Febr.
S. Eucherius episc. Tungr. 6 Febr.
S. Eucherius epis. Aurel. 20 Febr.
Euerardus conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Euerardus Mercurianus 1 Augußt.
Euerardus Taciturnus 18. Ian.
S. Euergislus 24 Octob.
S. Euermarus cum socijs 1. Maij.
S. Exuperius 22 Septemb.
S. Falco 6 Febr.
S. Faraildis 4 Ianu.
Faltradus 27 Nouemb.
S. Felix Paral. parte 1. c. 1.
S. Florentius 17 Octob.
S. Florebertus 25 April.
S. Foillanus cum socijs 31 Octob.
S. Forannanus 30 April.
S. Fortunatus Paral. parte 1 c. 1.
Franciscus Montmorencius 5 Febr.
Franciscus Sonnius Paral. parte 1. c. 4.
Franciscus Strada Paral. parte 1. c. 9.
Franciscus Titelmannus 12 Septemb.
Franco episcopus 9 Ianuarij.
Franco abbas 29 Octob.
Franco mon. sancti Laurentij Par. parte 2.
Franco mon. Villar. 20 Augußt.
Franco de Laken Paral. parte 1 c. 6.
S. Fredegandus 17 Iulij.
S. Fredericus 27 Maij.
Fulcardus 16 Ian.
Fulcuinus 16 Septemb.
Genesius Paral. parte 2.
Genta 22 Martij.
Georgius Colibrandus 2 Nouemb.
S. Gerardus Bronij 3 Oct.
Gerardus Dominicanus Par. parte 2.
Gerardus Villarij Par. parte 1. c. 6.
Gerardus Florinensis Par. parte 2.
Gerardus Groesbeckanus 28 Dec.
Gerardus Sceidamus Cartus. 12 Febr. in Iac. Gruitrudano.
Gerardus Traject. ibidem.
Gerardus Tudinensis ibidem.
S. Gerlacus 5 Ian.
S. Gertrudis 17 Mart.
Gertrudis Robertimontana Par. parte 2.
Gisaldus 22 Sept.
B. Gobertus 20 Aug.
B. Godefridus æditituus 2 Oct.
Godefridus Bullionius 18 Iul.
Godefridus Cortebekius 10 Febr.
Godefridus Mierlanus Par. parte 1. c 4.
Godefridus Pachomius 2 Oct.
Godefridus Villarij in Camera Par. parte 1. c. 6.
Godefridus Villarij 7 Febr.
S. Godegrandus 6 Mart.
Goderanus 29 Mart.
Godescalcus Nouembri.
S. Goduinus Paral. parte 2 in S. Sigolino.
S. Gondulfus 16 Iul.
Gosuinus Cartus. 12 Feb. in Gruitrodano.
Gregorius X. 10 Ian.
S. Gregorius episcopus 25 Aug.
S. Gregorius abbas 4 Nou.
Gregorius prior 12 Mart.
B. Grimara Par. parte 2 in B. Adalardo.
Grimelota 17 Mart.
Gualterus episcopus Par. parte 2.
Gualterus abbas 1 Mart.
S. Gudula 8 Ian.
S. Guibertus 23 Maij.
Guido 13 Sept.
Guilielmus abbas XI Villarij 30 Sept.
Guilielmus abbas VII Villarij Par. p. 1. c. 6.
Guilielmus Atrebas Paral. parte 2.
Guilielmus Damasus Lindanus Paral. parte 1. c. 4.
Guilielmus Dongelbertus 10 Febr.

Gui-

Guilielmus Grimbergius 27 April.
Guilielmus Haneffius Paral. parte 1. c. 2.
Guilielmus Iulemontius 18 Sept.
Guilielmus Richelius 26 Febr.
Gumarus 16 Martij.
S. Hadelinus 3 Febr.
Hadrianus VI 14 Sept.
Harigerus 31 Octob.
S. Harlindis 12 Octob.
Helinus abbas Floreff. 21 Aug.
Helinus præpositus Leod. Par. parte 2.
B. Helwigis Paral. parte 2.
Henricus episcopus 2 Nouemb.
Henricus conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Henricus abbas 21 Martij.
Henricus a Calstris 18 Octob.
Henricus conuersus 21 Octob.
Henricus Dionysius 13 Iulij
B. Henricus Gest Paral. parte 1. c. 6.
S. Henricus imp. 14 Iul.
Henricus Harpius 13 Iulij.
Henricus de Marilis 8 Mart.
Henricus de Piro Cartuf. 13 Mart. in Gruitrodano
Henricus Samerius 5 Ian.
Henricus Sommalius 30 Martij.
Henricus Wesius Paral. parte 1. c. 6.
S. Heribertus 16 Mart.
Heribrandus 6 Iunij.
Hermannus abbas Floreff. Par. parte 2.
Hermannus de Lobio 4 Oct.
Hermannus conu. 7 April.
Hezelo Par. parte 1. c. 2
S. Hidulfus 23 Iun.
S. Hilsuindis com. Paral. parte 2.
Hilsuindis abbatissa 22 Maij
Himana 29 Ian.
S. Hubertus 3 Nou.
Hubertus Leonardus Paral. parte 2.
Hugo Petrapontius 12. April.
Hugo Præmonstratensis 10 Febr.
Hugo Dominicanus 19 Mart.
Iacobus Glimius Paral. parte 1. c. 6.
Iacobus Gruitrodanus 12 Febr.
Iacobus Propheta Paral. parte 1. c. 6.
Iacobus Sommalius Paral. parte 2.
Iacobus Vitriacus 30 April.
Iacobus conuersus Par. parte 1. c. 6.
B. Ida Leuiana 11 Decemb.
V. Ida Louaniensis 13 April.
S. Ida Niuellensis 11 Aug.
S. Ida virgo & martyr 18 Iulij.
Ida vidua 18 Iulij.
S. Iduberga 8 Maij.
S. Imma 18 Iulij.
Ioannes abbas Grandis prati 9 Iun.
Ioannes abbas Lob. Paral. parte 2.
B. Ioannes Abbatulus Par. parte 2.
S. Ioannes Agnus 25 Iul.
Ioannes Apianus 2 Maij.
Ioannes Beetzius 17 Iul.
Ioannes Brammart Paral. parte 2.
Ioannes d'Auelois 2 Dec.
Ioannes Dionantius 23 Iun.
Ioannes Distemius Paral. parte 2.
Ioannes Eustachius 20 Sept.
Ioannes Gauorius Paral. parte 2.
Ioannes Hesselius Paral. parte 1. c. 4.
Ioannes Horrion 26 Aug.
Ioannes Iardinius 25 Ian.
Ioannes Lausanensis Paral. parte 2.
Ioannes Leonius ibidem.
Ioannes Liranus ibidem.
Ioannes Maillart 5 Febr.
Ioannes Mannauillanus Paral. parte 2.
Ioannes Miles 28 August.
Ioannes Niuellensis 16 Mart.
Ioannes nouitius Paral. parte 1. c. 6.
Ioannes Præcursor 28 Aug.
Ioannes Rost Paral. parte 1. c. 6.
Ioannes Salincus Paral. parte 1. c. 6.
Ioannes Sorethus 25 Iulij.
S. Ioannes Treuir Paral. parte 2.
Iannes Valenrodanus 28 Maij.
Ioannes prior Cornelianus Paralipom. parte 2.
Ioannes Villar. mon. Paralipom. parte 1. c. 6.
Iolenda Paral. parte 2.
Isabella Hoiensis ibidem.
Iudila 14 Dec.
S. Iuetta 13 Ian.
S. Iuliana 5 April.
Iulianus Minor 31 Maij.
Iulianus de Cæsarinis Paral. parte 2.
S. Iustina ibidem.
S. Kadroë 6 Mart.
Læuinus Torrentius 26 April.
S. LAMBERTVS 17 Sept.
Lambertus abbas 6 Sept.
Lambertus Begus 25 Iun.
Lambertus pænitens Paral. parte 2.
S. Landelinus 15 Iun.
S. Landoaldus cum socijs 19 Mart.
S. Landrada 8 Iulij.
Lantzo Paral. parte 2.
Laurentius 17 Maij.
Leo Paral. parte 2.
Leonardus Kesselius 26 Oct.
Leonius 27 Ian.
S. Leopardus 29 Sept.
S. Libertus 14 Iul.
B. Lucas 24 Oct.
V. Ludouicus Blosius 7 Ian.

Kkkk S. Lut-

S. Lutgardis 16 Iun.
S. Macalanus 30 April.
S. Macuardus 27 Febr.
S. Madelberta 7 Sept.
S. Mansuetus Paral. parte 1. c. 1.
S. Marcellus 4 Sept.
S. Marcus Paral. parte 1. c. 1.
V. Margaretula. 2 Sept.
B. Maria de Grauio Paral. parte 2. in B. Helwige.
S. Maria Oegniacensis 23 Iun.
Maria van Lille 10 Iulij.
Maria S. Martini Par.p.2.in Stephano.
Marlanius adolescens Paral.parte 2.
B. Marquina Par.parte 2. in B.Helwige.
S. Martinus episc. 21 Iun.
Martinus Capucinus Paral. parte 2.
Martinus Rithouius Paral. parte 1.c.4.
S. MATERNVS 14 Sept.
Matrona Leod. anonyma Paral. parte 2.
S. Mauritius Paral. parte 1. c. 1.
S. Maurus eremita 15 Ian.
S. Maurus martyr 22 Aug.
S. Maximinus 20 Iun.
S. Mengoldus 8 Febr.
S. Metropolus 8 Octob.
SS. Monachi S. Petri Paral. parte 2.
Monachus S. Laurentij } ibidem.
Monachus Porzet. } ibidem.
Monachus Trudon. } ibidem.
S. Monon 18 Octob.
S. Monulfus 16 Iul.
S. Moses Paral. parte 1. c. 1.
S. Nauitus 6 Febr.
Nicasius 26 Aug.
Nicolaus abbas 29 Maij.
Nicolaus a Castro Paral. parte 1. c. 4.
Nicolaus Cusanus 11 August.
Nicolaus Fal Paral. parte 2.
Nicolaus Gemblacensis 12 Febr.
Nicolaus monachus 24 Nou.
Nicolaus mon. Paral. parte 1. c. 6.
Nicolaus conu. Paral. parte 1. c. 6.
Niuellensis mercator anonymus Par. p.2.
S. Norbertus 6 Iun.
Notgerus 10 Apr.
S. Nuncius 10 Octob.
Oda clausa 6 Sept.
S. Oda vidua 23 Oct.
S. Oda virgo 27 Nouemb.
B. Odilia vidua Paral. parte 2.
S. Odilia 18 Iulij.
S. Odilo Par. parte 2. in S. Sigolino.
S. Odrada 3 Nou.
S. Oduinus 25 Iun.
S. Odulfus 12 Iun.
Olbertus 14 Iul.
Oliuerius Paral. parte 1. c. 6.
Osilia Paral. parte 2.
Otto dec. & abbas 18 Iul.
Otto conu. Paral. parte 1. c. 6.
S. Perpetuus 4 Nou.
S. Petrus martyr 17 Sept.
Petrus prior sancti Ægidij Par.parte 2.
Petrus conu. 18 Ian.
Petrus Curtius Paral. parte 1. c. 4.
V. Petrus Eremita 8 Iul.
Petrus Steuartius 27 April.
Philippus comes Nam. 15 Oct.
Philippus prior Paral. parte 2.
S. Pipinus 21 Febr.
S. Polychronia 13 Oct.
S. Pompeius 23 Oct.
S. Poppo 25 Ian.
S. Quirillus 6 Febr.
Radbodo 17 April.
S. Ragenufla 14 Iul.
Rainerus mon. 7 Febr.
Rainerus conu. 7 Febr.
Raphaël Paral. parte 2.
Ratherius ibidem.
Regina ibidem.
Reginardus 5 Decemb.
Reinerus 1 Martij.
S. Relindis abbatissa 6 Febr.
S. Relindis clausa 17 August.
S. Remaclus 3 Sept.
Rembertus Paral. parte 1. c. 6.
S. Remiscendis 10 Octob.
S. Renatus 6 Febr.
Renerus abbas 1 Martij.
Renerus conuersus 30 Octob.
Richardis Paral. parte 2.
B. Richardus 24 Iunij.
B. Richardus abbas Paral. parte 2.
Richarius 23 Iulij.
Robertus episcopus 16 Octob.
Robertus præpositus Paral. parte 2.
Robertus comes ibidem.
Robertus Belli fageti ibidem.
Rodulfus 7 Martij.
S. Rolendis 13 Maij.
V. Rupertus 4 Martij.
S. Rusticus Paral. parte 1. c. 1.
Salomon Paral. parte 2.
S. Sandradus 24 August.
Sanctimonialis Argent. 14 Ian.
Sanctimonialis conuersa Argentoni 25 Martij.
Sapientia Paral.parte 2.
Sebastianus Werricus Aug.
S. Serenus 10 Octob.
S. Seruatius 13 Maij.
Seruatius Dominicanus Paral. parte 2.

S. Seue-

S. Seuerinus 21 Decemb.
S. Seuoldus 13 Ian.
S. Sigebertus 1 Febr.
Sigeburgis Paralipom. parte 2.
S. Sigolinus ibidem.
B. Simon 24 Febr.
Simon cardin. Paral. parte 1. c. 2.
S. Speus 28 Ian.
Stephanus X. papa 29 Martij.
Stephanus episcopus 19 Maij.
Stephanus Strechoeus 6 Martij.
Stephanus abbas S. Laurentij 12 Ian.
Stephanus abbas S. Iacobi 6 Ian.
Stephanus canon. Par. parte 2.
S. Supplicius 6 Febr.
B. Sybilla de Gagis 9 Octob.
S. Symmetrius 26 Maij.
Tancrardus 13 Febr.
Theobaldus Paral. parte 1. c. 6.
S. Theodardus 10 Sept.
Theodardus conuersus 14 Iunij.
S. Theodoricus abbas 24 August.
Theodoricus Hesius 10 Maij.
Theodoricus Monasteriensis 11 Decemb.
Theodoricus Rupefortius Par. parte 2.
V. Theodorus Cellensis 18 August.
S. Theodorus Par. parte 2. in S. Albina.
Theoduinus 23 Iun.
S. Theodulfus 25 Iun.
Theselinus Par. parte 1. c. 2.
Thomas Cantipratanus 15 Maij.
Thomas Conierus 24 Ian.
Thomas monachus 7 Febr.
Tietfridus 13 Ian.
S. Timiama Paral. parte 2. in S. Albina.
S. Trudo 23 Nouemb.
S. Valentinus 7 Iun.
S. Vastradis 21 Iul.
S. Vinciana 11 Sept.
S. Vitalis 10 Octob.
S. Vlbertus 22 Octob.
Vlricus abbas 1 Ian.
Vlricus monachus 1 Octob.
S. Vltanus 1 Maij
Vrbanus IV 30 Septemb.
S. Vrsicinus 6 Febr.
S. Vrsmarus 18 April.
Walcandus Paral. parte 2.
S. Walherus 23 Iunij.
Walterus prior 5 Decemb.
Walterus conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Wazelinus 5 Febr.
Wazo 8 Iul.
Wericus 5 Decemb.
Wiboldus 19 Iul.
S. Wicboldus Paral. parte 2.
S. Wilfetrudis 24 Nouemb.
B. Winandus Dominicanus.
Winandus Par. parte 2.
Wiricus 11 Decemb.
B. Wolbodo 21 April.
S. Wulgisus 4 Febr.
S. Zuentiboldus 13 August.

INDEX CHRONICVS

siue temporum, quibus singuli vixerunt.

SAnctus Maternus in Germaniam inferiorem a sancto Petro missus sub annum a nato Christo quinquagesimum secundum, Treuiris primum strenuam posuit operam, ac deinde etiam in Vbijs.
At Tungros veniens sub annum 97
hanc ecclesiam condidit, & rexit vsque ad annum 130
Eodem tempore vixit illius discipulus S. Ioannes Treuiris oriundus, & Hoij mortuus.
Materno hi episcopi continua serie (suum tamen singulis tempus adscribi certo non potest) successerunt ad annum vsque 180
vel vt alij vero similius censent 273
S. Auspicius
S. Celsus alijs Serenus
S. Felix
S. Mansuetus
S. Clemens
S. Moses
S. Martinus
S. Anastasius
S. Andreas
S. Rusticus
S. Auctor
S. Mauritius
S. Fortunatus
S. Bassianus, &
S. Marcus, qui probabiliter obijt 273
Illis serie similiter non interrupta successerunt S. Nauitus
S. Marcellus
S. Metropolus
S. Seuerinus
S. Florentius
S. Martinus
S. Maximinus, &
S. Valentinus, qui obijt anno 303
Creatus vero est episcopus in eius locum S. Seruatius anno 310
& obijt anno 384
Sub idem tempus Trajectum venit, incertum vnde, S. Candidus; & ibidem mortuus est.
Seruatio autem successerunt episcopi
S. Agricolaus
S. Vrsicinus
S. Designatus
S. Renatus
S. Supplicius
S. Quirillus
S. Eucherius
S. Falco, &
S. Eucharius, qui obijt sub annum 535
Dum hi Tungrensem cathedram tenent, Hasteriam venit sanctus Serenus circiter annum 420, & aliquamdiu post mortuus est.
S. Euergislus Coloniensis episcopus Tungris martyrio coronatus est sub annum 440
Post Eucharium sedit sanctus Domitianus, & obijt anno 558
S. Ermelindis virgo sub annum 580
S Monulfus episcopus 597
S. Gondulfus 604
S. Perpetuus 617
BB. Agilulfus & Adeltrudis parentes S. Bauonis circiter 617
S. Ebregisus 631
S. Monon martyr sub 636
S. Ioannes Agnus 637
SS. Wicboldus & Adela parentes S. Trudonis sub 644
S. Pipinus 646
S. Bauo sub 647
S. Adilia eius soror sub idem tempus. Item sancta Adilia Orpiensis.
S. Ragenufla sub 648
S. Eloquius circiter 650
S. Bertuinus circiter 651
S. Sigebertus 654
S. Remiscendis circiter 654
S. Nuncius sub 655
S. Theodardus 656
S. Iduberga 658
S. Vinciana ante 660
S. Adeltrudis ante 660
S. Foillanus cum socijs sub 660
S. Fredegandus sub 660

S. Lan-

Digitized by Google

S. Landoaldus cum socijs Sanctis Amantio, Adriano, & Iuliano circiter 660
S. Amor ante 660
S. Amandus 662
S. Gertrudis 664
S. Vltanus post 664
S. Wilfetrudis 674
S. Remaclus 675
S. Symmetrius sub annum 160 martyrio coronatus Romæ, Ladernacum allatus est post 675
S. Babolenus sub 685
Beata Agnes sub 685
S. Madelberta 685
S. Begga 689
S. Trudo circiter 689
S. Landelinus sub 690
S. Euermarus cum socijs sub 690
S. Hadelinus 690
S. Sigolinus 691
S. Landrada 693
S. Lambertus cum socijs 696
BB. Adelardus & Grimara parentes SS. Harlindis & Relindis circiter 700
S. Beregisus circiter 700
S. Godinus circiter 700
S. Hidulfus 707
S. Amalberga vidua post 707
S. Oda vidua 711
S. Pompeius circiter 711
S. Vrsmarus 713
S. Agilolfus post 714
Alpais pænitens circiter 716
S. Oda virgo circiter 716
S. Hubertus 727
S. Harlindis circiter 730
S. Faraildis circiter 734
SS. Erminus, Wlgisus & Amoluinus circa idem tempus.
S. Relindis circiter 740
S. Eucherius 742
S. Amoluinus sub 745
Robertus comes post 745
S. Florebertus 746
S. Anglinus 746
Carolomannus 754
S. Abel 764
S. Godegrandus 765
S. Theodulfus 766
S. Albricus ante 768
S. Amalberga virgo sub 772
S. Vastradis circiter 772
S. Gregorius episcopus Vltrajectensis 774
S. Rolendis forte sub 776
S. Albricus episcopus Vltrajectensis 777
S. Carolus Magnus 814
Alueus post 817
Tancrardus 829
Walcandus 832
S. Macuardus 853
S. Seuoldus 855
S. Odulfus post 856
BB. monachi S. Petri 881
S. Libertus 881
S. Egilo 881
S. Ansbaldus 887
S. Amelberga abbatissa sub 900
S. Zuentiboldus 900
SS. Benedicta & Relindis post 900
Franco episcopus 903
S. Mengoldus 909
S. Cæcilia abbat. sub 915
Stephanus episcopus 920
Reinerus abb. Trud. 938
Richarius 945
S. Exuperius e legione Thebæorum Gemblacum allatus & postea SS. Craton & Vitalis ad S. Laurentium 946
B. Eilbertus comes 953
S. Odilo 954
S. Forannanus 958
S. Gerardus 958
S. Guibertus 962
Lantzo post 966
Sigeburgis post 966
Eraclius 970
S. Gregorius Porzeti circiter 970
Leo post 970
Ratherius 974
Iudila circiter 976
Robertus præpositus post 980
S. Kadroë 988
S. Macalanus sub 990
Fulcuinus 990
Tietfridus 994
S. Hilsuindis post 994
Alpais Hugard. circiter 1000
Goderanus 1000
alij multo serius eum ponunt.
Arnulfus Florinensis post 1000
Notgerus 1007
Harigerus 1007
S. Maurus martyr vixit anno 86, sed Rhemis Florinas allatus est 1008
S. Ansfridus 1008
Erluinus abb. 1010
Ioannes Italus episcopus post 1014
Benedictus abbas Florin. post 1015
Baldricus II. 1017
S. Benedicta Torensis circiter 1020
B. Wolbodo 1021
Godescalcus post 1021
S. Henricus imperator 1024
Durandus 1025

Digitized by Google

Adelardus 1033
Reginardus 1037
B. Richardus abbas 1047
S. Poppo 1048
Wazo 1048
Olbertus 1048
Gerardus Florinensis 1049
Gertrudis Robertimont. circiter 1050
Monachus Trudon. post 1050
Stephanus X. papa 1057
Adelmannus 1057
Stephanus abbas sancti Laurentij 1059
Lambertus pænitens post 1059
Franco monachus S. Laurentij post 1060
Theoduinus 1075
Adalbero post 1077
S. Theodoricus 1086
Regina 1088
Henricus episcopus 1091
Godefridus Bullionius 1100
Helinus post 1100
Robertus Belli fageti post 1100
Fulcardus 1107
Berengerus 1113
Hezelo, Heselinus & Algerus circiter 1113
Ven. Petrus Eremita 1115
S. Fredericus 1121
Albertus Rodensis 1122
Petrus prior post 1124
Albero 1128
Lucas circiter 1130
Richardus abbas Floreff. circiter 1132
Heribrandus 1132
S. Norbertus 1134
Ven. Rupertus 1134
Radbodo sub hæc tempora
Rodulfus 1138
Stephanus abbas sancti Iacobi 1138
Monachus sancti Laurentij post 1140
Matrona Leod. post 1142
Salomon 1143
Lambertus abbas 1149
Giraldus post 1149
Philippus prior post 1150
S. Bernardus 1153
Fastradus post 1153
Laurentius 1154
Wiboldus 1158
Wericus Bernardifan. post 1160
S. Gerlacus 1163
Leonius 1163
Franco abbas 1163
Hugo Fossensis 1164
Vlricus abbas post 1166
Ioannes abbas Lob. post 1178
Viricus abbas 1180
Lambertus Begus 1187
Gerardus Traiectensis circiter 1190
S. Albertus Louaniensis 1192
Hermannus abbas Floreff. 1194
Ægidius comes circiter 1196
Guilielmus abbas Villar. 1197
Gosuinus 1199
Gerardus Tudin. circiter 1200
Monachus porzet. circiter 1200
Osilia circiter 1200
Ida Louan. 1200
S. Heribertus eremita sub 1200
Ioannes Dionantius sub 1200
Carolus abbas post 1200
Winandus post 1200
Ermedis 1204
Matronæ & virgines Leod. plurimæ a Iacobo Vitriaco ob sanctitatem celebratæ florebant circiter 1210
Guido pastor circiter 1210
Albertus comes Mohanus 1210
Mercator Niuellensis sub 1210
Philippus comes 1212
S. Maria Oegniacensis 1213
Ioannes d'Auelois 1214
Ioannes Gauorius 1214
Catharina Louan. sub 1215
Marlanius adolescens post 1215
Ioannes Liranus circiter 1216
Ioannes Niuellensis circiter 1216
Ciuis Dionantensis circiter 1216
Werricus prior 1217
Walterus prior circiter 1217
Helinus abbas 1218
Beatrix abbat. Robertimont. 1220
Guilielmus abb. Villar. 1221
Floruit sub hæc tempora Villarium plurimis religiosis insigni vitæ innocentia conspicuis. Quos suis temporibus cum reddere non possimus, in hunc locum coniecimus alphabeti ordine.
Ægidius conuersus
Albertus abbas de Ol.
Arnoldus 30 Iun.
Arnoldus Paral. parte 1. c. 6.
Arnoldus conuersus 30 Iun.
Arnoldus conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Bernardus
B. Bonifacius
Cæsarius prior
Daniel Cellerarius
Ecbertus conuersus
Euerardus Taciturnus
Euerardus conuersus
Franco
Franco Laken conuersus
Gerardus
B. Godefridus ædituus

Gode-

Godefridus confessarius in Camera
Godefridus Cortebeckius
Godefridus Pachomius
Gregorius prior
Guilielmus abbas
B. Guilielmus Dongelbertus
Gumarus
Henricus de Marilis
B. Henricus de Gest
Henricus Wetius
Henricus conuersus Par. parte 1. c. 6.
Henricus conuersus 21 Oct.
Hermannus conuersus
Iacobus conuersus Paral. parte 1. c. 6.
Iacobus Glimius conuersus
Iacobus propheta conuersus
Ioannes Paral. parte 1. c. 6.
Ioannes Iardinius conuersus
Ioannes Miles conuersus
Ioannes Præcursor conuersus
Ioannes Rost conuersus
Ioannes Salincus conuersus
Ioannes nouitius
Nicolaus Gemblacensis
Nicolaus 24 Nou.
Nicolaus Par. parte 1. c.6.
Nicolaus conuersus 9 Maij
Nicolaus conuersus 7 Dec.
Oliuerius
Otto conuersus
Petrus conuersus
Rainerus conuersus
Rainerus
Rembertus conuersus
Renerus
Theobaldus
Theodardus conu.
Thomas
Vlricus
Walterus conuersus

Idem hoc monasterium ob insignem in eo sanctitatem, suis sepulcris ornarunt sub idem tempus; & cum suis annis certo tribui nequeant, hic pariter subijcientur

B. Helwigis
B. Maria de Grauio, &
B. Marquina.

Hic in ordinem me reuoco. Itaque

Hilsuindis Porzeti post 1222
Christianus 1223
S. Christina Admirabilis 1224
Richardus 1224
V. Margaretula circiter 1224
Sapientia circiter 1225
Otto decanus 1227
S. Ivetta 1227
Conradus cardinalis 1227
B. Arnulfus Cornibutius 1228
Arnoldus Corswaremius circiter 1229
Hugo Petrapontius 1229
Wazelinus 1229
B. Simon 1229
B. Odilia vidua post 1229
Gualterus abbas 1230
Catharina Lexhia post 1230
Elisabetha de Grauio circiter 1230
Grimelota circiter 1230
Diedela circiter 1230
S. Ida Niuellensis 1231
Ioannes abb. Grandis prati post 1231
Ægidius Walcurius 1233
B. Ioannes Abbatulus post 1234
V. Theodorus Cellensis 1236
Guilielmus abbas VII Villarij 1236
Ioannes Apianus 1238
Gerardus Dominicanus 1239
B. Abundus 1239
Ioannes Maillartus 1239
Seruatius Dominicanus circiter 1239
Nicolaus abbas 1240
Iacobus Vitriacus 1244
Guilielmus abbas XI. 1244
Iulianus Minor. 1244
Sebastianus Wericus post 1244
Iolenda ante 1246
S. Lutgardis 1246
Robertus episcopus 1246
Winandus Dominicanus 1246
Elisabetha Wansia post 1246
Bertha Marbesia 1247
Stephanus canon. & Maria soror post 1248
Henricus Calstrius circiter 1250
Genta abbatissa sub 1250
B. Sybilla de Gagis 1250
Arnulfus abbas XIII. post 1250
Bartholomæus Thenensis sub 1250
Agnes soror sanctę Iulianę 1256
Isabella socia sanctæ Iulianæ 1256
Ioannes prior Cornel. 1257
S. Iuliana 1258
Ioannes Lausanensis post 1258
Conradus Louan. circiter 1260
Hugo cardinalis 1260
Elisabetha Spalbecana post 1260
Ioannes Distemius post 1260
Thomas Cantipratanus sub 1263
B. Gobertus 1263
Vrbanus IV 1264
Himana sub 1264
Eua clausa post 1264
Oda clausa 1266
B. Beatrix Nazarethana 1268
Ida vidua 1270
Guilielmus Richelius 1272

Grego-

Gregorius papa X. 1276
Arnulfus abbas 1276
Huic addédos existimo ejusdem monasterij centum monachos, conuersosque tercentum: quibus aliquando simul in templo Deum orantibus, hæc e cælo vox audita: QVOTQVOT HIC SVNT, MEI SVNT. Nam etsi tempus litteris signatum non reperiatur, ad hoc tamen esse referendum ex eo conijcio, quod monachos totidem, conuersosque Arnulfus hic feratur aluisse.
Iacobus Sommalius post 1284
S. Odilia socia S. Vrsulę allata Hoium est cũ sociabus SS. Ida & Imma anno 1285
Antonius Termonius 1293
Henricus abbas 1296
Guilielmus Iulemontius 1301
Adolfus Waldeganus 1302
Guilielmus Atrebas post 1302
Theodoricus Rupefortius post 1317
Hermannus de Lobio 1332
Ioannes a Mannauilla post 1358
Guilielmus Ardinghenius 1401
Ioannes Brammart 1407
Adrianus Cartus. 1411
Ioannes Valenrodanus 1419
Raphaël post 1429
Gerardus Streidanus 1442
Bartholomæus Cartusianus 1444
Gerardus Cartusianus 1444
Iulianus Cæsarinus 1444
Maria van Lille 1452
Cartusianus anonymus post 1453
Genesius post 1454
Nicolaus Cusanus 1464
B. Ioannes Sorethus 1471
Ven. Dionysius Cartusianus 1471
Henricus de Piro 1473
Iacobus Gruitrodanus. 1475
Ioannes Beetzius 1476
Henricus Harpius 1477
Ioannes Eustachius 1481
Arnoldus de Noua domo post 1481
Nicasius Voërdanus 1492
Euerardus ab Orsoy 1493
Hubertus Leonardus post 1494
Arnoldus Solbrecq 1511
V. Theodoricus Monasteriensis 1515
Hadrianus VI. 1523
Amandus Zirixæanus 1525
Franciscus Titelmannus 1537
Erardus Marcanus 1538
Martinus Capucinus 1550
Adamus Sasboldus 1553
Theodoricus Hesius 1555
Cornelius Vishauæus 1559
V. Ludouicus Blosius 1566
Ioannes Leonius post 1569
Euerardus Mercurianus 1579
Gerardus Groesbeckanus 1580
Nicolaus Fal post 1590
Læuinus Torrentius 1595
Guilielmus Grimbergius 1609
Georgius Colibrandus 1609
Henricus Samerius 1610
S. Polychronia Roma Dionantum allata 1613
Anna Biena 1617
Henricus Sommalius 1619
Petrus Steuartius 1624
Stephanus Strechoeus 1628
Cornelius Cornelij a Lapide 1637
Thomas Conierus 1639
Franciscus Montmorencius 1640
Ioannes Horrion 1641

Hos quibus temporibus redderem, nulla potui conjectura assequi

Sanctimonialis Argenton. 14 Ianuarij
S. Maurus eremita 15 Ianuarij
S. Speus 28 Ian.
Conuersa Argenton. 25 Mart.
S. Walherus 23 Iun.
S. Oduinus 25 Iun.
S. Elmerus 27 Aug.
S. Vlbertus 22 Oct.
S. Odrada 3 Nou.
S. Benignus episc. & martyr.
S. Seuerus presbyter.
S. Theodorus leuita. } Par. p. 2.
S. Albina virgo & martyr.
S. Timiama virgo & martyr.
Gosuinus prior Cartusiæ Zeelem. 12 Feb.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TOPICVS
siue locorum, in quibus vixerunt, mortui sunt, aut sepulti singuli.

AFFLIGEMIVM
Godefridus Cortebekius.
AIICVRIA
S. Ragenufla.
ALEMVM
S. Odrada.
ALNA
Gerardus.
S. Landelinus
Philippus
B. Simon
Walterus
Wericus.
AMANIVM
S. Oda
B. Pompeius.
AMBIANVM
V. Petrus Eremita.
ANDANA
S. Begga
S. Maurus.
ANGLIA
S. Albricus
S. Bertuinus
S. Gregorius
Gualterus
Thomas Conierus.
ANTVERPIA
Franciscus Sonnius
Guilielmus Grimbergius
Læuinus Torrentius.
AQVA
S. Carolus Magnus
Hilsuindis
Ioannes Brammart
S. Iustina
S. Leopardus
S. Speus.
AQVALIA
Regina.
AQVIRIA
Bertha Marbesia
Elisabetha Wansia
Iolenda pænitens
S. Lutgardis
B. Sybilla de Gagis.
AQVITANIA
S. Amandus
S. Amor
S. Florebertus
S. Hadelinus
S. Hubertus
S. Oda
S. Remaclus.
ARETIVM
Gregorius X.
ARGENTONVM
Conuersa anonyma
Sanctimonialis anonyma.
ASPRIMONTIVM
B. Gobertus.
ATREBATVM
Guilielmus canonic.
S. Poppo.
AVDOMARVM
Fulcuinus
Leonius.
AVRELIA
S. Eucherius.
BAVARIA
S. Henricus imperator
Theoduinus.
BELISIA
S. Amor
S. Landrada.
BELLVM FAGETVM
Robertus.
BERNARDI FANIÆ
Wericus.
BINCHIVM
S. Abel
S. Amalberga
S. Amoluinus
S. Erminus
S. Hidulfus
S. Theodulfus
S. Vrsmarus
S. Wlgisus.
BOVINIVM.
S. Walherus.
BRANDEBVRGVM
Adolfus Waldeganus.
BRIXIA
Adelmannus.
BRONIVM
S. Gerardus.
BRVGÆ
Petrus Curtius.
BRVMBASIA
S. Ragenufla.
BRVXELLÆ
S. Albertus
B. Arnulfus Cornibutius
S. Gudula
Guilielmus abbas XI.
Henricus conuersus
Theodoricus Monasteriensis.
BVLLIONVM
Godefridus Bullionius
Stephanus X. papa.
CAMERA
Godefridus
Gumarus.
CAMERACVM
Erluinus
Gerardus
Guilielmus Grimbergius.
CAPVCINI
Franciscus Titelmannus
Martinus laicus.
CARMELITÆ
Hubertus Leonardus
Ioannes Beetzius
Ioannes Brammart
Ioannes Soreth.
CARTVSIANI
Adrianus
Bartholomæus
V. Dionysius Richelius
Gerardus Sceidanus
Gosuinus
Henricus de Piro
Iacobus Gruitrodanus
Iuuenis anonymus.

Gregorius papa X. 1276
Arnulfus abbas 1276
Huic addẽdos existimo ejusdem monasterij centum monachos, conuersosque tercentum: quibus aliquando simul in templo Deum orantibus, hæc e cælo vox audita: QVOTQVOT HIC SVNT, MEI SVNT. Nam etsi tempus litteris signatum non reperiatur, ad hoc tamen esse referendum ex eo conijcio, quod monachos totidem, conuersosque Arnulfus hic feratur aluisse.
Iacobus Sommalius post 1284
S. Odilia socia S. Vrsulę allata Hoium est cũ sociabus SS. Ida & Imma anno 1285
Antonius Termonius 1293
Henricus abbas 1296
Guilielmus Iulemontius 1301
Adolfus Waldeganus 1302
Guilielmus Atrebas post 1302
Theodoricus Rupefortius post 1317
Hermannus de Lobio 1332
Ioannes a Mannauilla post 1358
Guilielmus Ardinghenius 1401
Ioannes Brammart 1407
Adrianus Cartus. 1411
Ioannes Valenrodanus 1419
Raphaël post 1429
Gerardus Streidanus 1442
Bartholomæus Cartusianus 1444
Gerardus Cartusianus 1444
Iulianus Cæsarinus 1444
Maria van Lille 1452
Cartusianus anonymus post 1453
Genesius post 1454
Nicolaus Cusanus 1464
B. Ioannes Sorethus 1471
Ven. Dionysius Cartusianus 1471
Henricus de Piro 1473
Iacobus Gruitrodanus. 1475
Ioannes Beetzius 1476
Henricus Harpius 1477
Ioannes Eustachius 1481
Arnoldus de Noua domo post 1481
Nicasius Voërdanus 1492
Euerardus ab Orsoy 1493
Hubertus Leonardus post 1494
Arnoldus Solbrecq 1511
V. Theodoricus Monasteriensis 1515
Hadrianus VI. 1523
Amandus Zirixæanus 1525
Franciscus Titelmannus 1537
Erardus Marcanus 1538
Martinus Capucinus 1550
Adamus Sasboldus 1553
Theodoricus Hesius 1555
Cornelius Vishauæus 1559
V. Ludouicus Blosius 1566
Ioannes Leonius post 1569
Euerardus Mercurianus 1579
Gerardus Groesbeckanus 1580
Nicolaus Fal post 1590
Læuinus Torrentius 1595
Guilielmus Grimbergius 1609
Georgius Cõlibrandus 1609
Henricus Samerius 1610
S. Polychronia Roma Dionantum allata 1613
Anna Biena 1617
Henricus Sommalius 1619
Petrus Steuartius 1624
Stephanus Strechoeus 1628
Cornelius Cornelij a Lapide 1637
Thomas Conierus 1639
Franciscus Montmorencius 1640
Ioannes Horrion 1641

Hos quibus temporibus redderem, nulla potui conjectura assequi

Sanctimonialis Argenton. 14 Ianuarij
S. Maurus eremita 15 Ianuarij
S. Speus 28 Ian.
Conuersa Argenton. 25 Mart.
S. Walherus 23 Iun.
S. Oduinus 25 Iun.
S. Elmerus 27 Aug.
S. Vlbertus 22 Oct.
S. Odrada 3 Nou.
S. Benignus episc. & martyr.
S. Seuerus presbyter.
S. Theodorus leuita.
S. Albina virgo & martyr.
S. Timiana virgo & martyr. } Par. p. 2.
Gosuinus prior Cartusiæ Zeelem. 12 Feb.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TOPICVS
siue locorum, in quibus vixerunt, mortui sunt, aut sepulti singuli.

AFFLIGEMIVM
Godefridus Cortebekius.
AIICVRIA
S. Ragenufla.
ALEMVM
S. Odrada.
ALNA
Gerardus.
S. Landelinus
Philippus
B. Simon
Walterus
Wericus.
AMANIVM
S. Oda
B. Pompeius.
AMBIANVM
V. Petrus Eremita.
ANDANA
S. Begga
S. Maurus.
ANGLIA
S. Albricus
S. Bertuinus
S. Gregorius
Gualterus
Thomas Conierus.
ANTVERPIA
Franciscus Sonnius
Guilielmus Grimbergius
Læuinus Torrentius.
AQVÆ
S. Carolus Magnus
Hilsuindis
Ioannes Brammart
S. Iustina
S. Leopardus
S. Speus.
AQVALIA
Regina.
AQVIRIA
Bertha Marbesia
Elisabetha Wansia
Iolenda pænitens
S. Lutgardis
B. Sybilla de Gagis.
AQVITANIA
S. Amandus
S. Amor
S. Florebertus
S. Hadelinus
S. Hubertus
S. Oda
S. Remaclus.
ARETIVM
Gregorius X.
ARGENTONVM
Conuersa anonyma
Sanctimonialis anonyma.
ASPRIMONTIVM
B. Gobertus.
ATREBATVM
Guilielmus canonic.
S. Poppo.
AVDOMARVM
Fulcuinus
Leonius.
AVRELIA
S. Eucherius.
BAVARIA
S. Henricus imperator
Theoduinus.
BELISIA
S. Amor
S. Landrada.
BELLVM FAGETVM
Robertus.
BERNARDI FANIÆ
Wericus.
BINCHIVM
S. Abel
S. Amalberga
S. Amoluinus
S. Erminus
S. Hidulfus
S. Theodulfus
S. Vrsmarus
S. Wlgisus.
BOVINIVM.
S. Walherus.
BRANDEBVRGVM
Adolfus Waldeganus.
BRIXIA
Adelmannus.
BRONIVM
S. Gerardus.
BRVGÆ
Petrus Curtius.
BRVMBASIA
S. Ragenufla.
BRVXELLÆ
S. Albertus
B. Arnulfus Cornibutius
S. Gudula
Guilielmus abbas XI.
Henricus conuersus
Theodoricus Monasteriensis.
BVLLIONVM
Godefridus Bullionius
Stephanus X. papa.
CAMERA
Godefridus
Gumarus.
CAMERACVM
Erluinus
Gerardus
Guilielmus Grimbergius.
CAPVCINI
Franciscus Titelmannus
Martinus laicus.
CARMELITÆ
Hubertus Leonardus
Ioannes Beetzius
Ioannes Brammart
Ioannes Soreth.
CARTVSIANI
Adrianus
Bartholomeus
V. Dionysius Richelius
Gerardus Sceidanus
Gosuinus
Henricus de Piro
Iacobus Gruitrodanus
Iuuenis anonymus.

CASSINVM
Carolomannus
Stephanus X.
Wiboldus.

CELLÆ
S. Hadelinus.
V. Theodorus Cellensis.

CLARVS LOCVS
Euerardus
Ioannes Mannauilla
V. Theodorus Cell.

CLVNIACVM
Algerus
Hezelo
Theselo, & alij quamplurimi e collegio S. Lamberti.

COLONIA
S. Agilolfus
Catharina Iudæa
S. Ebregisus
S. Euergislus
B. Godefridus ædituus
Hermannus de Lobio
Himana
Ioannes Horrion
Leonardus Kesselius
S. Maternus
Nicasius Voërdanus
S. Norbertus
S. Odilia cum sociabus
Reginardus
Vlricus mon.

CRISPINIVM
S. Landelinus
Lambertus abb.

DIONANTVM
Ciuis anonymus
Henricus Sommalius
Ioannes Dionantius
S. Maternus
S. Monulfus
S. Perpetuus
S. Polychronia
Thomas Conierus.

DISTEMIVM
Ioannes Distemius
Maria van Lille.

EICA
B. Adalardus
B. Grimara
S. Harlindis
S. Relindis

FLANDRIA
Leonius
Bertha Marbesia
S. Poppo
B. Wolbodo.

FLEMALIA
S. Relindis.

FLINÆ
Himana.

FLOREFFIA
Helinus
Hermannus
Ioannes d'Auelois
B.Lucas
S. Norbertus
Richardus.

FLORIDA VALLIS
Bartholomæus
B. Beatrix
Genta.

FLORINÆ
Arnulfus
Benedictus
Franco abb. Lob.
Gerardus
S. Maurus.

FOSSÆ
S. Foillanus
Hugo Fossensis
S. Iuliana
Robertus episc.
S. Vltanus.

GANDAVVM
S. Adrianus
S. Adeltrudis
S. Amalberga
S. Amantius
S. Bauo
Cornelius Iansenius
S. Faraildis
S. Landoaldus
S. Landrada
S. Vinciana.

GEMBLACVM
Arnoldus Solbrecq.
Erluinus
S. Exuperius cum socio
S. Guibertus
Nicolaus mon.
Olbertus.

GERPINIA
S. Rolendis.

GRANDE PRATVM
Ioannes abb.

HANNONIA
Arnoldus Florin.
S. Hidulfus
Ioannes Eustachius
S. Landelinus
S. Madelberta
Richarius.

HASBANIA
S. Adela
B. Adeltrudis
S. Adeltrudis
S. Adilia soror S.Bauonis
S. Adilia Orp.
B. Agilolfus
Alpais comes
S. Bauo
S. Begga
S. Ermelindis
S. Gertrudis
S. Godegrandus
B. Ida Leuiana
S. Oduinus
S. Pipinus
S. Ragenufla
Robertus comes
S. Trudo
S. Wicboldus.

HASSELETVM
Franciscus Titelmannus.

HASTERIA
S. Nuncius
S. Serenus
S. Remiscendis.

HERCKENRODA
Elisabetha Spalbecana.

HOIVM
B. Abundus
S. Ansfridus
S. Benedicta
S. Domitianus
Euerardus ab Orsoy
Henricus episcopus
S. Hilsuindis
S. Ida
S. Imma
S. Ioannes Agnus
S. Ioannes discipulus
S.Materni
Ioannes Mannauilla
Isabella
B. Iuetta
S. Maurus eremita
S. Mengoldus
S. Odilia
V. Petrus eremita
V. Theodorus Cellensis
Theoduinus.

HORTVLVS B. M.
Arnoldus a noua domo
Arnoldus de Solbrecq.
Ioannes Eustachius
Theo-

Theodoricus Rupefortius.

S. HVBERTI MON.

Adalbero
Alueus
S. Ansbaldus
S. Beregisus
Berengerus
S. Egilo
S. Hubertus
Lambertus pænitens
S. Macuardus
Seuoldus
Tancrardus
S. Theodoricus
Walcandus.

HVGARDIA

Alpais
S. Oduinus.

IBERNIA

S. Eloquius
S. Fredegandus
Vide Anglia. Scotia.

IVPILIA

Carolomannus
S. Carolus M.

LAVDVNVM

S. Erminius
Adalbero.

LEODIVM

in S. Ægidio

Albero
Goderanus
Iudila
Petrus prior.

in S. Bartholomæo

Godescalcus
Matrona anonyma
Monachus S. Laurentij
S. Vlbertus.

in Bello reditu

Lucas.

Cartusia

Adolescens anonymus
Gerardus Stredamus
Iacobus Gruitrodanus.

in S. Christophoro

Lambertus Begus.

Corneliana domus

Agnes
Ioannes
Isabella
S. Iuliana
Sapientia.

in S. Cruce

Robertus.

in S. Dionysio

Stephanus abbas S. Laurentij.

in S. Iacobo

Baldricus
Gosuinus
Guilielmus Iulemontius
Heribrandus
Herm. de Lobio
Ioannes ep.
Olbertus
Stephanus
Thebæus m.
Wazelinus.

in S. Ioanne Bapt.

Ioannes Gauorius.

in S. Ioanne Eu.

Notgerus.

in S. Lamberto

Adelmannus
Albero
S. Albertus
S. Andoletus
Baldricus
Conradus
Durandus
Eraclius
Erardus Marcanus
Erluinus
S. Florebertus
Franc. Montmorencius.
Franco ep.
Franco mon.
S. Fredericus
Ger. Groesbeckanus
Godescalcus
B. Gregorius X.
Gualterus episcopus
Guilielmus Atrebas
Guilielmus Grimbergius
Helinus
Henricus episcopus
S. Hubertus
Hugo Petrapontius
B. Ioannes Abbat.
Ioannes Apianus
Ioannes Niuell.
Ioannes Valenrod.
Iulianus de Cæsarinis
S. Lambertus
S. Madelberta
S. Maternus
Nicolaus Cusanus
Notgerus
B. Odilia
S. Petrus martyr
Petrus Steuartius
Philippus prior
Ratherius
Reginardus
Richarius
Robertus
Salomon
Stephanus episcopus
Stephanus Papa X.
Stephanus Strechoëus
S. Theodardus
Theodoricus Hesius
Theodorus Cellensis
Theoduinus
Vrbanus IV.
Walcandus
Walterus prior
Wazo
Wericus prior
B. Wolbodo, & plures alij parte 1. Paralipomenon c. 2. celebrati.

in S. Laurentio

S. Albina
S. Benignus
Berengerus
S. Craton
Decanus S. Bartholomæi
Durandus
Franco

Gosui-

Gosuinus abb. S. Iacobi
Heribrandus
Ioannes Maillartus
Leo episcopus
Otto abbas
Reginardus
B. Richardus
Ven. Rupertus
S. Seuerus
S. Theodorus leuita
Stephanus abbas
S. Timiama
S. Vitalis
B. Wolbodo.

in S. Martino

Eraclius
B. Eva
Ioannes Lausan.
Maria
Stephanus.

in S. Paulo

Alpais comes
Lambertus Begus
Otto decanus.

in S. Petro

S. Hubertus
SS. monachi
Richarius
Petrus prior S. Ægidij.

in S. Seuerino

Osilia.

LERNA

Olbertus
S. Theodoricus.

LEVIA

B. Ida.

LIMBVRGVM

Simon Limburgsus.

LOBIVM

S. Abel
S. Amalberga
S. Amoluinus
S. Erminus
Franco
Fulcardus
Fulcuinus
Harigerus
S. Hidulfus
Ioannes abbas
Lambertus abbas
S. Landelinus
Leonius
Olbertus
Ratherius
B. Richardus
S. Theodoricus
S. Theodulfus
S. Vrsmarus
S. Wlgisus.

LOCVS S. BERNARDI

Henricus.

LOVANIVM

Albero
S. Albertus
Arnulfus abbas
Catharina Iudæa
Conradus Dominicanus
Cornelius Cornelij
Cornelius Iansenius
Cornelius Vishauæus
Cunerius Petri
Franciscus Sonnius
Franciscus Strada
Godefridus Mierlanus
Godefridus Pachomius
Guil. Damasus Lindanus
Hadrianus VI
Henricus a Calstris
Ven. Ida
Ioannes Hesselius
Leonardus Kesselius
V. Margaretula
Martinus Rithouius
Nicolaus a Castro
Nicasius Voërdanus
Petrus Curtius
Renerus monachus
Seruatius Dominicanus
Theodoricus Monast.
Thomas Cantipratanus.

MALBODIVM

S. Madelberta.

MALMVNDARIVM

S. Agilolfus
S. Babolenus
S. Remaclus
S. Theodardus.

MALONIA

S. Bertuinus.

MARLANIA

S. Heribertus
Adolescens anonymus.

MECHLINIA

Cornelius Vischauæus
Henricus Harpius
S. Libertus
Læuinus Torrentius
Nicasius Voërdanus.

MELDARIA

S. Ermelindis.

METÆ

S. Godegrandus
S. Sigebertus
S. Trudo.

MILENIVM

S. Christina Adm.
S. Lutgardis.

MINORES

Adamus Sasboldus
Amandus Zirixæanus
Arn. Corswarenius
Franciscus Titelmannus.
Genesius
Henricus Harpius
Ioannes Distemius
Iulianus
Martinus
Sebastianus Wericus
Theodoricus Monast.

MOLHANIVM

S. Elmerus.

MOLINIVM

Ioannes Eustachius.

MONASTERIVM AD SABIM

S. Fredegandus
Iolenda pœnitens
Rodulfus.

MONS S. SALVATORIS

Hilsuindis.

NAMVRCVM

Agnes
Bertha Marbesia
S. Fredericus
Isabella
S. Iuliana
Philippus comes
Stephanus X.

NASSONIA

S. Monon.

NISELLA

Ioannes Eustachius.

NIVELLÆ

B. Agnes
S. Begga
Diedela
Elisabetha de Grauio
S. Foillanus
S. Gertrudis
Grimelota
S. Gudula
Guido
S. Ida
Ioannes Niuellensis
S. Maria Oegniacensis.

B. Mar-

Digitized by Google

B. Marquina
Mercator anonymus
S. Pipinus
S. Vltanus
S. Wilfetrudis.

OEGNIACVM
Ægidius Walcurius
Iacobus Vitriacus
Ioannes Dionantius
Ioannes Liranus
Ioannes Niuellensis
S. Maria.

ONHANIVM
S. Walherus.

ORESCHOTVM
S. Odulfus.

ORPIVM
S. Adilia
Alpais pænitens.

PARCVM DOMINARVM
Catharina Iudæa.

PAX DEI
Arn. Corswaremius.

PORZETVM
S. Gregorius
Hilsuindis
Monachus anonymus.

PRÆDICATORES
Conradus Louaniensis
Gerardus
Godefridus Mierlanus
Henricus a Calstris
Hugo cardinalis
Raphaël
Seruatius Louaniensis
Thomas Cantipratanus
Winandus.

PRÆMONSTRATENSES
Helinus
Hermannus
Hugo
Ioannes d'Auclois
B. Lucas
S. Norbertus
Radbodo
Richardus.

PRVMIA
S. Ansbaldus
S. Egilo
S. Macuardus
Richarius
Seuoldus
Tancradus.

RAMEIA
Anastasia
B. Ida Leuiensis
S. Ida Niuellensis

REMI
S. Abel
S. Albertus
S. Maurus
Gerardus Florinensis.

S. REMIGII MONASTERIVM
Arnold. de noua domo.

ROBERTI MONS
Beatrix
Catharina
Ermedis
Gertrudis.

RODA
Albertus.

RVREMVNDA
Bartholomæus Cartus.
V. Dionysius Cartusianus
Guilielmus Lindanus
Richardis.

RVTÆ
S. Euermarus & socij.

SALSINIA
Agnes
Bernardus
Himana
Isabella
S. Iuliana.

SCOTIA
S. Eloquius
S. Foillanus
S. Forannanus
S. Fredegandus
S. Kadroë
S. Macalanus
S. Monon
S. Oda
S. Vltanus.

SOCIETAS IESV
Cornelius a Lapide
Cornelius Vishauæus
Euerardus Mercurianus
Franc. Montmorencius
Georgius Colibrandus
Henricus Dionysius
Henricus Samerius
Henricus Sommalius
Ioannes Horrion
Ioannes Leonius
Leonardus Kesselius
Nicolaus Fal
Thomas Conierus.

STABVLETVM
S. Agilolfus
S. Albricus
S. Anglinus
S. Babolenus
S. Goduinus
S. Hadelinus
S. Lambertus
S. Odilo
S. Poppo
S. Remaclus
Richarius
S. Sigebertus
S. Sigolinus
S. Theodardus
Wiboldus.

SVSTERENVM
S. Albricus
S. Amalberga
S. Benedicta
S. Cæcilia
S. Gregorius
S. Relindis
S. Vastradis
S. Zuentiboldus.

THENÆ
Bartholomæus
B. Beatrix
Ioannes Beetzius.

TIHONIVM
S. Ioannes Agnus.

TORA
S. Benedicta
S. Hilsuindis.

TORNACVM
Albertus Rodensis
Giraldus.

TRAIECTVM
S. Agricolaus
S. Amandus
Bartholomæus Cartus.
S. Candidus
S. Designatus
S. Domitianus
S. Ebregisus
S. Eucharius
S. Eucherius
S. Falco
S. Florentius
Gerardus.
S. Gondulfus
Henricus Dionysius
S. Hubertus
S. Ioannes Agnus
S. Lambertus
S. Marcellus
S. Martinus II.
S. Maximinus
S. Metropolus
S. Monulfus
S. Nauitus
Nicolaus Fal

S. Perpetuus
S. Quirillus
S. Remaclus
S. Renatus
S. Seruatius
S. Seuerinus
S. Supplicius
S. Theodardus
S. Valentinus
S. Vrſicinus.

TREVIRI

S. Anaſtaſius
S. Andreas
S. Auſpicius
S. Autor
S. Baſſianus
S. Celſus
S. Clemens
S. Felix
S. Florentius
S. Fortunatus
S. Ioannes Treuir
S. Manſuetus
S. Marcellus
S. Marcus
S. Martinus I.
S. Martinus II.
S. Maternus
S. Mauritius
S. Maximinus
S. Metropolus
S. Moſes
S. Nauitus
S. Ruſticus
S. Sandradus
S. Seuerinus
S. Valentinus.

TRVDONOPOLIS

Adalardus I.
S. Adela
S. Beregiſus
Chriſtianus
S. Chriſtina Adm.
S. Eucherius
Georgius Colibrandus
S. Godegrandus
Guil. Ardinghemius
S. Libertus
Monachus anonymus
Reinerus abbas
Robertus comes
Rodulfus
Tietfridus
S. Trudo
S. Wicboldus
Wiricus.

TVDINIVM

Gerardus mon.

TVITIVM

V. Rupertus.

TVLLVM

Henricus I. episc.

TVNGRI

S. Agricolaus
S. Amandus
S. Anaſtaſius
S. Andreas
S. Auſpicius
S. Autor
S. Baſſianus
S. Celſus
S. Clemens
S. Deſignatus
S. Domitianus
S. Ebregiſus
S. Eucharius
S. Eucherius
S. Euergiſlus
S. Falco
S. Felix
S. Florentius
S. Fortunatus
S. Gondulfus
S. Hubertus
S. Ioannes Agnus
S. Lambertus
S. Lutgardis
S. Manſuetus
S. Marcellus
S. Marcus
S. Martinus I.
8. Martinus II.
S. Maternus
S. Mauritius
S. Maximinus
S. Metropolus
S. Monulfus
S. Moſes
S. Nauitus
S. Perpetuus
S. Quirillus
S. Remaclus
S. Renatus
S. Ruſticus
S. Seruatius
S. Seuerinus
S. Supplicius
S. Theodardus
S. Valentinus
S. Vrſicinus.

VALCELLÆ

Vlricus abbas.

VALENTIANÆ

S. Harlindis
S. Relindis.

VALLIS BENEDICTA

Catharina Lexhia
Otto.

VALLIS S. LAMBERTI

Ægidius Claromontius
Antonius Termonius
Gualterus abbas
Ida
Ioannes Apianus
Ioannes Maillartus
Oda
Wazelinus.

VILLARIVM

B. Abundus
Ægidius conuerſus
Albertus abbas
Arnoldus 30 Iunij
Arn. Paral parte 1. c. 6.
Arn. conuerſus 30. Iunij
Arnulfus abbas XIII
Arnulfus abbas XIX.
Arnulfus Cornibutius
Bernardus
Cæſarius
Carolus
Conradus
Daniel
Ecbertus conuerſus
Euerardus conuerſus
Euer. Taciturnus conu.
Faſtradus
Franco
Franco Laken conuerſus
Gerardus
Giraldus
B. Gobertus
Godefridus in Camera
Godefridus Cortebekius
B. Godefridus æditiuus
Godefridus Pachomius
Gregorius prior
Gualterus
Guilielmus abbas VII
Guilielmus abbas XI
B. Guil. Dongelbertus
Gumarus
B. Helwigis
Henricus abbas
Henr. conuerſus 21 Oct.
Henr. conu. Par. p. 1. c. 6.
B. Henricus de Geſt
Henricus de Marſilis
Henricus Weſius
Hermannus conuerſus
Iacobus Glimius
Iacobus Propheta conu.

Digitized by Google

Iacobus Sommalius
Iacobus conu. Paralipom. parte 1. c. 6.
Ioannes abb. Grandis prati
Ioannes Iardinius
Ioannes Miles
Ioannes Præcursor
Ioannes Rost
Ioannes Salincus
Ioãnes conu. Par. p. 1. c. 6.
Ioannes nouitius
S. Iuliana
Laurentius
B. Maria de Grauio
B. Marquina
Nicolaus abb.
Nicolaus Gemblacensis
Nicolaus 24 Nou.
Nicolaus Par. p. 1. c. 6.
Nicolaus conu. 9 Maii
Nicolaus conu. 7 Dec.
Oliuerius Sombreffe
Otto conu.
Petrus conu.
Rembertus conuer.
Rainerus conu.
Rainerus
Theobaldus
Theodardus
Thomas
Vlricus abb.
Vlricus
Walterus conu.

VIRDVNVM.

Henricus ep.
B. Richardus
Stephanus abb. S. Laurentij
Vrbanus IV.

VLTRAIECTVM

S. Albricus
S. Ansfridus
S. Gregorius
Gualterus
Hadrianus VI.
S. Odulfus.

WALCIODORVM

B. Eilbertus comes
S. Eloquius
S. Forannanus
S. Kadroë
S Macalanus
S. Nuncius
Wilboldus.

WALCVRIA

Ægidius Walcurius
Theodoricus Rupefort.

WINTERSHOVIVM

S. Adeltrudis
S. Adrianus
S. Amantius
S. Iulianus
S. Lambertus
S. Landoaldus
S. Landrada
Lantzo
Sigeburgis
S. Vinciana.

ZERLEMVM

S. Adela.

INDEX MORALIS
siue eorum quæ ad mores pertinent.

ABSTINENTIA S. Gerlacus 5 *Ian. c. 3. in medio.* S. Ivetta 13 *Ian. c. 2. in fine.* Thomas Conierus 24 *Ian. c. 6.* V. Dionysius 12 *Mart. c. 2. in medio.* S. Iuliana 5 *April. c. 5.* S. Vrsmarus 18 *April. ante finem.* B. Wolbodo 21 *April. c. 1. ante finem.* Arnoldus de Solbrec. 8 *April.* S. Lutgardis 16 *Iun. c. 6.* S. Maria Oegniac. 23 *Iun. c. 3. post initium: c. 14. ante medium.* B. Arn. Cornibutius 30 *Ian. c. 1. in medio.* Wazo 8 *Iul. cap. 2. ante finem.* S. Christina 24 *Iul. c. 4. post initium.* Euer. Mercurianus 1 *Aug. c. 2. ante finem.* B. Gobertus 20 *Aug. c. 2. post med.*

ADOLESCENTIÆ RECTA INSTITVTIO S. Lambertus *c. 2. 3. 5.* S. Faraildis 4 *Ian.* S. Gudula 8 *Ian. c. 1.* Thomas Conierus 24 *Ian. c. 4.* S. Poppo 25 *Ian. c. 1.* S. Carolus M. 28 *Ian. c. 1.* Stephanus Strechoëus 6 *Mart. c. 2.* Ven. Dionysius 12 *Mart. c. 1.* B. Abundus 19 *Mart. c. 1.* S. Iuliana 5 *April. c. 1.* Notgerus 10 *April. c. 6.* B. Wolbodo 21 *April. c. 1.* S. Maria Oeg. 23 *Iun. c. 1.* Wazo 8 *Iul. c. 2.* S. Amalberga virgo 10 *Iul.* B. Beatrix 29 *Iul. c. 1.* S. Beregisus 2 *Oct. initio.* S. Gerardus 3 *Oct. c. 1.* S. Harlindis 12 *Oct.* Euergislus 24 *Oct. initio.* Eraclius 27 *Oct. c. 1.* Georg. Colibrandus 2 *Nou. c. 2.* S. Perpetuus 4 *Nou. initio.* S. Gregorius. 4 *Nou. in medio.* S. Trudo 24 *Nou. c. 1.* S. Ida Niuell. 11 *Aug. c. 1.* S. Ida Leu. 11 *Dec. c. 1.*

ADOLESCENTIA LVBRICA S. Hubertus *cap. 1.* Petrus conuers. 18 *Ian.*

ADVERSORVM AMOR siue DESIDERIVM *Vide* CRVCIS AMOR.

ADVLATIO Iac. Vitriacus 30 *Apr. c. 2.*

AMBITIO PVNITA. Fulcardus 16 *Iun.* S. Poppo 25 *Ian. c. 8.* S. Fredericus 27 *Maij c. 1. 2.* Reginardus 5 *Dec. c. 1.*

AMICITIA BONA. S. Gerlacus 5 *Ian. c. 8. ante medium.* Iac. Vitriacus 1 *Maij c. 1.* Diedela 17 *Mart. & 3. in fine.* Th. Cantipr. 15 *Maij sub medium.* Henr. Dionysius 13 *Iul. ante finem.* B. Beatrix 29 *Iul. c. 3 post initium.* B. Sybilla 9 *Oct.* B. Eua *c. 1. Paralip. p. 2.* Ioannes Lausan. *ibidem* Ioan. Liranus. *ibidem.* Isabella *ibidem.*

AMICITIA PERICVLOSA. S. Lambertus *c. 8.* S. Iac. Vitriacus 30 *Apr. c. 2. post medium.*

ANIMORVM COGNITIO. B. Simon 24 *Febr.* Gualterus 1 *Mart. c. 3* Hermannus 7 *Apr. post initium.* S. Lutgardis 16 *Iun. c. 6. post medium.* S. Remaclus 3 *Sept. c. 2. in medio.* S. Ida Niuell. 11 *Aug. c. 3. in medio.*

APOSTOLICÆ SEDIS REVERENTIA S. Carolus M. 28 *Ian. c. 1. post medium & c. 2.* Er. Marcanus 16 *Febr. c. 6.* Hugo Petrap. 12 *Apr. c. 5. initio.* Wazo 8 *Iul. c. 4.* Nic. Cusanus 11 *Aug.* Adolfus Waldeg. 13 *Dec.*

AVARITIA. Durandus 23 *Ian. c. 3.* V. Margaretula 2 *Sept.* S. Theodardus 10 *Sept. post medium.* S. Albertus 24 *Nou. c. 2. 3.*

AVSTERITAS S. Gerlacus 5 *Ian. c. 2. 3. 4.* S. Gudula 8 *Ian. c. 2. initio.* S. Ivetta 13 *Ian. c. 2 in medio, 4. & 5.* Petrus 18 *Ian. ante medium.* B. Hugo 10 *Febr. c. 1.* St. Strechoëus 6 *Mart. c. 3.* S. Maria Oegn. 23 *Iun. c. 1. 3. 4.* B. Arn. Cornibutius 30 *Iun. c. 1.* S. Landrada 8 *Iul. c. 1.* Wazo 8 *Iul. c. 2.* B. Beatrix 29 *Iul. c. 2.* Anna Biena 17 *Sept.* Albertus 19 *Sept. c. 3.* S. Bauo 1 *Oct.* S. Godefridus 2 *Oct. in fine.* B. Pompeius 23 *Oct.* Georg. Colibrandus 2 *Nou. c. 2.* S. Trudo 23 *Nou. c. 11 in medio.* Nicolaus 7 *Dec.* Mnoachus S. Laurentij *Par. p. 2.*

CÆCITAS AMATA. S. Lambertus *c. 6.* S. Lutgardis 16 *Iun. c. 9.* Gumarus 16 *Martij.*

CARITAS IN ÆGROS. S. Gudula 8 *Ian. c. 2.* S. Ivetta 13 *Ian c. 4.* S. Poppo 25 *Ian. c. 3.* S. Lutgardis 16 *Iun. c. 2. post initium & c. 5.* S. Maria Oegniacensis 23 *Iun. c. 2. post initium.* S. Theodoricus 24 *Aug. c. 3. in fine.* Franciscus Titelman-

telmannus 12 *Sept.* c. 3. Anna Biena 17 *Sept.* B. God. Pachomius 2 *Oct.* *in medio.* Theodoricus Mon. 11 *Dec.* c. 1. Mon. Porzetensis *Par.* p. 2.

CARITAS IN EGENOS. Albero 1 *Ian. sub fine.* S. Ivetta 13 *Ian.* c. 4. *post initium.* S. Poppo 25 *Ian.* c. 10. S. Carolus 28 *Ian.* c. 7. *in fine.* Carolus 28 *Ian. ante medium.* Goderanus 29 *Mart.* S. Amalberga vidua 10 *Iul.* Franco 20 *Aug.* S. Remaclus 3 *Sept.* c. 6. Lamb. 6 *Sept.* Titelmannus 12 *Sept.* Vlricus 1 *Oct.* B. Lucas 24 *Oct.* Renerus 30 *Oct.* S. Trudo 23 *Nou.* c. 12. Walterus 5 *Dec.* Seruatius *Par.* p. 2. Arnoldus conu. 3 *Iun.* Wazo 8 *Iul.* c. 3. S. Amalberga vidua 10 *Iul. initio.* Bartholomæus 29 *Iul. in medio.* B. Ida Niuell. 11 *Aug.* c. 1. B. Gobertus 20 *Aug.* c. 2. *in medio & fine.* Anna Biena 17 *Sept.* Albertus 19 *Sept.* c. 3. Guilielmus 30 *Sep.* S. Oda 23 *Oct. ante finem.* Renerus 30 *Oct. post medium.* S. Trudo 23 *Nou.* c. 4. Werricus 5 *Dec. in medio* Theodoricus 11 *Dec.* c. 2. Richardus *Paral.* p. 2.

CARITAS IN MORIBVNDOS. Theodorus 14 *Ian.* V. Dionysius 12 *Mart.* c. 10 *ante medium.* Ioannes 16 *Mart.* c. 2. Stephanus X. 29 *Mart.* c. 3. Hugo Petrap. 12 *Apr.* c. 8. Iac. Vitriacus 30 *Apr.* c. 4. S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 9. S. Christina 24 *Iul.* c. 4. *ante finem & c.* 7. *in fine.*

CARITAS IN MORTVOS. Vide PVRGATORIO EDVCVNTVR ANIMÆ. V. Dion. 12 *Mart.* c. 7. Notgerus 10 *Apr.* c. 5. *in fine.* S. Lutgardis 16 *Iun.* c. 7. S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 9. S. Monulfus 16 *Iul.* S. Christina 24 *Iul.* c. 1. 2. Baldricus 29 *Iul.* Bartholomæus 29 *Iul.* Henr. a Calstris 18 *Oct. ante finem.* B. Ida Niuellensis 11 *Aug.* c. 4.

CARITAS IN PROXIMVM. Vide ZELVS SALVTIS PROXIMI. Henr. Samerius 5 *Ian.* S. Ivetta 13 *Ian.* c. 5. Th. Conierus 24 *Ian.* c. 2. 3. 4. & 5. S. Poppo 25 *Ian.* c. 4. 7. S. Amandus 6 *Febr.* c. 1. 2. B. Simon 24 *Febr.* c. 4. 5. V. Dionysius 12 *Mart.* c. 3. 4. 10. Ioannes 16 *Mart.* c. 1. 2. S. Iuliana 5 *Apr.* c. 14. *ante finem.* S. Seruatius 13 *Maij* c. 4. S. Odulfus 12 *Iun.* S. Lutgardis 16 *Iun.* c. 6. 7. 8. S. Walherus 23 *Iun.* S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 9 & 13 *ante medium.* Arnoldus conu 30 *Iun.* S. Gondulfus 16 *Iul.* Eu. Mercurianus 1 *Aug.* c. 3. 5. B. Gobertus 20 *Aug.* c. 2. Anna Biena 17 *Sept.* Henr. a Castris 18 *Oct. post medium.* S. Oda 23 *Oct. post initium.* S. Euergislus 24 *Oct. ante finem.* S. Trudo 23 *Iun.* c. 4. S. Ida Niuell. 11 *Aug.* c. 2. B. Ida Leu. 11 *Dec.* c. 3. Theodoricus 11 *Dec.* c. 1.

CASTITAS. S. Lambertus c. 15 *sub finem* S. Ivetta 13 *Ian.* c. 13. Petrus 18 *Ian.* B. Simon 24 *Febr.* c. 1. S. Gertrudis 17 *Mart.* c. 1. S. Lutgardis 16 *Iun.* c. 1. S. Amelberga virgo 10 *Iul.* Maria 10 *Iul.* S. Ragenufla 14 *Iul.* C. Vishauæus 25 *Aug.* c. 4. *ante medium.* V. Margaretula 2 *Sept.* Guido 12 *Sept.* Guilielmus 30 *Sept. in fine.* S. Trudo 23 *Nou.* c. 4. *initio.* Virgines Leod. *Par.* p. 1. c. 3.

CASTITAS IN CONIVGIO S. Ansfridus 3 *Maij.* S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 2. S. Hilsuindis *Par.* p. 2.

COMMVNIO DESIDERATA S. Lambertus c. 7. *sub medium.* S. Gerlacus 5 *Ian.* c. 9. *in medio.* S. Iuliana 5 *Apr.* c. 4. B. Wolbodo 21 *Apr.* c. 1. *in fine.*

COMMVNIO DIVINITVS DATA S. Gerlacus 5 *Ian.* c. 9. *item Par.* p. 1. c. 6. *ante finem.*

CRVCIS AMOR S. Faraildis 4 *Ian. sub finem.* S. Iuliana 5 *Apr.* c. 11. *ante finem* Gumarus 16 *Mart. in medio.* S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 13. S. Landrada 8 *Iul.* c. 1. *in medio.* V. Theodorus 18 *Aug.* c. 1. 2. 3. Bernardus 20 *Aug.* Henricus 21 *Oct. ante finem.* G. Colibrandus 2 *Nou.* c. 2. S. Ida Niuell. 11 *Aug.* c. 4. *ante medium.* B. Ida Leu. 11 *Dec.* c. 1. *in fine.* Anastasia 24 *Dec.* Gumarus 16 *Mart.*

CRVCIS VIS. S. Lambertus c. 2. S. Hubertus c. 6. *in medio.* S. Gerlacus 5. *Ian.* c. 5. Hugo Foss. 10 *Febr.* c. 2. S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 13. *in medio.* S. Remaclus 3 *Sept.* c. 3. *post medium.* Anastasia 24 *Dec.*

DÆMONIS FRAVS. S. Gerlacus 5 *Ian.* c. 5. 7. S. Gudula 8 *Ian.* c. 1. *in fine.* S. Ivetta 13 *Ian.* c. 4. S. Poppo 25 *Ian.* c. 13. Gualterus 1 *Mart.* c. 1. *post initium.* V. Dionysius 12 *Mart.* c. 12 *post medium* S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 7. & 8. S. Remaclus 3 *Sept.* c. 3 *post medium.* B. Sybilla 9 *Oct. in medio.* S. Ida Niuell. 11 *Aug.* c. 4. *initio.* B. Ida Leu. 11 *Dec.* c. 1. *post medium.*

DÆMONIS ODIVM S. Maria Oegn. 23 *Iun.* c. 7.

DÆMONIS EXPVGNATIO. S. Gerlacus 5 *Ian.* c. 5. S. Gudula 8 *Ian.* c. 1. *ante finem.* S. Poppo 25 *Ian.* c. 13. V. Dionysius 12 *Mart.* cap. 12. *post medium.* Corn. Vishauæus 25 *Aug.* c. 4. *post initium.* S. Remaclus 3 *Sept.* c. 3. *post medium & c.* 4. *ante medium.* S. Bauo 1 *Oct.* c. 3. *initio.* B. Sybilla 9 *Oct. in medio.* Henricus a Calstris 18 *Oct. ante medium.* B. Ida Leu. 11 *Dec.* c. 1. *post medium.*

DEI AMOR. Petrus 18 *Ian. post medium* B. Simon 24 *Febr. c.* 2. B. Abundus 19 *Mart. c.* 2. *ante finem*. B. Arn. Cornibutius 30 *Iun. c.* 2. Henricus 21 *Oct.* B. Ida Leu. 11 *Decemb. c.* 1. *ante medium*.

DILIGENTIA IN STVDIIS V. Dionysius 12 *Martij c.* 11.

DISCIPLINÆ AMOR Vide ZELVS DISCIPLINÆ

DISCIPLINÆ INTEGRITAS S. Lambertus *c.* 9. S. Seuoldus 13 *Ian. ante medium*. Gregorius 12 *Mart. initio*. Beatrix 16 *Nou.* Anna Biena 17 *Sept.*

DIVITIÆ Vide AVARITIA.

DIVITIÆ CONTEMPTÆ. Vide PAVPERTAS.

DIVITIARVM IACTVRA VTILIS. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 1. & 6. *post initium*.

DVRITIA CORDIS CASTIGATA. Vitriacus 31 *Apr. c.* 3. *post initium*.

ECCLESIASTICÆ IMMVNITATIS DEFENSIO. S. Carolus M. 28 *Ian. c.* 3. Notgerus 10 *Apr. c.* 2. & 3. Wazo 8 *Iul. c.* 3 & 4. S. Theodardus 10 *Sept. ante medium*.

ECCLESIASTICÆ IMMVNITATIS VIOLATIO. Stephanus 6. *Ian.* S. Eucherius. 20 *Febr. in medio*.

ELEEMOSYNA. Vide CARITAS IN EGENOS.

EPISCOPVS. Vide PRÆLATVS.

EVCHARISTIÆ VENERATIO. Vide COMMVNIO DESIDERATA. Th. Comerus 24 *Ian. c.* 4 *initio*. Hugo de S. Caro 19 *Mart.* S. Iuliana 5 *Apr. c.* 3. & 4. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 4 *post medium*. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 6 *post initium*, & *c.* 14. I. Sorethus 25 *Iul.* B. Gobertus 20 *Aug. c.* 3. *in fine*. Vrbanus 30 *Sept. c.* 1 *in fine*, *c.* 3 & 4. Conradus 30 *Sept. ante finem*. Robertus 16 *Oct. in medio*. S. Ida Niuell. 11 *Aug. c.* 3. B. Ida Leu. 11 *Dec. c.* 1 *ante finem* & *c.* 2. B. Eua *c.* 2. 3. & 4 *Paralip. p.* 2. Gerardus Dominicanus *ibidem*. Stephanus *ibidem*.

EXEMPLI BONI CVRA Ioannes Valenrod. 28 *Maij in medio*. Iac. Sommalius *Paralip. p.* 2.

EXEMPLI BONI VIS. S. Gertrudis 17. *Mart. c.* 1. *initio*. S. Babolenus 26 *Ian.* Arnoldus de Solbrec 8 *Apr.* Bertha 17 *Iul.* Euer. Mercurianus 1 *Aug. c.* 2. Ioannes Præcursor 26 *Aug.* S. Perpetuus 4. *Nou.* S. Gregor. 4 *Nou. in medio*. Beatrix 16 *Nou.* S. Begga 17 *Dec. post initium*. S. Hilsuindis *Paralip. parte* 2. B. Richardus *ibidem*.

EXTERIOR HOMINIS HABITVS. Diedela 17 *Mart.* S. Iuliana 5 *April. c.* 11. *ante medium*. S. Maria Oegn. 23. *Iun. c.* 11. *post medium*.

FAMILIARITAS CVM CÆLITIBVS. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 2. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 5. & 6. S. Bauo 1 *Oct. c.* 3. *post initium*. B. Godefridus 2 *Oct. post initium*. Godefr. Pachomius 3 *Oct.* Elis. Wantia 9 *Oct. in medio*. Henr. Calstrius 18 *Oct.* B. Lucas 24 *Oct.* Renerus 30 *Oct. in fine*. B. Ida Leu. 11 *Dec. c.* 2.

FERVOR ANIMI. Vide ZELVS. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 4. Renerus 30 *Oct. in medio*. Georg. Colibrandus 2 *Nou.* S. Trudo 23 *Nou. c.* 11. S. Ida Niuellensis 11 *Aug. c.* 1. & 20.

FIDEI INTEGRITAS Vide ZELVS FIDEI.

FIDELITAS. Wazo 8 *Iul. c.* 5.

FORTITVDO ANIMI Vide FERVOR S. Lambertus *c.* 12. 13. & 14. Stephanus 6 *Ian* V. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 7. Gregorius X. 10 *Ian. c.* 1. S. Iueta 13 *Ian. c.* 3. Euerardus 18 *Ian.* S. Poppo 25 *Ian. c.* 3. S. Amandus 6 *Febr. c.* 2. B. Hugo 10 *Febr. c.* 2. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 6. S. Gertrudis 17 *Mart. c.* 2. Stephanus 29 *Mart. c.* 1 *in fine*. B. Wolbodo 21 *April. c.* 2. *in fine*. Catharina 5 *Maij*. S. Fredericus 27 *Maij*. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 13. Wazo 8 *Iul. c.* 6. Godefridus Bull. 18 *Iul.* Guido 12 *Sept.* S. Ermelindis 29 *Oct. in medio* S. Trudo 23 *Nou. c.* 3.

FORTITVDO CORPORIS God. Bullionius 18 *Iul.*

GVLÆ VICTORIA S. Theodoricus 22 *Aug. c.* 4. *post initium*.

HABITATIO ANGVSTA. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 3. S. Bauo 1 *Oct. c.* 1. *sub finem*.

HÆRESIS ODIVM Vide ZELVS FIDEI.

HÆRESIS PERICVLOSA. S. Seruatius 13. *Maij c.* 2. & 3.

HONORVM FVGA S. Lambertus *c.* 4. V. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 2. & 7. *in medio*. Durandus 23. *Ian. c.* 1. Carolus 29 *Ian. c.* 2. Fr. Montmorencius. 5 *Febr. c.* 1. I. Maillartus & Wazelinus 5 *Febr.* B. Hugo 10 *Febr. c.* 1. & 4. Arnulfus XIII 2 *Mart. in fine*. Stephanus 29 *Mart. c.* 2. S. Iuliana 5 *April. c.* 11 *in fine*. S. Ansfridus 3 *Maij*. S. Guibertus 23 *Maij initio*. Theodoricus Hesius 10 *Maij*. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 4. *initio*. Wazo 8 *Iul. c.* 1. Bertha 17 *Iul.* S. Ioannes Agnus 25 *Iul.* S. Benedicta 17 *Aug.*

Digitized by Google

17 *Aug.* Carolomannus 17 *Aug. c.* 2. Ioan. Eustachius 20 *Sept. in fine.* Conradus 30 *Sept. sub finem.* Guilielmus Atreb. *Paral. p.* 2.

HORÆ CANONICÆ. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 6. *post medium.*

HOSPITALITAS. S. Relindis 6 *Febr. ante finem.* S. Gertrudis 17 *Mart. c.* 6. *in medio.* Goderanus 29 *Mart.* Th. Cantipratanus 15 *Maij ante finem.* Albertus 19. *Sept. c.* 13. I. Gauorius *Paral. parte* 2. Ioan. Lausanensis *in medio ibidem.*

HVMILITAS. S. Lambertus *c.* 5. & 9. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 2. S. Maurus 15 *Ian.* Durandus 23 *Ian. c.* 1. Th. Conierus 24 *Ian. c.* 5. Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 1. & 4. B. Simon 24 *Febr. cap.* 1. Corn. a Lapide 12 *Mart. in medio.* S. Iuliana 5. *Apr. c.* 1. Hermannus 7 *Apr.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 4. *initio.* S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 11. God. Bullionius 18 *Iul.* S. Christina Admirabilis 24 *Iul. c.* 1. S. Ioan. Agnus 25 *Iul.* Carolomannus 17 *Aug. c.* 2. B. Gobertus 20 *Aug. cap* 2 Fr. Titelmannus 12 *Sept. c* 2. Conradus 30 *Sept. in fine* B. Sybilla 9 *Oct.* S. Nuncius 10 *Oct.* Georg. Colibrandus 2 *Nou. c.* 1. S. Trudo 23 *Nou. c.* 2 & 4 S. Albertus 24 *Nou c* 7. S. Ida Niuell. 11 *Aug. c.* 1. *in medio* B. Ida Leu. 11 *Dec. cap* 3 Godescalcus *Decembri* Ioannes Cornelianus *Paral. p.* 2.

IEIVNIVM Vide ABSTINENTIA.

IMITATIO Vide EXEMPLI BONI VIS. S. Lambertus *c* 6. Notgerus 10 *Apr cap.* 4

IMPOSTVRA CASTIGATA. S. Oduinus 25 *Iun.* Arnoldus conu. 30 *Iun.*

INFANS LOQVITVR. S. Lambertus *c.* 1. S Sigebertus 1 *Febr. initio.*

INFIRMITATIS HVMANÆ EXEMPLVM S Lambertus *c.* 12. & 13. S. Seruatius 13 *Maij c.* 2.

INNOCENTIA AB IMPROBIS OPPRESSA S Maternus *c.* 3. S. Lambertus *c* 8. S. Faraildis 4 *Ian.* S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 6 V. Lud. Blosius 7 *Ian c.* 3. Gregorius X. 10 *Ian c* 1. S Amandus 6 *Febr. c.* 2. S Mengoldus 8 *Febr.* S Eucherius 20 *Febr. post initium.* V Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 6. S. Gertrudis 17 *Mart c* 2. S. Iuliana 5 *April. cap.* 6. 9. 10. 13. 14. & 15. Lambertus Begus 25 *Iun.* S. Zuentiboldus 13 *Aug.* Ant. Termonius 16 *Sept.* Guilielmus 30 *Sept ante finem.* S Monon 18 *Oct. ante finem.* S. Gregorius 4 *Nou.* Berengerus 16 *Nou.* S. Albertus 24 *Nou. c.* 5. & 6.

INNOCENTIA ADVERSIS EMERGIT. S. Lambertus. *c* 10. & 15. S Gerlacus 5 *Ian. c.* 6. Ægidius Walc. 5 *Ian. c.* 6. Henr. Samerius 5 *Ian.* S Poppo 25 *Ian. c.* 6. 7. & 8. B. Simon 14 *Febr. c.* 5. S Iuliana 5 *April. c* 10. 11. & 15 Lamb. Begus 25 *Iun.* Berengerus 16 *Nou.* Ioannes abbas Lob *Paral. p.* 2.

INTEGRITAS Carolus 29 *Ian. in medio.* S. Iuliana 5 *Apr. c.* 10. *ante finem* & 14. *ante finem.* B. Wolbodo 21 *Apr. c* 2. Wazo 8 *Iul. c.* 6 S. Remaclus 3 *Sept c.* 2. *in fine.* Hadrianus VI. 14 *Sept. c.* 1. *in fine* & *c.* 3. Berengerus 16 *Nou.*

INTENTIO PVRA. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 12. Corn. a Lapide 12 *Mrt. initio.*

INVIDIA. S. Gerlacus 5. *Ian. c.* 6. Ægid. Walcurius 5 *Ian.*

LIBERALITAS IN ECCLESIAM. Albero 1 *Ian* S. Sigebertus 1 *Febr,* S. Ansbaldus 10 *Mart.* Phil. Nobilis 15 *Oct. post initium.* S. Oda 23 *Oct. in medio.* Eraclius 27 *Oct. c.* 2. *sub finem,* & *c* 3. Ægid. Claromontius *Par. p.* 2. Albertus Mohanus *ibidem.* Alpais Hugard. *ibidem.* Arnulfus Florin. *ibidem.* Helinus *ibid.* Lantzo *ibid,*

LIBERTAS SANCTA. S. Lambertus *c.* 12. 13. 14. S. Poppo 25 *Ian. c.* 5. S. Amandus 6 *Febr. c.* 2. & 3. S. Eucherius 20 *Febr. post initium.* V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 6. Wazo 8. *Iul. c.* 3. & 4. S. Beregisus 2 *Oct. in medio.* S. Perpetuus 4 *Nou. in medio.* S. Albertus 24 *Nou. c.* 3.

LITTERÆ CVM NOBILITATE IVNCTÆ. V. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 1. *in fine* & 5. Franco 9 *Ian.* Th. Conierus 24 *Ian. c.* 6. *post medium.* S. Carolus M. 28 *Ian. c.* 1. & 4. Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 3. Tancrardus 13 *Febr.* B. Wolbodo 21 *April. c.* 1. Th. Cantipratanus 15 *Maij post medium.* Stephanus 19 *Maij ante finem.* Ioan. Valenrod. 28 *Maij.* Wiboldus 19 *Iul. c.* 1. Ioan. Horion 26 *Aug.* Regnardus 5 *Oct. c.* 1. S. Trudo 23 *Nou. c.* 7. Adolfus Waldeg. 13 *Dec.*

LITTERÆ CVM VIRTVTE IVNCTÆ. Henr. Samerius 5. *Ian.* Ven. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 1. *in fine* & 5. Franco 9 *Ian.* Durandus 23 *Ian. c.* 1. Th. Conierus 24 *Ian. c.* 6. *post medium.* S. Carolus M. 28 *Ian. c.* 1. & 4. Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 3. Iac. Gruitrod. 12 *Febr.* Tancrardus 13 *Febr.* Guil. Richelius 26 *Febr. initio.* V. Rupertus. 4 *Mart.* Steph. Strechoëus 6 *Mart.* Rodolfus 7 *Mart.* Ven. Dionys. Richel. 12 *Mart.* Cornelius a Lapide 21 *Mart.* S. Landoaldus

dus 19 *Mart.* Hugo de S. Caro 19 *Martij.* Adamus Sasboldus 21 *Mart.* Henr. Sommalius 30 *mart.* Notgerus 10 *April.* Petrus Steuartius 27 *Apr.* Læuinus Torrentius 26 *Apr.* Iac. Vitriacus 30 *Apr.* Th. Cantipratanus 15 *Maij sub medium.* Stephanus 19 *Maij ante finem.* Ioan. Valenrod. 28 *Maij.* Theodoricus Hesius 10 *Maij.* Heribrandus 6 *Iun.* Amandus Zirixæanus 8 *Iun.* S. Walherus 23 *Iun.* Wazo 8 *Iul.* Bartholomæus 12 *Iul.* Henr. Harphius 13 *Iul.* Henr. Dionysius 13 *Iul.* Olbertus 14 *Iul.* Ioan. Beetzius 17 *Iul.* Wiboldus 19 *Iul.* Euer. Mercurianus 1 *Augustus.* Nicolaus Cusanus 11 *Augustus.* sanctus Theodoricus 24 *Augustus.* Corn. Vishauęus 25 *Aug.* Ioan. Horion 26 *Aug.* Lãbertus 6 *Sept.* Fr. Titelmannus 12 *Sept.* Hadrianus VI. 14 *Sept.* Vrbanus IV. 30 *Sept.* Robertus 16 *Oct.* B. Lucas 24 *Oct.* Eraclius 27 *Oct.* Franco 29 *Oct.* Georg. Colibrandus 2 *Nou.* S. Perpetuus 4. *Nou.* S. Trudo 23 *Nou.* Adelmannus *Paralip. parte* 2. Franco *ibidem.* Genesius *ibid.* Ger. Stredamus *ibidem.* Hub. Leonardus *ibidem.* Ioan. Brammart *ibid.* Ioan. Distemius *ibid.* Ioan. Lausanensis *ibid.* Nicolaus Fal. *ibidem.* Raphaël *ibid.*

LITTERARVM AMOR. S. Carolus M. 28 *Ian.* Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 3. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 11. Notgerus 10 *Apr.* Wazo 8 *Iul. c.* 2. & 8. Eraclius 27 *Oct. cap.* 1. Adolfus Waldeg. 13 *Dec.*

LOCVS A DEO ELECTVS. Ermedis 11 *Mart.* S. Landrada 8 *Iul. c.* 1. S. Monulfus 16 *Iul.* Albertus 19 *Sept. c.* 2. S. Beregisus 2 *Oct. post medium.* S. Gerardus 3 *Oct. c.* 1. *in fine.* S. Monon 18 *Oct.* S. Bertuinus 11 *Nou.* Cartusianus Leod. *Paralip. parte* 2.

LVXVRIA. S. Lambertus *c.* 12. 13. & 15. *sub finem.* S. Agilolfus 9 *Iul.*

S. MARIÆ CVLTVS S. Maternus *c.* 5. S. Gerlacus 5. *Ian. c.* 4. *in fine.* Petrus 18 *Ian. post medium.* B. Abundus 19. *Mart. c.* 2. S. Iuliana 5 *Apr. c.* 16. Catharina 5 *Maij initio & fine.* B. Arnulfus Cornibutius 30 *Iun. c.* 2. Theodorus 18 *Aug. c.* 1. Ioan. Leonius *Paral. p.* 2. Salomon *ibid.* Theod. Rupefortius 18.

S. MARIÆ PATROCINIVM S. Maternus *c.* 4. S. Hubertus *c.* 2. *sub medium.* S. Ivetta 13 *Ian. c.* 3. *in fine &* 6. Th. Conierus 24 *Ian. c.* 1. & 7. Arnulfus XIII 2. *Mart. initio.* V. Rupertus 4. *Mart.* B. Abundus 19 *Mart. c.* 3. & 4. Catharina 5 *Maij sub medium & in fine.* Theodorus 18 *Aug. c.* 1. God. Pachomius 2 *Oct.* Henr. Calstrius 18 *Oct. initio.* Renerus 30 *Oct.* Marlanius adolescens *Paral. p.* 2. Salomon *ibid.* Theod. Rupefortius *ibid.*

MARTYRII DESIDERIVM. S. Hubertus *cap.* 5. Corn. a Lapide 12 *Mart. post initium.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 4. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 10.

MODERATIO IMPERIIS IDONEA V. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 3. 4. & 6. S. Pipinus 21 *Ian. c.* 1. & 3. Ioan. Valenrod. 28 *Maij.* Euer. Mercurianus 1 *Aug. c.* 4. Adolfus Waldeg. 13 *Dec.* Gerardus Traj. *Paral. p.* 2.

MORS BENE EXSPECTATA. S. Maternus *c.* 6. S. Lambertus *c.* 14. S. Hubertus *c.* 7. S. Poppo 25 *Ian. c.* 13. S. Carolus M. 28 *Ian. c.* 7. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 13. S. Gertrudis 17 *Mart. c.* 6. S. Iuliana 5 *Apr. c.* 18. & 19. B. Wolbodo 21 *Apr. c.* 3. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 12. & 14. Wazo 8 *Iul. cap.* 8. S. Christina Adm. 24 *Iul. c.* 8. Renerus 30 *Oct.* Conradus Louaniensis. *Paral. p.* 2.

MORS HORRENDA S. Lambertus *c.* 15. Stephanus 6 *Ian.* S. Poppo 25 *Ian. c.* 8. S. Eucherius 20 *Febr. in medio.* Ioan. Eustachius 20 *Sept. ante finem.*

MORS PLACIDA. Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 5. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 13. S. Iuliana 5 *Apr.* Hermannus 7 *Apr.* B. Wolbodo 21 *Apr. c.* 3. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 14. B. Arn. Cornibutius 30 *Iun.*

MORS PRÆNVNTIATA. S. Maternus *c.* 6 S. Hubertus *c.* 7. B. Simon 24 *Ian. c.* 6. B. Wolbodo 21 *Apr. c.* 3. S. Seruatius 13 *Maij c.* 6. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 9. S. Maria Oegn 23 *Iun. c.* 12. Fr. Titelmannus 12 *Sept. c.* 6 B. Godefridus 2 *Oct. ante finem.* God. Pachomius 3. *Oct.* Henricus 21 *Oct.* Ecbertus 28. *Oct.* Renerus 30 *Octobris.* S. Albertus 24 *Nou c.* 6.

MORS SANCTE FORMIDATA S Gerlacus 5. *Ian. c.* 1. S. Gertrudis 17 *Mart. c.* 6. Hugo de S. Caro 19 *Mart. ante finem.* Conradus card. *in fine.* 3 *sept.* Georg. Colibrandus 2. *Nou. c.* 2.

MORS SANCTORVM DIVINITVS ORNATA S. Maternus *c.* 7. S. Lambertus *c.* 15 *sub finem.* S. Ivetta 13 *Ian. c.* 9 *in fine.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 10. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 14. God. Pachomius 3 *Oct.* S. Ermelindis 29 *Oct. in fine.* Renerus 30 *Oct.* S. Perpetuus 4 *Nou. in fine.*

MORTVI AD VITAM REVOCATI

Digitized by Google

CATI S. Maternus *c.* 2. S. Maurus 15 *Ian.* S. Poppo 25 *Ian. c. 6 ante medium.* S. Ida Louaniensis 13 *Apr. in fine.* S. Symmetrius 26 *Maij.* S. Libertus 14 *Iul.* S. Christina 24 *Iul. c.* 1 & 8. S. Bauo 1. *Oct. c.* 3. *in medio.*

MORTIFICATIO Vide *Austeritas.* Corn. Vishauæus 25 *Aug c.* 3 *in medio.*

NOCTVRNÆ PRECES. S. Maternus *c.* 6. S. Lambertus *c.* 9 & 14 *ante medium* S. Faraildis 4 *Ian.* S. Gudula 8. *Ian. c.* 1. S. Ivetta 13 *Ian. c.* 4 *initio.* Dionysius Cartusianus 12 *Mart. c.* 2. Hugo Petrap. 12 *Apr. c.* 7. S. Maria Oegn. 23. *Iun. c.* 4. S. Christina 23. *Iul. c.* 5. S. Theodoricus 24. *Aug c.* 3. S. Euergislus 24 *Oct. ante finem.* Georg. Colibrand. 2. *Nou. c.* 2. S. Trudo 23 *Nou. c.* 11 S. Hilsuindis *Par. p.* 2.

NOBILITAS CVM LITTERIS. Vide LITTERÆ CVM NOBILITATE.

NOBILITAS CVM VIRTVTE. Vide VIRTVS CVM NOBILITATE.

OBEDIENTIA. S. Lambertus *c.* 2 & 9. Petrus 18 *Ian. ante finem.* Euer. Taciturnus 18 *Ian. ante finem* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* S. Trudo 23 *Nou. c.* 5. S. Albertus 24 *Nou. c* 7.

ORATIONIS EFFICACIA. S. Lambertus *c.* 14 V. Dion. Richelius 12 *Mart. c* 6. Iac. Vitriacus 30 *Apr. c.* 1 & 2. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 8.

ORATIONIS PVRITAS Gualterus 1. *Mart. c.* 2. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 5. S. Christina 24 *Iul. c.* 3. Ioannes Miles 28 *Aug.*

ORATIONIS STVDIVM. S. Gudula 8. *Ian. c.* 1. *post medium.* Steph. Strechoeus 6 *Mart. c.* 1 & 3. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 2. *in fine.* S. Maria Oegniacensis 23 *Iun. c.* 4 *in medio.* B. Beatrix 29 *Iul. c.* 1.

PÆNITENTIA. Vide AVSTERITAS. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 2. Petrus 18 *Ian. post initium.* Durandus 23 *Ian. c.* 3. S. Mengoldus 8. *Febr.* S. Christina 24 *Iul. c.* 4. Alpais 17 *Sept.* Iolenda 9 *Oct.* Philippus 15 *Oct. post medium.* Reginardus. 5 *Dec. c.* 1. Lambertus pænitens *Paral. p.* 2. Osilia *ibidem.*

PASSIONIS CHRISTI CVLTVS. Petrus 18. *Ian. ante medium.* Conuersa Argenton. 25 *Mart.* S. Iuliana 5 *Apr. c.* 5 *in fine.* V. Ida Louan. 13 *Apr.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 1. 2. 4 & 6 *initio* & 8. *medio.* Radbodo 17 *Apr.* S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 2. Godefridus Bull. 18. *Iulij.* B. Beatrix 29 *Iul. c.* 3. Theodorus 18 *Aug. c.* 3. Elisabetha Wansia 9 *Oct. post initium.* Elisabetha Spalbecana 19 *Nou.* Dionantensis ciuis *Paral. p.* 2.

PASSIONIS STIGMATA. Ven. Ida Louan. 13 *Apr.* Elisabetha Spalbecana 19 *Nou. in medio.*

PATIENTIA. S. Lambertus *c.* 9. Euerardus 18 *Ian. in medio.* V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 13. S. Iuliana 5 *Apr. c.* 13. *in fine* & 14. S. Vrsmarus 18 *Apr. post medium.* S. Maria Oegn. 23 *Iun.* B. Arn. Cornibutius 30 *Iun. c.* 1. *in fine.* B. Beatrix 29 *Iul. c.* 2. Carolomannus 17 *Aug. c.* 3. Bernardus mon. 20 *Aug.* B. Henricus 21 *Oct. ante finem.* S. Ida Niuell. 11. *Aug. c.* 4. Anastasia 24 *Dec.* Gerardus Traject. *Par. p.* 2.

PAVPERTATIS AMOR. Th. Conierus 24 *Ian. c.* 6. *post initium.* Franciscus Montmorencius 5 *Febr. c.* 4. Adamus Sasboldus 21 *Mart.* Arnoldus Solbrec. 8 *April.* S. Norbertus 6 *Iun.* S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 11. *in medio.* S. Christina 24 *Iul. c.* 4. B. Beatrix 29 *Iul. c.* 2. Euer. Mercurianus 1 *Aug. c.* 2. Fr. Titelmannus 12 *Sept. c.* 4. Ioan. Eustachius 20 *Sept.* S. Bauo 1 *Oct. c.* 1. *ante medium.* S. Gregorius 4 *Nou. in medio.* S. Ida Niuell. 11 *Aug. c.* 1. *in medio.*

PAX ANIMI Fr. Montmorencius 5 *Febr. c.* 5. Genta 22 *Mart. in fine.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 6. *ante medium.*

PAX INTER DISSIDENTES B. Wolbodo 21 *April. c.* 2. *in fine.* S. Norbertus 6 *Iun.* S. Bernardus 20 *Aug.*

PAX REIPVB. Gregorius X. 10 *Ian. c.* 2. *in fine.* Poppo 25 *Ian. c.* 7. *initio & sub medium.* Er. Marcanus 16 *Febr. c.* 2. S. Pippinus 21. *Febr. cap.* 3. Notgerus 10 *Mart. c.* 2. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 5. Wazo 8 *Iul. c.* 3. Wiboldus 19 *Iul. c.* 3. Henricus 2 *Nou.* Theodoricus 11. *Dec. c.* 3. Ger. Groesbeçanus 28 *Dec. c.* 8. 9. *&c.*

PECCATI DAMNA S. Lambertus *c.* 14. V. Dion. Richel. 12 *Mart. cap.* 9. S. Seruatius 13 *Maij c.* 4. S. Christina 24 *Iul. c.* 4.

PECCATI ODIVM. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 7. S. Christina 24 *Iul. c.* 2. & 3.

PECCATI PVNITIO S. Lambertus *c.* 15. Stephanus 6 *Ian.* Durandus 23 *Iun. c.* 3. S. Poppo 25 *Ian. c.* 7. & 8. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 5. & 6. S. Iuliana 5 *Apr. c.* 14. *in fine.* S. Christina 24 *Iul. c.* 4.

PERE-

Digitized by Google

PEREGRINATIO. S. Hubertus *c.* 2. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 2. & 4. S. Mengoldus 8 *Feb.* S. Iuliana 5 *Apr. c.* 8. S. Euermarus 1 *Maij.* S. Seruatius 13 *Maij c.* 4. S. Candidus 7 *Iun.* S. Babolenus 26 *Iun.* S. Forannanus 30 *Iun.* S. Ioa. Agnus 25 *Iul.* S. Remaclus 3 *Sept. cap.* 6. S. Monon 18 *Oct.* Dionantensis ciuis *Paral. p.* 2. Winandus *ibidem.*

PRÆLATI VIRTVTES. S. Lambertus *c.* 7. 12. 13. Arnulfus XIII. 2 *Mart.* Arnulfus XIX. 2 *Mart. in medio.* V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 6. Gregorius 12 *Mart.* Genta 22 *Mart.* S. Iuliana 5 *April. c.* 6. B. Wolbodo 21 *Apr. c.* 1. *in fine.* S. Domitianus 7 *Maij.* Ioa. Valenrod. 28 *Maij ante medium.* Wazo 8 *Iul. c.* 2. & 8. V. Theodorus 22 *Aug. c.* 2. S. Remaclus 3 *Sept. c.* 2. Fr. Titelmannus 12 *Sept. c* 5. S. Albertus 24 *Nou. c.* 6. Hermannus *Paral. p.* 2. Ioan. Italus *ibidem.*

PRÆCIPITANTIA. Wazo 8 *Iul. c.* 7. *post medium.*

PROPHETIA. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 8. V. Dion. Richel. 12 *Mart. c.* 9. S. Iuliana 5 *Apr. c.* 12. S. Erminus 25 *Apr.* S. Vltanus 1 *Maij.* S. Fredericus 27 *Maij c.* 1. S. Odulfus 12 *Iun. in medio* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 10. S. Maria Oegn 23 *Iun. cap.* 10. Lamb. Begus 25 *Iun.* Arn. Cornibutius 30 *Iun. c.* 3. S. Monulfus 16 *Iul.* God. Bull. 18 *Iul.* S. Christina 24 *Iul. c.* 6. S. Bernardus 20 *Aug.*

PVRGATORIO EDVCVNTVR ANIMÆ. Vide CARITAS IN MORTVOS. Ioannes 16 *Mart. c.* 2. Hugo Petrap. 12 *Apr. c.* 8. Th. Cãtiprat. 15 *Maij post initium.* S. Christina 24 *Iul. c.* 7. *in fine.* Elisab. Spalbec. 19 *Nou. ante finem.* Nicolaus 7 *Dec.*

RELIGIONIS CVRA Vide ZELVS RELIGIONIS.

RELIQVIÆ PRODIGIIS HONORATÆ. Vide SANCTITAS POST MORTEM PRODIGIIS PROBATA. S. Maternus *cap.* 7. S. Lambertus *c.* 5. 6. S. Hubertus *c.* 8. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 9. S. Maurus 15 *Ian.* S. Poppo 25 *Ian. c.* 11. S. Sigebertus 1 *Febr. in fine.* B. Hugo 10 *Febr. c.* 4. S. Eucherius 2 *Febr. in fine.* S. Pipinus 21 *Feb. c.* 3. S. Vrsmarus 18 *Apr. in fine.* B. Wolbodo 21 *Apr. c.* 3. S. Florebertus 25 *Apr.* S. Seruatius 13 *Maij c.* 6. S. Rolendis 13 *Maij.* S. Guibertus 19 *Maij post medium.* S. Odulfus 12 *Iun. in fine.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 10. *in medio* S. Landrada 8 *Iul. cap.* 2. Henr. Dion. 13 *Iul. in fine.* S. Ragenufla 14 *Iul.* S. Odilia 18 *Iul.* Carolomannus 17 *Aug. c.* 1. S. Theodoricus 22 *Aug. c.* 4. *in fine.* V. Margaretula 2 *Sept.* B. Sybilla 9 *Oct. in fine.* S. Ermelindis 29 *Oct. in fine.* Sigeburgis *Par. p.* 2.

RELIQVIARVM CVLTVS. S. Lãbertus *c.* 5. 6. & 15. *post medium* S. Hubertus *c.* 3. 4. & 8. Guil. Richelius 26 *Feb.* Rodulfus 7 *Mart.* S. Florebertus 25 *Apr.* Iac. Vitriacus 1 *Maij c.* 3. *in fine.* S. Fredegandus 17 *Iul.* Carolomannus 17 *Aug. c.* 1. S. Madelberta 7 *Sept. in fine.* Adelardus 24 *Sept.* S. Leopard. 30 *Sept. in fine.* S. Gerardus 3 *Oct. c.* 3. *in fine, c.* 4. & 6. *initio.* S. Serenus 10 *Oct.* S. Euergislus 24 *Oct. in medio.* Lantzo & Sigeburgis *Paral. p.* 2.

RELIQVIARVM VIS. S. Fredegandus 17 *Iul.* Harigerus 31 *Oct.*

SACERDOTII REVERENTIA. S. Carolus M. *c.* 1 & 2. Iac. Vitriacus 30 *Apr. c.* 1. Wazo 8. *Iul. c.* 6. *ante finem.* S. Christina 24 *Iul. c.* 6.

SACRORVM CONTEMPTVS. Stephanus 6 *Ian.* Seuoldus 13 *Ian.* Adelardus 24 *Sept. in fine.* Lantzo *Paral. p.* 2.

SACRORVM ORNATVS. V. Lud. Blosius 7 *Ian. c.* 7. *in medio.* S. Poppo 25 *Ian. c.* 9. Er. Marcanus 16. *Feb. c.* 5. S. Hẽricus 14 *Iul.* Fulcuinus 16. *Sept.* Eraclius 27 *Oct. c.* 3.

SACRORVM REVERENTIA. Stephanus Strec. 6 *Mart. cap.* 3. Wazo 8. *Iul. c.* 5. *in fine.* Philippus C. 14 *Oct.*

SANCTITAS IN VITA PRODIGIIS PROBATA. S. Lambertus *c.* 1. S. Hubertus *c.* 6. S. Gerlacus 5 *Ian. c.* 8. S. Gudula 8 *Ian. c.* 2. *in medio.* Sanctimonialis Argenton. 14. *Ian.* S. Poppo 25 *Ian. c.* 3. 5. 6. 7. 8. & 11. Ioan. Iardinius 25 *Ian.* Winandus 1 *Feb.* S. Hadelinus 3 *Febr.* V. Dion. Richel 12 *Mart. c.* 10. *in fine.* Notgerus 10 *Apr. c.* 5. *sub finem.* S. Domitianus 7 *Maij.* S. Seruatius 13 *Maij c.* 5. S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 2. *in fine* S. Martinus 21 *Iun.* S. Oduinus 25 *Iun.* B. Arn. Cornibut. 30 *Iun. c.* 3. S. Christina 24. *Iul. cap.* 4. B. Beatrix 29 *Iul. cap* 4. *in fine.* S. Bernardus 20 *Aug.* S. Theodoricus 22 *Aug. c.* 3. Ioan. Eust. 20 *Sept. ante finem.* S. Bauo 1 *Oct. c.* 3. *in medio.* B. Godefridus 2 *Oct. in medio.* Leon. Kesselius 6 *Nou. in medio.* S. Bertuinus 11 *Nou. in medio.* S. Trudo 23 *Nou. c.* 1. *in fine, c.* 6. & 10. Wericus 5 *Dec. in fine.* Walterus 5 *Dec. in fine.* Theodoricus 11 *Dec. c.* 1. & 2. Hermannus *Par. p.* 2. Monachus Porzet. *ibidem.*

SANCTITAS POST MORTEM PRODIGIIS PROBATA. Vide RELIQVIÆ MIRACVLIS HONORATÆ. Gregorius X. 10 *Ian. c.* 4. *in fine.* Henr. Dion. 13 *Iul. in fine.* S. Trudo 23 *Nou. c.* 12. S. Oda 27 *Nou. in fine.*

SANCTITAS PARENTVM ET LIBERORVM. S. Faraildis 8 *Ian. cap.* 1. S. Relindis 6 *Febr.* Rainerus 7 *Febr.* S. Eucherius 20 *Febr.* S. Florebertus 25 *Apr.* S. Iduberga 8 *Maij.* S. Amalberga vidua 10 *Iul.* Bartholomæus 29 *Iul.* S. Madelberta 7 *Sept.* S. Trudo 23 *Nou. c.* 1. S. Odilia *Paral. p.* 2.

Sa-

SAPIENTIA INFVSA. B.Simon 24 *Febr.* *c.* 4. V. Rupertus 4 *Mart. c.* 1. S.Gertrudis 17 *Mart. c.* 4 *post initium* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 2 *in fine.* B Arn Cornibut. 30 *Iun.* *c* 3. S. Christina 24 *Iul. c.* 4. S. Bernardus 20 *Aug.* B. Ida Lew. 11 *Dec. c.* 2 *in fine.*

SAPIENTIA VERA. V. Lud. Blosius. 7 *Ian. c.* 7 *post initium.* S. Maria Oegn. 23 *Iun. c* 10.

SECESSVS AMOR. S.Lambertus *c.* 2 8. 9 & 10. Godefr. Corteb. 10 *Febr.* Er. Marcanus 16 *Febr. c.* 1. S. Eucherius 20 *Febr.* *post initium & medium.* Corn. a Lapide 12 *Mart. ante finem.* Notgerus 10 *Apr. c* 5. S.Remaclus 3 *Sept. c.* 3. *post initium & c.* 5. S.Bauo 1 *Oct. c.* 1. *ante finem & c.* 2. S.Ermelindis 29 *Oct. ante finem.* B.Eua *c.* 1. *Paral. p.* 2.

SILENTIVM. Eucr. Taciturnus 18 *Ian.* Gualterus 1 *Mart. c.* 3. *ante finem.* Gregor. 12 *Mart. in medio.* S. Iuliana 5 *Apr. c.* 5. S. Maria Oegn. 23 *Iun. c.* 3. *in fine, & c.* 6. *initio.*

SOLITVDO. Vide SECESSVS AMOR.

TEMPERANTIA. Vide ABSTINENTIA. Th.Conierus 24 *Iun. c.* 6. Carolus 29 *Ian. c.* 2. S.Vrsmarus 18 *Apr.* B.Wolbodo 21 *Apr. c.* 1. B.Gobertus 20 *Aug. c.* 2.

VINVM EX AQVA FACTVM. S Gerlacus 5 *Ian. c.* 8. Radbodo 7 *Apr.* Albertus 19 *Sept. c.* 3.

VIRGINITATIS AMOR. S. Gudula 8. *Ian. c.* 1. S. Gertrudis 17 *Mart. c.* 1. & 2. S. Amelberga virgo 10 *Iul.* Maria van Lille 10 *Iul.* S. Ragenufla 14 *Iul.* V. Margaretula 2 *Sept.* S.Ermelindis 29 *Oct.* S.Oda 27 *Nou.*

VIRGINITAS IN CONIVGIO. S.Faraildis 4 *Ian.* S.Henricus imp. 11 *Iul. in fine.* Elisabetha Wansia 9 *Oct.*

VIRTVS AMABILIS. S.Lambertus *c.* 7. S.Pipinus 21 *Ian. c.* 1. & 2. S. Poppo 25 *Ian. c.* 7. Carolus 29 *Ian. post medium.* S. Amandus 6 *Febr. c.* 3. Arnulfus XIII. 2 *Mart.* *ante finem.* S. Godegrandus 6 *Mart.* S. Lutgardis 16 *Iun. c.* 9. *post initium.* Henr. Dion. 13. *Iul.* God. Bull. 18 *Iul.* Wiboldus 19 *Iul.* *c.* 1. 2. & 3. B.Gobertus 20 *Aug. c* 3. S Theodoricus 22. *Aug. c.* 4. S.Remaclus 3. *Febr. c.* 1. Hadrianus VI. 14 *Sept. c.* 1 & 2. Ioan. Eustach. 20 *Sept. in medio.* Guilielmus 30 *Sept. in medio.* S. Beregisus 2 *Oct. post medium.* S. Gerardus 16 *Oct. c.* 1. *in medio,* S. Albricus 14 *Nou. ante medium.* Georgius Col. 2. *Nou. c.* Ioan. Abbatulus *Paral. p.* 2. Ioan. abbas *ibid.* Ioan. Distemius. *ibid.*

VIRTVS IMPROBIS INVISA. Vide INNOCENTIA AB IMPROBIS OPPRESSA.

VIRTVTEM DEVS TVETVR. Vide INNOCENTIA ADVERSIS EMERGIT. S. Lambertus *c.* 11 *post medium.* S.Carolus M. 28 *Ian.* *c.* 5. S.Gudula 8 *Ian. c.* 1. *in fine.* Reinerus 1 *Mart.* S.Lutgardis 16 *Iun. cap.* 8. *in fine.* S. Christina 24 *Iul. c.* 2. & 3. S Gerardus 3 *Oct. cap.* 5. *in fine.* Leon. Kessel. 6 *Nou. ante finem.* Elis. de Grauio 9 *Nou.* S.Trudo 23 *Nou. c.* 1. *in fine, cap.* 7. *in medio, & cap.* 8. S. Wilfetrudis 23 *Nou. ante finem.* Ioan. abb. Lob. *Paral. p.* 2.

VIRTVTI PRÆMIVM IN CÆLO. S.Maternus *cap.* 6. S.Hubertus *c.* 7. S.Gerlacus 5 *Ian. c.* 8. S.Lutgardis 16 *Iun. c.* 9. S.Oda 23 *Oct. ante finem.* Renerus 30 *Oct. ante finem.* Ioan. Liranus *Paral. p.* 2.

VIRTVS CVM LITTERIS. Vide LITTERÆ CVM VIRTVTE.

VIRTVS CVM NOBILITATE IN VIRIS. S. Lambertus *c.* 1. S.Hubertus. *c.* 1. Albero 1 *Ian.* S. Gerlacus 5 *Ian.* V.Lud.Blos. 7 *Ian.* Franco 9 *Ian.* Gregorius X. 10 *Ian.* S.Poppo 25 *Ian.* Leonius 2[illegible] S. Carolus M. 28 *Ian.* Carolus 29 *Ian.* Sigebertus 1 *Febr.* Ioan. Mailiart 5 *Febr.* Fr. Montmorencius 5 *Febr.* S. Mengoldus 8 *Febr.* B.Guil. Dongelbert. 10 *Feb.* Tancrardus 13 *Feb.* Er. Marcanus 16 *Febr.* S.Eucherius 20 *Febr.* S.Pipinus 21 *Febr.* B. Simon 24 *Febr.* S.Macuardus 27 *Febr.* Gualterus 1 *Mart.* S. Egilo 1 *Mart.* Arnulfus XIII. 2 *Mart.* S. Godegrandus 6 *Mart.* S.Kadroë 6 *Mart.* S Ansbaldus 10. *Mart.* B.Eilbertus 28 *Mart.* Stephanus X. 29 *Mart.* Notgerus 10 *Apr.* Hugo Petrap. 12 *Apr.* Guil. Iulemont. 18 *Apr.* B.Wolbodo 21 *Apr.* S. Erminus 25 *Apr.* Guil. Berganus 27 *Apr.* S.Forannanus 30 *Apr.* S. Euermarus 1 *Maij.* Ioan. Aptanus 2 *Maij.* S. Ansfridus 3 *Maij.* Th.Cantipratanus 15 *Maij.* Stephanus 16 *Maij.* S Guibertus 23 *Maij.* S.Fredericus 27 *Maij.* Ioan. Valenrodan. 28 *Maij.* Ioannes 9 *Iun.* S. Odulfus 12 *Iun.* S. Hidulfus 23 *Iun.* Theoduinus 23 *Iun.* Petrus Eremita 8 *Iulij.* S. Agilolfus 9 *Iulij.* S. Libertus 14 *Iulij* S. Henricus 14 *Iulij.* S. Monulfus 16 *Iul.* God. Bullion. 18 *Iul.* Richarius 23 *Iul.* Baldric. II. 29 *Iul.* S.Zuetiboldus 13 *Aug.* Carolomannus 17 *Aug.* Theod. Cell. 18 *Aug.* S. Bernardus 20 *Aug.* B.Gobertus 20 *Aug.* Franco mon. 20 *Aug* S. Theodoricus 24 *Aug.* S. Greg. 25 *Aug.* S.Remaclus 3 *Sept.* S.Theodard. 10 *Sept.* Fulcuinus 16 *Sept.* SS.Petrus & Adoletus 17 *Sept.* Albertus 19 *Sept.* Conradus 30 *Sept.* S.Bauo 1 *Oct.* S.Gerardus 3 *Oct.* S.Nuncius 10 *Oct.* Robertus 16 *Oct.* Henr. Callstrius 18 *Oct.* S. Energisus 24 *Oct.* Eraclius 27 *Oct.* Franco 29 *Oct.* Harigerus 31 *Oct.* Henricus 2 *Nou.* S. Gregorius 4 *Nou.* S. Trudo 23 *Nou.* S. Albertus

Digitized by Google

tus 24 Nou. Reginard. 5 Dec. Adolfus Waldeganus 13 Dec. Daniel 26 Dec. Ger. Grosb. 28 Dec. Godesc. Dec. Iac. Glimius Par. p. 1. c. 6. Oliuerius Sombr. ibidem. Rembertus ibid. Theobaldus ibid. Ægid. Claromont. ibid. p. 2. Albert. Mohanus ibid. Arnoldus Corswarem. ibid. Arnulf. Florin. ibid. Gerardus Tudin. ibid. Monachus Trudon. ibid.

VIRTVS CVM NOBILITATE IN FEMINIS. S. Faraildis 4 Ian. S. Gudula 8 Ian. Himana 29 Ian. S. Relindis 6 Febr. Ermedis 11 Mart. S. Gertrudis 17 Mart. Genta 22 Mart. S. Iuliana 5 Apr. S. Iduberga 8 Maij. S. Rolendis 13 Maij. S. Hilsuindis 22 Maij. S. Adilia 25 Maij. S. Lādrada 8 Iul. S. Amalberga virgo 10 Iul. S. Amalb. vidua 10 Iul. S. Ragenufla 14 Iul. Bertha 17 Iul. S. Odil. 18 Iul. Benedicta 17 Aug. S. Cęcil. 17 Aug. S. Relindis 17 Aug. S. Madelberta 7 Sept. Alpais pœnitens 17 Sept. B. Sybilla 9 Oct. Elisabetha Wansii 9 Oct. S. Regnifendis 10 Oct. Beatrix Pratana 16 Nou. S. Wilfetrudis 23 Nou. S. Begga 17 Dec. S. Adela Paral. p. 2. B. Adeltrudis ibidem. B. Agnes ib. Alpais Hugard. ib. S. Benedicta ibid. Catharina Lexhia ibid. Grimara ibid. Regina ibid. Richardis ibid.

VITÆ PRIVATÆ AMOR. S. Lambertus c. 8. in fine, 9. & 10. in medio. Vlricus 1 Ian. Carolus 29 Ian. ante finem. Ioan. Maillart. & Wazelinus 5 Febr. S. Egilo 1 Mart. Arnulfus XIII. 2 Mart. in fine. Theodoricus Hesius 16 Maij. Ioan. Eustach. 20 Sept. in fine. Gerardus 22 Sept. Conradus 30 Sept. in fine. Arnold. de Noua domo 8 Dec. Guil. Atreb. Paral. p. 2. Gosuinus ibid. Iac. Sommal. ibid.

VISVM HORRENDVM OCCASIO SALVTIS. S. Ivetta 13 Ian. c. in fine & c. 6. S. Landelinus 15 Iun. Georg. Colibrand. 2 Nou. c. 1. Lambertus pænitens Paral. p. 2.

VOCATIO AD MELIOREM VITAM. S. Hubertus c. 1. post medium. S. Poppo 25 Ian. c. 2. Carolus 29 Ian. S. Hilsuindis 22 Maij. S. Lutgardis 16 Iun. c. 1. post medium. S. Trudo 23 Nou. c. 5. Daniel 26 Dec.

ZELVS DISCIPLINÆ. V. Lud. Blosius 7 Ian. cap. 3. & 4. Gregorius X. 10 Ian. c. 3. post medium. Scuoldus 13 Ian. Carolus 29 Ian. S. Poppo 25 Ian. B. Hugo 10 Febr. c. 2. & 3. Guil. Richel. 26 Febr. in medio. Arnulfus XIII. 2. Mart. Arnulfus XIX. 2 Mart. V. Dion. Richel. 12 Mart. c. 6. Gregorius 12 Mart. S. Iuliana 5 Apr. c. 6. Arnoldus Solbrec. 8. Apr. Ioan. Valenrod. 28 Maij Lamb. Begus 25 Iun. S. Babolenus 26 Iun. Obertus 14 Iul. Wiboldus 19 Iul. c. 2. Bertha 17 Iul. Ioan. Soreth. 25 Iul. B. Beatrix 29 Iul. c. 4. S. Theodoricus 24 Aug. c. 2. Fr. Titelmannus 12 Sept. c. 4. & 5. Hadrianus VI. 14 Sept. c. 3. Conradus 30 Sept. sub medium. S. Gerardus 3 Oct. c. 4. post medium. & c. 5. S. Albertus 24 Nou. c. 7. Berengerus 16 Nou. Hermannus Paral. p. 2.

ZELVS FIDEI CATHOLICÆ. S. Maternus c. 1. 2. 3. S. Lambertus c. 11. S. Hubertus cap. 5. Henricus Samerius 5 Ian. ante finem. Gregorius X. 10 Ian. c. 3. Durandus 23 Ian. c. 2. Er. Marcanus 16 Febr. c. 4. Notgerus 10 Mart. c. 5. Hugo de S. Caro 19 Mart. post initium. Stephanus X. 29 Mart. cap. 1. S. Seruatius 13 Maij c. 2. Wazo 8 Iul. c. 4. & 7. Henr. Dion. 13 Iul. Hadrianus VI. 14 Sept. c. 2. S. Leopardus 30 Sept. Ger. Goesbec. 28 Dec. c. 1. 2. &c. Algerus Paral. p. 1. c. 2. Adelmannus ibidem p. 2. Henr. Leonardus ibid. Ratherius ibidem.

ZELVS GLORIÆ DIVINÆ. S. Maternus c. 1. & 2. in fine, c. 3. & 5. S. Lambertus c. 11. Lamb. Begus 25 Iun. Henr. Dion. 13 Iul. Godefr. Bull. 18 Iul. V. Petrus Eremita 8 Iul. Otto 18 Iul. Helinus 21 Aug. S. Perpetuus 4 Nou. in medio. S. Albricus 14 Nou. post medium. Æg. Claromont. Paral. p. 2.

ZELVS SALVTIS PROXIMI. Henr. Samerius 5 Ian. Th. Conierus 24 Ian. c. 1. 2. 3. & 4. Steph. Strechoeus 6 Mart. c. 2. V. Dion. Richel. 12 Mart. c. 3. & 4. Ioan. Niuell. 16 Mart. B. Abundus 19 Mart. c. 3. & 4. S. Domitianus 7 Maij. S. Norbertus 6 Iun. Arnoldus conu. 30 Iun. Henricus Dion. 13 Iul. S. Fredegandus 17 Iul. Hadrianus VI. 14 Sept. c. 1. Eraclius 27 Oct. c. 1. Georg. Colibrand. 2 Nou. c. 1. S. Perpetuus 4 Nou. in medio. S. Gregorius 4. Nou. in medio. S. Albricus 14 Nou. post medium. S. Trudo 23 Nou. c. 4. in fine, c. 8. post medium & c. 10. S. Eloquius 3. Dec. Theodoricus 11 Dec. Genesius Paral. p. 2. Gerardus ibidem. Philippus ibidem.

Paucula irrepserunt errata, quæ facile beneuolus lector deprehendet, & pro suo candore corriget. Eius tamen commonendum putaui. Folio 562. in encomio Carthusiani Leodiensis versu primo pro *quadringentesimum* substituendum meminerit *trecentesimum*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google